Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/operaomniainunum11deni

DOCTORIS ECSTATICI

DIONYSII CARTUSIANI

OPERA OMNIA





DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

IN MATTHÆUM, MARCUM, LUCAM (I-IX)

MONSTROLII

TYPIS CARTUSIÆ S. M. DE PRATIS

MDCCCC





THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
JAN
3921

ENARRATIONES

IN

QUATUOR EVANGELISTAS

BQ
6522
A2


BONORV̄ OPERV̄ GLORI OSVS EST FRVCTVS.
D. DIONYSIVS CARTHVSIEN

D. DIONYSII

CARTUSIANI

ENARRATIONES PIÆ AC ERUDITÆ

IN

QUATUOR EVANGELISTAS

HOC EST

MATTHÆUM, MARCUM, LUCAM

ET JOANNEM

EX EDITIONIBUS COLONIÆ

PETRI QUENTEL, MDXXXII, MDXXXIII, MDXLIII;

JASPARIS GENEPII, MDXXXVIII.

SERENISSIMO ATQUE INVICTISSIMO ANGLORUM REGI HENRICO, EJUS NOMINIS OCTAVO, THEODORICUS LOER A STRATIS, PRÆCLARÆ CARTUSIENSIUM DOMUS IN COLONIA AGRIPPINA HUMILIS VICARIUS. S. P. D.

OPERÆ pretium me duxi facturum, serenissime rex Henrice, atque Christi athleta invictissime, si lucidissimas ac plane divinas in quatuor Evangelistas Dionysii nostri enarrationes, Regiæ Tuæ Celsitudini, periculosis hisce temporibus, cum omni qua decet reverentia atque honore dedicarem. Sic enim placuit (nec id quidem indecenter) venerabili ac religioso Patri D. Petro Blomevennæ Leydensi, dignissimo Cartusianæ nostræ domus S. Barbaræ in Colonia Priori, ac principali provinciæ Rheni Visitatori, ceterisque confratribus nostris, tum Regiæ Tuæ Majestati, tum reliquis omnibus catholicæ fidei Principibus, in Christo deditissimis. Et quid mirum? Scriptis enim tuis, in quibus de Sacramentis agitur, dilatasti gloriam populo tuo, et ante annos aliquot induisti te loricam doctrinæ catholicæ sicut gigas; succinxisti quoque et lumbos tuos arma Scripturæ bellica in disputationum præliis contra hæreticos, et protexisti Servatoris nostri castra gladio eruditionis tuæ. Similis insuper leoni factus es evangelico, et sicut mysticus leonis catulus e cœlo in terram missus in venatione perfidorum. Persecutus enim es iniquos in regno tuo, eosque perscrutans, qui populum tuum fidelem condemnatis quibusdam hæresibus nequiter conturbabant. Tuæ igitur Regiæ Celsitudini tam præclaras Dionysii nostri enarrationes non immerito nuncupamus, vel ex eo etiam argumento, quod dignæ sint propter quas vadimonium quam rectissime relinquatur. Præterea, si S. Vuilfridus Episcopus istic Eboracensis, libros quatuor Evangeliorum aureis litteris, ut Beda refert, conscribi voluit, atque pretiosis subinde amiciri chlamydulis, quid non faciet hac in re singularis Tuæ Majestatis prudentia? Ipse enim Dionysius fortitudine Sancti Spiritus indutus, veteres enervans hæreticos, Christi doctrinam luce lucidius declarat, nihilque quod ad rem facit, nobis intentatum relinquit. In hisce quidem ipsius enarrationibus mens nostra vegetatur, elocutio divinitus expolitur, supellex arcanorum cœlestium copiosissima comparatur. In his quoque animus omnium noster gravioribus est exuendus curis, litteris etiam demulcendus sacratioribus, et deliciis quotidie refovendus nunquam perituris. Sunt præter hæc in Dionysio nostro, prudentiæ oculus, libra justitiæ, fortitudinis sedes, regula temperantiæ, honestatis exemplar, caritatis splendor, fons gratiarum, bonorum spes, refugium innocentium, præsidium miserorum, nec minus philosophorum quam theologorum sacrarium. Porro, per hunc

sanctum virum Spiritus Domini locutus est, cujus et sermo per linguam ejus. In hoc, inquam, viro vapor quidam fuit virtutis Dei, et emanatio quædam claritatis ejusdem, cum candore etiam lucis æternæ. Nec mirum. Nam omnia quæ scripsit idem ipse Dionysius noster, ex ore prodierunt Altissimi, eorumque virtus in magna divinorum charismatum abundantia, ad extremum procul dubio terræ diffundetur. Et ne longum faciam, hic nunquam acquievit carni et sanguini, sed in eo fuit plena privati amoris exstinctio, et divini dumtaxat pura ardensque affectio. Quapropter oramus atque obsecramus Regiam Majestatem Tuam in Christo Jesu, ut hasce D. Dionysii elucubrationes boni consulat, et venerabilem nostri Ordinis Patrem F. Joannem Batmansonum, cœnobii Annuntiationis beatæ Virginis Mariæ prope Londinum Priorem, ac Arnoldum Birckman bibliopolam Coloniensem, qui Dionysii opera apud Britannos in pretio esse testantur, commendatos sibi, in tutelam suscipere non recuset. Valeat eadem Regia Tua Celsitudo feliciter. Coloniæ, ex sacris nostris ædibus. Anno Domini MDXXXII, pridie Idus Martias.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

SECUNDUM MATTHÆUM

PROLOGUS

QUASI stella matutina in medio nebulæ, et quasi luna plena, et quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei. Eccli. L, 6, 7.

Quamvis universitatis creator, generisque humani redemptor Christus, sa- *I Cor.* I, 24.
pientia Patris, cuncta ordinate produxerit, et singula in numero, pondere et mensura *Sap.* XI, 21.
sapienter molitus sit; nostram tamen salutem ac reparationem ordinatissime, imo et
sapientissime complevit. Venturus nempe in mundum hunc, et operaturus nostram *Ps.* LXXIII,
salutem in medio terræ, præmisit sui adventus seu incarnationis præcones, sanctos 12.
Prophetas, qui omnes super dies regis Messiæ locuti sunt. Deinde in propria venit per-
sona, nostræ naturæ assumpta substantia ; et sicut sacer Jeremias admirando prædixit,
ipse quasi colonus, et quasi viator ad manendum declinans advenit. Factus est enim *Jer.* XIV, 8.
egenus propter nos, quum dives esset : quemadmodum Zacharias quoque testatus *II Cor.* VIII, 9.
est, Ecce, inquiens, rex tuus veniet tibi justus et salvator, ipse pauper. Visus ergo et *Zach.* IX, 9.
conversatus in terra, docuit homines, prout Isaias fatetur : Docebit nos vias suas, et *Baruch* III, 38.
ambulabimus in semitis ejus. De hoc namque doctore dixit Osee propheta : Tempus *Is.* II, 3. *Osee* X, 12.
requirendi Dominum, quum venerit qui docebit nos justitiam.

Porro, quum excellentissimus modus sit docendi, proprio ore docere seu prædicare, idcirco hic modus Christo potissimum conveniebat : propter quod librum non edidit, sed voce edocuit. Unde et inter philosophos præcipui, Socrates atque Pythagoras, libros facere renuerunt, viva dumtaxat voce docentes. Verum, quia necesse fuit ad posterorum informationem componere libros, ne oblivioni traderentur præterita, Christus hoc genus docendi suis commisit ac inspiravit discipulis. Inter quos quatuor ad evangelicæ veritatis describenda mysteria, documenta ac gesta, elegit, Matthæum, Joannem, Lucam, et Marcum : quorum libri et dogmata universis libris atque doctrinis præfulgent ac præferuntur.

Fuere nihilo minus, ut in evangelii sui exordio tetigit Lucas, quidam qui non divi- *Luc.* I, 1.
nitus inspirati, sed proprio animo tumidi (juxta illud in Job, Vir vanus in superbiam *Job* XI, 12.
erigitur), conati sunt evangelium scribere. Inter quos fuerunt Basilides et Apelles hæ-
retici, qui ut suos colorarent ac promulgarent seu authenticos redderent errores, sub
nominibus Apostolorum scripserunt, videlicet Bartholomæi, et Thomæ, itemque Mat-
thiæ. Sic etiam quidam perversi sub nomine Pauli apostoli scripserunt ac transmise- *II Thess.* II, 3, 2.
runt epistolas. Unde ad Thessalonicenses hortatur : Ne quis vos seducat, neque per *I Cor.* XVI, 21; *Coloss.*
spiritum, neque per epistolam tanquam per nos missam. Rursusque in finibus episto- IV, 18 ; II *Thess.* III,
larum suarum adjungit : Salutatio mea, manu Pauli : quod signum in omni epistola, ita 17.

scribo. Hoc enim signo sciebatur epistola ab ipso composita. Sic et in veteri Testamento nonnulli officium prophetandi sibi usurpaverunt. De quibus per Jeremiam loquitur
Jer. XXIII, 21; XXVII, 15. *Ezech.* XIII, 19, 10. *Joann.* X, 8. *Act.* XX, 28.
Dominus : Ipsi currebant, et ego non misi eos ; et per Ezechielem, Populum meum deceperunt propter fragmen panis. De talibus ait Salvator : Omnes quotquot venerunt, fuerunt fures et latrones. Sancta ergo Ecclesia, quam constat regi a Spiritu Sancto, illorum dumtaxat recepit evangelia, quorum sanctitas manifesta fuit, qui et fide digni fuerunt, sequens in hoc propheticæ revelationis mysterium, secundum quod in Eze-
Ezech. I, 18; X, 12. *Ibid.* I, 10.
chiele quatuor animalia oculis plena describuntur. Per quæ quatuor Evangelistæ signantur, ita ut per animal simile homini, significetur Matthæus, quia ab humana Christi generatione sumpsit exordium ; per bovem seu vitulum, Lucas ; per leonem, Marcus ; per aquilam, Joannes. De qua propheticæ revelationis elucidatione ac prosecutione nunc transeo, quoniam satis commune est, et ab expositoribus copiose tractatum.

Denique ad commendationem sacratissimi evangelistæ et gloriosi apostoli, divini sapientissimique Matthæi revertor, de quo introducti thematis verba convenientissime
Eccli. L, 1.
exponuntur, quamvis ad litteram de Simone Oniæ filio, sacerdote magno, sint dicta. Fulsit ergo Matthæus in domo Dei ut stella matutina, ut luna, ut sol, hoc est vehementer, vehementius et vehementissime, seu clare, clarius atque clarissime, quemadmodum stella matutina vehementer clareque fulget, sed luna clarius, sol autem clarissime. Fulsit enim clare per conversationem exemplarem, clarius per evangelicam prædicationem, clarissime per evangelii conscriptionem. Sua etenim sanctissima conversatione illustravit præsentes et secum conversantes ; sua prædicatione illuminavit omnes adventantes et audientes ; sua vero scriptura universum edocuit mundum, et incessabiliter edocet auditores, sive lectores. Ipse quoque præ ceteris Evangelistis moralitatem christianæ sapientiæ, hoc est morales Christi doctrinas, plenius descripsisse videtur, ita ut Marco fulgente clare ut stella matutina, Luca clarius tanquam luna plena, ipse clarissime fulgeat instar solis, quamvis absolute loquendo, Joannes cunctis præfulgeat.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

SECUNDUM MATTHÆUM

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO PRIMI CAPITULI : LIBER GENERATIONIS JESU CHRISTI.

1 L*IBER generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham.* Sicut in Prologo protestatur Hieronymus, Matthæus ante ceteros Evangelistas suum conscripsit evangelium in Judæa. Scripsit autem Judæis conversis stilo Hebræo. Chrysostomus vero refert, quod facta magna persecutione fidelium in Palæstina, fratres dispersi precabantur Matthæum, ut eis verborum et operum Christi veritatem describeret, quatenus librum evangelicæ legis ad manum haberent, secumque deferrent quocumque venirent. Hæc autem simul stare possunt. Quamvis enim in Judæa scripserit, potuit tamen plebs christiana in Palæstina exsistens, esse occasio hujus scripturæ : præsertim quum plurimi Judæorum in Palæstina morati conversique fuerint.

Porro intentio Matthæi fuit ostendere Christum veraciter incarnatum, atque ex semine David progenitum : quoniam infideles Judæi ex hoc arguebant Jesum Nazarenum non esse Messiam seu Christum, eo quod a Nazareth urbe Galilææ fuerat oriundus ; Scriptura vero prædixit Christum de Bethlehem Juda et semine David venturum. (*Matth.* II, 4-6 ; *Mich.* V, 2.) Hinc enim principes Judæorum locuti sunt Nicodemo : Numquid a Galilæa venit Christus ? nonne Scriptura dicit, quia ex semine David, et de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus ? (*Joann.* VII, 41, 42, 52.)

Declarans ergo Matthæus Jesum esse filium David, sic orsus est : *Liber generationis Jesu Christi,* id est, liber præsens a generatione Christi intitulatur. Solent enim Hebræi libros denominare ab eo de quo in exordio pertractatur : quemadmodum primus liber Moysis dicitur Genesis, quia de mundi creatione sumit initium ; liber quoque in cujus principio Dominus fertur jussisse numerari filios Israel, vocatus est liber Numerorum. Itaque iste est liber generationis Jesu Christi, id est describens humanam seu temporalem generationem Christi, de cujus divinitate ac divina generatione Joannes plenius sermocinatur.

Quamvis autem in veteri Testamento plures dicti sunt Jesus, ut Josue, alias Jesus filius Nave, et Jesus filius Josedec sacerdos magnus ; plures quoque vocati sunt Christi, (*Eccli.* XLVI, 1. *Agg.* I, II ; *Zach.* VI.) per quamdam participationem et nuncupationem, imperfectamque rationem, videlicet, quoniam populum Israel temporaliter seu corporaliter, vel dispositive et solum instrumentaliter liberaverunt, et oleo sancto uncti fuerunt corporaliter, vel

spiritualiter, vel modo utroque : nullus A
tamen secundum perfectam rationem ac
plenam proprietatem dici potest Jesus aut
Christus, nisi Unigenitus Dei, homo factus,
qui solus perfectam animæ et corporis
liberationem nobis promeruit, fecit, ac tribuit,
omniumque divinorum charismatum
Joann. III, 34. unctione plenissime est perfusus : quia
non ad mensuram dat Deus Spiritum homini
Christo. Unde in Psalmo canitur :
Ps. XLIV, 8. Unxit te Deus oleo lætitiæ præ participibus
tuis. Proprie itaque, Christus est nomen
personæ in duplici natura subsistentis, di- B
vinæ videlicet et humanæ. Imo tam Jesus
quam Christus, supponunt æternam et increatam
hypostasim Verbi, ita ut hæ veræ
sint : Jesus est æternus, immensus, omnipotens ;
Christus ubique est, omnia implet,
omnia continet.

Hic ergo est liber generationis Jesu
Christi, *filii David, filii Abraham,* id est,
qui secundum assumptam humanitatem
est filius David regis, et Abrahæ patriarchæ :
juxta quod Gabriel apud Lucam dis-
Luc. I, 32. seruit Virgini benedictæ, Dabit illi Domi- C
nus Deus sedem David patris ejus ; et
Rom. I, 3. Apostolus ad Romanos, Qui factus est ei
ex semine David secundum carnem. Secundum
Hieronymum, horum duorum dumtaxat
filius nominatur jam Christus, quia
ad hos tantum de Christo facta est divina
promissio. Ad David etenim dictum est :
Ps. CXXXI, 11. De fructu ventris tui ponam super sedem
tuam ; ad Abraham autem, In semine tuo
Gen. XXII, 18. benedicentur omnes gentes. Sed huic obviare
videtur, quod in Genesi hæc eadem
promissio legitur Isaac facta : ad quem D
Ibid. XXVI, 4, 24. inter cetera contestatus est Dominus, Multiplicabo
semen tuum ; et, Benedicentur
Ibid. 4. in semine tuo omnes gentes terræ. Imo et
Ibid. XXVIII, 14. Jacob patriarchæ in Genesi legitur Dominus
hoc ipsum promisisse. Præterea Jacob
quoque patriarcha manifeste prædixit Ju-
Ibid. XLIX, 10. dæ, quod de semine ejus nasceretur Christus,
exspectatio gentium. Arbitror ergo
idcirco Christum potissimum dici filium
David et Abrahæ, quoniam ceteris principaliores
et forte sanctiores fuerunt. David
namque regum, Abraham vero Patriarcharum
maximus fuit.

Sed quum per Isaiam de Christo prædictum
sit, Generationem ejus quis enarra- *Is.* LIII, 8.
bit ? quid est, quod Matthæus et Lucas
Christi generationem describunt ? Ad hoc
Hieronymus Chrysostomusque respondent,
quod Isaias de divina Christi generatione
loquatur, Evangelistæ autem de generatione
humana. Quamvis autem hoc verum
sit, quantum ad hoc quod divina Christi
generatio præcipue inenarrabilis est, quæ
secundum Dionysium, posuit tenebras la- II *Reg.* XXII, 12; *Ps.* XVII, 12.
tibulum suum ; nihilo minus verbum Isaiæ
jam introductum de humana quoque Christi
generatione intelligi potest, quemadmodum
Leo Papa ubertim fatetur : Quis
enim viator concipere, comprehendere, aut
eloqui valeat, quomodo virgo æternam personam,
verum et incommutabilem Deum
concipiat ? quomodo de clauso utero ejus
Christus procedat, quod sine penetratione
dimensionum omnem rationem excedente,
non potuit fieri ? Imo ut aliqui probabiliter
adstruunt, verbum Isaiæ jam allegatum,
ad litteram intelligendum est, nec de
divina, nec de humana, sed de spirituali
Christi generatione, qua homines ex aqua *Joann.* III, 5.
et Spiritu Sancto renascuntur in Christo,
et per Apostolorum prædicationem cœlestisque
gratiæ infusionem, ad ipsum conversi
sunt. Prædictis enim verbis Isaias
adjecit : Quia abscissus est de terra viven- *Is.* LIII, 8.
tium, id est, Christus per mortem ablatus
est a consortio hominum in mundo viventium.
Hæc vero abscissio non est causa
inenarrabilitatis divinæ vel humanæ generationis
Christi, sed generationis ejus spiritualis :
quum hoc sit valde mirabile,
quod in hominem crucifixum totus pene
crediderit mundus.

Quamvis itaque quælibet harum trium
Christi generationum inenarrabilis sit, ita
quod perfecte comprehendi recitarique nequit,
singulæ tamen aliqualiter describuntur.
De divina siquidem generatione ait
Christus sapientia Dei : Nondum erant *Prov.* VIII, 24, 25.
abyssi, et ego jam concepta eram ; ante

colles ego parturiebar. In Ecclesiastico quo- A
Eccli. xxiv, 5. que : Ego ex ore Altissimi prodivi, pri-
mogenita ante omnem creaturam. Unde
Sap. vii, 25, 26. in Sapientiæ libro legitur : Vapor est vir-
tutis Dei, et emanatio quædam claritatis
omnipotentis Dei sincera; candor est enim
lucis æternæ. Spiritualis autem generatio
Christi jam dicta, in Actibus Apostolo-
rum, ceterisque legendis Sanctorum descri-
bitur.

2 *Abraham genuit Isaac* supernaturali-
Gen. xvii, 17. ter, de Sara nonagenaria naturaliter sterili,
quando et ipse fere centenarius erat. De B
Ismaele autem primogenito Abrahæ non
fit mentio, sicut nec de ceteris filiis Abra-
hæ, quia ex eorum semine non prodiit
Christus. Nec mystica ratio compulit eos
commemorari, sicut inferius commemo-
vers. 2 et 11. rantur fratres Judæ et Jechoniæ, de quibus
tamen non est natus Salvator. Iste est Abra-
Is. xli, 8. ham quem Deus per Isaiam appellat ami-
cum, qui fuit perfectæ obedientiæ forma,
fideique ac spei exemplum. Unde in Gene-
Gen. xv, 1. si Dominus ait ad eum : Ego protector
tuus et merces tua magna nimis. Cujus C
præconia in Genesi describuntur. Quoniam
ergo ex Isaac natus est Christus, dictum
Ibid. xxi, 12. est Abrahæ in eodem Genesis libro : In
Isaac vocabitur tibi semen. Apostolus quo-
Galat. iv, 29. que ad Galatas dicit Ismaelem natum se-
cundum carnem, Isaac autem secundum
spiritum, id est secundum Spiritus Sancti
promissionem et operationem, ac typicam
Christi præfigurationem. In multis siqui-
Gen. xvii, 19; xviii, 10. dem erat figura Christi, videlicet, quia di-
vinitus promissus, supernaturaliter con-
ceptus ac genitus, et quia ad sui ipsius D
Ibid. xxii, 6. immolationem ligna portavit, sicut et Chri-
Joann. xix, 17. stus bajulans sibi crucem exivit ad pas-
sionem. Isaac quoque interpretatur risus
seu gaudium. Nam eo nato, Sara mater
Gen. xxi, 6. ejus : Risum, inquit, fecit mihi Dominus;
omnis qui audierit, corridebit mihi. Quis
autem est spiritualis risus et gaudium ele-
Agg. ii, 8. ctorum, desideratusque gentium, nisi is
Luc. ii, 10, 11. de quo angelus pastoribus, Ecce, ait, an-
nuntio vobis gaudium magnum, quod erit
omni populo, quia natus est vobis Salva-
tor, qui est Christus Dominus? — Spiritua-
liter per Abraham, qui interpretatur pater *Gen.* xvii, 5.
multarum gentium, intelligitur quilibet
virtuosus, qui est principium multarum
operationum bonarum. Talis generat Isaac,
id est, spiritualem habet lætitiam, quoniam
actibus virtuosis sincera delectatio est an-
nexa.

Isaac autem genuit Jacob, qui erat vir *Ibid.* xxv, 27.
simplex, in tabernaculis habitans. De quo
Augustinus sentire videtur, quod fuerit in
utero sanctificatus. Unde et apud Mala-
chiam prophetam loquitur Dominus : Non- *Malach.* i, 2, 3.
ne frater erat Jacob Esau? Et Jacob dile-
xi, Esau autem odio habui. Hic Jacob
angelorum visionibus frequenter potitus *Gen.* xxviii, 12; xxxi, 11; xxxii, 24.
est, qui ab angelo dictus est Israel. Porro
quam præclarissimus propheta exstiterit, *Ibid.* xxxii, 28.
quamque sanctissimum vitæ finem habu-
erit, ex Genesi elucescit. — Spiritualiter *Ibid.* xlviii, xlix.
Isaac, id est gaudium in Domino, generat
Jacob, id est vitiorum supplantatorem. Qui
enim delectatur in Domino et actibus san-
ctis, vitiis fortiter reluctatur, ac alios ad
vitiorum eradicationem inducit : secun-
dum quod dicitur, Gustato spiritu, desipit
omnis caro.

Jacob autem genuit Judam et fratres
ejus, undecim Patriarchas, videlicet Ru- *Ibid.* xxxv, 23.
ben, Simeon, Levi, Issachar, Zabulon. Hi
sex de Lia exorti sunt. Joseph quoque et *Ibid.* 24.
Benjamin ex Rachele; Dan vero et Neph- *Ibid.* 25.
thali ex Bala; Gad autem et Aser ex Zel- *Ibid.* 26.
pha. — Jacob pater duodecim Patriarcha-
rum, figura est Christi, patris duodecim
Apostolorum. Judas autem interpretatur *Ibid.* xxix, 35.
confessio. Qui ergo spiritualiter Jacob est,
vitia supplantando, generat Judam, id est
confessionem laudis divinæ, dicens cum
Psalmista : Benedicam Dominum in omni *Ps.* xxxiii, 2.
tempore, semper laus ejus in ore meo;
itemque, Confitebor tibi, Domine, in toto *Ps.* ix, 2; cx, 1; cxxxvii, 1.
corde meo. Talis quippe dignus est Deum
laudare, quum non sit speciosa laus in *Eccli.* xv, 9.
ore peccatoris. De hoc Juda scriptum est
in libro Paralipomenon : Judas fortissimus I *Par.* v, 2.
erat inter fratres suos.

Judas autem genuit Phares et Zaram 3

Gen. XXXVIII, 11 30. *de Thamar* nuru sua. Cui quum Judas dare nollet filium suum in maritum, ut suscitaret semen fratrum suorum maritorum Thamar sine liberis defunctorum, illa prolem habere desiderans, mutato habitu, sedit in via qua noverat Judam iturum : qui putans eam esse scortum, concubuit cum ea, concepitque et peperit filios duos jam nominatos.

Hoc loco dicit Hieronymus, in genealogia Salvatoris nullam sanctarum assumi feminarum, sed eas quas Scriptura reprehendit : ut qui propter peccatores venerat, de peccatricibus nascens, omnium peccata deleret. Contra quod dictum Lyra argu-
vers. 16. mentatur, quia inferius virgo Maria, quæ erat sanctissima, ponitur. Hieronymus etiam asserit, tres reges propter iniquitatem patris eorum omissos, ne in sanctæ nativitatis ordine ponerentur. Non ergo hæ mulieres ponuntur hoc loco quoniam peccatrices. — Certum est autem, quod harum objectionum prima non sit contra mentem Hieronymi : sicut nec illa qua aliquis dicere posset contra verba Hieronymi, quibus ait quod Matthæus nominat Christum
vers. 1. filium David et Abrahæ tantum. Posset enim quis objicere, quod etiam nominat eum filium Mariæ. — De secunda objectione dubium esse potest quid Hieronymus senserit. Non autem opinor eum sensisse, quod hæ quatuor mulieres, quas appellat non sanctas, sed peccatrices, videlicet Thamar, Rahab, Ruth et Bethsabee, sint in vitiis consummatæ seu condemnatæ. Unde Ambrosius eas multum excusat, etiam ipsam Thamar, quæ inexcusabilior esse videtur, quoniam rea incesti. Sed quoniam teste Dionysio, sanctum dicitur quasi immaculatum, Hieronymus vocat eas non sanctas et peccatrices, eo quod aliqua reprehensibilia commiserint, de quibus pœnituisse creduntur. Fuerant ergo peccatrices, eo modo quo de Maria Magdalene
Luc. VII, 37. jam pœnitente in Evangelio legitur : Mulier quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod Jesus accubuit in domo Simonis, etc. De virtutibus autem earum

A statim dicetur. Bona est igitur ratio S. Hieronymi, quod hæ feminæ peccatrices in genealogia Christi ponuntur propter exemplum sperandæ salutis, et propter spem excitandam : non solum in quantum peccatrices, sed in quantum peccatrices pœnitentes, ut dum audimus Sanctum Sanctorum de peccatricibus mediate natum, nullatenus desperemus, sed peccatricum illarum pœnitentiam imitemur. Interea, quod de regibus illis omissis objicitur, non est contra intellectum Hieronymi. Non
B enim dicit eos dumtaxat omissos, quia injusti fuerunt, nam simili ratione Roboam, Achaz, Amon, et alii quidam omissi fuissent; sed propter commixtionem patris eorum, videlicet Joram regis Juda, cum filia impiissima Jezabel, muliere gentili atque idololatra : unde propter labem gentilitatis omissi sunt. Sicque opposita ratio est de omissione regum istorum et prædictarum mulierum, eo quod Rahab et Ruth gentilitate relicta, ad Judaismum conversæ sunt; Joram vero legitimo toro con- (II Par. XXI, 5, 6. Ibid. XXIV, 7.)
C tempto, acceperit uxorem gentilem in gentilitate manentem.

Phares autem genuit Esron ; Esron autem genuit Aram; Aram autem genuit 4
Aminadab ; Aminadab autem genuit Naasson. Hic Phares cum patre suo Juda Ægyptum ingressus est, in qua genuit Esron ; Esron quoque in Ægypto genuit Aram, et ille Aminadab. Sed et Aminadab in Ægypto genuit Naasson, quorum uterque egressus est Ægyptum cum Moyse. Dicunt quoque Hebræi, quod mari Rubro (Gen. XLVI, 8, 12. Num. I, 7.)
D diviso et Moyse illud ingresso, quum ceteræ tribus formidarent eum sequi, Aminadab cum tribu Juda, in qua principalior fuit, primo secutus est Moysen : quo viso, aliæ tribus secutæ sunt. Unde per hoc dicunt tribum Juda meruisse principatum et regnum. Potius tamen tenendum est, quod tribus hæc sine suo merito ad regnum electa atque promota est propter reverentiam Christi, qui de ea incarnari elegit. *Naasson autem genuit Salmon.* Iste Naasson fuit princeps Juda : cujus sororem Ibid. II, 3.

Exod. vi, 23. *Num.* xxv, 4. nomine Elisabeth accepit Aaron in uxorem ; qui etiam Naasson fuit unus duodecim principum quos Dominus jussit in patibulis poni propter peccata filiorum Israel cum filiabus et idolis Madianitarum fornicantium.

5 *Salmon autem genuit Booz de Rahab.* Salmon iste cum Josue terram Chanaan introivit. Non enim fuit numeratus in prima numeratione inter filios Israel. Accepit autem Rahab meretricem in conjugem, gignens ex ea Booz. Quamvis enim filiis *Exod.* xxxiv, 16 ; *Deut.* vii, 3. Israel esset prohibitum inire conjugium cum mulieribus alienigenis, maxime Chananæis, hoc tamen intelligendum fuit de mulieribus in infidelitate durantibus ; sed quando conversæ erant ad Judaismum, et notabiliter virtuose vivebant, poterant in matrimonium recipi. Talem autem fuisse *Josue* ii, 1, 4, 6, 15, 21. hanc Rahab constat ex libro Josue. Recepit enim, abscondit atque dimisit exploratores missos a Josue ; *Ibid.* 9-11. et omnipotentiam Dei Israel confitebatur; deinde gentilitate con- *Ibid.* vi, 25. tempta, cum omni sua progenie apposita est ad filios Israel. Unde propter hanc fidem, veritatem atque justitiam, meruit a viro nobili in conjugem recipi, scilicet a filio Naasson.

Quidam tamen asserit hanc Rahab non fuisse meretricem, quamvis sic nominetur, sicut frequenter aliquis pauper dicitur dux, qui non est dux. Dicit enim in Hebræo haberi, Mulierem hospitatricem, *Ibid.* ii, 1 ; vi, 22. ubi nostra translatio continet, Mulierem meretricem. Non videtur etiam verisimile, quod Salmon potentissimus pene et maximus in tribu Juda, recepisset meretricem in conjugem. Sed hoc dictum non consonat communibus dictis Sanctorum, qui asserunt Rahab meretricem fuisse. Tale quoque agnomen non fit communiter in eodem casu ; nec tam turpe agnomen convenisset mulieri honestæ. Idcirco meretrix non videtur fuisse dumtaxat agnomen feminæ hujus. Sed nec probabile arbitror, quod B. Hieronymus in lingua Hebræa tam eruditus, loco hospitatricis transtulisset, Meretricem : imo potius æstimo, A quod nomen Hebraicum sit æquivocum ad hospitatricem et meretricem. Sic enim frequenter invenio, quod Lyra dicit aliter haberi in Hebræo, quam nostra habeat translatio. Tamen in libris Hieronymi invenio, quod sermo Hebraicus sit æquivocus, possitque diversimode interpretari. Unde Hieronymus significationem convenientiorem accepit, et ita non proprie habetur in Hebræo aliter quam Hieronymus transtulit. Denique, quod arguitur, non esse probabile Salmon accepisse me- B retricem in conjugem : respondendum est secundum Chrysostomum, quod propter virtutes ejus accepit eam post suam emendationem, quando etiam magna et sublimata fuerat in populo Israel. Est quoque consuetudo Scripturæ, ut mulieres incontinentes et lubricæ, meretrices vocentur, quamvis non sint publicum scortum. Unde ad salvandum quod Rahab fuerit meretrix, non oportet opinari quod omnibus se exposuit.

Booz autem genuit Obed ex Ruth. Ista C est Ruth Moabitis, quæ ut legitur in libro Ruth, venit cum Noemi a terra Moab in *Ruth* i, 19. terram Juda : quam Booz accepit in con- *Ibid.* iv, 10, 13. jugem, eo quod esset propinquus priori *Ibid.* 4. marito Ruth filio Noemi sine prole defuncto. Quamvis enim illicitum fuerat Israelitis contrahere cum Moabitis (imo tale matrimonium non erat verum matrimonium, propter disparem cultum personarum : propter quod Esdras abjecit a I *Esdr.* x. filiis Israel uxores eorum Moabitidas) ; nihilo minus, quando conversæ fuerunt fe- D minæ tales ad Judaismum, et virtuosæ effectæ, recipi poterant, saltem ex dispensatione. Quam autem virtuosa et fidelissima, humilis atque obediens fuerit Ruth, patet in ejus historia. Unde et Booz dixit ad eam : Scit omnis populus urbis meæ *Ruth* iii, 11. mulierem te esse virtutis. Quoniam vero inter matrimonium Salmon et Rahab, quod fuit tempore Josue, et matrimonium Booz et Ruth, quod fuit tempore Heli, vel circiter, tempus trecentorum annorum transierit, ut potest probari, computando tempo-

ra judicum intermediorum; mirum apparet A
quomodo Salmon genuit Booz maritum
Ruth. Ad quod aliqui dicunt, tres fuisse
Booz, quorum primus erat filius Salmon
et avus hujus Booz : comprehenduntur ta-
men sub nomine uno. Sed ista responsio
ex nulla canonica Scriptura auctoritatem
sortitur : imo ubicumque in novo et veteri
Testamento describitur ordo generationis
istorum, de uno dumtaxat Booz fit men-
tio. Non tamen pro præsenti occurrit re-
sponsio melior, nisi hic Booz dicatur tem-
Ruth II, 1. pore tam longo vixisse. Erat autem hic B
Booz homo magnarum opum, vir bonus
et justus.

Obed autem genuit Jesse. Jesse trinomi-
Ibid. IV, 17, 22. us fuit. Dictus est enim Isai et Naas :
II *Reg.* XVII, 25. unde secundo Regum habetur, quod Amasa
fuit filius Jethra Jezraelitis, qui ingressus
est ad Abigail filiam Naas sororem Sar-
viæ, quæ fuit soror David, et mater Joab.
Naas ergo erat pater David atque Sarviæ.
Et quia Matthæus loquitur jam de Isai,
secundum quod Christus ex eo natus est,
ideo nominat eum Jesse, quia sic appellatur C
apud Isaiam, ubi Christus de eo nascitu-
Is. XI, 1. rus asseritur. Sic enim habemus : Egre-
dietur virga de radice Jesse. Sic ergo os-
tenditur prophetia illa in ipso completa. De
I *Reg.* XVII, 12. hoc Jesse primo Regum inducitur, quod
in diebus Saul erat vir grandævus et ma-
gnus inter viros Israel. *Jesse autem genuit
David regem.* Nominatur solus David rex
propter excellentiam gratiæ sibi conces-
sæ, et quoniam nullus præcedentium rex
fuit, eorum videlicet qui nunc ante David
expressi sunt, et quoniam primus electus D
est ad regnum tanquam stabiliendus in
Act. XIII, 22. eo. Hic David, homo secundum cor Dei,
pene in omnibus Christi erat figura.

6 *David autem rex genuit Salomonem ex
ea quæ fuit Uriæ,* id est ex Bethsabee,
II *Reg.* XI, 3. quæ fuerat uxor Uriæ Hethæi, viri justi,
qui merito suæ virtutis hoc loco exprimi-
Ibid. 4, 5. tur. Genuit autem David ex Bethsabee fi-
Ibid. XII, 18. lium unum in adulterio, qui et mortuus
Ibid. 24. est infans ; accepitque eam in conjugem
antequam ex ea genuit Salomonem. Por-
ro, quod Bethsabee justa fuerit, constat ex
libro Proverbiorum, ubi Salomon recitat *Prov.* IV, 4
quomodo a matre sua instructus sit. Iste *et seq.*; XXXI.
est Salomon, qui inclinavit femora sua *Eccli.*
mulieribus, et dedit maculam in gloria XLVII, 21, 22.
sua. Reliquit quoque post se stultitiam, id *Ibid.* 27.
est filium stultum, de quo subditur : *Sa-* 7
lomon autem genuit Roboam, propter cu-
jus stultam responsionem, decem tribus III *Reg.* XII,
omnino recesserunt a domo David, con- 13, 14. *Ibid.* 16, 19,
stituentes sibi Jeroboam Ephratæum in 20.
regem. *Roboam autem genuit Abiam,* ex II *Par.* XI,
filia Absalonis fratris sui, quam secundum 20.
legem habere non potuit propter cognati-
onis propinquitatem. *Abias autem genuit
Asa ; Asa autem genuit Josaphat.* Magni- 8
ficentia atque præconia Asa et Josaphat, *Ibid.* XIV-
in libro Paralipomenon plenissime descri- XX.
buntur. Erant namque plurimum virtuosi
et boni : quibus et maximas victorias at-
que divitias Deus concessit. *Josaphat au-
tem genuit Joram* virum pravissimum,
qui Athaliam filiam Achab et Jezabel sum- IV *Reg.* VIII,
psit in conjugem, cujus consilio plurima 18.
mala operatus est.

Joram autem genuit Oziam. In libro
Regum fertur quod Joram genuit Ocho- *Ibid.* 24.
ziam, Ochozias autem genuit Joas, de quo *Ibid.* XI, 2.
natus est Amasias, qui genuit Oziam, qui *Ibid.* XII, 21.
alio nomine vocatus est Azarias, sub quo *Ibid.* XIV, 21.
Isaias orsus est prophetare. Tres ergo hoc *Is.* I, 1.
loco reges omissi sunt, videlicet Ochozias,
Joas et Amasias. Cujus ratio una est, se-
cundum Hieronymum, Hilarium et Chry-
sostomum, quoniam Joram accepit filiam
Jezabel feminæ gentilis ac pessimæ in
uxorem : idcirco filii ejus de iniquo et
maledicto semine nati, usque ad quartam
generationem tolluntur, ne in sanctæ na-
tivitatis ordine commemorentur aut col-
locentur. Aliam rationem ponit Hierony-
mus. Nam Evangelistæ propositum erat,
tres quaterdenas generationum, id est ter
quatuordecim, in Christi genealogia dis-
ponere, et hoc, in diverso temporum sta-
tu, ut plenius ostendetur, ita ut a David
usque ad transmigrationem Babylonis es-
set una quaterdena. Quoniam ergo de-

cem et septem generationes inter David et transmigrationem fuerunt, hi tres reges convenientius quam alii fuerant omittendi, propter causam inductam. Joram ergo genuit immediate Ochoziam, mediate vero [II *Par.* xxvi, 16-21.] Oziam : qui quum thurificare vellet in templo, lepra percussus est, mansitque leprosus usque ad mortem ; quem constat justum fuisse, et de sua præsumptione pœnituisse, plagam quoque paternæ correctionis Dei patienter tulisse.

9 *Ozias autem genuit Joathan,* [IV *Reg.* xv, 5.] qui rexit palatium, patre ejus propter lepram habitante seorsum. Hunc Joathan dicit Hieronymus super Isaiam, fuisse justissimum. *Joathan autem genuit Achaz,* hominem [*Ibid.* xvi; II *Par.* xxviii.] prorsus malignum, cujus idololatria, perversitas et infortunia, in libris Regum et Paralipomenon recitantur. *Achaz autem genuit Ezechiam,* qui tantæ perfectionis et gloriæ exstitit, ut de ipso in libro Regum legatur, [IV *Reg.* xviii, 5.] quod nec ante eum, nec post eum aliquis ei similis fuerit. Denique ipse bona conscientia ausus est dicere coram [*Is.* xxxviii, 3.] Deo : Memento, Domine, quomodo ambulaverim coram te in veritate, et in corde perfecto, et quod bonum est in oculis tuis [IV *Reg.* xx, 10, 11.] fecerim. Ad cujus instantiam reversus est sol decem lineis, per quas descenderat in horologio Achaz, ita quod dies illa prolongata fuit horis viginti (unde Dionysius in epistola ad Polycarpum affirmat diem illam pene triplicatam fuisse); [*Ibid.* xix, 35.] angelus quoque percussit centum octoginta quinque [*Ibid.* xx, 1, 3.] millia virorum Assyriorum. Quumque Ezechias ab Isaia audisset se moriturum, flevit uberrime : non ex formidine mortis, nec desiderio vitæ præsentis, sed quoniam promissionem patribus suis factam de Christi nativitate ex eis, vidit frustrari in [*Ibid.* 5, 6.] se : nondum enim habuit filium. Misertus Dominus Ezechiæ, prolongavit vitam ejus per quindecim annos.

10 *Ezechias autem genuit Manassen,* cujus [*Ibid.* xxi; II *Par.* xxxiii.] gravissima scelera in libris Regum et Paralipomenon recoluntur. Observavit somnia atque auguria, [IV *Reg.* xxi, 6, 3, 5, 16.] servivit omni militiæ cœli, replevitque Jerusalem sanguine innocentium, usque ad os ; Isaiam quoque patruum suum jussit lignea serra secari. Refert Chrysostomus, quod Ezechias ægrotans, præsente Isaia docere cœpit Manassen, quomodo Deo servire, legem servare, et populum gubernare deberet. Dixit autem Isaias : Vere verba tua non descendunt in cor ejus, et ego ab eo occidendus sum. Quod audiens Ezechias, voluit Manassen occidere : Melius (inquiens) mihi est sine filio mori, quam talem relinquere. Isaias vero tenuit eum, ne illum occideret. Postremo Manasses propter peccata sua a [II *Par.* xxxiii, 11-13.] rege Assyriorum captus, incarceratus et dire ligatus, egit pœnitentiam valde, toto corde conversus ad Deum ; et liberatus, ad regnum suum reductus est.

Manasses autem genuit Amon, [*Ibid.* 22, 23.] qui secutus est peccata patris sui, non tamen pœnitentiam ejus. *Amon autem genuit Josiam,* [*Ibid.* xxxiv, 3.] virum sanctissimum, qui in pueritia sua quæsivit Dominum : [*Jer.* I, 2.] sub quo Jeremias orsus est vaticinari. De cujus laude scriptum est : [*Eccli.* xlix, 1, 2.] Memoria Josiæ in compositione odoris facta, opus pigmentarii ; in omni ore quasi mel indulcabitur, et ut musica in convivio vini. Occisus est autem a sagittariis Pharaonis Nechao regis Ægypti : [II *Par.* xxxv, 23, 24.] quem Jeremias maxime deploravit. [*Ibid.* 25.] Hujus Josiæ nomen per annos pene quadringentos divinitus prænuntiatum fuerat a Propheta qui dixit coram Jeroboam rege Israel : Ecce nascetur domui David filius, [III *Reg.* xiii, 2.] Josias nomine, etc.

11 *Josias autem genuit Jechoniam et fratres ejus in transmigrationem* Babylonis.* [* alias *transmigratione*] In libro Regum legitur Joachaz filius Josiæ immediate regnasse post patrem suum : [IV *Reg.* xxiii, 30.] qui quum mensibus tribus regnasset, captus et in Ægyptum perductus est a Pharaone Nechao jam expresso, [*Ibid.* 31, 33, 34.] qui loco Joachaz constituit Eliacim fratrem Joachaz filium Josiæ, in regem, vocavitque eum Joakim, qui etiam dictus est Jechonias : et iste jam dicitur genitus a Josia. Qui quum undecim annis regnasset, obsessus et captus est a Nabuchodonosor rege Babylonis : [II *Par.* xxxvi, 5, 6.] quem aliqui dicunt translatum in

Babylonem. Certum est autem quod Nabu- A
chodonosor eum remisit in Jerusalem ut
regnaret, accepta ab eo promissione quod
non rebellaret. Unde secundum quosdam,
in via remisit eum rex Babylonis. Quum
IV *Reg.* xxiv, 1. autem tribus annis servisset regi Babylo-
niæ subditus, repugnavit. Propter quod
ab exercitu ejus interfectus est; projece-
runtque eum extra portas Jerusalem in-
sepultum, quemadmodum dixerat Jeremi-
Jer. xxii, 19. as : Sepultura asini sepelietur. Quo mortuo,
IV *Reg.* xxiv, 6. regnavit filius ejus pro eo : qui etiam
appellatus est Joachin et Jechonias, sicut B
pater ipsius, quamvis diversis litteris scri-
Ibid. 8, 10. bantur. Quum vero et iste regnasset men-
sibus tribus, a rege Babylonis vallatus est;
Ibid. 12, 15. cernensque se non posse resistere, exivit
ad regem, qui misit eum cum matre, uxo-
ribus atque principibus suis in Babylo-
Ibid. 17. nem, et fecit Mathaniam avunculum ejus
filium Josiæ regem pro eo, appellans eum
Ibid. 20; xxv, 5-7. Sedeciam : qui tandem rebellans, captus,
excæcatus, et in Babylonem perductus est,
Jer. xxxiv, 3. sicut Jeremias ei prædixit : Babylonem
intrabis, et eam non videbis. Sic ergo Jo- C
sias genuit Jechoniam et fratres ejus jam
nominatos in transmigrationem Babylonis,
id est, transmigratione seu translatione
Judæorum in Babylonem jam imminente,
quæ post generationem istorum secuta est,
evolutis annis circiter viginti septem.

12 *Et post transmigrationem Babylonis,* id
est, postquam Judæi in Babylonem trans-
lati fuerunt, *Jechonias* (iste secundus, fi-
lius prioris Jechoniæ et nepos Josiæ) *ge-
nuit Salathiel :* de quo dicit Chrysosto-
mus, Putamus eum sanctum fuisse et in D
captivitate Dominum assidue exorasse pro
liberatione populi sui. Verum Hilarius et
Chrysostomus sentiunt eumdem esse Je-
choniam, qui ante et post transmigratio-
nem fuit. Sed verum est quod ait Hiero-
nymus, quod unus fuerit pater alterius. Si
enim idem esset, non invenirentur qua-
tuordecim generationes post transmigra-
tionem usque ad Christum : cujus contra-
vers. 17. rium infra habetur. Unde Hieronymus : Si
voluerimus, inquit, Jechoniam in fine pri-
mæ tessaradecadis ponere, hoc est ultimo
loco secundæ seu mediæ quaterdenæ, in
sequenti, id est in ultima quaterdena, non
erunt quatuordecim, sed tredecim. Scia-
mus ergo Jechoniam priorem, ipsum esse
quem et Joakim; secundum autem, filium
non patrem : quorum prior per *k* et *m*, se-
quens per *ch* et *n* scribitur.

Salathiel autem genuit Zorobabel, cu-
jus præconia in apocryphis Esdræ narran- III *Esdr.* iv, v.
tur : ad ejus quippe petitionem Darius rex
Persarum dedit Judæis licentiam redeundi
a Babylone in sua. De quo in Ecclesiastico
inducitur : Quomodo amplificemus Zoro- *Eccli.* xlix, 13.
babel? Ipse enim quasi signum in manu
dextera Israel. Et apud Aggæum : In die *Agg.* ii, 24.
illo, dicit Dominus, assumam te, Zorobabel
fili Salathiel serve meus, et ponam te
quasi signaculum, quoniam te elegi. *Zo-* 13
robabel autem genuit Abiud. In libro Pa-
ralipomenon legitur Zorobabel genuisse I *Par.* iii, 19, 20.
Mosollam et alios quosdam, inter quos non
ponitur Abiud. Ad quod respondendum,
quod unus illorum alio nomine appellatus
est Abiud, vel non omnes filii ejus ibi
ponuntur. De reliquis generationibus quæ
sequuntur, usque ad Joseph, nihil habetur
in scriptura canonica veteris Testamenti.
Aliqui tamen Judæi diligenter scripserunt
genealogias patrum suorum : præsertim
ex catena et semine David, de quo nove-
rant Christum nasciturum, propter quod
ejus, scilicet David, posteritatem diligen-
tius descripserunt.

Jacob autem genuit Joseph virum Ma- 16
*riæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur
Christus.* Erat autem Joseph veraciter vir
Mariæ. Nam inter eos verum exstitit ma-
trimonium, quamvis non fuerit consum-
matum. De qua Maria, id est ex cujus
purissimis sanguinibus loco seminis a Spi-
ritu Sancto formatus, natus est Jesus secun-
dum humanam naturam, qui vocatur et
est Christus, id est Deus et homo in una
persona, duplicique natura.

Omnes ergo generationes ab Abraham 17
inclusive *usque ad David* inclusive, fue-
runt *generationes quatuordecim ; et a Da-*

vid exclusive *usque ad transmigrationem Babylonis,* videlicet usque ad primum Jechoniam inclusive, fuerunt *generationes quatuordecim,* loquendo de generationibus hic enumeratis, videlicet omissis tribus generationibus prædictis propter causam in- A ductam; *et a transmigratione Babylonis,* id est a secundo Jechonia inclusive, *usque ad Christum* inclusive, fuerunt *generationes quatuordecim :* ita ut quartadecima generatio in Christo compleatur. Hoc planum est numeranti personas præscriptas.

ARTICULUS II

DETERMINATIO DUBIORUM CONCERNENTIUM LOCUM ISTUM.

DIFFICULTATEM interea facit lectori B in primis, quod beatissimi evangelistæ Matthæus et Lucas, describendo genealogiam Christi, in aliquibus dissonare videntur et opposito modo procedere. Primo itaque dubitatur, quomodo Lucas asserat
Luc. III, 23. Joseph esse filium Heli, Matthæus vero
Matth. I, 16. affirmet quod Joseph sit filius Jacob. Et respondendum, quod Joseph fuit filius naturalis ipsius Jacob, filius vero legalis Heli. Mathat enim et Mathan fratres fuerunt, qui successive eamdem habuere uxorem, de qua Mathan genuit Jacob, Mathat vero genuit ex ea Heli, ita quod Jacob et Heli fuerunt fratres uterini. Heli vero accepta conjuge, mortuus est non relicto semine : propter quod Jacob frater ejus, de præcepto legis accepit conjugem fratris sui defuncti, ut suscitaret semen fratri suo ; genuitque ex ea Joseph, qui fuit filius Jacob secundum naturam, et filius Heli
Deut. XXV, 5, 6. secundum legem Mosaicam, quæ præcepit, ut fratre aliquo uxorato sine liberis mortuo, frater ejus seu propinquus uxorem ejus acciperet, et filium ex ea natum, defuncto adscriberet, ne nomen ejus deleretur ex Israel. Sed tunc dubium occurrit, quomodo duo fratres poterant eamdem habere uxorem, ita quod unusquisque eorum ex ea proprium semen habebat. Ad hoc aliqui dicunt, quod quando aliquis non habuit nisi unam prolem ex conjuge sua, non reputabatur semen relinquere, et sic propinquus seu frater ipsius cum uxore sua contrahere potuit, ac si nullum semen reliquisset. Unde in Deuteronomio pluraliter dicitur, Si frater sine liberis *Deut.* XXV, 5, 6.
mortuus fuerit, propinquus accipiat uxorem ejus, etc.

Secundo dubitatur, quomodo Matthæus asserat Salathiel filium Jechoniæ, quum *Matth.* I, 12. *Luc.* III, 27.
Lucas dicat eum esse filium Neri. Dicendum, quod Salathiel fuerat filius Jechoniæ naturalis, Neri vero legalis vel adoptivus. C — Tertio quæritur, quomodo Zorobabel nunc dictus sit filius Salathiel, quum pri- *Matth.* I, 12. I *Par.* III, 19.
mo Paralipomenon appelletur filius Phadaiæ. Respondent aliqui, quod Salathiel alio nomine nuncupabatur Phadaia. Sed hoc non videtur, quum loco præallegato, in quo filii Jechoniæ describuntur, inter Salathiel et Phadaiam alius medius nominetur. *Ibid.* 17, 18.
Ideo alii dicunt, quod Zorobabel filius Salathiel fuit alius ab isto Zorobabel filio Phadaiæ.

Quarto principaliter dubitatur, quomodo D do Lucas dicat Christum descendisse a David per Nathan, Matthæus per Salomonem. *Luc.* III, 31. *Matth.* I, 6.
Ad hoc diversi diversimode responderunt. Quidam, quod Nathan iste fuit filius David adoptivus, non naturalis : et horum aliqui dixerunt, quod fuit Nathan propheta, quem propter suam sanctitatem David adoptavit in filium. Alii, quod fuit filius

Sammaa fratris David : quem Nathan Jesse avus ejus adoptavit in filium ; defunctoque Jesse, ipse David eumdem sibi filium adoptavit. Et hoc dicit Magister in historiis. Lyra autem potius sentit, quod fuit Nathan propheta. Quod enim non fuerit filius naturalis David, probat per hoc, quod Salomon in Proverbiis de se ipso testatur : Fui tenellus et unigenitus coram matre mea, videlicet ex parte matris. Nam quamvis Bethsabee habuerit filium de David ante Salomonem, ille tamen non computatur, quoniam ante circumcisionem defunctus est, secundum Hebræos. Sed his obviat quod in libro Paralipomenon manifeste habetur, quod in Jerusalem nati sunt David quatuor filii de Bethsabee, quorum unus ibidem Nathan vocatur. Nec videtur sufficere, quod dicatur filius naturalis Bethsabee ex Uria et filius David adoptivus, ut aliqui dicunt, asserentes quod tres illic nominati fuerint filii Uriæ, quos David adoptavit in filios, dum matrem eorum accepit in conjugem. Si enim sic esset, non proprie dicerentur nati ipsi David ex Bethsabee. Ideo probabilius reor, quod Nathan fuit verus et naturalis filius David ex Bethsabee. Ad quod valet dictum Damasceni, libro quarto, ubi declarat beatam Virginem descendisse de David per Nathan. Si ergo Nathan non erat naturalis filius David, sed fratris sui, vel alterius, diceretur Christus potius descendisse de Jesse per Sammaa, quam per David, vel de alio aliquo etiam secundum carnem : quum tamen Apostolus dicat, eum factum ex semine David secundum carnem. Imo, secundum hoc Christus non diceretur præcipue filius David. Præterea, secundum Ambrosium super Lucam, Christus secundum carnem veraciter natus est ex semine Nathan. Quod autem allegatur in oppositum ex Proverbiis, solvitur, si dicatur Salomonem notanter dixisse, Fui unigenitus et unicus, et non, Sum : hoc enim refert de se ipso pro tempore pueritiæ suæ, quando et mater ejus docuit eum, sicut subjungit. Potuit autem accidere, quod usque ad illud tempus fuerit unicus, unigenitus, aliis postmodum natis : quod tamen dici non potest, si cum Hieronymo asseratur Salomon non fuisse nisi undecim annorum quum cœpit regnare : cujus oppositum alii satis probabiliter tenent.

Prov. IV, 3. — II *Reg.* XI, 5. — I *Par.* III, 5. — *Rom.* I, 3. — *Prov.* IV, 4.

Quinto quæritur, cur Lucas genealogiam Christi describat ascendendo, Matthæus descendendo. Respondendum, quod Matthæus principaliter loquitur de carnali et naturali Christi generatione, secundum quod venit ad nos, et carnem assumpsit : ideo a superiori incipit, descendendo usque ad Joseph et S. Mariam. Lucas vero loquitur de Christi generatione, prout per eam ad Deum reducimur, et ejus filii adoptivi efficimur : ideo incipit ascendendo a Joseph usque ad Adam. Sed quare non sistit in Abraham, a quo Matthæus exorsus est ? Dicendum quod ideo, ut ostendat omnes electos in quacumque mundi ætate exstiterint, per Christum ad Deum reductos atque salvatos. — Sexto quæritur, cur inter Joseph et Abraham multo plures patres ponantur a Luca, quam a Matthæo : Lucas quippe enumerat quinquaginta, Matthæus quadraginta duos. Dicendum, quod Lucas ponit triplices patres, videlicet naturales, legales et adoptivos ; Matthæus, naturales dumtaxat : qui etiam ex certa causa quosdam naturales patres omisit, sicut ostensum est.

Septimo quæritur, quomodo secundum Ambrosium atque Hilarium, Lucas genealogiam Christi describere dicitur secundum gradum sacerdotalis originis, Matthæus vero secundum successionem regalis propaginis. Ad hoc aliqui responderunt quod ideo, quia Matthæus ponit Salomonem, qui fuerat rex, Lucas autem Nathan, quem dicunt fuisse sacerdotem, juxta illud : Filii autem David sacerdotes erant. II *Reg.* VIII, 18.
Sed hoc non videtur sufficere. Non enim sic intelligendum est, quod legales hostias in templo more sacerdotum Leviticorum offerebant, et in altari ministrabant (quia non erant de genere Aaron) ; sed quia religiosi, vel, ut alii dicunt, principales et

primi ad honores fuerunt. Unde in Parali-
I *Par.* XVIII, 17. pomenon scriptum est : Filii autem David erant primi ad manum regis. Convenientius ergo dicendum, quod tribus Juda et Levi seu regia et sacerdotalis principales fuerunt, idcirco frequenter conjunctæ fuerunt vinculo matrimoniali, etiam ante
Exod. VI, 23. David. Nam Aaron uxorem habuit Elisa-
Num. VII, 12. beth, filiam Aminadab de tribu Juda. David quoque, ut tangit Hilarius, conjugium iniit cum tribu sacerdotali : quod secundum eum, a Salathiel atque Zorobabel confirmatum fuit ex genere. Sicque Nathan et alii quidam a Luca positi, ex una parte de tribu sacerdotali fuerunt : quemadmodum et Maria, quod innotescit per hoc, quod
Luc. I, 5. Elisabeth uxor Zachariæ ejus cognata, ex filiabus Aaron duxit originem, ut in Luca habetur.

Octavo inquiritur, cur Matthæus generationes has tripartitur, seu in tres quaterdenas partitur. Quum enim summatim dicere potuisset, Omnes generationes ab Abraham usque ad Christum quadraginta duæ fuerunt ; distincte locutus est, di-
vers. 17. cens : Omnes generationes ab Abraham usque ad David, generationes quatuordecim, etc., sicut in fine præcedentis dicebatur articuli. Respondet Chrysostomus : quoniam status hominum in Judæis ter mutatus est, generationibus quatuordecim ter completis. Ab Abraham enim usque ad David fuerunt sub judicibus ; a David usque ad transmigrationem, sub regibus ; a transmigratione usque ad Christum, sub pontificibus. Hoc ergo vult demonstrare, quod sicut bis mutatus est hominum status binis quaterdenis completis, ita completa quaterdena a transmigratione usque ad Christum, oportuit hominum statum mutari a Christo : quemadmodum factum est. Post ejus namque adventum, cœpit humanum genus esse non sub multis judicibus, regibus, et pontificibus, sed sub uno judice, rege, atque pontifice Christo, qui trium illorum statuum ac personarum
Joann. V, 22. sortitus est dignitatem. Pater quippe judi-
Ps. CIX, 4. cium omne dedit Filio. Et ipse est sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech ; habetque in vestimento et in *Apoc.* XIX, 16.
femore suo scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium. His verbis Chrysostomi objici posset, quod Judæi ante David habuerunt regem Saulem ; et ante Christi adventum Joannem Hyrcanum, itemque Herodem. Ad quod dici potest, quod Saul non fuit assumptus ad permanendum in regno ; Joannes quoque Hyrcanus non diu regnavit, sicque tempus illud non reputabatur ; Herodes vero alienigena fuit.

Nono inquiritur, cur potius Joseph quam Mariæ origo describitur, quum tamen propositum Evangelistæ fuerit demonstrare Christum ex semine David natum, qui non de Joseph, sed de Maria natus agnoscitur. Ad hoc omnium una responsio est, consuetudinem non esse divinæ Scripturæ mulierum genealogiam describere : et quoniam Evangelista docuit Joseph justum vers. 19.
fuisse, satis declaravit eum atque Mariam ad eamdem tribum spectare, quum secundum legem quælibet tribus contrahere de- *Num.*
buit cum personis propriæ tribus. Sed XXXVI, 6-9.
objici potest, quod consequentia ista non teneat, eo quod tribus Levitica cum qualibet tribu contrahere potuit. Ad hoc pro præsenti aliam responsionem non video, nisi ut dicatur Evangelista id supposuisse quod omnibus suo innotuit tempore, utpote patrem Mariæ fuisse de tribu Juda et David, vel secutum esse communem cursum, secundum quod uterque conjugum ad eamdem tribum spectabat. Sed tunc rursus occurrit, cur non potius origo Joachim patris Mariæ, quam Joseph enarretur. Dici potest quod ideo, quoniam major est unitas mariti et conjugis, quam patris et prolis, juxta quod scriptum est : Erunt duo *Gen.* II, 24.
in carne una, et relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ.

Denique de ortu et genealogia superlaudabilis benedictæque Virginis, Damascenus libro quarto, sic ait : David inter ceteros duos habuit filios, Salomonem et Nathan. Ex catena itaque Nathan Levi genuit Melchi et Panthera ; Panthera genuit Barpan-

thera, qui genuit Joachim patrem Mariæ. A Ex catena vero Salomonis Mathan descendens, habuit conjugem de qua genuit Jacob; Mathan autem defuncto, Melchi duxit ejus uxorem, videlicet matrem Jacob, de qua genuit Heli fratrem uterinum ipsius Jacob. Heli vero sine liberis mortuo, frater ejus Jacob duxit ejus uxorem, de qua genuit Joseph. Joachim insuper nupsit Annæ matri Mariæ; soror vero Annæ nomine Hismeria genuit Elisabeth, quæ *Luc.* I, 57, 63.
genuit Joannem Baptistam.

ARTICULUS III

PROSECUTIO EXPOSITIONIS HUJUS CAPITULI PRIMI, AB EO LOCO QUO DICITUR : CHRISTI AUTEM GENERATIO SIC ERAT.

DESCRIPTA consueta ac naturali generatione patrum, nunc nova et supernaturalis generatio Christi describitur.
18 *Christi autem generatio sic erat.* Tanquam dicat : Prædicti solito modo generati sunt, sicut prædixi, per seminis descensionem ; Christi autem generatio singulari modo et ordine facta est, quemadmodum subditur. *Quum esset desponsata,* id est promissa vel in matrimonium tradita, *mater Jesu Maria Joseph,* id est viro sic dicto de ejusdem Mariæ cognatione exorto, qui secundum Hieronymum, cogebatur eam accipere ut propinquam ; *antequam convenirent* ad cohabitandum, ut aliqui dicunt, vel ad carnalem conjunctionem, secundum alios, ad quam nec postea convenerunt, *inventa est,* Maria a Joseph ejus diligenti custode ac sponso, *in utero habens,* id est filio impraegnata, *de Spiritu Sancto,* id est virtute et operatione Spiritus Sancti, qui ex purissimis Virginis sanctæ sanguinibus corpus Christi formavit, organizavit, et anima rationali decoravit : quæ omnia facta sunt in instanti a tota superbeatissima Trinitate, quamvis adscribantur et approprientur Spiritui Sancto, eo quod ad misericordiam bonitatemque Dei pertineant, tanquam effectus ineffabilis clementiæ Dei. Clementia autem et bonitas approprientur Spiritui Sancto.

De desponsatione autem et conventione B Mariæ et Joseph multa leguntur, quæ pro magna parte apocrypha sunt : idcirco talia prætermitto. — Cur autem Unigenitus Dei de virgine desponsata nasci voluit potius quam de non desponsata, multæ rationes traduntur. Prima, secundum beatum Ignatium martyrem, ut partus Virginis lateret diabolum. Dicit tamen Thomas, et alii multi, quod si Deus permisisset, diabolus aliunde bene perpendisset Mariam esse virginem, non obstante ejus desponsatione. Poterat enim sua naturali industria C faciliter percipere quod corpore integra fuit. Secunda ratio, ne Virgo sanctissima a Judæis reputaretur adultera ; maluitque Christus Judæos de suo ortu ambigere, quam de Matris pudore perverse sentire. Tertia, ne Judæi occasionem haberent abjiciendi Christum, quasi de fornicaria natum. Quarta, ut Virgo beata haberet casti viri solatium atque obsequium, et Christus nutricium. Alias plurimas causas assignant doctores, quæ satis notæ videntur. — Denique conventionem prædictam Hieronymus D accipit de conventione concubitus. Dicit enim quod nec postea convenerunt.

Joseph autem vir ejus, quum esset ju- 19
stus, et nollet eam traducere, id est Judæis quasi adulteram tradere, seu puniendam exponere, vel publice accusare, *voluit occulte dimittere eam.* Secundum Hieronymum et Bernardum, S. Joseph certus fuit

de castitate Mariæ. Si enim cognovisset eam fuisse adulteram et non traduxisset eam, fuisset injustus, quia secundum legem, *Lev.* v, 1. non solum actor sceleris, sed et conscius ejus obnoxius est peccato si taceat. Dum ergo Evangelista affirmat Joseph justum fuisse, atque ob id Mariam non traduxisse, innuit quod de castimonia sponsæ suæ non dubitavit. Et si Christus noluit Judæos de suæ Matris pudore sinistrum quid suspicari, probabile est quod non permisit justum Joseph de tanta Virgine adulterium opinari. Sed cur tunc voluit eam occulte dimittere? Ideo, quoniam reputavit se cohabitatione præsentiaque Mariæ indignum. Quam ob rem et *Luc.* v, 8. Petrus repulit Christum, dicendo : Exi a me, Domine, quia homo peccator sum ; *Matth.* VIII, 8. et centurio : Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum.

Chrysostomus vero testatur, quod Joseph desponsata sibi Virgine, accepit eam in domum suam : ubi quum angelus Gabriel *Luc.* I, 31. ignorante Joseph Virgini conceptionem Filii Dei nuntiasset, et ipsa jam concepis*Ibid.* 36. set, suamque cognatam Elisabeth conce*Ibid.* 39-44. pisse audisset, mox surgens accepta a sponso suo licentia, abiit et visitavit Elisabeth, ut ei congratularetur, obsequeretur, et ex Christi præsentia magnus profectus accresceret, tam ipsi Elisabeth quam *Ibid.* 56. ejus infanti. Reversa autem Maria post trium mensium spatia, videns Joseph eam jam imprægnatam, prima facie suspicatus est malum de ea ; excusatione vero ab ea recepta, attenta etiam sanctitate suæ conversationis, ambiguus fuit quid finaliter de ea sentiret. Idcirco voluit eam occulte dimittere, ne vel innocentem traduceret, vel adulteræ consentiret. — Verba divi Chrysostomi quæ in diversis locis de hac materia introducit, intelligenda sunt sapienter, quoniam sibi invicem contrariari videntur. Alicubi enim ait, quod Joseph putavit eam adulteram, alibi vero dicit, quod (inæstimabilis laus Mariæ) magis credebat Joseph castitati ejus quam ventri ejus, et magis gratiæ quam naturæ. Con- A ceptionem manifeste videbat, et fornicationem suspicari non poterat : possibilius credidit mulierem sine viro posse concipere, quam Mariam posse peccare. Quod ergo dicit Joseph, putasse Mariam fuisse adulteram, referendum est ad tempus quo primo vidit eam prole fecundam. Quod vero dicit, eum non potuisse fornicationem suspicari de ea, referendum est ad tempus excusationis receptæ et sanctitatis pensatæ. Dubium enim non est, quin interior gratia, sanctitas, castitasque Ma- B riæ, mirabiliter ac potenter refulsit, non solum in ejus vultu, sed in toto corporis gestu et apparatu, in tantum quod qui ejus conversationem diligenter advertit, fornicationem aut crimen aliquod de ipsa suspicari non potuit.

Præterea aliqui asserunt, quod Joseph profectus est cum Maria ad visitandum Elisabeth, tanquam obsequiosus ac diligens commissæ sibi Virginis custos. Aliqui etiam dicunt, quod Joseph nondum recepit Mariam in domum suam, sed quod de- C sponsatione peracta, ipse descendit in propriam domum, quasi nuptiis necessaria præparaturus ; Maria vero interim fuit in domo parentum suorum. Quumque reversa fuisset ab Elisabeth, cernens eam Joseph gravidam, noluit eam in domum suam recipere.

Quid horum sit verius, ignoratur.

20 *Hæc autem eo,* videlicet Joseph, *cogitante,* utpote quod Mariam occulte dimitteret, *ecce angelus Domini apparuit in somnis ei,* id est ipsi Joseph dormienti. D Apparuit autem ei apparitione visionis imaginariæ : et hoc, tempore somni, in quo revelationes divinæ atque propheticæ solent fieri, quia tunc anima aptior est ad talium receptionem propter exteriorum sensuum clausuram, et a sensibilium perceptione vacantiam, et præsertim propter imaginationis ampliorem quietem. Propter quod dicitur : Per somnium in visione *Job* XXXIII, 15, 16. nocturna, aperit aures virorum, et instruit eos. Apparuit ergo Joseph, *dicens : Joseph fili David,* non solum carnis propagine,

sed fidei atque justitiæ imitatione. Unde A
ad commendandam justitiam Joseph nominat eum filium David. *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam,* id est, audacter eam recipias ad cohabitandum, nec aliquid mali suspiceris de illa ; *quod enim in ea natum est,* id est proles quam habet in utero, *de Spiritu Sancto est,* hoc est, virtute et operatione Spiritus Sancti concepta est, non humano semine, sed deifico lumine, sine virginitatis injuria.

Cur non potius ait Evangelista, Quod in ea conceptum est, quam, Quod in ea na- B
tum est ? Respondendum, quod nativitas seu generatio, est productio seu acquisitio esse substantialis. Res ergo tunc nascitur quum formam substantialem sortitur. Hanc autem proles recipit primum in utero matris : ideo prima est nativitas in utero, deinde ex utero, quum fetus separatur a matre incipitque apparere, et in se perfecte subsistere. Quamdiu nempe manet in utero, est quasi aliquid matris, quemadmodum pomum est aliquid arboris. Alia ratio est, ad insinuandum quod conce- C
ptio Christi non fuit successiva ac naturalis, procedens ab imperfecto ad perfectum, sed instantanea et supernaturalis, ita quod in eodem instanti completa est corporis Christi organizatio ac animatio. Ideo dicit, Quod in ea natum est : quoniam puer quem concepit, a primo conceptionis suæ instanti fuit homo perfectus, imo et vir, non corporis quantitate, sed animæ
Jer. XXXI, 22. perfectione. Unde Jeremias dicit : Novum creavit Dominus super terram, mulier circumdabit virum.

21 *Pariet autem filium :* de quo Isaias,
Is. IX, 6. Puer, inquit, natus est nobis, et filius datus est nobis ; *et vocabis,* in die circumcisionis, quando Judæi nomina pueris imponebant, *nomen ejus* nominatum, id est ipsummet puerum, *Jesum,* id est nomine tali. Vel : Vocabis, id est, vocando dices, nomen ejus nominans esse Jesum, id est, quod nomen pueri sit Jesus. Cur autem ita vocandus sit, subditur : *ipse enim salvum faciet populum suum,* id est omnes electos peccato obnoxios, *a peccatis eorum* originali et actuali. Christus enim merito suæ incarnationis, sanctissimæ conversationis, atque dirissimæ passionis, liberavit genus humanum ab omni peccato sufficienter, quantum in se est ; solos autem electos salvavit efficienter. Oportet tamen ut meritum Christi, seu virtus suæ passionis, nobis applicetur per sacramenta Ecclesiæ, seu fidem et caritatem, ad hoc quod liberemur a Christo. Jesus autem interpretatur salvator, aut salutaris. Consuetudo vero Judæorum fuit, rebus imponere nomina ab aliqua proprietate, quemadmodum in Isaia,
puer iste qui spoliavit infernum, vocatur *Is.* VIII, 1, 3, 4.
Velociter spolia detrahe, cito prædare. Convenienter ergo filius Virginis, salus mundi, dictus est Jesus. In cujus figura Josue et *Eccli.* XLVI, 1; *Agg.* I, II; *Zach.* VI.
filius Josedec sacerdos magnus dicti sunt Jesus. — Quæritur quomodo secundum Matthæum angelus vocet nomen filii hujus Jesum, post ejus conceptionem, quum Lucas
dicat : Vocatum est nomen ejus Jesus, *Luc.* II, 21.
quod vocatum est ab angelo, priusquam in utero conciperetur. Dicendum, quod Lucas loquitur de vocatione angeli ad Mariam, quum dixit : Ecce concipies in ute- *Ibid.* I, 31.
ro, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum.

Hoc autem totum factum est, scilicet, 22
quod Virgo de Spiritu Sancto concepit, quod Salvatorem peperit, quod nomen pueri vocatum est Jesus, *ut impleretur quod dictum est a Domino per Prophetam* Isa-
iam *dicentem : Ecce virgo in utero habe-* 23
bit, et pariet filium, et vocabitur nomen *Is.* VII, 14.
D *ejus Emmanuel, quod est interpretatum* (id est expositum), *nobiscum Deus :* hoc est, per hoc nomen, Emmanuel, designatur quod puer iste sit Deus nobis per nostræ naturæ assumptionem unitus, et per humanæ vitæ conversationem conjunctus :
juxta illud Baruch, Post hæc in terris vi- *Baruch* III, 38.
sus est, et cum hominibus conversatus est.
Unde apud Isaiam testatur : Propter hoc *Is.* LII, 6.
sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum. Allegat autem Evangelista potius sen-

sum quam verba Isaiæ. Sic enim ait Propheta : Ecce virgo concipiet.

Porro, per hoc quod filius Virginis appellatur Jesus, quia salvat a peccatis, et Emmanuel, quia nobiscum Deus, declaratur duplex natura, puta divina et humana, in una Christi persona : nullus enim nisi Deus a peccatis valet salvare; et nobiscum Deus, est Deus et homo.

Arguunt autem Judæi hoc loco adversum nos, asserentes Evangelistam nostrum mendaciter allegasse scripturam propheticam. Isaias namque secundum Hebraicam veritatem sic ait : Ecce adolescentula concipiet et pariet. Adolescentula autem est nomen commune virgini et corruptæ. Respondendum secundum B. Hieronymum, quod in Hebræo pro eo quod Evangelista dixit, Ecce virgo, ita habetur : Ecce alma. Alma autem duo significat, scilicet adolescentulam, et absconditam ; nuncque accipitur pro abscondita, id est pro puella abscondita, seu diligenter custodita, adspectibusque virorum subtracta, in tantum ut de ejus integritate dubitari non possit. Talis autem exstitit S. Maria, quæ usque ad tempus suæ desponsationis mansit Dominoque servivit in templo. Unde Matthæus Spiritu Sancto repletus, mentem Isaiæ certissime sciens, allegavit sensum magis quam verba. De hoc plenius dixi in expositione Isaiæ proprio loco.

De nativitate autem Christi ex Virgine
Ps. LXXI, 6. Psalmista fatetur : Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram. Et in Zacharia disseruit Domi-
Zach. III, 8, 9. nus : Ecce ego adducam servum meum Orientem (videlicet Christum), et cælabo sculpturam ejus, id est, corpus ejus in utero Virginis supernaturaliter præparabo. Hoc idem in Isaia pulchre legitur prophetatum quum de Christo illic inducitur :
Is. LIII, 2. Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti. Quemadmodum enim virgultum oritur de terra non ab hominibus culta, sed cœlesti influentia fecundata, sic Christus de matre non ab homine tacta, sed divinitus imprægnata.

A Quemadmodum etiam radix de terra sitienti, id est sicca, non compluta, pullulat; sic Christus de matre non virili semine imprægnata processit.

Circa hæc quæritur, cur dicat Evangelista, Hoc totum factum est, ut impleretur, etc., et non potius, Hoc totum prædictum fuit, quia sic fuit agendum. Non enim ideo factum est, quia prædictum, sed ideo prædictum, quia sic erat futurum. Et respondendum, quod in talibus sermonibus hoc quod dicitur, *ut*, tenetur non causaliter, sed B concomitanter, ut sit sensus : Hoc factum est, ut impleretur quod dictum est per Prophetam, id est, ideo est prædictum, quia sic fuit futurum. Et hoc etiam dicit Albertus in libro de Laudibus Virginis gloriosæ.

Exsurgens autem Joseph a somno, fecit 24
sicut præcepit ei angelus Domini, et accepit conjugem suam, quam decrevit dimittere. Accepit autem eam vel ad cohabitandum et obsequendum, secundum eos qui asserunt quod nondum suscepit eam in propriam domum, vel ad permanendum C cum ea ex animo, secundum eos qui dicunt quod jam ante in domum suam eam accepit. Unde Chrysostomus : Non in domum accepit eam, nondum enim de domo dimiserat eam; sed de animo suo deposuerat eam, et iterum in animum suum recepit eam. Itaque eam accepit, tanquam de cetero jugiter permansurus cum ea sine suspicione, cum ingenti humilitate, puritate ac reverentia ministrando ei in omnibus, velut dignissimæ genitrici creatoris salvatorisque sui.

D *Et non cognoscebat eam, donec peperit* 25
filium suum primogenitum. Hæc Chrysostomus de intellectuali cognitione satis subtiliter veraciterque exponit. Nam ante Virginis partum, ipse Joseph perfecte non scivit quantæ dignitatis et gloriæ esset hæc virgo. Post partum vero ipsius, plenius ejus excellentiam novit, quia ex tunc in animo Joseph facta est speciosior atque præstantior quam totus mundus. Quidam exponunt de cognitione sensitiva, dicentes, quod Christo in utero Virginis consistente,

tantus in vultu ejus splendor claritatis ex A præsentia Christi refulsit, quod Joseph eam *II Cor.* III, 7; *Exod.* XXXIV, 30, 33, 35. intueri non valuit, sicut nec filii Israel poterant vultum inspicere Moysis propter ejus fulgorem ex consortio angeli. — Litteraliter vero exponitur de cognitione copulæ carnalis, ita quod Joseph non accessit ad eam maritali affectu, donec peperit Christum. Sed numquid postmodum eam cognovit? Non utique. Tunc enim impiissimus et præsumptuosissimus exstitisset, si templum Filii Dei, si sacrarium Spiritus Sancti, si uterum puritatis violare tentas- B set. Maria quoque ingrata fuisset, si tanto filio non fuisset contenta. Sciendum ergo, quod dictio *donec* interdum importat tempus determinatum, quo evoluto fit ali- *Job* XIV, 13. quid. Sic Job ait : Quis mihi tribuat, ut in inferno protegas me, donec pertranseat furor tuus? Sicque communiter dicimus : Non faciam hoc, donec veneris. Interdum vero accipitur pro tempore indeterminato : sicque includit omnem differentiam temporis. Excludendo enim illud tempus quo magis videbatur aliquid esse, vel non C esse, consequenter excludit alia tempora, quibus minus tale quid videtur. Et ita ha- *Ps.* CIX, 1. betur in Psalmo : Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pe- *Ps.* CXXII, 2. dum tuorum; et iterum, Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec miserea- *Ps.* LXX, 18. tur nostri; et rursus, Deus, ne derelinquas me, donec annuntiem brachium tuum, etc. Non est sensus, quod postquam hostes Christi fuerint ei subjecti, tunc ipse cessabit sedere ad dexteram Patris : imo tunc major est ratio ut sedeat. Unde quum Scri- D ptura dicit eum sedere ad dexteram Patris, donec ponantur adversarii scabellum pedum ejus, innuitur quod postea æternaliter sedeat. Hoc itaque modo sumitur *donec,* in proposito. Possibilius quippe videbatur, quod Joseph cognoverit sponsam et conjugem suam ante conceptionem Filii Dei, quam postea. Ideo, quum Evangelista edocuit, quod non cognovit eam ante Christi generationem, pro certo reliquit, quod nec postmodum eam accesserit. Juxta hunc sensum dicit de Christo Apostolus : Oportet autem illum regnare, donec ponantur inimici scabellum pedum ejus. *I Cor.* XV, 25; *Hebr.* X, 13. Numquid postea non regnabit? Hinc ait Chrysostomus : Hoc quod fieri potuit, dixit Evangelista factum non esse; id autem quod fieri non potuit, quid necessarium habuit dicere quia factum non est?

Ex his patet error Helvidii hæretici, qui erat sacerdos et idiota, dicens, quod Joseph non cognovit Mariam ante partum Christi, sed postea, eo quod scriptum sit : Non cognovit eam donec peperit. Item, quoniam Christus nunc dicitur primogenitus Mariæ, ergo et postea alium genuit : præsertim quum in Evangeliis legatur Christus *Matth.* XII, fratres habuisse, sicut patebit. Dicendum, 46; XIII, 55. quod in Scriptura primogenitus nominatur, non solum respectu sequentis, sed etiam quia priorem non habuit. Sic enim in Exodo legitur, Dominum percussisse *Exod.* XII, omne primogenitum in terra Ægypti, nec 29, 30. erat domus in Ægypto, in qua non jaceret defunctus. Numquid in qualibet domo erant plures filii? Sic etiam in lege Moysis fuit præceptum, omne primogenitum Deo *Ibid.* XIII, 2; offerri; et si parentes non habuerunt nisi XXII, 29. unigenitum, tamen vi hujus præcepti tenebantur illum offerre. Postremo, fratres Christi dicuntur, quia cognati, quomodo Abraham dixit ad Lot, Fratres sumus; et *Gen.* XIII, 8. Joab ad Amasam, Salve, mi frater. Et in *II Reg.* XX, 9. libro Judicum habetur : Dixit Judas Sime- *Judic.* I, 3. oni fratri suo. Contra istum Helvidium prorsus turpissimum et insanum, composuit S. Hieronymus librum.

Quod vero subjungitur, *Et vocavit nomen ejus Jesum,* hoc tam de Maria quam de Joseph intelligi potest. Utrique enim seorsum præceperat angelus, ut puerum Jesum vocarent : quod utique nomen secundum suam plenariam proprietatem, id est salvativam virtutem, a Deo impositum, et appropriatum est Filio Virginis, qui solus perfecte salvat, et universaliter liberat. Propter quod Isaias dicit : Dominus ab *Is.* XLIX, 1. utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei.

ARTICULUS IV

ELUCIDATIO CAPITULI SECUNDI : QUUM ERGO NATUS ESSET JESUS, ETC.

DESCRIPTA Christi generatione præcedenti capitulo, nunc ejus apparitio seu
1 manifestatio describitur. *Quum ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda.* Secundum
Luc. II, 1, 4-7. quod Lucas plenius enarrat : Quum (egresso edicto Augusti ut describeretur orbis) Joseph cum Maria ascendisset a Galilæa in Bethlehem Juda, impleti sunt dies ut pareret Virgo, peperitque Deum infantem in stabulo, reclinans eum in præsepio, quia non vacavit ei locus in diversorio. Dicitur autem in Bethlehem Juda, ad differentiam
Josue XIX, 15. alterius Bethlehem in Galilæa, pertinentis ad tribum Zabulon, ut habetur in libro Josue.

In diebus Herodis regis Ascalonitæ, natione Idumæi, cujus filius dictus Herodes
Matth. XIV, 10. Antipas, occidit Joannem, et Christum in
Luc. XXIII, 11. passione illusit. Fuit et alter Herodes Agrippa, qui Jacobum decollavit, et Petrum in-
Act. XII, 1-4. carceravit : qui ab angelo percussus, con-
Ibid. 23. sumptus est a vermibus, sicut in Actibus Apostolorum recolitur. Nominatur autem hoc loco Herodes, secundum Chrysosto-
Dan. IX, 24-27. mum, ad ostendendum quod prophetia Danielis de nativitate Christi post septuaginta hebdomadas annorum a tempore Danielis, sit in Christo impleta : quia ab illo tempore usque ad regnum Herodis tot hebdomadæ transierunt. Una autem hebdomada continet septem annos, omnesque simul
* quingentos continent circa quadringentos* annos. Alia ratio est, ut prophetia patriarchæ Jacob declaretur impleta in Christo. Prædixit enim:
Gen. XLIX, 10. Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est; et ipse erit exspectatio gentium. Quoniam ergo tempore Herodis alienigenæ ablatum fuit sceptrum, hoc est dominium, de Juda, et dux de ejus prosapia, certum est Christum tunc advenisse, qui est exspectatio gentium, prout in Aggæo habetur : Veniet Desideratus cunctis gentibus. Agg. II, 8.
Nam usque ad tempus Herodis, aliqui de tribu Juda præfuerunt Judæis. Quamvis enim tempore captivitatis Babylonicæ regia dignitas sit ablata a Juda, tamen post captivitatem illam rursus præfuerunt aliqui de tribu Juda, videlicet Zorobabel, cum quo redierunt de Babylone, et Machabæi, qui erant de Juda et Levi, et aliqui alii. I Esdr. II; II, VII.

Ecce Magi, id est sapientes viri, *ab oriente,* id est a Perside, quæ est in plaga orientali respectu Judææ, *venerunt* cum grandi comitatu, utpote reges (illis namque temporibus sapientes regnare solebant, quales etiam erant amici Job, qui in libro Tobiæ, et a S. Ambrosio, reges vocantur), *Jerosolymam, dicentes.* Viri isti Tob. II, 15.
magi vocantur non ab arte magica, seu quia malefici, ut magi Pharaonis, nec quia illusores, sed quoniam sapientes. Nam qui apud Hebræos dicuntur scribæ, hi a Græcis appellantur philosophi, a Latinis doctores, a Persis magi. Quidam vero affirmant, quod secundum Chrysostomum dicti sunt magi, quia fuerunt malefici, quamvis conversi sint postea. Verumtamen Chrysostomus hoc loco dicit, quod fuerunt viri orientales a Perside, et quod apud Persas magi, non malefici, sed sapientes vocantur. Unde nescio si hoc dicat Chrysostomus. Magi isti secundum Hieronymum, fuerunt successores Balaam prophetæ, et de eo nati feruntur. 2 Exod. VII, 11, 22; VIII, 7, 18, 19; Sap. XVII, 7.

Ubi est qui natus est rex Judæorum? Quam certa atque secura interrogatio! Jam Romani legem dederunt, ut sub periculo mortis, nemo aliquem regem vocaret sine

eorum consensu. Fuit quoque præceptum, A
et Magis non ignotum, quod qui rege vivente, alium regem pronuntiat, aut adorat, punitur in sanguine. Quomodo ergo Magi audebant vivente et regnante Herode, in ejus præsentia sine Romanorum licentia, regem alium profiteri? Procul dubio, istam eis audaciam puer natus influxit. Dicit enim Chrysostomus, quod non curabant de sanguine. Quod si curassent de morte, ita locuti non essent. Nondum viderant Christum, et jam parati erant mori pro Christo. Denique verbo, opere, B
atque muneribus Magi professi sunt Christum esse verum hominem, verum regem, verumque Deum: verbo quidem, quia dum dicunt, Ubi est qui natus est? humanitatem ejus fatentur; quumque adjiciunt, Rex Judæorum, regiam ejus potestatem declarant; dum vero annectunt, Et venimus adorare eum, divinitatem ejus testantur. Quomodo autem idem egerunt opere, et muneribus, infra dicetur.

Insuper causam cur tam secure interrogent de ortu regis Judæorum aperiunt. *Vi-* C
dimus enim stellam ejus, id est stellam suæ nativitatis declarativam, *in oriente:* quia in terra eorum apparuit eis, ita quod stetit prope in conspectu ipsorum. Non enim sic intelligendum est, quod ipsi exsistentes in oriente, viderunt stellam hanc in Judæa. *Et venimus adorare eum* adoratione latriæ, quæ soli Deo debetur: quod
Is. XLII, 8; XLVIII, 11. Isaias testatus est: Ego Dominus, hoc est nomen meum; gloriam meam alteri non dabo. Secundum doctores, Magi notitiam stellæ apparituræ, ex vaticinio Balaam pa- D
tris sui sumpserunt. Sic enim in Numeris
Num. XXIV, 17. legitur prophetasse: Orietur stella ex Jacob, id est causa Christi nati de semine Jacob, videlicet ad manifestandum ipsius nativitatem; et consurget virga de Israel. Crediderunt ergo hanc stellam apparituram, ejusque ortum seu apparitionem præstolabantur, et observabant. Quumque in hora nativitatis Christi vidissent coram se quamdam novam ac radiosissimam stellam, mox Deo inspirante intellexerunt hanc esse stellam diutissime exspectatam: propter quod statim surgentes, paratis parandis, secuti sunt stellæ ducatum.

Refert Chrysostomus (quod tamen ipse non asserit, sicut nec reprobat) fuisse gentem quamdam in principio orientis juxta Oceanum, quæ ex doctrina Seth didicit futuram hanc stellam. Propter quod elegerunt ex se duodecim viros sapientes, atque cœlestium mysteriorum amatores, qui nominabantur Magusæi, quoniam in silentio Deum glorificabant: qui et observabant ortum stellæ istius. Quum vero aliquis istorum duodecim moriebatur, alius substituebatur. Quum igitur quodam tempore essent in monte altissimo, quem vocabant montem victorialem, apparuit eis stella descendens super hunc montem, habens in se formam pueri parvuli, crucem bajulantis in humeris, et locuta est eis ut tenderent in Judæam. Quibus per biennium itinerantibus, nec cibus nec potus defecit in peris eorum stellam istam sequentium.

Præterea, Magis Judæam ingressis, stella ad tempus disparuit. Dicuntque aliqui, quod idcirco disparuit, quoniam Magi recurrentes ad humanum præsidium, scilicet ad Jerosolymitas, perdere meruerunt divinum ducatum. Et ita ingressi fuissent, vel ingredi Jerosolymam proposuissent, antequam stella disparuit, nec ejus ducatum secuti fuissent assidue. Quod non est verisimile, quoniam avidissima ac devotissima mente sectabantur hanc stellam.
Unde et ea denuo visa, gavisi sunt gaudio vers. 10.
magno valde. Probabilius itaque dicitur, quod stella ex divina dispensatione disparuit: qua non apparente, Magi opinati sunt regium puerum in urbe regali Jerusalem esse quærendum. Voluit ergo Deus ut Jerosolymam introirent, ad majorem sui confirmationem, et Judæorum confusionem ac condemnationem, videlicet, ut testimonio prophetali certificarentur de puero nato, et ut Judæi inexcusabiles fierent, eorumque cæcitas atque desidia confunderetur, dum gentibus Christum confi-

tentibus, ac desideranter quærentibus, ipsi
nec crediderunt, nec quæsierunt, imo re-
gem suum, quem ex libris Prophetarum
aliis monstraverunt, ipsi videre negle-
xerunt.
3 *Audiens autem Herodes rex* verba Ma-
gorum, *turbatus est,* non solum turbatio-
ne admirationis, propter rei novitatem, sed
etiam turbatione inordinatæ affectionis :
quia quum esset ambitiosus et alienigena,
formidavit regno privari, et velut alieni-
gena a populo Judæorum, cui proprius
rex natus esset, repelli. In quo impletum
Job xv, 21. est illud Job : Sonitus terroris semper in
auribus impii, et quum pax sit, ille sem-
per insidias suspicatur. *Et omnis Jeroso-
lyma cum illo,* id est, omnes et maxime
principales habitatores Jerusalem, cum He-
rode turbati, commoti, et admirati sunt :
non quia Herodem et ejus principatum
amabant, sed quoniam ejus crudelitatem
scientes, timebant maxima bella concitari
ab eo adversus regem natum et ejus fau-
tores. Et ita Judæi propriæ vitæ ac rebus
timebant. Multi quoque turbabantur, quo-
niam Herodi applaudere atque favere vo-
lebant, conformantes se domino suo, quia
Eccli. x, 2. ut dicitur in Ecclesiastico : Secundum ju-
dicem populi, sic et ministri ejus ; et qua-
lis est rector civitatis, tales et habitantes
in ea. Ex quo innotescit, quam periculo-
sus nocivusque sit indignus impiusque
prælatus. In hac turbatione impletum est
Ps. xlvii, 5, 6. quod Psalmista prædixit : Quoniam ec-
ce reges congregati sunt, convenerunt in
unum ; ipsi videntes sic admirati sunt,
conturbati sunt, commoti sunt, etc.
4 *Et congregans* Herodes *omnes principes
sacerdotum,* quorum unus succedere alteri
solebat in pontificatu, quamvis pro eodem
tempore non esset nisi unus princeps sa-
cerdotum, *et Scribas populi,* id est docto-
res et legisperitos Judæorum, *sciscitaba-
tur,* id est inquirebat, *ab eis ubi Christus
nasceretur.* Ex hoc constat, quod Herodes
per regem Judæorum, non quemlibet re-
gem, sed regem Messiam, summum et ve-
rum regem Judæis promissum, intellexit.

A Erat quippe proselytus, id est ad Judai-
smum conversus. Sed imperfecte instructus
fuit in lege, putans Christum in primo suo
adventu temporaliter regnaturum. Quod
et multi excæcati putant Judæi, quum ta-
men Prophetæ primum ejus adventum in
paupertate et humilitate futurum descri-
pserint : juxta quod ait Isaias, Inglori- Is. lii, 14.
us erit inter viros adspectus ejus ; et Za-
charias, Ipse pauper, et ascendens super Zach. ix, 9.
asinam.
At illi dixerunt ei : In Bethlehem Ju- 5
B *dæ. Sic enim scriptum est per Prophetam*
Michæam : *Et tu, Bethlehem terra Juda,* 6
*nequaquam minima es in principibus Ju-
da ; ex te enim exiet dux qui regat popu-
lum meum Israel.* Nostra translatio aliter
sonat : quæ talis est : Et tu, Bethlehem Mich. v, 2.
Ephrata, parvulus es in millibus Juda ; ex
te mihi egredietur qui sit dominator in
Israel. Christus enim et Apostoli ac Evan-
gelistæ allegando Scripturas veteris Testa-
menti, frequenter potius sensum quam
verba commemorant. Interdum quoque al-
C legant secundum aliam translationem. Al-
legatio autem Evangelistæ, quantum ad
sensum, redit in idem cum nostra trans-
latione. Est itaque sensus : *Et tu, Bethle-
hem terra Juda,* id est pertinens ad Judæ-
am, vel ad sortem tribus Juda, *nequaquam
minima es in principibus Juda,* hoc est
inter principales urbes, seu præcipuos ci-
ves Juda. Quamvis enim fuerit parva quan-
titate ædificiorum, vel paucitate habitato-
rum, tamen præclara fuit dignitate civium,
scilicet David et aliorum dignissimorum,
D qui erant nati ex Bethlehem, et maxime
ex nativitate Christi in ea, sicut subjun-
gitur. *Ex te enim exiet,* id est, procedet
et orietur, *dux,* id est Christus, de quo in
Daniele legitur : Ab exitu sermonis usque Dan. ix, 25.
ad Christum ducem, etc. Christus namque
ex loco et civibus Bethlehem natus est.
Qui regat spirituali regimine *populum
meum Israel,* id est electos ac fideles Is-
raelitas, in quorum cordibus Christus per
fidem gratiamque regnavit, juxta quod Ar-
changelus loquitur : Regnabit in domo Luc. i, 32.

Jacob in æternum. Christus etiam per se A
ipsum, deinde per Apostolos aliosque di-
scipulos, rexit plurimos Judæorum, do-
Baruch III, 38. cendo eos, quando conversabatur et vide-
batur in terris. — Porro sensus nostræ
translationis concurrit in idem, videlicet:
Et tu, Bethlehem Ephrata, id est, quæ alio
Gen. XXXV, 19. nomine appellata es Ephrata (ut patet in
Genesi), *parvulus es* locus *in millibus Ju-
da,* id est inter cetera loca et oppida Juda,
quæ propter suam multitudinem millia
nuncupantur : parvulus, inquam, spatio,
non dignitate. *Ex te mihi,* id est ad ho- B
norem et gloriam meam, *egredietur qui
sit dominator in Israel,* id est in populo
Judæorum, non corporaliter præsidendo,
sed spiritualiter principando.

Secundum Chrysostomum, princeps sa-
cerdotum et Scribæ peccabant, dicendo
Herodi locum nativitatis Christi : nam no-
verant Herodem velle Christo insidiari.

7 *Tunc Herodes clam vocatis Magis :* no-
luit enim propositum suum indicare Judæ-
is, quia nec in eis confidentiam habuit, et
verebatur ne ipsi sibi resisterent, adhæ- C
rendo proprio regi ex eorum semine nato;
diligenter didicit ab eis tempus stellæ,
hoc est certum et determinatum diem
apparitionis stellæ, *quæ apparuit eis,* quan-
do videlicet eis primo apparuit. Hoc in-
quisivit, ut cognita nati regis ætate, melius
puerum cognosceret istum, ad interficien-
8 dum. *Et mittens,* id est, ire suadens, *illos
in Bethlehem, dixit : Ite* in equis seu aliis
jumentis : non enim pedestres venerant,
sed in dromedariis, secundum Hierony-
mum ; *et interrogate diligenter* a civibus D
Bethlehem, *de puero,* scilicet, in quo loco
sit, et cujus potentiæ ; *et quum inveneri-
tis* eum, *renuntiate mihi,* revertendo ad
me, vel per alium mihi insinuando, de-
terminatam domum in qua puer sit, *ut et
ego veniens adorem eum.* Hoc simulatorie
dixit, ut per falsam obsequii promissio-
nem, induceret Magos ad renuntiandum
sibi de puero. Talis nempe est consuetudo
pessimorum, ut dum aliquem in occulto
gravius lædere quærunt, humilitatem ei et
amicitias fingant. Unde tunc amplius me-
tuendum et præcavendum est a nocumen-
to, dum adversarius magis arridet. Non
puto quod Herodes voluerit puerum na-
tum in præsentia Magorum accedere vel
occidere; sed eis ad sua reversis, decrevit
cum suis satellitibus Christum exstingue-
re. Non ergo sic voluit sibi de puero re-
nuntiari, ut Magis adhuc in Bethlehem
constitutis veniret.

Qui quum audissent regem, id est ver- 9
ba Herodis, de quo nil mali contra pue-
rum suspicabantur, *abierunt* a Jerusalem
versus Bethlehem cum festinatione non
modica, quoniam ardens affectus nati re-
gis impulsit eos. *Et ecce stella quam vide-
rant in oriente, antecedebat eos.* Quemadmo-
dum enim Deo disponente, circa Jerusalem
disparuit, sic rursus Deo volente, mox ut
Jerosolymam egressi sunt eis apparuit, at-
que præcessit in aere, mota ab angelo.
Usque dum veniens staret supra domum
ubi, id est in qua domo; vel, supra caput,
ut alii asserunt, puta in domo ubi *erat
puer* regalis : quasi diceret, Ecce quem
quæritis. *Videntes autem stellam,* quum 10
egrederentur Jerusalem, *gavisi sunt gau-
dio magno valde,* sicut et ante de ejus
disparitione vehementissime tristabantur.
His verbis Evangelista ostendit Magos in-
æstimabili et ultra humanum modum gau-
dio esse lætatos, stella rursus conspecta,
tanquam dupliciter certificati de pueri
inventione jam proxima. Dum enim ali-
quid cum desiderio quæritur, tanto majus
est gaudium, quanto desiderati inventio
certior fuerit atque vicinior.

Et intrantes domum, videlicet stabu- 11
lum seu diversorium, brutis potius quam
hominibus aptum, ad quod nemo declina-
re solebat, nisi itineris necessitate indu-
ctus, secundum Chrysostomum, *invene-
runt puerum cum Maria matre ejus,* et
forte in gremio ejus. Joseph vero, secun-
dum aliquos, Deo ordinante, tunc abfuit,
ne pater pueri putaretur ; vel forte ad-
fuit, quatenus visa tanta pueri veneratio-
ne, eum de cetero amplius revereretur.

Potuit enim puer hic a corde Magorum A
talem suspicionem excludere, quos in aliis
mirabilioribus supernaturaliter docuit. *Et
procidentes* humiliter cum maxima reve-
rentia coram puero super genua sua, vel
proni in terram, *adoraverunt eum* adora-
tione latriæ, tanquam Dominum majesta-
tis, Regem cœlestem, et omnium Salvato-
rem de quo locuti erant Prophetæ. Viderunt
enim procul dubio non solum intellectua-
libus, sed et corporalibus oculis, aliquid
supernaturale in puero, videlicet quem-
dam deiformem fulgorem in vultu ipsius. B
Intus quoque instruxit eos Spiritus Sanctus,
omnem exteriorem paupertatem et abjecti-
onem in puero ejusque matre apparentem,
non esse humanæ necessitatis, sed divinæ
dispositionis, in signum quod puer iste
non temporalem opulentiam atque mun-
danam prosperitatem, sed veram, et item
cœlestem ac sempiternam beatitudinem in
se credentibus impertiret : ideo moti non
sunt ex stabuli vilitate, ex matris inopia,
ex pueri solitudine, imo quo exteriora
videbantur abjectiora, eo interiora intelle- C
xerunt esse diviniora.

Et apertis thesauris suis, id est repo-
sitoriis divitiarum suarum, quas secum
detulerant, *obtulerunt ei munera,* utpote
aurum, thus, et myrrham. Hæc tria sin-
guli obtulerunt : Primo, quoniam Persæ et
Arabes his rebus abundant, easque magnis
personis offerre solebant. Hi vero Magi
Persæ fuerunt, qui et in Arabia minori
regnasse creduntur : quæ Arabia non mul-
tum distat a Judæa et Perside. Unde in
oblatione ista Magorum ex parte impletum D
Is. LX, 6. conspicimus, quod Isaias prædixit : Om-
nes de Saba venient, aurum et thus de-
ferentes, et laudem Domino annuntiantes ;
Ps. LXXI, 10. et quod ait Psalmista, Reges Tharsis et
insulæ munera offerent, reges Arabum et
Saba dona adducent. Secunda ratio obla-
tionis munerum horum, est spiritualis et
mystica. Magi namque, ut dictum est, co-
gnoverunt puerum istum esse verum ho-
minem, regem, ac Deum. Aurum ergo
obtulerunt ei ut regi, myrrham ut morta-
li, thus ut Deo. Tertia ratio, quia videbant
matris paupertatem, pueri teneritudinem,
et stabuli fœditatem. Aurum itaque obtu-
lerunt ad sublevamen inopiæ matris, thus
ad expulsionem fœtoris, myrrham ad mem-
brorum pueri consolidationem.

Hæc quoque munera, et nos spiritualiter
Christo quotidie offerre debemus. Per au-
rum enim significatur fides illuminata,
vel donum sapientiæ, vel caritas fervida.
Unde in Apocalypsi legitur : Suadeo tibi Apoc. III, 18.
emere aurum ignitum probatum ; et se-
cundum Apostolum, Alius superædificat I Cor. III, 10, 12.
aurum, argentum, lapides pretiosos. Per
thus vero figuratur bonæ famæ suavitas,
vita exemplaris, vel affectuosa et dulcis
oratio. Dicit enim Apostolus : Christi bo- II Cor. II, 15, 14.
nus odor sumus in omni loco ; et Psal-
mista, Dirigatur (inquit) oratio mea sicut Ps. CXL, 2.
incensum in conspectu tuo. In Apocalypsi
quoque habetur : Ascendit fumus incen- Apoc. VIII, 4.
sorum de orationibus Sanctorum coram
Deo. Per myrrham autem signatur morti-
ficatio carnis, seu opera bona. Nam sicut
myrrha corpora defunctorum præservat a
putredine vermium, et a corruptionis dis-
solutione ; sic mortificatio carnis custodit
hominem a putredine vitiorum, et disso-
lutione divisionis a Deo. Debemus ergo Deo
offerre fidem illuminatam, ardentem affe-
ctum, seu animam sapientia decoratam :
hoc est aurum. Item bonam famam, atque
devotam orationem (juxta quod scriptum
est, Curam habe de bono nomine ; et rur- Eccli. XLI, 15.
sus, Oportet semper orare, et non defice- Luc. XVIII, 1.
re) : hoc est thus. Tertio, immolare debe-
mus corporis mortificationem, seu corpus
mortificatum per opera pœnitentiæ. Qui Galat. V, 24.
enim sunt Christi, carnem suam crucifi-
xerunt cum vitiis et concupiscentiis.

Et responso accepto in somnis, id est 12
tempore dormitionis eorum in aliquo ho-
spitio in Bethlehem, *ne redirent ad Hero-
dem,* videlicet, ne Herodes cognito loco
pueri, eum occideret. Hoc responsum ha-
buerunt ab angelo, vel a puero nato eis
in somnis visione imaginaria apparente.
Responsum autem proprie datur interro-

ganti, et sic Magi interrogasse videntur A
forsitan a Maria, an ad Herodem redire
deberent ; vel responsum istud datum est,
non sermoni, sed operationi eorum, quo-
niam suo obsequio meruerunt sic admo-
neri a Deo. *Per aliam viam reversi sunt
in regionem suam.* Sic et nos quum ab
Herode, id est mundi ac dæmonis cultu,
per pœnitentiam ad Christum accessimus,
per aliam viam, quam est via iniquorum,
in qua ambulavimus olim, reverti debe-
mus in regionem nostram, videlicet in
societatem Ecclesiæ militantis ac trium- B
phantis, seu paradisum cœlestem.

Præterea hi tres Magi omnium gentium
conversionem figuraverunt : ternarius nam-
que est numerus perfectionis. In quibus
impleri cœpit illud Isaiæ : Ecce gentem *Is.* LV, 5.
quam nesciebas vocabis, et gentes quæ
non cognoverunt te, ad te current. Per
fulgorem insuper stellæ, præsignata est
claritas gratiæ per quam corda gentili-
um contemplata sunt Christum. Bethlehem
quoque interpretatur, domus panis : per
quam intelligitur anima religiosa, quæ pa-
ne obedientiæ, pane lacrimarum, et pane
sacramentali, fovetur. In tali anima na-
scitur Christus : quo cognito, Magi, id est
pœnitentes, veniunt, et Christum in ani-
ma tali honorant.

ARTICULUS V

PROSECUTIO EXPOSITIONIS HUJUS SECUNDI CAPITULI : QUI QUUM RECESSISSENT.

DESCRIPTA pueri Jesu veneratione, in C
qua ejus divinitas patuit, consequen-
ter describitur ejus persecutio, in qua sua
13 humanitas clare innotuit. *Qui quum re-
cessissent,* id est, quum Magi a Bethlehem
ad sua redire cœpissent per aliam viam,
*ecce angelus Domini apparuit in somnis
Joseph, dicens ei : Surge, et accipe pu-
erum et matrem ejus, et fuge in Ægy-
ptum, et esto ibi usque dum dicam tibi,* id
est tamdiu donec annuntiem tibi de re-
ditu. Causa autem hujus commissionis
subjungitur : *futurum est enim ut Hero- D
des quærat puerum ad perdendum eum,* id
est interficiendum, non ad adorandum sic-
ut vulpino corde spopondit. Ista apparitio
et allocutio angeli facta est S. Joseph post
præsentationem pueri Jesu in templo, ubi
Luc. II, 28. Simeon accepit eum in ulnas suas, et An-
Ibid. 38. na prophetissa confessa est Domino, om-
nibusque habitatoribus Jerusalem de Chri-
sto locuta est. Herodes quippe cernens
Magos non reverti ad se, æstimavit eos per
phantasticam stellam illusos, sicque ex
verecundia non redisse ad eum, sed clam
abscessisse : ideo non curavit requirere
puerum. Verum, post purificationem Ma-
riæ percipiens verba Simeonis, Annæ, at-
que pastorum perhibentium testimonium
Christo, tunc credens Magos non esse de-
ceptos, vehementer turbatus est, suspica-
tus successorem regni. Hæc est enim im-
placabilis regum iracundia, dum sentiunt
regnum suum ab alio impeti.

Qui Joseph *consurgens* a somno, sine 14
dilatione, quia de pueri præservatione at-
que custodia diligentissimus exstitit, *ac-
cepit puerum et matrem ejus nocte,* id
est, suo itineri eos associavit : et forte in
propriis ulnis vel scapulis puerum baju-
lavit, nisi dicatur Mariam et Jesum ju-
mento vexisse, propter itineris prolixita-
tem, sicut et Virginem sacram in asino
creditur deduxisse ad Bethlehem, hora na-
tivitatis Christi jam proxima. Accepitque
eos nocte, forte eadem qua angelum vidit,
quoniam tempus nocturnum magis aptum
est fugæ, ne de fuga accusaretur ab aliquo.

Secundum principem theologorum divinum Dionysium, ecclesiastica hierarchia ab angelica gubernatur, et omnia opera Dei ordinatissima sunt. Quamvis ergo puer natus poterat S. Joseph intus docere, imo et foris affari de fuga arripienda, tamen hoc fecit per angelum, ut ordo hierarchicus servaretur. Poterat quoque Jesus alio modo evadere manum Herodis, quemadmodum evasit manus Judæorum, eum præcipitare et lapidare volentium [*Joann.* VIII, 59; *Luc.* IV, 29, 30.]. Sed quia nostram assumpsit naturam, et ad patiendum atque ad exhibendum totius perfectionis exemplum advenit, voluit humano modo procedere, fugiendo, adversa patiendo, et exemplum præbendo, sicut in Evangelio loquitur [*Matth.* x, 23.] : Quum vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam.

Et secessit Joseph cum Maria et infantulo, *in Ægyptum :* prout per Isaiam fuerat prophetatum [*Is.* XIX, 1.] : Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et commovebuntur simulacra Ægypti a facie ejus. Fertur equidem in Scholastica historia, quod Christo Ægyptum ingrediente, omnia idola in fanis Ægyptiorum in terram collapsa sunt, Christi præsentiam ferre nequaquam valentia, sicut nec Dagon præsentiam arcæ, sed corruit [I *Reg.* V, 2-4.]. Per quod figurabatur idololatriam penitus destruendam in toto mundo Christi virtute, juxta illud [*Zach.* XIII, 2.] : In die illa, dicit Dominus, disperdam nomina idolorum de terra. —Quæritur, cur potius Ægyptum ingressus sit Christus. Respondendum primo, quoniam Ægyptii olim tempore Joseph, circa populum Israel multum benevoli erant. Nam et Jacob patriarcham primo septuaginta diebus, deinde septem planxerunt, ut in Genesi dicitur [*Gen.* L, 3, 10.]. Secundo, quoniam Deus, qui non in perpetuum irascitur [*Ps.* CII, 9.], postquam percussit, rursus medetur : ideo, sicut quondam gravissime cecidit Ægyptum propter populum Israel [*Exod.* VII-X, XII, XIV.], sic nunc eam curandam misericorditer visitat. Tertio, quia Ægyptus fuit evidens mundi hujus figura, ideo eam intravit, ad præsignandum **A** quod per Apostolorum prædicationem toti mundo inveheretur.

Et erat Joseph *ibi,* videlicet in Ægypto cum matre et puero, manibus suis victum conquirens, *usque ad obitum Herodis,* utpote septem annis, ut fertur. Herodes enim triginta septem annis dicitur regnasse, ejusque imperii tricesimo anno Christus legitur natus fuisse. *Ut impleretur* in Christi reversione ab Ægypto post mortem Herodis, *quod dictum est a Domino per Prophetam* Osee *dicentem : Ex Ægypto* **B** *vocavi filium meum.* Hoc Judæi ad litteram exponunt de populo Israel, qui dicitur filius, imo et primogenitus Dei, juxta illud : Israel primogenitus meus ; dixi tibi, Dimitte filium meum ut serviat mihi [*Exod.* IV, 22, 23.] : quod certum est dici de populo Judæorum ad Pharaonem. Sic in proposito asserunt per filium designari populum Israel, non Christum. Unde in Osee ita habetur : Puer Israel, et dilexi eum ; et ex Ægypto vocavi filium meum [*Osee* XI, 1.]. Verumtamen, Evangelista docente, compellimur profiteri, hoc ad **C** litteram de Christo prædictum. Probatio namque per allegationem Scripturæ non valet, nisi ex sensu litterali, secundum Augustinum. Oportet itaque scire, quod quum aliquid dicitur de populo, vel certa persona veteris Testamenti, prout erat figura Christi sive Ecclesiæ, quamvis ad litteram de illis exponatur, principalius tamen ac litteralius exponitur de Christo, vel Ecclesia : quemadmodum illud de Salomone, Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium [II *Reg.* VII, 14. *Hebr.* I, 5.], Apostolus introducit **D** de Christo prædictum. Dictum est enim de Salomone, in quantum Christi figuram gerebat : idcirco de Christo principalius intelligitur. Sic quod apud Osee habetur, Ex Ægypto vocavi filium meum [*Osee* XI, 1.], quamvis ad litteram dictum sit de populo Judæorum, litteralius principaliusque de Christo accipitur : quia de populo illo prædictum est, secundum quod erat figura Christi, qui non solum per determinatas personas, sed per totum populum Synagogæ multoties præfiguratur.

16 *Tunc,* utpote crescente rumore de Christo, propter Simeonis et Annæ, pastorumque verba (puto etiam quod Zacharias et Elisabeth parentes Joannis, non tacuerunt de Christo), *Herodes videns,* id est considerans, *quoniam illusus,* id est deceptus atque contemptus, *esset a Magis* non redeuntibus ad ipsum juxta condictum, *iratus est valde,* indigne ferens se esse derisum, et de puero nato vindicare se cupiens, quem ad suam injuriam natum putavit. *Et mittens* crudeles satellites, *occidit* per manum servorum suorum, *omnes pueros* mares *qui erant in Bethlehem et in omnibus finibus ejus,* id est in locis et in villis vicinis ad eam pertinentibus. Secundum historias, istud non contigit statim postquam se illusum pensavit. Quamvis enim tunc statim decrevit occidere pueros, tamen propter accusationem filiorum suorum coactus est Romam venire, et ibi cum filiis suis coram imperatore comparere. Obtenta autem sententia pro se, videns se confirmatum in regno, quum redisset, implevit quod de nece infantium concepit, interfici faciens omnes pueros, *a bimatu,* id est ab ætate seu tempore duorum annorum, videlicet omnes infantes biennes seu duorum annorum tempus habentes, *et infra,* id est etiam illos qui erant minoris ætatis, usque ad pueros unius diei inclusive, ut videtur insinuari per hoc quod dicitur, Infra, *secundum tempus quod exquisierat a Magis,* id est juxta mensuram temporis evoluti ab hora apparitionis stellæ, nativitatisque pueri : quod tempus, videlicet diem apparitionis stellæ, exquisivit et didicit a Magis : per quod agnovit quantæ ætatis consisteret Christus. Herodes quippe certificari volens de Christi occisione, et sciens eum jam esse unius anni et modicum amplius (tantum enim temporis fluxit a nativitate ejus usque ad regressum Herodis a Roma), præcepit occidi pueros majoris ætatis usque ad bimos, itemque minoris ætatis usque ad pueros diei unius, ne puer requisitus evaderet. Ista est expositio præsentis loci A communior, procedens secundum eos qui dicunt quod stella in die nativitatis Christi Magis apparuit, eosque infra tredecim dies usque ad Christum perduxit : et ita hæc dictio, Infra, denotat ordinem temporis.

Secundo exponitur, prout denotat ordinem numeri, ut sit sensus : *A bimatu,* id est a pueris duorum annorum, *et infra,* id est etiam illos qui erant infra ætatem duorum bimatuum, scilicet pueros quatuor annorum usque ad pueros quinquennes, *secundum tempus quod exquisierat a* B *Magis,* a quibus secundum exponentes hoc modo, didicit stellam apparuisse eis per duos annos antequam Jerosolymam intraverunt. Herodes ergo putans Christum tunc natum quum stella apparuit, æstimavit eum jam plus esse quam trium annorum : quia jam annus fluxit a recessu Magorum, antequam ipse a Roma reversus est. Ideo interfecit omnes pueros bimos usque ad quinquennes, ne Christus evaderet, si forte solito majoris aut minoris exsisteret quantitatis. Ista expositio fertur esse Chry- C sostomi, eo quod dicat stellam diu apparuisse Magis ante Christi nativitatem. Verum (ut tetigi) hoc Chrysostomus non dicit asserendo, sed quamdam scripturam apocrypham recitando. Nihilo minus huic opinioni apparentiam confert, quod quorumdam Innocentium ossa adeo magna sunt, quod biennium vix esse credantur. — Alio modo exponitur quod dictum est, Infra, ut sit sensus, quod pueros duorum annorum, usque ad pueros unius diei, fecit occidi : quod verius æstimatur.

D Ecce quanta crudelitas impiissimi regis ! Sed quoniam dictum est, Herodem fuisse proselytum, et credidisse Scripturis de Christi adventu, mirum videtur quod tentavit eum exstinguere, quasi posset Dei consilium et Prophetarum Scripturas mutare. Respondendum, quod credidit fide informi, vel opinione humana, sicut credit hæreticus, qui nec fidem formatam habet. Nihilo minus malitia et passionum vehementia ita obtenebraverunt intellectum Herodis, quod non attendit neminem posse

resistere Deo, vel ejus immobile consili- A
um variare, vel divinas Scripturas falsifi-
care. Sed tentavit suis passionibus satis-
facere, malo superatus affectu, qui non
advertit judicium. Et quid hoc mirum de
Herode, quum et Salomon, qui tempore
Prov. xxi, 30. suæ sapientiæ dixit, scripsitque, Non est
sapientia, non est prudentia, non est con-
silium contra Dominum, a mulieribus in-
fatuatus tentaverit simile aliquid perpetra-
III Reg. xi, 11. re? Quum enim audisset a Deo regnum
suum esse scindendum, percepissetque a
Ibid. 31, 35. propheta Ahia, prænuntiatum esse Jero- B
boam Ephratæo, quod super decem tribus
Ibid. 40. regnaret, tentavit occidere ipsum Jerobo-
am, qui in Ægyptum aufugit.
17 *Tunc adimpletum est quod dictum est*
18 *per Jeremiam prophetam dicentem : Vox*
in Rama, id est in sublimi, *audita est,*
utpote longe et late diffusa, propter vehe-
mentiam soni : vox, inquam, *ploratus,* id
est plorationis puerorum, qui a matribus
avellebantur et occidebantur, matribusque
lamentantibus miserabilius flebant ; vox
quoque *et ululatus* matrum, quæ de filio- C
rum separatione et interfectione dupliciter
et incredibiliter cruciabantur, quas sola
tantæ crudelitatis memoria supra modum
afflixit. *Rachel,* id est congregatio femina-
rum Bethlehemitarum : quæ nomine Ra-
Gen. xxxv, 19. chelis signantur : Primo, quoniam Rachel
juxta Bethlehem est sepulta, et ex corpus-
culi hospitio nomen matris accepit, secun-
dum Hieronymum. Secundo, quoniam tri-
bus Juda et Benjamin junctæ erant loco et
sorte. Herodes autem jussit non tantum in
Bethlehem, sed in locis quoque adjacenti- D
bus pueros trucidari : sicque ex propin-
quitate locorum non solum filii Liæ habi-
tantis in Bethlehem, quæ pertinebat ad
tribum Judæ nati ex Lia ; sed et multi ex
filiis Rachel matris Benjamin, hoc est de
tribu Benjamin, interfecti fuerunt. Propter
quod Rachel, id est posteritas ejus, dicitur
plorare *filios suos* ab Herode necatos. *Et*
noluit consolari, id est, matres filiorum
Ibid. xxxvii, 35, 33. occisorum consolationem recipere nolue-
runt de morte filiorum : sicut nec Jacob,
quum putavit Joseph a fera pessima devo-
ratum ; *quia non sunt,* id est, quoniam
filii earum ab hac vita subtracti sunt eis
per mortem crudelem : quod fuit eis in-
consolabilis causa doloris.

Rama interdum est proprium nomen lo-
ci ; interdum vero est nomen commune, et
interpretatur excelsum : sicque accipitur
nunc. Unde in Jeremia habetur : Vox in Jer. xxxi, 15.
excelsis audita est lamentationis et plan-
ctus, etc. Quod autem asseritur, vox ista
in excelsis audita, sic quoque intelligi po-
test, quia in cœlum coram Deo ascendit :
secundum quod a Jacobo de pauperibus
dicitur, Clamor eorum in aures Domini Sa- Jacob. v, 4.
baoth introivit ; et alibi, Oratio humiliantis Eccli. xxxv, 21.
se, penetrat nubes.

Defuncto autem Herode, ecce angelus 19
Domini apparuit in somnis Joseph in
Ægypto, dicens : Surge, et accipe pue- 20
rum et matrem ejus, et vade ex Ægypto
in terram Israel. Determinatam autem ur-
bem ad quam revertatur non ei exprimit
angelus, quia de hoc postea instructurus
erat S. Joseph, quando specialis ratio hoc
exegit. *Defuncti sunt enim, qui quære-*
bant animam pueri, id est Herodes et ejus
fautores, qui animam, id est vitam ani-
malem, pueri quærebant exstinguere. Per
quod, secundum Hieronymum et Chrysos-
tomum, datur intelligi sacerdotes et Scri-
bas de morte Christi cogitasse, et Herodis
studio consensisse. Quod intelligi potest
de Christo materialiter et formaliter : ma-
terialiter, quia consenserunt in mortem
ejus qui fuit verus Christus, quem ipsi
non crediderant esse Christum ; formali-
ter, quia et Christum etiam cognitum op-
taverunt occidi. An hoc secundo modo
intelligi possit, difficile est, et satis ambi-
guum, quum Apostolus dicat : Si enim I Cor. ii, 8.
cognovissent, nunquam Dominum gloriæ
crucifixissent. Et Petrus Judæis loquens,
dicit : Scio quod per ignorantiam fecistis, Act. iii, 17.
sicut et principes vestri. Et Dominus in
cruce pendens, dixit : Pater, dimitte illis, Luc. xxiii, 34.
non enim sciunt quid faciunt.

Qui consurgens, accepit puerum et ma- 21

22 *trem ejus, et venit in terram Israel. Au-*
diens autem Joseph *quod Archelaus* filius
Herodis *regnaret in Judæa pro Herode pa-*
tre suo. Refert Josephus, quod Herodes to-
tum regnum suum dimisit Archelao, quem
diligebat præ ceteris filiis. Herodes ergo
et Philippus, filii hujus Herodis et fratres
Archelai, petierunt ab imperatore partem
regni paterni : qui consilio habito, divisit
regnum majoris Herodis in duas partes,
dans unam medietatem Archelao ; aliam
vero medietatem in duas partitus est, dans
unam Herodi minori, videlicet Galilæam,
aliamque Philippo, puta Ituræam et Tra-
chonitiden regionem. Medietas vero Ar-
chelao concessa, tenuit nomen Judææ : id-
eo Archelaus dicitur in Judæa regnasse. Et
quoniam a patre suo constitutus erat he-
res totius regni, et carior patri, idcirco
favit machinationibus patris sui de Christi
occisione et aliis malis. Unde Joseph pro-
ditionem formidans, non audebat ad ter-
ram Archelai reverti, sicut subjungitur :
timuit illo ire, id est ad Judæam transire.
Et admonitus in somnis, haud dubium
quin ab angelo, *secessit in partes Galilææ,*
id est, per loca et terminos Galilææ trans-
ivit, quia Herodes dominus Galilææ pa-
trem suum non dilexit, a quo regno erat
privatus : ideo Joseph in terra ejus secu-
rius morabatur.
23 *Et veniens* Joseph *habitavit* cum Maria
et puero *in civitate quæ vocatur Naza-*
Luc. I, 26, 31. *reth,* in qua angelus Virgini Christi conce-
ptionem annuntiavit ; *ut adimpleretur* in
Christi habitatione in Nazareth, *quod di-*
ctum est per Prophetas : Quoniam Naza-
ræus vocabitur Christus, quia in Nazareth
fuit moratus, conceptus atque nutritus.
Hoc in Isaia secundum Hebraicam verita-

A tem sic legitur : Egredietur virga de radi- *Is.* XI, 1, sec. Hebr.
ce Jesse, et Nazaræus de radice ejus con-
surget. Loco cujus nos habemus : Et flos
de radice ejus ascendet. Et forsitan alii
Prophetæ, quorum scripta non habentur,
idem dixerunt. Non enim omnium Pro-
phetarum libros habemus, et tamen om-
nes Prophetæ de Christo locuti sunt. Unde
Philippus sciens hoc a Prophetis prædi-
ctum, ait ad Nathanael : Quem scripsit *Joann.* I, 45.
Moyses et Prophetæ, invenimus Jesum fi-
lium Joseph a Nazareth. Cui concordans
B Nathanael : A Nazareth, inquit, potest ali- *Ibid.* 46.
quid boni esse ?

Postremo in fine capituli recolo, quod
pene excidit mente, videlicet stellam quæ
Magis apparuit, non dici stellam univoce
cum veris stellis. Differebat nempe ab il-
lis, sicut corruptibile ab incorruptibili.
Formata est enim angelico ministerio de
materia elementari et corruptibili, per-
actoque suo obsequio, in præjacentem est
resoluta materiam. Sed et motu, loco ac
tempore, differebat a veris sideribus, sicut
C in diversis libris satis ostenditur : idcirco
pertranseo. — Item circa illud quod di-
ctum est, Ex Ægypto vocavi filium meum, vers. 15.
dicit Hieronymus : Possumus hunc locum
aliter conciliare propter contentiosos, et
testimonium proferimus ex Numeris, di-
cente Balaam : Deus ex Ægypto vocavit *Num.* XXIII, 22.
eum ; gloria ejus ut unicornis. Loco cujus
habemus, Fortitudo ejus sicut rhinocero-
tis : hoc enim in Numeris scriptum est. Sed
agnoscendum, quod hoc non minus litte-
raliter dictum est de populo Israel, quam
D præinductum verbum Osee. Quum enim
Balaam retulisset, Non est idolum in Jacob *Ibid.* 21, 22.
nec simulacrum in Israel, subdidit : Domi-
nus Deus eduxit eum de Ægypto, etc.

ARTICULUS VI

EXPOSITIO CAPITULI TERTII : IN DIEBUS AUTEM ILLIS VENIT JOANNES.

TRACTATURUS beatissimus Evangeli-
sta in sequentibus de conversatione,
doctrina atque miraculis Christi, primo de
præcursore ipsius mentionem inducit, san-
ctitatem, idoneitatem, doctrinam et vitam
Joannis describens, ut innotescat quam di-
gnum et credibile sit testimonium ejus de
Joann. I, 9. Christo. Christus ergo, qui est lux vera,
summa et infinita, sciens mundum sui im-
mediate non esse capacem, præmisit ma-
gnum quemdam sui adventus præpara-
torem, qui corda Judæorum ad Christi
receptionem disponeret.

1 *In diebus autem illis,* quando videlicet
Jesus adhuc habitabat in Nazareth, puta
circa tricesimum annum Christi, non quan-
do rediit de Ægypto, *venit Joannes Bapti-
sta.* Unde? nisi a latibulis eremi, in quibus
hucusque solitariam vitam duxit. Venit er-
go ab occulto loco deserti ad loca ejusdem
deserti publica, ubi hominibus se viden-
dum exhibuit. *Prædicans in deserto Ju-
dææ :* in quo utique deserto fuerat enu-
2 tritus ; *et dicens : Pœnitentiam agite,* id
est, peccata vestra deflete, et per opera
pœnitentiæ pro eis satisfacite, nec deplo-
rata reiterate. Pœnitentia tripliciter sumi-
tur : primo, pro sacramento ; secundo, pro
virtute morali quæ est pars justitiæ ; ter-
tio, pro actu pœnitentiæ : sic modo accipi-
tur. *Appropinquabit enim regnum cælo-
rum,* id est, jam in proximo est ut janua
Ibid. I, 17. patriæ aperiatur per Christum, ut gratia
et veritas fiat per Salvatorem, ut beatitudo
cœlestis condonetur electis. Christus nam-
que per suam passionem regnum cœlorum
aperuit. Regnum ergo cœlorum vocatur
patria, vel præmium electorum, seu tri-
umphans Ecclesia. Hoc regnum primum
publice prædicatum est a Joanne. In veteri
A etenim Testamento promittebantur bona
terrena aperte, cœlestia vero quasi im-
plicite.

Consequenter dignitas Joannis prophe-
tico testimonio declaratur. *Hic,* id est iste 3
Joannes Baptista, *est enim qui dictus,* id
est prænuntiatus, *est per Isaiam prophe-
tam, dicentem : Vox clamantis in deserto,* *Is.* XL, 3.
id est sermo Joannis in solitudine prædi-
cantis, est iste qui subditur : *Parate viam
Domini,* id est, corda vestra disponite ad
receptionem inhabitationemque Christi, vi-
B tiorum obliquitates, seu gratiæ obicem re-
pellendo, et quod in vobis est faciendo ;
rectas facite semitas ejus, id est, divina
præcepta atque consilia, quibus itur ad
Deum, pure et irreprehensibiliter obser-
vate. Itaque Domino viam parare, est pœ-
nitentiam agere. Quemadmodum autem
terrenus rex urbem aliquam ingressurus,
habet præcursores, qui viarum sordes amo-
veant, vias complanent, hospitium ornent ;
sic Christus rex cœlestis ad hominum cor-
da venturus præmisit Joannem, qui viam
C sibi pararet inducendo homines ad vir-
tutes. Ipse quoque Joannes, vox clamantis
vocatur. Sic enim respondit Judæis : Ego *Joann.* I, 23.
vox clamantis, etc. Dicitur enim vox per
similitudinem, seu ratione officii : primo,
quoniam sicut vox prior est verbo ordine
naturæ, sic Joannes præcessit Christum ;
secundo, quia ut vox rem significatam
notificat, sic Joannes Christum monstra-
vit. Dicitur autem vox clamantis, id est
Christi seu Dei per ipsum loquentis in
deserto : quia non ipse erat qui loqueba-
D tur, sed Spiritus Sanctus, et Christus per
eum, secundum quod Paulus ait : An ex- II *Cor.* XIII,
perimentum quæritis ejus qui in me lo- 3.
quitur Christus ?

Deinde describitur austeritas vitæ Jo- A
4 annis in victu et vestibus. *Ipse autem*
Joannes habebat vestimentum de pilis ca-
melorum, videlicet vestem cilicinam, seu
pellem cameli, unaque veste erat conten-
tus, *et zonam pelliceam,* id est grossam
corrigiam, *circa lumbos suos,* quemadmo-
IV *Reg.* I, 8. dum et Elias, eratque de duris et crudis
pellicearum minutiis facta. *Esca autem*
ejus erat locustæ. Locusta significat tria,
videlicet herbam, radicem, et avem minu-
tam. Chrysostomus autem et alii multi,
hoc loco per locustas intelligunt animalia B
parva non alte volantia, quæ in deserto
Judææ abundabant, et frixa cum oleo esca
sunt pauperum. Alii per locustas intelli-
gunt herbas deserti, quum non videatur
probabile, quod Joannes, qui nec pane
vescebatur, carnes animalium aut aliquid
coctum comederit. *Et mel silvestre,* id est,
quod in silvis reperitur, et arborum trun-
cis. Rabanus autem per mel silvestre in-
telligit quoddam genus foliorum, quæ alba
et tenera, manibusque attrita, melleum
habent saporem. C
5 *Tunc exibat ad eum,* videlicet ad Joan-
nem in desertum (et postea, quando Joan-
Luc. III, 3. nes descendit ad Jordanem, ut Lucas dicit,
venit ad eum illuc), *Jerosolyma,* id est
habitatores Jerusalem etiam in maxima
multitudine. Unde Marcus enarrat, quod
Marc. I, 5. egrediebantur ad eum Jerosolymitæ uni-
versi. *Et omnis Judæa,* id est aliqui de
omni genere populi Judæorum, *et omnis*
regio circa Jordanem, id est etiam illi
qui circa Jordanem morabantur, videlicet
Galilæi. Ponitur hoc loco continens pro D
6 contento, et locus pro locato. *Et baptiza-*
bantur, id est, corporaliter lavabantur, non
intus purgabantur a culpa, *ab eo in Jor-*
dane, confitentes peccata sua, in commu-
ni, non confessione sacramentali distincta
atque plenaria, prout Confessio est sacra-
mentum novæ legis et gratiæ. Sic enim
instituta est a Salvatore, nec erat in veteri
lege, in qua data non erat potestas homini-
bus ligandi atque solvendi, seu vitia rela-
xandi : imo nec Joanni data est ista potestas.

Denique Damascenus (libri quarti capitulo nono) ponit octo genera baptismatum. Primum vocat diluvium, secundum transitum maris Rubri, tertium ablutionem legalem, quartum baptisma Joannis, quintum baptisma Christi, quo ipse a Joanne baptizari dignatus est, sextum baptisma pœnitentiæ seu lacrimarum, septimum sanguinis seu martyrii, octavum Flaminis seu Spiritus. Gregorius vero Nazianzenus non ponit nisi quinque genera baptismatum. Nam tria prima genera comprehendit sub uno, quod nominat baptisma figurativum. Baptisma quoque quod Joannes dedit, et Christus accepit, sub uno videtur genere comprehendisse. Primum itaque genus baptismi secundum eum, vocatur figurativum, ut erat transitus maris Rubri,
et lotio corporalis in aqua, secundum *Lev.* XIII-XVI.
Mosaicam legem. Secundum genus vocatur præparatorium, puta baptisma Joannis, quod disponebat ad Christi Baptismum a Christo institutum. Tertium dicitur purgativum, quo regeneramur ex aqua et Spiritu Sancto, et purgamur ab omni piaculo. Quartum vocatur supererogativum, videlicet baptismus sanguinis. Quintum est quotidianum, videlicet lacrimarum baptismus.

Sciendum ergo, secundum Thomam super quartum Sententiarum, unum dumtaxat esse Baptisma proprie dictum, quod celebratur in aqua sub determinata et certa verborum forma a Christo præfixa : de
quo Matthæus ait, Euntes docete omnes *Matth.* XXVIII, 19.
gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Alia vero nomen baptismi sortiuntur secundum ordinem quemdam ad istud Baptisma : et hoc tripliciter. Primo, in quantum aliquid fuerat signum hujus Baptismatis. Sicque diluvium appellatur baptisma, prout nostrum Baptisma præfiguravit, quantum ad spiritualis vitæ salvationem, ex salvatione naturalis vitæ humani generis facta in arca Noe. Unde scriptum est apud Petrum
apostolum : In arca pauci, id est octo ani- I *Petr.* III, 20, 21.
mæ salvæ factæ sunt per aquam : quod

et vos nunc similis formæ salvos facit Baptisma. Transitus quoque maris Rubri baptisma asseritur, quoniam nostrum Baptismum præfiguravit quoad liberationem a potestate diaboli, sicut per transitum maris liberabantur Hebræi a potestate re-
I Cor. x, 2. gis Ægypti. Hinc dicit Apostolus : Omnes in Moyse baptizati sunt, in nube et in mari. Nubes autem significavit Spiritum Sanctum et gratiam ejus ; mare vero, aquam Baptismi. Ablutiones etiam legis figurabant Baptismum, secundum quod mundat a macula culpæ, quemadmodum ablutiones illæ mundabant ab immunditiis corporalibus. Alio modo dicitur aliquid baptismus, quia aliquo modo causa fuit nostri Baptismi : sicque baptismus Joannis vocatur baptismus, tanquam disponens ad eum, et baptismus Christi passivus, tanquam dans efficaciam ei. Tertio aliquid nuncupatur baptismus, secundum proportionem ad eumdem effectum Baptismi proprie sumpti : et ita martyrium, pœnitentia, et Spiritus Sancti infusio, baptismata appellantur. De baptismate autem Spiritus
Act. I, 5. ait Salvator Apostolis : Vos baptizabimini Spiritu Sancto, non post multos hos dies.
Luc. XII, 50. De baptismo insuper sanguinis : Ego, inquit, baptismo habeo baptizari.

Quæritur, an baptismus Joannis fuerit sacramentum, vel solum quid sacramentale. Respondendum, quod erat sacramentum, quoniam fuit signum rei sacræ, puta Baptismatis Christi. Quamvis enim non contulit gratiam, fuit tamen inchoatio quædam sacramentorum gratiæ novæque legis. Unde proprie dicitur medium inter sacramenta veteris Testamenti et novi, quemadmodum dispositio ad formam media est inter privationem et formam. Conveniebat enim cum sacramentis legis in hoc, quod erat signum dumtaxat ; cum sacramentis vero novæ legis et gratiæ, in hoc, quod de propinquo disponebat ad gratiam : et in forma atque materia convenientiam habuit cum nostro Baptismo. Fiebat namque in aqua in nomine Christi. — Quæritur ergo, sub qua forma baptizavit Joannes.
A Respondendum, quod sub ista, Ego te baptizo in nomine venturi, juxta illud : Jo- *Act.* XIX, 4.
annes baptizabat populum dicens, in eum qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est in Jesum. Quamvis enim Christus tunc venit in carnem, nondum tamen venit ad prædicationem.

Sed si baptismus Joannis non præstitit gratiam, quæritur cur baptizavit. Respondendum, quod multas ob causas, quarum primam ipsemet tangit Joannes loquens de Christo : Ut manifestaretur, inquit, in *Joann.* I, 31.
B Israel, propterea veni ego in aqua baptizans, id est ad hoc ut ostenderem populo Israel, quod Christus est qui baptizat in Spiritu Sancto. Ex hoc enim quod Joannes baptizavit, quod nulli Prophetarum ante eum concessum est, concurrebat ad eum populus, sicque omnibus manifestare potuit Christum, cujus fuit ipse præcursor. Secundo, ut ordinem suæ præcursionis in omnibus observaret, quatenus sicut Christum prævenit nascendo et prædicando, sic eum quoque præcederet baptizan-
C do. Tertio, ut ad Christi Baptismum disponeret : quod enim catechumenis nondum baptizatis confert instructio fidei, hoc contulit credentibus baptismus Joannis. Quarto, ut homines ad pœnitendum induceret. Quinto, ut ad suscipiendum Christi Baptismum homines assuetos efficeret. Quoniam ergo baptismus Joannis dabatur in nomine venturi, videlicet Christi, idcirco erat quædam protestatio atque professio credendi in Christum, et opera pœnitentiæ digna agendi : ordinabatur quippe ad hæc. Et
D quia pœnitentia non competit pueris, ideo eis non conferebatur, sicut nec feminis, ut aliqui dicunt, quoniam instruendæ erant per viros. Quamvis autem baptismus Joannis non contulit gratiam sua virtute, tamen ex fide et devotione suscipientis, ex sanctitate quoque et precibus dantis, præstitit gratiam, sicut et sacramenta legis.

Videns autem Joannes *multos Phari-* 7
sæorum et Sadducæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis. In populo Judæorum erant tres sectæ, quæ se ceteris

præferebant, puta : Essæi, qui abstractam
et rigorosissimam vitam duxerunt, sed er-
raverunt in multis, putantes se sua ju-
stitia sine gratia posse salvari. Pharisæi
quoque, qui quasi divisi ab aliis, diceban-
tur quasi religiosiores et doctiores. Erat-
que honesta secta eorum : de qua se Pau-
Act. XXIII, 6. lus fuisse testatur, Ego, inquiens, Pharisæus
sum, filius Pharisæorum. Item et Saddu-
cæi, dicentes se natos de semine Sadoc
pontificis : qui libros Moysis recipientes,
Ibid. 8. Prophetas non receperunt, et nec ange-
lum, nec spiritum, nec resurrectionem
concesserunt, quæ omnia Pharisæi admi-
serunt.

His ergo dixit Joannes : *Progenies vipera-
rum,* id est, generatio seu filii serpentium,
videlicet perversorum venenatorumque
patrum, *quis demonstravit vobis fugere a
ventura ira?* Locus iste dupliciter expla-
natur. Ambrosius enim super Lucam ex-
ponit, ut sit commendatio pœnitentium,
hoc modo : *Genimina,* id est, progenies,
viperarum, id est patrum impiorum : non
tamen impii filii, quoniam pœnitentes. Ad
generationem itaque, non ad successio-
nem, id est ad genitores, non ad filios,
referenda est comparatio viperarum, se-
cundum Ambrosium. *Quis demonstravit
vobis,* id est, quis docuit vos jam pœni-
tentes, *fugere a ventura ira,* id est timere
extremum judicium, et vitam corrigere,
per quod sententia damnationis vitatur?
Nullus utique, nisi misericors Deus, quum
8 sitis filii pessimorum. *Facite ergo fru-
ctum dignum pœnitentiæ :* id est, quia
jam datum est vobis intus pœnitere, cu-
rate exterius opera satisfactionis idonea
perpetrare, quatenus secundum mensuram
peccati et delectationis illicitæ, sit men-
sura operum pœnitentialium et afflictio-
Apoc. XVIII, 7. nis spontaneæ : juxta illud, Quantum glo-
rificavit se, et in deliciis fuit, tantum date
ei luctum et tormentum. Peccata nempe
sunt vulnera animæ; medicina vero est
pœnitentia. Certum est quod vulnera pro-
fundiora ac magis mortifera, majori ac
acerbiori indigent medicina. — Secundo

A exponitur secundum Chrysostomum et Be-
dam, ut sit exprobratio impœnitentium
ficte venientium ad baptismum, ut insi-
dientur Joanni. His igitur loquitur : *Pro-
genies viperarum,* id est, venenati fallaces-
que filii patrum serpentinorum, quorum
venenosam pravitatem ac simulationem
sectamini, *quis demonstravit vobis fugere
a ventura ira?* id est, nullus potest vobis
dare consilium, viam seu modum evaden-
di divinæ justitiæ ultionem vobis immi-
nentem, nisi pœniteatis : et quamvis nunc
B occultetis hominibus vestram malitiam, ta-
men in die judicii deducetur in publi-
cum. Unde in Sapientia scribitur : Manum *Sap.* XVI,
tuam, Domine, impossibile est effugere; 15.
et in Psalmo, Quo ibo a spiritu tuo, et *Ps.* CXXXVIII,
quo a facie tua fugiam? *Facite ergo fru-* 7.
ctum dignum pœnitentiæ, scilicet ex in-
timo corde, cum diligenti custodia mentis
et animo timorato, ne recidivetis. Hor- *Hebr.* X, 31.
rendum est enim incidere in manus Dei
viventis. Porro, quod iste sit sensus, vi-
detur ex eo quod infra habetur, quemad-
C modum Christo interrogante Pharisæos,
Baptismus Joannis de cœlo erat, an ex *Matth.* XXI,
hominibus? non audebant respondere, De 25, 26.
cœlo, scientes quod diceret ipsis : Quare
ergo vos non credidistis ei? — Quod au-
tem prior expositio aptior sit, apparet ex
hoc quod in Luca fertur Christum verba
ista dixisse ad turbas communiter. Turbæ *Luc.* XX, 1,
autem credebant Joanni : propter quod 3, 4.
Pharisæi dicere non audebant, Ex homini- *Matth.* XXI,
bus, propter populum. Omnes enim habe- 26.
bant Joannem quasi prophetam, ut Evan-
D gelista disseruit. Probabilius ergo apparet
Joannem dixisse hæc verba ad omnes com-
muniter, quorum aliqui boni, aliqui mali
fuerunt : non tamen secundum eumdem
sensum, nec propter finem eumdem. Nec
hoc mirum putetur, quum secundum Au-
gustinum, eadem scriptura habeat sensum
litteralem multiplicem. Bonis ergo et pœ-
nitentibus, sed nondum perfectis, sic fa-
tur, ut eos magis humiliet, ad melioraque
provocet : frequenter enim viri sancti du-
re loquuntur etiam valde bonis, propter

hanc aut similem causam. Malis vero sic loquitur, ut terreantur atque pœniteant.

Secundum Chrysostomum, Judæi a Joanne dicuntur progenies viperarum, propter tres viperæ proprietates. Prima est : quum vipera momorderit hominem, statim ipsa currit ad aquam, quam si invenire non potest, mox moritur : sic Judæi peccata mortifera committentes, ad baptismum currebant, ut more viperarum, periculum mortis evaderent. Secunda, nam sicut natura viperarum est rumpere viscera materna et sic nasci, sic Judæi persequentes assidue sanctos Prophetas, corruperunt matrem suam, videlicet Synagogam. Tertia, nam viperæ foris speciosæ et quasi pictæ videntur, intus vero replentur veneno : sic Pharisæi et Sadducæi sanctitatem forinsecus simulabant, sed venenum malitiæ portabant in corde.

9 *Et ne velitis dicere intra vos,* id est, ne cogitetis inaniter gloriando de ingenita carnalis propagationis nobilitate : *Patrem habemus Abraham* magnum patriarcham, de cujus semine sumus exorti, quasi hoc vobis ad salutem sufficiat. Jactabant etenim se Judæi de dignitate prosapiæ : quod frivolum est, quoniam imitatores fidei atque justitiæ Patriarcharum, potius appellantur filii eorum, quam filii solum carnales. Propter quod Salvator ait Judæis : Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Quod quoniam non fecerunt, audierunt a Veritate : Vos ex patre diabolo estis. Unde ad Galatas dicit Apostolus : Qui ex fide sunt, hi sunt filii Abrahæ.

Joann. VIII, 33. — *Ibid.* 39. — *Ibid.* 44. — *Galat.* III, 7.

Merito denique non debetis de ista paternitate præsumere, *dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ :* secundum duplicem intellectum. Primo, nam Deus omnipotens, qui cuncta creavit, potest facillime de saxis procreare homines justos, qui sint spirituales filii Abrahæ veriores, nobilioresque filii ejus, quam estis vos. Secundo, quia de gentilibus, qui propter cordis sui duritiam, stoliditatem, ac idololatriam, lapides nominantur, potest misericordia Dei facere homines sanctos et spirituales, qui digni sint dici filii Abrahæ : quemadmodum per Ezechielem affirmat, Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum : quod de Judæis litteraliter dicitur. Hanc suscitationem Deus implevit, quando ad prædicationem Apostolorum obstinati sunt Judæi, et gentiles illuminati : quando Deus vocavit non dilectam, dilectam, et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam, sicut Osee prædixit : hoc est, plebem gentilem, quæ tempore suæ perfidiæ fuit non dilecta, et Deo odiosa secundum præsentem justitiam, fecit sibi dilectam, convertendo eam ad fidem. Tunc quoque impletum est illud Isaiæ : Quia multi filii desertæ, id est gentilitatis olim relictæ, magis quam ejus quæ habet virum, hoc est Synagogæ, cujus sponsus et vir exstitit Deus.

Sap. I, 14. — *Ezech.* XI, 19 ; XXXVI, 26. — *Act.* XIII, 46. — *Rom.* IX, 25 ; *Osee* II, 1, 23. — *Is.* LIV, 1.

Deinde subditur ratio cur efficaciter pœnitere oporteat. *Jam enim securis ad radicem arboris posita est :* id est, de proximo imminet vobis interitus mortis atque æternæ damnationis, nisi pœnitentiam dignam egeritis, sicut arbori propinqua instat ruina, quando securis applicatur radici, ut arborem amputet, funditusque evellat. Loquitur autem metaphorice, ut per securim intelligatur rigor seu ultio divinæ justitiæ, quæ frequenter tollit et damnat impœnitentem repente ac improvise, juxta illud Ecclesiastici : Non tardes converti ad Dominum ; subito enim veniet ira illius, et in die vindictæ disperdet te. Arbor vero est genus humanum, seu homo quicumque ; radix vero est firmitas vel subsistentia vitæ præsentis. Securis ergo, id est rigor divinæ æquitatis, ad radicem arboris, id est ad subsistentiam vitæ hominis, posita est, ut peccatorem tollat et puniat, quoniam Deus paratus est impium exstirpare, prout in Ecclesiastico habetur : In peccatores respicit ira illius. Et ut in libris Machabæorum legitur : A verbis peccatoris ne timueritis, quoniam gloria ejus stercus et vermis ; hodie extollitur, et cras non invenietur. Hinc etiam per Ecclesia- 10

Eccli. V, 8, 9. — *Ibid.* 7. — I *Mach.* II, 62, 63.

Eccle. VIII, 13. sten inducitur : Non sit bonum impio, nec A prolongentur dies ejus, sed quasi umbra prætereant. Potest quoque per securim intelligi transitus vitæ præsentis, quæ quanto plus prolongatur, tanto amplius breviatur. Is. XXXVIII, 12. Unde Ezechias : Præcisa est, inquit, velut a texente vita mea ; dum adhuc ordirer succidit me. Vel : Securis, hoc est comminatio sacræ Scripturæ, ad radicem arboris, hoc est ad intellectum hominis, posita est, ut eum hortetur ac terreat. Deus namque in Scripturis comminatur hominibus, ut corrigant semetipsos. Propter B quod per Jeremiam protestatur : Jer. XXIII, 29. Numquid non verba mea sunt quasi ignis, et quasi malleus conterens petram?

Omnis ergo arbor, id est quilibet homo adultus et compos rationis, *quæ non facit fructum bonum,* id est actum meritorium interiorem vel exteriorem, imo utrumque, si adsit facultas et tempus debitum, *excidetur,* id est, ab electis separabitur, *et in ignem* infernalem *mittetur.* Talis enim non implet præcepta affirmativa. Nec sufficit declinare a malo, sed oportet insuper C Ps. XXXIII, 15 ; XXXVI, 27. bene facere. Omissio ergo interdum est Matth. XXV, 30. peccatum mortale. Hinc servus inutilis jubetur mitti in tenebras exteriores. Et Christus dicit : Joann. XV, 2. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum Pater.

Ex præinductis, patescit veritas justitiæ in Joanne, qui sine personarum acceptione peccatores dire redarguit, neminem palpans, nullique blandiens.

Consequenter Joannes ostendit insufficientiam sui baptismi, et propriæ personæ conditionem. Cujus ratio est, ut tangitur D Luc. III, 15. in Luca, quoniam omnes opinabantur Jo-
11 annem esse Christum. *Ego quidem baptizo vos in aqua :* hoc est, exterius lavo vos, aquam super vos fundens ; non interius purgo, peccata tollens, aut gratiam conferens. Baptizo ergo et corpora vestra in aqua lavo, *in pœnitentiam,* id est, ad hoc ut ad pœnitendum vos inducam, non ut peccata dimittam. *Qui autem post me venturus est* in publicum, id est Christus, qui cito post hæc manifestabit se ipsum, prædicando, miracula faciendo, atque per discipulos suos baptizando, *fortior,* id est major et dignior, *me est,* secundum utramque suam naturam : quia ut Deus, est infinitæ potentiæ, dignitatis, ac perfectionis ; secundum humanitatem quoque assumptam, data est sibi omnis potestas in cœlo Matth. XXVIII, 18. et terra. Pater enim diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus : Joann. III, 35. imo Christus ut homo excedit perfectionem, dignitatem et gratiam omnium creaturarum simul sumptarum, propter immediatam et hypostaticam seu personalem unionem suæ humanitatis cum Verbo.

Cujus non sum dignus calceamenta portare, hoc est, in tantum excedit me, quod non sum dignus ei in minimo ministrare. De Christo legitur, quod cœpit facere et Act. I, 1. docere. Quum ergo ipse discipulos suos ad prædicandum miserit sine calceamentis, credibile est quod ipse calceamentis usus non sit. Quod ergo ait Joannes de Christo, Cujus non sum dignus calceamenta portare, intelligendum est secundum communem modum loquendi, quo aliquis volens se multum humiliare sub aliquo, dicit se non esse dignum gerere calceos ejus. Per quod Joannes declarat se incomparabiliter Christo minorem. O quanta humilitas in corde Baptistæ! Merito utique a Christo excellentissime laudari sublimarique meruit, qui se tantum sub illo dejecit, quamvis nec plene se humiliare potuerit per comparationem ad Christum, qui tamen de Joanne testatur : Inter natos mulierum non Matth. XI, 11. surrexit major Joanne Baptista.

Sed quæritur, quum secundum doctores quosdam, homo de condigno possit mereri vitam æternam, quomodo Joannes dignus non fuit Christo in minimo ministrare, seu ejus calceamenta portare. Denique, si dignus fuit et meruit Christum baptizare, quomodo dignus non fuit ei in minimo deservire? Respondendum, quod aliquis dicitur dignus per comparationem ad Christum dupliciter : primo, simpliciter ; secundo, secundum modum humanæ possibilitatis et conditionis. Primo modo, nemo

dignus fuit, vel est, Christo appropinqua- A
re, aut ministrare, propter infinitum ex-
cessum suæ perfectionis præ omnibus ; ta-
men secundo modo est aliquis dignus ei
servire, imo et corpus et sanguinem ejus
consecrare ac manducare, præsertim quum
I Cor. xi, 27. dicat Apostolus : Quicumque manducaverit
panem hunc, vel biberit calicem Domini
indigne, reus erit corporis et sanguinis
Domini.

Ipse vos, id est vos ipsos, vel alios per
vos designatos et vobis in specie similes,
baptizabit per suos ministros, ita quod B
ipse erit principalis baptizator, mundans
interius, ministri vero ipsius erunt bapti-
Joann. iv, 2. zatores instrumentales : Christus quippe
per se ipsum non baptizavit, ut dicit Joan-
nes; *in Spiritu Sancto,* id est virtute et
gratia Spiritus Sancti, videlicet gratiam
Spiritus Sancti infundendo, et vitia diluen-
do, *et igni.* Si dixisset, In Spiritu Sancto
et aqua, consonare videretur Salvatori di-
Ibid. iii, 5. centi : Nisi quis renatus fuerit ex aqua et
Spiritu Sancto, etc. Quid ergo per ignem
intelligitur? Puto quod caritatis fervor, de C
Luc. xii, 49. quo Christus dicit : Ignem veni mittere in
terram, et quid volo nisi ut accendatur?
Christi namque Baptismus ordinatur ad
divinæ caritatis perfectionem atque fervo-
rem : propter quod lex evangelica appel-
latur lex amoris et gratiæ. Baptizabit ergo
vos in Spiritu Sancto et igni, id est, bapti-
zando caritatem in vobis accendet, indu-
cendo vos in memoriam beneficiorum su-
orum. Hieronymus per Spiritum Sanctum
et ignem idem intelligit, eo quod Spiritus
Sanctus sit ignis, juxta illud Apostoli ad D
Hebr. xii, 29. Hebræos : Deus noster ignis consumens
est. Sicque conjunctio, Et, tenetur expo-
sitive. Chrysostomus et Beda per ignem
intelligunt tribulationis atque tentationis
fervorem, quo Christifideles purgantur.
II Tim. iii, 12. Nam omnes qui volunt pie vivere in Chri-
sto, persecutionem patientur. Lyra per
ignem intelligit sensibile signum, in quo
Spiritus Sanctus frequenter in primitiva
Ecclesia dabatur baptizatis, quemadmo-
dum et Apostolis in die Pentecostes in
igneis linguis legitur datus. Alii per ignem Act. ii, 3, 4.
intelligunt purgatorii pœnam, in quo post
vitam præsentem lavantur atque purgan-
tur qui cum reatu decedunt.

Cujus ventilabrum in manu sua, etc. 12
Ventilabrum est instrumentum quo blada
purgantur, separando ea a paleis : per
quod intelligitur justum judicium Christi,
quo electi a reprobis segregantur. Area au-
tem vocatur Ecclesia, in qua boni ac mali
commixti sunt, sicut in area triticum pa-
leaque simul ponuntur. Triticum vero ele-
ctos significat; horreum vero, regnum cœ-
leste; palea, reprobos. Est igitur sensus :
Cujus, videlicet Christi, *ventilabrum,* id
est justum judicium, judiciariaque pote-
stas, est *in manu,* id est in potestate *sua.*
Pater enim omne judicium dedit Filio, et Joann. v, 22, 27.
potestatem dedit ei judicium facere, quia
Filius hominis est. *Et permundabit,* id est,
perfecte purgabit, *aream suam,* id est Ec-
clesiam militantem, in die judicii, quando
separabit agnos ab hœdis. Nunc enim per- Matth. xxv, 32.
versi cum bonis miscentur, sed tunc loco
et præmio separabuntur. Quotidie quoque
purgat Deus aream suam dupliciter : pri-
mo, impios de hac vita tollendo, ne infici-
ant simplices; secundo, electos multiplici-
ter castigando, spiritualiter circumcidendo,
ad futuram beatitudinem disponendo per
tribulationes diversas, quemadmodum in
Sapientia scribitur : Tanquam aurum in Sap. iii, 6.
fornace probavit illos, et quasi holocausti
hostiam accepit eos. Reprobos vero dimit- Ps. lxxx, 13.
tit secundum desideria cordis eorum, ut
eant in adinventionibus suis : super quos Job xxi, 9.
non est virga Dei, ut in Job legitur.

*Et congregabit triticum suum in horre-
um* suum, id est electos in regnum super-
num, quando dicturus est eis : Venite, be- Matth. xxv, 34.
nedicti Patris mei, percipite regnum vobis
ab origine mundi paratum. *Paleas autem,*
id est infructuosos, leves et reprobos, de
quibus in Psalmo : Non sic impii, sed tan- Ps. i, 4.
quam pulvis quem projicit ventus a facie
terræ; *comburet,* hoc est, puniet, non con-
sumet, *igni inexstinguibili,* id est flamma
et pœna infernali nunquam cessante. Per

quod damnatur error dicentium pœnas inferni tandem post longa spatia terminari. Ezech. xxii, 20-22. Unde in Ezechiele testatur ad impios : Conflabo et congregabo vos, et succendam vos in igne furoris mei, et conflabimini in medio ejus, sicut conflatur argentum in medio ignis. Ps. cxxxix, 11. Unde Psalmographus : Cadent, inquit, super eos carbones, in ignem dejicies eos, in miseriis non subsistent. Et Apoc. xxi, 8; xiv, 11. Joannes in Apocalypsi : Pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulfure, et fumus tormentorum ascendet in sæcula sæculorum. O utinam verba ista terrifica anima sapienter saperet, et aure cordis ea perciperet ! Utique nil carnale aut transitorium eam delectaret, sed cum sancto Job diceret : Job xxxi, 23. Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum. Sed quum de impiis dicatur, Ibid. xxiv, 19. Ad nimium calorem transeant ab aquis nivium : cur de solo igne nunc fit mentio ? Dicendum, quod nomine ignis, quælibet gravis afflictio designatur ; vel de igne solum fit mentio, tanquam principali tormento.

13 *Tunc,* videlicet Joanne prædicante ac baptizante, *venit Jesus a Galilæa,* puta a civitate Nazareth, in qua ipse hucusque juvenis habitavit cum Virgine matre, Sponsus cum sponsa, Creator cum creatura, Christus salvator cum Maria præelecta incomparabiliter benedicta : cum qua Deus tanto tempore in terris conversari ac demorari elegit, Prov. viii, 31. quia deliciæ ejus esse cum illa. *In Jordanem,* id est ad loca juxta Jordanis fluenta, *ad Joannem* Baptistam *ut baptizaretur ab eo* in Jordane. Cur Agnus sine macula, cur Deus et homo inter populares advenit, vestimenta deposuit, et ut baptizaretur manibus servi se nudum supposuit ? O stupendum ac metuendum, pariterque amandum spectaculum ! Quid mirum, si expavit Joannes oculis corporalibus hoc cernens, quum et nos sola consideratione intellectualis oculi contremiscamus ? Cur ergo hoc factum sit, statim dicetur.

14 *Joannes autem* ex humilitate *prohibebat eum,* non per modum imperii, quum hoc sit superioris, sed per modum humillimæ abnegationis, sciens se indignum ad baptizandum Filium Dei : quemadmodum etiam Petrus ait ad Jesum, Non lavabis mihi pedes in æternum. Joann. xiii, 8. Considerans namque Joannes suam parvitatem, et Christi majestatem, incredibiliter mirabatur de tanta dignatione et humiliatione Dei incarnati. Prohibebat itaque eum publice coram populo, *dicens : Ego a te debeo,* id est, indigeo, et debito condecentiæ teneor, *baptizari* Baptismo tuo evangelicæ legis sacramento, vel saltem interiori baptismo : quod et factum est, sicut ait Chrysostomus quod Christus postea baptizavit Joannem. Debuit autem Joannes baptizari a Christo, propter venialium remissionem, propter gratiæ incrementum, propter propriæ doctrinæ approbationem, quatenus ipse faceret ad quod alios hortabatur : admonuit enim alios ut Christi Baptismum susciperent. Apostolos quoque baptizatos esse a Christo probabile est. *Et tu venis ad me* servum tuum ? quasi dicat : Hoc omnino mirabile est, mysteriumque ignoro.

Respondens autem Jesus Joanni, *dixit* 15
ei : Sine, id est, ab hac tua prohibitione cessa, et dimitte me baptizari, *modo,* id est nunc quum tempus est humiliationis ; *sic enim,* videlicet, ut ego baptizer a te, tuque baptizes me, *decet nos* ambos, et me specialiter, *implere omnem justitiam,* id est omnem perfectionem, virtutem, et maxime humilitatem. Hæc est præcipua ratio baptizationis Christi, ut omnem impleret justitiam. Sumitur vero justitia hoc loco communiter, prout omnem virtutem includit. Justum itaque fuit Christum baptizari : Primo, quoniam in hoc natus est, et ad hoc venit in mundum, ut humanam operaretur salutem. Quemadmodum ergo occisus est, ut nos a morte eriperet ; sic baptizatus est, ut suo Baptismo animas nostras purgaret, tactuque sui sanctissimi corporis, aquis vim regenerativam præstaret... Tertio, ut baptismum Joannis approbaret. Quarto, ut nobis perfectæ humilitatis formam ostenderet. Quinto, ut primo faceret quod statim edocuit. Docuit enim

Christus alios ut baptizarentur. *Tunc dimisit eum* Joannes, id est, ratione tanti mysterii cognita, dimisit Christum suis se subdere manibus, præparans se ad baptizandum Dominum universorum. A

16 *Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aqua,* id est, Jordanem exivit, stans in ripa vel prope. *Et ecce aperti sunt ei cœli,* non per divisionem cœlestium corporum, quæ incorruptibilia sunt, sed per effectum quemdam cœlestem cœlitus apparentem. Quum enim Pater et Spiritus Sanctus in cœlo habitare et esse dicantur, B tunc cœli asseruntur aperiri, quando per subjectam creaturam apparent hominibus.
Ps. CXLIII, 5. Juxta quem modum orat Psalmista : Domine, inclina cœlos tuos, et descende; Isaias
Is. LXIV, 1. quoque, Utinam (inquit) dirumperes cœlos, et descenderes. Propter quod dicit Hieronymus : Aperti sunt cœli, non reseratione elementorum. Nomine autem elementorum intelligit etiam orbes cœlestes. Et Chrysostomus : Non rupta est creatura cœlestis. Verumtamen advertendum, quod lux quædam copiosa desuper fusa descendit, et circa Christum apparuit, propter C quam videbatur quædam scissio sive apertio esse in cœlo, quemadmodum tempore magnæ fulgurationis. Unde Ezechiel, quum
Ezech. I, 1. visiones Dei describeret, cœlos affirmat
Act. VII, 55. apertos fuisse. Similiter Stephanus de apertione cœlorum loquitur. Sic ergo aperti sunt ei, videlicet Christo, id est ad manifestandam gloriam ejus, cœli omnes. *Et vidit* visione corporali ipse Christus, sive Joannes : uterque enim eorum vidit quod subditur : *Spiritum Dei,* id est Spiritum D Sanctum, *descendentem sicut columbam,* id est in forma columbæ, *et venientem super se,* id est, sedentem super caput Christi, ut
Ibid. II, 3. supra Apostolos sedit in igneis linguis. Un-
Joann I, 32. de Joannes Baptista ait : Vidi Spiritum descendentem de cœlo quasi columbam, et mansit super eum. Hanc columbam angelus ex materia elementari formavit, ut dicitur, eamque movit; sed ipsa Spiritum Sanctum repræsentavit : quæ ministerio suo peracto, in præjacentem est reversa materiam.

Et ecce vox de cœlis intonuit, *dicens.* 17
Vox ista ab angelo formata est in persona Dei Patris, qui dicitur apparuisse in voce, non quia visus, sed quia auditus. *Hic est Filius meus* naturalis, coæternus et unicus, non adoptivus, *dilectus :* quem secundum quod Deus est, tantum diligo, sicut me ipsum, videlicet superæstuanti, dulcissimo, penitusque infinito amore; secundum vero humanitatem ejus assumptam, Verbo unitam, diligo eum amplius quam totum universum, quoniam majus bonum contuli ei soli, quam omnibus aliis simul, videlicet personalem unionem cum Verbo, et gratiam sine mensura. *In quo mihi complacui,* id est, de ipso et ejus perfectione in me ipso complacentiam delectationemque habeo, tanquam qui talem filium genui, tam speciosum, sanctum, et mihi omnino simillimum. Si enim lætatur Deus in *Ps.* CIII, 31.
operibus suis, et si beneplacitum est Do- *Ps.* CXLIX, 4.
mino in populo suo, quanto magis in Filio suo unigenito delectatur et complacet, in quo nil dissimilitudinis, nil contrarietatis, nil mali invenitur? Denique secundum divinitatem Christi, complacet sibi Pater in Christo, complacentia infinita; secundum humanitatem vero assumptam, habet in eo complacentiam singularem, tanquam in filio obedientissimo. Unde et ita potest exponi : In quo mihi complacui, id est, in quo voluntas mea implebitur, quantum ad reparationem generis humani. Propter quod Christus testatur : Quæ placita sunt *Joann.* VIII, 29.
ei, facio semper.

Circa præhabita quæritur, an baptizati baptismo Joannis erant rebaptizandi Baptismate Christi. De hoc duplex fuit opinio : una dicentium, quod quia baptismus Joannis præparatorius fuit ad Christum, idcirco si baptismum illum suscipiens retulit eum ad Christum, constituendo spem suam in gratia ejus, non indiguit denuo baptizari. Hæc est opinio Magistri (libro quarto). Thomas vero et alii multi dicunt, quod quia sacramenta novæ legis gratiam conferunt ex opere operato, idcirco, quando Baptismus Christi fuit de necessitate salutis,

non suffecit baptismus Joannis cum relatione prædicta, sed baptizati baptismo Joannis, baptizandi erant Baptismate Christi, *Act.* xix, 5. sicut et Paulus in Actibus Apostolorum fecisse narratur. Et ista opinio roboratur verbis Augustini, qui dicit super Joannem : Baptizavit Joannes, et baptizatum non est; baptizavit Judas, et baptizatum est.

Insuper quæritur, cur Spiritus Sanctus in forma columbæ apparuit in baptismo. Dicendum, quod per columbam innocentia, puritas, atque simplicitas designantur : quæ omnia ad bonitatem pertinent, quæ Spiritui Sancto appropriatur. Convenienter ergo in specie columbæ ostensus est. Secundo, ad designandum quod in Christo vera innocentia, summa puritas, et circumspecta simplicitas fuit. Tertio, ad denotandum quod per Baptismum homo ad originalem innocentiam, puritatem ac simplicitatem revertitur, dum ab omni labe peccati mundatur, et omni virtute infusa subito decoratur.

Quæritur, cur Spiritus Sanctus descendit super Christum baptizatum. Respondendum, quod primo, quatenus Joannes plenius instrueretur de Christo et efficacia *Joann.* i, 33. sui Baptismatis. Propter quod ait : Ego nesciebam eum; sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto. Secundo, ut Joannes dignitatem et gloriam Christi populo nuntiaret : sicut et fecit, juxta illud : *Ibid.* 32. Testimonium perhibuit Joannes, dicens : A Quia vidi Spiritum descendentem, et mansit super eum. Rursusque : Ego (inquit) *Joann.* i, 34. vidi, et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei. Tertio, ad demonstrandum plenitudinem gratiæ Christi, cujus gratia in baptismo aucta non est. Quarto, propter mysterium, scilicet ad insinuandum quod baptizatis Christi Baptismo Spiritus Sanctus infunditur, regnumque cœleste aperitur : ideo enim et cœli aperti sunt. Tunc quoque Trinitas superbenedicta monstrata est, in cujus nomine Christi Baptismus B confertur : quæ usque ad illud tempus, nulli præcedentium Patriarcharum aut Prophetarum ita aperte atque distincte revelata est sicut Joanni, in quo ejus excellentia declaratur. Tunc enim Pater apparuit in voce, quæ formata fuit in aere, ad insinuandum quod dicendo, genuit unicum Filium suum, qui est verbum ore Patris æternaliter intellectualiterque prolatum, juxta illud Ecclesiastici : Ego ex ore Altis- *Eccli.* xxiv, 5. simi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. Filius vero apparuit in humanita- C te assumpta; Spiritus Sanctus in columba, non utique sicut assumpta, sed velut in signo repræsentativo. — Postremo quæritur, an solus Joannes viderit columbam super Christum descendentem, an etiam ipse audierit solus vocem Patris, præsupposito quod Christus vidit et audivit illam et istam. De hoc nil legi; sed apparet quod sic : aliter non indiguisset [Joannes] testari populo, quemadmodum viderit Spiritum Sanctum in Christum descendere.

ARTICULUS VII

ELUCIDATIO CAPITULI QUARTI : TUNC DUCTUS EST JESUS IN DESERTUM A SPIRITU.

OSTENSA vera divinitate humanitateque Christi, consequenter tendit Evangelista ad describendam conversationem ipsius, cujus tota actio nostra instructio D
est. *Tunc,* videlicet mox ut baptizatus est, 1
ductus est rationabili suggestione atque interna inspiratione, *Jesus in desertum a Spiritu* Sancto, qui animam Christi indu-

xit ad hoc ut ingrederetur desertum, propter rationabiles causas. Christus quippe ut homo, plenissimus fuit septem donis Spiritus Sancti, quemadmodum in Isaia
Is. xi, 2, 3. legitur : Requiescet super eum Spiritus Domini, etc. Sicut autem virtutes morales efficiunt hominem prompte mobilem a ratione, ut ejus sequatur judicium, sic dona Spiritus Sancti reddunt eum faciliter mobilem a Spiritu Sancto. Idcirco Christus homo a Spiritu Sancto directus, ductus et motus est, ut introiret desertum. Unde
Luc. iv, 1. Lucas dicit, quod agebatur a Spiritu in
Rom. viii, 14. desertum. Qui autem Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei. Quod enim hoc loco per spiritum designetur Spiritus Sanctus, patet ex duobus : Primo, quoniam in Luca
Luc. iv, 1. [ubi] dictum est, Jesus plenus Spiritu Sancto regressus est a Jordane ; mox subdi-
Ibidem. tur, Et agebatur a Spiritu in desertum. Secundo, quia hoc loco, quum dictum est, Ductus est in desertum a Spiritu, subjungitur, Ut tentaretur a diabolo : per quod notatur distinctio inter Spiritum et diabolum. Potest quoque per spiritum quo ductus est Jesus, intelligi spiritus ejus rationalis creatus, videlicet anima (de quo
Matth. xxvi, 41. ait : Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma), ad denotandum quod propria atque spontanea voluntate, et ex rationis judicio, non coacte, desertum ingressus sit. Dicunt aliqui, quod desertum de quo jam sermo, sit illud quod est inter Jerusalem et Jericho.

Oportet advertere, quod multiplex est spiritus, scilicet increatus, qui est incircumscriptus, videlicet Deus, et creatus ac circumscriptus. Spiritus quoque creatus, alius est rationalis, alius irrationalis : de
Eccle. iii, 21. quo Salomon, Quis scit, si spiritus filiorum hominum ascendat, et spiritus jumentorum descendat? Spiritus autem rationalis creatus, alius est conjunctus, ut anima rationalis, alius separatus. Et iste est duplex : alter enim est ad Deum inavertibiliter conversus, ut angelus ; alius a Deo inconvertibiliter aversus, ut dæmon.

Denique ratio subditur, cur in desertum
A ductus est Jesus : *Ut tentaretur a diabolo.* Ista est una causa, non tamen tota, nec sola, neque præcipua. Poterat namque et extra illud tentari, sicut et in pinnaculo *vers.* 5.
templi tentatus est. Sunt ergo et aliæ causæ potiores. Prima, ut solitariam vitam commendaret, atque eremiticæ ac anachoreticæ conversationis exemplum præberet. Secunda, ut pro nostris peccatis in eremo pœnitentiam, id est opera satisfactoria, ageret. Tertia, ut formam vitandi laudem hominum demonstraret. Mox enim ut a
B Joanne tam magnifice commendatus est populo, secessit in eremum. Et nos ergo laudati, quæramus abscondi, amantes nesciri. Voluit quoque Christus tentari, ut nos ad tentationes perferendas animaret, ut gratiam triumphandi nobis mereretur, ut formam vincendi ostenderet, ut tentatoris virtutem debilitaret, nosque a tentationibus liberaret. Aliam rationem tangit Apostolus ad Hebræos : Debuit, inquit, per *Hebr.* ii, 17, 18.
omnia fratribus similari, ut misericors fieret, et fidelis pontifex ad Deum : in quo
C enim passus est ipse et tentatus, potens est et eis qui tentantur auxiliari.

Et quum jejunasset quadraginta diebus 2
artificialibus, *et quadraginta noctibus :* non utique eo modo sicut nos jejunamus, qui quotidie semel reficimur, et tamen jejunare censemur ; sed tanto tempore nullum corporeum cibum sumpsit, nec potum. Unde in Luca habetur : Nihil man- *Luc.* iv, 2.
ducavit in illis diebus. *Postea esuriit,* non necessitate naturæ, sed divina dispensatione ac propria voluntate. Quamvis enim
D omnino supernaturale sit hominem tot diebus nil edere, sicut in Moyse et Elia, ta- *Exod.* xxxiv, 28 ; *Deut.* ix, 9, 18 ; III *Reg.* xix, 8.
men in Christo mirabilius fuit quod postea esuriit, quam quod interim nihil comedit : quia ut ait Augustinus in epistola ad Dioscorum, Tanta exstitit beatitudo animæ Christi, quod ex redundantia ejus poterat corpus Christi ab omni passione et læsione præservari, et præservatum fuisset nisi Deo dispensante redundantia illa fuisset suspensa usque ad resurrectionem. Non ergo indiguit cibo, nisi ex voluntate qua

voluit redundantiam beatitudinis animæ A suæ in corpus suspendi. Esuriit quoque, ut sua fame mereretur nobis gratiam magnam, et animæ saturitatem. Quidquid enim fecit aut pertulit ut viator, nobis meritorium fuit. Item, ut assumptæ humanitatis veritatem ostenderet; rursus, ut dæmoni daret occasionem tentandi. In veteri Testamento leguntur Moyses et Elias tot jejunasse diebus : de quorum esurie nihil subjungitur. Certum est tamen, quod postea esurierunt.

Quæritur, quare Salvator non jejunavit B diutius quam Moyses et Elias. Dicendum, ne ejus divinitas pateret diabolo. Et etiam propter mysticam rationem, eo quod quadragenarius numerus conveniat pœnitentiæ : constat namque ex denario quater ducto, sicque significat castigationem hominis ex quatuor elementis compositi, cum observatione Decalogi secundum quatuor Evangeliorum doctrinam. Et iterum, quoniam tot diebus jejunando, offerimus Deo decimas anni sive dierum, cui et aliarum rerum decimas offerre jubemur, secun- C dum Gregorium.

3 *Et accedens tentator, dixit ei.* Iste tentator et dæmon fertur fuisse Lucifer : quod Magister Sententiarum sentire videtur. Hilarius quoque testatur, quod fuerit dæmonum princeps. Accessit autem ad Christum in forma visibili et humana, et forte in forma hominis religiosi, ut simulata sanctitate circumdatus, citius falleret. Porro tentare proprie sumptum, est experientiam explorare de re ignorata, vel dubia. Dæmon ergo dubitavit de Jesu Nazareno, D an esset Christus, idcirco optavit certificari de hoc : habuit namque pro utraque parte rationes sibi quodammodo insolubiles. Dicit autem Chrysostomus, quod au-
Luc. II, 14. divit angelos, Gloria in excelsis Deo cantantes; angelum quoque evangelizantem
Ibid. 11. pastoribus, Quia natus est vobis hodie Salvator. Vidit et Magos venientes, et puerum adorantes; verba etiam Simeonis et Annæ audivit, testimoniumque Joannis. Ex quibus conjiciebat Jesum esse Christum : præsertim quia ex vaticinio Danielis de *Dan.* IX, 24-27. numero hebdomadarum, cognovit tempus adventus Christi impletum. Ex prophetiis insuper Isaiæ et Jeremiæ : quorum unus ait, Vocabitur nomen ejus, Admirabilis, *Is.* IX, 6. Consiliarius, Deus, Fortis, etc.; alius vero, Hoc est nomen quod vocabunt eum, Domi- *Jer.* XXXIII, 16. nus justus noster (loco cujus in Hebræo habetur nomen Domini τετραγράμματον, quod soli vero convenit Deo) : ex his, inquam, et aliis Prophetarum scripturis, sciebat quod Christus esset Deus et homo in una hypostasi seu persona. Ex quibus omnibus simul pensatis, vehementer opinatus est, quod Jesus esset Christus mundi Salvator. Sed ex alia parte, videns eum inter populares baptizatum, et fame confectum, dubitavit quomodo talis posset esse Deus et homo, seu Christus. Hinc ergo dixit ad eum :

Si Filius Dei unigenitus, de quo locuti sunt Prophetæ, *es, dic,* id est, propria auctoritate jube, et dicendo effice, *ut lapides isti,* qui coram te jacent, *panes fiant.* Cogitavit autem diabolus versipellis : Si sine meo subsidio poterit propria potestate subito rerum naturas mutare, sciam quod sit universorum Creator, de quo legitur, Ipse dixit, et facta sunt; si autem non *Ps.* XXXII, 9; CXLVIII, 5. poterit, scio quod homo purus consistat. Tentavit autem de lapidum mutatione in panes, eo quod esset fame laborans, et per consequens magis inclinatus ad tale miraculum. Sed non est sapientia, nec est *Prov.* XXI, 30. scientia, neque consilium contra Dominum. Sapientia enim in omnibus sapienter agit.

Quid ergo respondit Fons sapientiæ, Ver- *Eccli.* I, 5. bum Dei in excelsis, sequitur : *Qui res-* 4
pondens, dixit ei : Scriptum est : Non in *Deut.* VIII, 3. *solo pane,* id est corporeo cibo, *vivit homo,* secundum utramque partem suam, videlicet corpus et animam, *sed in omni verbo* sacræ Scripturæ, *quod procedit de ore Dei,* id est, ab intellectu divino inspiratur, et per os angelorum revelatur hominibus sanctis. Quemadmodum enim corpus sustentatur et conservatur in vita

naturæ per panem materialem, sic anima A
conservatur ac roboratur in vita gratiæ
per verbum Dei seu sacram Scripturam,
Joann. v, 24. quemadmodum ait Salvator : Qui audit
verbum meum, et credit ei qui misit me,
Luc. xi, 28. habet vitam æternam ; et alibi, Beati qui
audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.
Itaque verbum Dei intellectum illuminat,
ad fidem inducit, opera dirigit, errores ex-
Ps. cxviii, 105. cludit : propter quod ait Psalmista, Lucer-
na pedibus meis verbum tuum, et lumen
semitis meis. Spem roborat, juxta illud :
Ibid. 49. Memor esto verbi tui servo tuo, in quo B
mihi spem dedisti. Caritatem accendit, jux-
Ibid. 140. ta illud : Ignitum eloquium tuum vehe-
menter. Animam consolatur, a voluptate
avertit, timorem inducit : et breviter, sic-
II Tim. iii, 16, 17. ut ait Apostolus, Omnis Scriptura divinitus
inspirata, utilis est ad docendum, ad ar-
guendum, ad erudiendum in justitia, ut
perfectus sit homo ad omne opus bonum.
Quemadmodum ergo merito desperatur vi-
ta naturalis ejus qui corporalem cibum
non sumit, vel sumptum non retinet ; sic
rationabiliter desperatur spiritualis vita il- C
lius qui verbum Dei non audit atque cu-
Joann. viii, 47. stodit. Qui enim ex Deo est, verba Dei
audit. Ait autem Ambrosius : Quum dia-
bolus sic exploret ut tentet, et sic tentet
ut exploret ; Christus eum sic fallit ut
vincat, et sic vincit ut fallat.

Advertendum autem tres esse species
tentationis, ad quas aliæ reducuntur, vide-
licet gulæ, avaritiæ et superbiæ, prout Jo-
I Joann. ii, 16. annes asserit : Omne quod est in mundo,
aut est concupiscentia carnis, aut concu-
piscentia oculorum, aut superbia vitæ. Ista D
sunt arma diaboli contra famulos Dei. Quo-
niam ergo in prima tentatione, quæ fuit
de gula, superatum se conspicit, aggre-
ditur Christum per aliam tentationem, quæ
est de superbia, vanaque gloria. Noverat
quippe hostis versutus, viros perfectos,
qui gulam facile vincunt, sæpe tangi motu
superbiæ.

5 *Tunc assumpsit eum diabolus.* Quomodo
autem eum assumpserit, Scriptura non
exprimit. Quidam vero affirmant, quod
portavit eum in brachiis, vel humeris suis,
tanquam fatigatum et debilem ex longo
jejunio, et magnitudine famis, quasi com-
patiens ei : cui et Christus acquievit, ut
falleret deceptorem. Aliqui dicunt, quod
portavit eum volando per aerem : unde
Lyra dicit, quod intentio dæmonis Chri-
stum portantis erat, ut Christus a populo
volare videretur, atque ex hoc inaniter
gloriaretur. Alii dicunt, quod duxit eum
quasi manu ad manum per terram : quod
magis consonare videtur ei quod in Luca
habetur, Tunc duxit eum diabolus in Je- Luc. iv, 9.
rusalem. Aliquo ergo horum modorum as-
sumpsit eum diabolus, non violenter, sed
quasi ex prævia admonitione, ut iret ad
homines causa vescendi, seu prædicandi,
vel ob aliquid tale quod bonum videbatur.
In sanctam civitatem, id est Jerusalem, in
qua Sanctus Sanctorum sanguinem fudit,
et primitiva Ecclesia Spiritum Sanctum
recepit, atque evangelicam legem prædi-
care exorsa est. *Et statuit,* id est posuit,
eum supra pinnaculum templi, id est de-
ambulatorium seu tectum, quod fuerat pla-
num, ubi sacerdotes sedebant quum populo
prædicabant. Posuit autem eum illic præ-
sente populo, ut Christus alliceretur ad
laudem humanam, putans Christum videri
ab omnibus. Sed ipse se invisibilem red-
didit : in tantum enim fuit corpus ejus
subjectum rationi ac Deo, quod ad impe-
rium Dei ac propriæ rationis immutavit
vel non immutavit visum aliorum, sicut
et corpora glorificata.

Et dixit ei : Si Filius Dei, Patri æqua- 6
lis, *es, mitte te deorsum* in conspectu ad-
stantium, ut videntes te sine casu volare,
vel sine læsione cadere, mirentur et lau-
dent te. Et ne timeas de periculo, *scriptum*
est enim in Psalmo : *Quoniam angelis suis* Ps. xc, 11, 12.
mandavit, id est, præcepit Deus Pater, *de*
te, id quod in psalmo illo subjungitur : Ut
custodiant te in omnibus viis tuis ; non
autem in vanis præcipitiis : ideo dæmon
subticuit hoc, ne sua fraudulentia notare-
tur a Jesu, quem scivit esse astutum ac
providum. *Et in manibus,* id est sua vir-

tute et operatione, *tollent,* id est porta-
bunt *te,* quum fuerit opportunum, *ne forte*
offendas ad lapidem pedem tuum, id est,
ne aliquid tibi in via obsistat aut lædat.
Secundum Hieronymum, Bedam, et alios,
psalmus iste non est ad litteram scriptus
de Christo, sed de quocumque homine vir-
tuoso et viatore, angelorum custodia indi-
gente, qua Christus non eguit. In quo patet
dolus diaboli, Scripturam mendaciter, et
tamen verisimiliter seu multum apparen-
ter applicantis.
7 *Ait illi Jesus rursum : Scriptum est,*
Deut. VI, 16. *Non tentabis Dominum Deum tuum,* id
est, o homo, quicumque sis ille, non præ-
sumas Deum tentare. Non autem dixit Chri-
stus hæc verba, vocando se Deum diaboli,
cujus utique Deus fuit ; sed ut per veram
allegationem Scripturæ impio prævaleret,
ita quod nec ejus divinitas dæmoni patuit,
nec aliquid certum de ejus conditione at-
que persona cognovit, an scilicet esset
purus homo. Porro Deum tentare, est sine
necessitate de ejus providentia vel pote-
state experimentum accipere, omittendo
videlicet quod in se est et secundum hu-
manum modum sibi incumbit, atque divi-
næ potentiæ se indiscrete committendo : ut
si quis fame laborans, possit mendicando
panem acquirere, sed hoc omittens, com-
mittit se divinæ providentiæ, non intel-
ligens quod hoc ex divina providentia
omnia complectente sit, quod possit men-
dicando acquirere panem. Quoniam ergo a
pinnaculo templi ad pavimentum paratus
fuit descensus per gradus, si Christus se
præcipitasset, Deum videretur tentasse.

Consequenter describitur tentatio tertia,
quæ fuit de ambitione et avaritia, utpote
8 de concupiscentia oculorum. *Iterum as-*
sumpsit eum diabolus, forte eo modo ut
ante, *in montem excelsum valde,* ut lo-
cus esset occasio consentiendi tentationi,
sciens ex mutatione locorum frequenter
mutari affectum ; *et ostendit ei omnia re-*
gna mundi principalia. Ostendit autem ei
non ignoranti. Sed quomodo potuit ei om-
nia regna, id est urbes, terras, provincias

A mundi, demonstrare, quum certum sit nul-
lum montem esse tam altum, ut ab eo om-
nes provinciæ possint videri? Et licet satis
altus consisteret, tamen propter localem
distantiam, visum constituti in monte im-
mutare nequaquam valerent. Responden-
dum, quod ostendit ei omnia regna mundi,
non quia objecit ea oculis intuenda deter-
minate et corporaliter, sed proxima regna
ostendit ad oculum, quantum fieri potuit,
versus quatuor plagas mundi ; cetera vero
dixit in tali, vel tali parte terræ situata :
B velut si aliquis exsistens in turri cum
alio, dicat, Ecce ibi est Roma, ibi Leodi-
um, ibi Colonia. *Et gloriam eorum,* id
est, pompas, delicias atque divitias regno-
rum terrenorum exposuit Christo. *Et dixit* 9
ei : Hæc omnia tibi dabo, si cadens, genua
flectendo, vel in terram te prosternendo,
adoraveris me adoratione latriæ. Hæc est
antiqua et solita dæmonis pompa, ut Deo
assimilari et a concreaturis adorari desi-
deret.

Tunc dixit ei Jesus : Vade, id est, recede 10
C a me, *Satana,* id est, adversarie veritatis.
Vade, inquam, in ignem æternum, secun-
dum Hieronymum. Verumtamen tempore
passionis creditur redisse, et Christum per
Judæos tentasse. *Scriptum est enim : Do-* *Deut.* VI, 13.
minum Deum tuum adorabis adoratione
interiori et exteriori, *et illi soli servies*
propter se atque finaliter. Vel loquitur de
servitute latriæ, quæ Deo dumtaxat debe-
tur. Soli ergo Deo serviendum est propter
se : quia etsi aliis non solum superioribus,
sed etiam æqualibus ac inferioribus ser-
D viendum sit, pro loco, causa et tempore
(juxta illud Apostoli : Per caritatem ser- *Galat.* V, 13.
vite in invicem ; et Salvator in Evangelio,
Qui major, inquit, est vestrum, sit vester *Matth.* XX, 26 ; *Luc.* XXII, 26.
minister), omnis tamen servitus ista ad Dei
honorem referenda est, et propter ejus or-
dinationem ac voluntatem impendenda ;
neque alicui serviendum vel obediendum
est in his quæ divinitus prohibentur, quem-
admodum Petrus testatur : Quia obedire *Act.* V, 29.
oportet Deo magis quam hominibus. Quum
igitur homini ministramus, non tam homi-

ni quam Deo in homine ministremus, præsertim quum dicat Salvator : Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. (*Matth.* xxv, 40.) Servitus autem duliæ, hominibus potest et debet impendi. Quum enim Deus sit summus in se, et maximus benefactor noster, atque altissimus princeps universorum, propria potestate potens salvare quoscumque voluerit ; constat quod summa et singularis ei reverentia debeatur, videlicet cultus latriæ.

Considerandum in Christi responsionibus, quomodo falsas de Scripturis a diabolo sumptas sagittas, veris Scripturarum clypeis rejiciat atque confringat.

11 *Tunc reliquit eum* in monte isto sublimi, *diabolus,* confusus et victus recedens, nec aliquid certum de Christi persona cognoscens. *Et ecce angeli accesserunt* motu repentino ad Jesum in monte, *et ministrabant ei,* non quasi inferiori aut indigenti, sed ut Domino, cum humilitate et reverentia, deponendo eum de cacumine montis ad terræ planitiem. Quia enim humanam assumpsit naturam, humano modo se habuit, conformando se fratribus, atque angelico famulatu utendo. (*Hebr.* ii, 17.) Nec solum hac vice, sed etiam prius angeli ministrabant ei in eremo, juxta illud : Spiritus expulit eum in desertum ; eratque cum bestiis, et angeli ministrabant ei. (*Marc.* i, 12, 13.) In quibus omnibus divinæ naturæ sublimitas, et item humanæ naturæ declivitas manifestantur in Christo.

Circa præinducta primo inquiritur, cur Lucas tentationem factam super pinnaculum templi ponit tertiam, quam Matthæus ponit secundam. (*Luc.* iv, 3-9.) Ad hoc quidam dixerunt, Lucam describere tentationes has Christi secundum ordinem factas, ita quod Christus secundo tentatus est in monte excelso, quem dicunt fuisse in eodem deserto in quo facta est prima tentatio : sicque in montem, quasi in locum propinquiorem, duxit eum diabolus statim post primam tentationem. Matthæum vero dicunt descripsisse tentationes Christi, non secundum ordinem rei gestæ, sed juxta quamdam cor-

A respondentiam ad tentationem primorum parentum, qui primo tentati fuerunt de gula, secundo de superbia, tertio de avaritia. (*Gen.* iii, 1-6.) Hæc autem responsio non videtur conveniens. Evangelista namque Matthæus apertissime docet, quod diabolus Christum reliquerit quasi confusus et victus, audita responsione Christi qua dæmonem de avaritia tentantem, et idololatriam quodammodo suggerentem, dire objurgans dicebat : Vade, Satana. Ergo tentatio ista ultimo facta est. Denique Lucas descripta tenta-

B tione in pinnaculo facta, quam tertiam ponit, non dicit, quod tunc reliquit eum diabolus ; sed, Omni (inquit) consummata tentatione, recessit ab eo usque ad tempus. (*Luc.* iv, 13.) Non ergo recessit ante eam quæ in monte completa est, post quam dicit eum recessisse Matthæus. Hæc ergo ultima fuit. Hoc quoque patet per hoc quod tentatio dæmonis gradatim processit ad deteriora : tertia autem, in qua se adorari suggessit, pessima fuit. Verumtamen Augustinus asserit nos ignorare, quæ duarum ultima-

C rum tentationum præcesserit ; et dicit non referre quæ ante aliam recitetur, quia Scriptura non semper recitat gesta ordine illo quo facta sunt.

Insuper quæritur, an tentator duxit Christum invitum, vel quasi spontaneum, hoc est, an putavit quod Christus secum tendebat libenter, vel magis coacte. Respondendum secundum Hieronymum et Chrysostomum, quod dæmon voluntatem Christi putavit infirmitatem ac necessitatem, putans se eum compellere ad proficiscendum

D secum. Alii vero satis probabiliter dicunt, quod dæmon in specie viri religiosi apparens, et Christum decipere cupiens, blandiebatur ei, et suam malitiam occultabat, ne sciretur esse diabolus : sicque Christum quasi spontaneum secum assumpsit. Ex quo sequi videtur, quod non volavit secum per aera. Sic enim patuisset eum non hominem esse. Nihilo minus in tertia tentatione, in qua manifestum crimen suasit, ostendit se non esse talem qualis apparuit. Cernens quippe se per simulationem

sanctitatis et allegationem Scripturarum nihil proficere, manifestam iniquitatem proposuit, ad quam ut induceret, magnum obtulit præmium, utpote omnia regna mundi. Quæ quia diabolus dicit se posse dare, Manichæi opinabantur omnia ista terrena a diabolo esse creata, ejusque imperio ad nutum subjecta. Sed hoc dictum stultum ac debile est. *Joann.* VIII, 44. Quum enim diabolus sit mendax et arrogans, non vere, sed præsumptuose asseruit se regna omnia posse dare alicui : nisi intelligatur quod permissione divina frequenter diabolus cooperatur aliquibus ad obtinenda dominia mundi. Quod vero non sit sic intelligendum, quasi propria potestate et jure creationis valeat ea dare alicui, evidentissime constat per illud quod apud Lucam *Luc.* IV, 6. habetur, dicente ad Christum diabolo : Tibi dabo potestatem hanc universam et gloriam illorum, quoniam mihi tradita sunt.

Postremo, per hoc quod Christus duas primas tentationes ad suam injuriam pertinentes, cum mansuetudine pertulit, solum ad verba Satanæ congruenter respondens ; tertiam vero tentationem cum exprobratione quasi exasperatus rejecit, dicens tentanti, Vade, Satana : per hoc, inquam, secundum Chrysostomum, edocemur, nostras injurias magnanimiter sustinere, Dei autem injurias et contemptum, nec usque ad auditum sufferre : quoniam in propriis injuriis patientem esse laudabile est, injurias autem Dei dissimulare nimis est impium. — Insuper, per hoc quod Christum post Baptismum atque jejunium tentator aggressus est, insinuatur tunc quemlibet nostrum fortius a diabolo impugnari, vel etiam a proximis infestari, quum vehementiori affectu applicamus cor nostrum puritati internæ ac veræ devotioni. Tunc enim fremit et furit impiissimus hostis, incitatque frequenter proximos nostros adversum nos. Nos vero invictissimo animo insistamus custodiæ cordis, tanto ardentius quanto sentimus nos durius impeti ac tentari, dicentes cum Propheta : Persequar inimicos meos, et *Ps.* XVII, 38. comprehendam illos ; et non convertar donec deficiant. Et ita vere in nobis implebitur quod dicit Apostolus : Deus con- *Rom.* XVI, 20. teret Satanam sub pedibus vestris velociter. — Rursus, per hoc quod Christus dejecit diabolum allegando Scripturas, instruimur tentationibus obviandum esse Scripturis divinis, unicuique tentationi objiciendo Scripturam contra tale vel tale peccatum de quo tentamur : ut si de elatione tentemur, cogitemus quod scriptum est, Odibilis coram Deo et hominibus est *Eccli.* X, 7. superbia ; et illud, Deus superbis resistit, *Jacob.* IV, 6. humilibus autem dat gratiam. Si de invidia, cogitemus illud B. Joannis : Omnis *I Joann.* III, 15. qui odit fratrem suum, homicida est.

Porro modus qui dictus est, quomodo scilicet diabolus ostendit Christo omnia regna mundi, videtur quibusdam superficialis. Unde quasi subtilius loqui volentes, dicunt, quod quum intelligentia sit plena formis, diabolus, qui omnium regnorum species in se continebat, potuit eas præsentare intellectui animæ Christi, et ita omnia regna sibi ostendere ; vel etiam depingendo ea in terra, sicut fit in mappa mundi ; vel exponendo ei dispositionem regnorum. Quamvis autem hujusmodi ostensiones fieri potuissent, tamen propter eas dæmon non indiguisset Christum in montem altum assumere, quia tam convenienter fieri possunt in valle sicut in monte. Ideo præinductus modus, qui etiam concordat Chrysostomo, rationabilior æstimatur.

ARTICULUS VIII

PROSECUTIO EXPOSITIONIS HUJUS CAPITULI QUARTI, AB EO LOCO QUO DICITUR : QUUM AUTEM AUDISSET JESUS.

RECITATA Domini Salvatoris tentatione, prosequitur Evangelista ordinem et processum conversationis, instructionis et miraculorum ipsius. Porro, ut Beda testatur in prologo suo super Joannem, Matthæus, Lucas, Marcus referunt Christum post incarcerationem Joannis Baptistæ cœpisse miracula facere, id est, ea omittunt quæ ante incarcerationem hanc fiebant a Christo, videlicet mutationem aquæ in vinum, sanationem filii reguli, et cetera quæ
Joann. II-IV. Joannes in suis capitulis describit. Cœpit ergo Jesus prædicare, discipulos congregare, per Apostolos baptizare, et signa facere, ante incarcerationem Joannis; idcirco evangelista Joannes, qui ultimus evangelium scripsit, et aliorum trium evangelium legit, supplevit quod illi omiserunt. Verumtamen Christus non prædicavit tam aperte, nec miracula fecit tam copiose ante incarcerationem Joannis, ut postea. Propterea tres Evangelistæ satis putaverunt, si facta et documenta Christi post incarcerationem Joannis exhibita prosequerentur, quamvis unusquisque eorum multa omiserit : nam omnes tres suscitationem Lazari omiserunt. Unde non mirum, si multa quoque omiserunt minora.

Exordium itaque sumens Matthæus ab operibus Christi quæ post Joannis incarce-
12 rationem contigerunt, subjecit : *Quum autem audisset Jesus* a discipulis Joannis vel propriis (quod tamen certissime præcognovit), videlicet *quod Joannes* Baptista
Matth. XIV, 3, 4. *traditus esset,* a Deo permissive, in manum Herodis Antipæ, et ab Herode in manum servorum suorum, ut Joannem incarcerarent, eo quod illicitas nuptias Herodis ac Herodiadis increpasset; *secessit in Ga-*

A *lilæam,* id est, a loco quo captus est Joannes se elongavit, cedens furori Herodis, ne occideretur ab eo, secundum Chrysostomum : non quod timuit mortem, sed ut opportuniore tempore pateretur, et item ut fugiendi daret exemplum quando non
prodest comparere. *Et relicta civitate Na-* 13
zareth, in qua fuit conceptus et nutritus, *venit et habitavit in* civitate dicta *Capharnaum maritima,* id est supra mare Genesareth sita, in cujus littore sitæ erant Capharnaum, Tiberias, Bethsaida, Corozа-
B in, civitates pertinentes ad fines Zabulon ac Nephthali : ideo subditur, *in finibus,* id est sorte seu terminis, *Zabulon ac Nephthali,* scilicet duarum tribuum, ad quarum unam pertinebat Capharnaum. Unde Christus habitando in Capharnaum, habitavit in finibus Zabulon et Nephthali, id est inter fines et urbes Judæorum descendentium de tribu ac semine Zabulon et Nephthali.
Ut adimpleretur quod dictum est a Spi- 14
ritu Sancto *per Isaiam prophetam : Terra* 15
Zabulon, et terra Nephthali, quæ est *via*
C *maris,* id est, in qua est via communis, qua deferuntur merces a Jordane ad mare Mediterraneum, *trans Jordanem,* id est, per quam viam itur trans Jordanem, tendendo in ea usque Jordanem, *Galilææ gentium,* id est, juxta quam est Galilæa gentium, id est provincia illa quam in libris
Regum legitur Salomon dedisse Hiram re- III *Reg.* IX,
gi Tyri, cui dedit viginti oppida in Gali- 11.
læa. Et quoniam Hiram fuit gentilis, illa pars Galilææ vocata est Galilæa gentium,
quam ipse Hiram appellavit terram Cha- *Ibid.* 13.
D bul. Vel sic : Via maris trans Jordanem, id est via qua itur a mari prædicto ad Jordanem Galilææ gentium. Hæc igitur terra di-

citur via, quoniam via publica erat in ea. A
Quid autem per terram Zabulon et terram
Nephthali principaliter intelligatur, sub-
16 jungit : *Populus qui ambulabat in tene-
bris, id est habitatores harum terrarum,
qui conversabantur in tenebris ignorantiæ,
perfidiæ, et peccati, *vidit lucem magnam,*
Joann. VIII, 12. videlicet Christum, qui ait : Ego sum lux
mundi.

Allegatio Evangelistæ decurtata est, et
dum brevitati studuit, obscuritatem indu-
xit. Ad pleniorem ergo intelligentiam ha-
bendam, sciendum quod in Isaia sic dici- B
Is. IX, 1, 2. tur : Primo tempore alleviata est terra
Zabulon et terra Nephthali, et novissimo
aggravata est via maris trans Jordanem
Galilææ gentium; populus qui ambulabat,
etc., sicut nunc allegatur. Est itaque sen-
sus : *Primo tempore,* id est in principio
evangelicæ prædicationis factæ ab ipso
Christo, *alleviata est terra Zabulon et ter-*
ra Nephthali, id est habitatores terrarum
istarum, videlicet nati de Zabulon et Neph-
thali, qui pro majori parte translati et ca-
pti fuerunt diu ante Christi adventum : C
aliqui tamen remanserunt, de quibus nunc
agitur. Hi ergo alleviati sunt, et animo re-
levati a jugo diaboli et servitute peccati.
In his etenim locis cœpit Jesus prædicare
Joann. II, 1-11. et signa facere, crediderunt que multi in
eum. *Et novissimo,* id est circa finem præ-
dicationis Christi, *aggravata est via ma-*
ris : id est, populus iste in his terris ha-
bitans oneratus est vitiis, induratusque
II *Petr.* II, 22. corde, revertens ad vomitum, et fidem
doctrinamque Christi abjiciens. Unde infra
Salvator exprobrat civitatibus istis, dicens: D
Matth. XI, 21. Væ tibi, Bethsaida; væ tibi, Corozain, etc.
Populus iste *qui ambulabat in tenebris,*
vidit lucem magnam : nam oculis cordis
viderunt et intellexerunt Christi doctri-
* *habitantibus* nam ; *sedentibus**, id est degentibus seu
manentibus, *in regione umbræ mortis,* id
est in terra plena peccatis : quæ sunt um-
bræ mortis, quoniam lucem gratiæ abscon-
dunt, et morti æternæ proximum faciunt;
lux christianæ veritatis *orta est eis.*
17 *Exinde,* id est post traditionem Joannis
et mansionem in Capharnaum, *cœpit Jesus*
prædicare manifeste et quasi continuo :
tamen et ante incepit; *et dicere : Pœni-*
tentiam agite, appropinquabit enim re-
gnum cœlorum. Tale fuit etiam exordium *Matth.* III, 2.
prædicationis Joannis : cujus prædicatio-
nem volens confirmare Salvator, et osten-
dere quod ipse sit de quo Joannes testatus
est, simili modo exorsus est. Hæc autem
verba supra exposita sunt.

Ambulans autem Jesus juxta mare Ga- 18
lilææ, quod alio nomine vocatur stagnum
Genesareth : eratque lacus magnus, secun-
dum Hieronymum; sed dicitur mare juxta
consuetudinem idiomatis Hebræorum, qui
quamlibet magnam congregationem aqua-
rum nominant mare. *Vidit duos fratres,*
videlicet *Simonem, qui vocatur* alio no-
mine *Petrus,* id est firmus, et Cephas, id
est principalis : quæ duo nomina Christus *Ibid.* XVI, 18; *Joann.* I, 42.
sibi imposuit; *et Andream fratrem ejus,*
qui erat discipulus Joannis; *mittentes rete*
suum *in mare,* ut caperent pisces. *Erant*
enim piscatores : quod utique officium fu-
turo eorum officio spiritualiter congrue-
bat, ut per piscium captionem figuraretur
rationalium piscium in hoc mari magno et
spatioso defluentium, utpote hominum ad-
unatio per rete verborum cœlestium. *Et* 19
ait illis : Venite post me, id est, gressibus
corporis atque virtutibus animæ sequimi-
ni me, vos ipsos abnegando, et propria
deserendo, ut evangelicæ perfectionis api-
cem apprehendatis; *et faciam vos fieri,* id
est, constituam vos per gratiam apostola-
tus, *piscatores hominum,* id est collectores
diversorum populorum infra unam Eccle-
siam, per expansionem doctrinæ vestræ
super eos, quemadmodum pisces diversi
colliguntur per rete infra unam navicu-
lam. Per rete ergo significatur verbum
prædicationis; per navim, Ecclesia; per
mare, mundus; per piscatorem, doctor seu
prædicator; per piscationem, instructio,
qua diversi in eadem fide, spe et caritate
spiritualiter colliguntur. Juxta hanc simi-
litudinem ait Dominus : Ecce ego mittam *Jer.* XVI, 16
piscatores multos, et piscabuntur eos. *At* 20

illi continuo relictis retibus, et ceteris quæ habebant, secundum quod alibi loquitur Matth. xix, 27. Petrus : Ecce nos reliquimus omnia; *secuti sunt eum* mente et corpore.

Triplex fuit discipulorum istorum vocatio : Una ad simplicem notitiam : quæ apud Joannem describitur. Quum enim Andreas a magistro suo Joanne Baptista audisset, Joann. I, 36, 37, 40. Ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi, demonstrante Christum Joanne, Andreas Ibid. 41, 42. secutus est Jesum, adduxitque Simonem fratrem suum ad eum. Ibi quoque descri- Ibid. 43-51. bitur vocatio Philippi et Nathanael. Secunda vocatio fuit ad familiaritatem : quæ Luc. v, 8. describitur apud Lucam, quando Petrus visa miraculosa piscium captione, procidit ad genua Jesu, dicens : Exi a me, Domine, Ibid. 11. quia homo peccator sum. Tunc enim omnia reliquerunt ad tempus, et rursus ad piscandum reversi sunt sicut et ante. Tertia fuit ad apostolatum, quando simpliciter omnia reliquerunt : et ista describitur hic. Hæ autem duæ vocationes Joanni et Jacobo filiis Zebedæi exhibitæ sunt simul cum Petro et Andrea. Unde nunc subditur :

21 *Et procedens inde,* id est, Jesus ultra paululum tendens, *vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi* filium, *et Joannem* evangelistam *fratrem ejus, in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes,* id est, reparantes et meliorantes, *retia sua ; et vocavit eos,* forte per eadem verba quæ dixit ad Petrum et Andream, videlicet : Venite post me, faciam vos piscatores hominum. Joannes autem et Jacobus consanguinei erant Christi, videlicet filii sororis
22 virginis benedictæ Mariæ. *Illi autem statim relictis retibus et patre* suo Zebedæo, *secuti sunt eum,* corde devoto et corpore prompto. Referunt multi, videnturque Hieronymus et Beda hoc sentire, Joannem istum Joann. II, 1-11. fuisse sponsum in cujus nuptiis Christus convertit aquam in vinum, et quod Christus tunc vocaverit eum ad suum discipulatum, ita quod sponsam suam nunquam cognovit : sicque Joannes ter vocatus fuisset a Christo.

23 *Et circuibat Jesus* cum discipulis suis, A *totam Galilæam,* eundo de una civitate in aliam, *docens in synagogis eorum,* id est in domibus deputatis cultui Dei et actibus religiosis. Quamvis enim Judæi non habebant nisi unum templum, in quo secundum legem sacrificia immolabant, singulæ tamen urbes habebant synagogam, in quam convenerunt horis statutis ad laudandum Deum, ad legendum in lege et Prophetis, ad docendum, orandum ac audiendum salubria. *Et prædicans Evangelium regni,* id est doctrinam novæ legis B ac gratiæ : in qua doctrina proponitur regnum cœleste pro præmio, quod Christus docuit appropinquare, et in se credentibus mox esse præstandum. Excessit enim doctrinam Mosaicam atque propheticam. Et quia doctrina Christi nova fuit et supernaturalis, omnem humanam rationem transcendens, et invisibilia bona pro mercede proponens, oportuit eam confirmari miraculis, tanquam divinæ veritatis argumentis et Dei sigillis, ut sciretur verus et a Deo missus esse talia prædicans. Quemad- C modum etiam veritas naturalis scientiæ per principia prima probatur, et per rationes ex primis principiis per modum conclusionum deductas; sic veritas fidei, per opera miraculosa soli Deo possibilia roboratur et a Deo esse ostenditur, qui falsitatis confirmator ac testis esse non valet. Idcirco dicit Salvator : Opera quæ dedit Joann. v, 36. mihi Pater, testimonium perhibent de me. Hinc ergo descripta Christi nova admirabilique doctrina, quæ tamen infra plenius introducitur, de ejus miraculis subinfer- D tur : *et sanans omnem languorem* inveteratum seu gravem, vel naturaliter incurabilem, *et omnem infirmitatem* minorem et per artem seu viam naturæ curabilem, qualis fuit cæcitas Tobiæ, *in populo* ad Tob. II, 11. ipsum pro remedio humiliter accedente. Non tamen simpliciter omnes infirmos Judææ vel Galilææ curasse videtur, quum ejus discipuli post resurrectionem ipsius multos infirmos curaverint in Judæa et Galilæa, qui ante Christi passionem infirmi fuerunt.

24 *Et abiit opinio ejus,* id est, fama et rumor de Christo divulgatus est, *in totam Syriam,* quæ est regio propinqua Galilææ. Crebra namque et magna prodigia fecerunt eum famosum. *Et obtulerunt ei omnes male habentes,* videlicet *variis languoribus* intus latentibus, *et tormentis* foris apparentibus *comprehensos, et qui dæmonia habebant,* id est a dæmonibus obsessos, *et lunaticos.* Lunatici nuncupantur, qui singulis vexantur lunationibus, et mente laborant : et accidit dum luna est plena. Lunatio autem est tempus quo luna recedit a sole, et rursus sequitur eum. Denique, secundum Hieronymum, tales non vere lunatici sunt, sed putantur lunatici propter fallaciam dæmonum, qui observantes lunaria tempora, creaturam, videlicet lunam, diffamare cupiebant, quasi ipsa causaret hujusmodi mala, ut in Creatorem blasphemiæ redundarent, tanquam qui tam nociva sidera condidisset. Sumit ergo Hieronymus lunaticos secundum intentionem eorum qui ab influxu lunæ ipsos vexari dixerunt. *Et paralyticos,* id est contractos morbo qui vocatur paralysis. *Et curavit eos.* Quos autem corpore sanavit, creditur curasse in anima, quoniam Dei perfecta sunt opera (*Deut.* XXXII, 4.) : quamvis multi eorum recidivaverint.

25 *Et secutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa et de Decapoli,* id est provincia decem urbes continente. Decapolis namque dicitur a δέκα, quod est decem, et πόλις, civitas, quasi regio decem civitatum. *Et de Jerosolymis, et de Judæa,* id est ceteris urbibus quarum metropolis est Jerosolyma, *et de trans Jordanem,* id est de terra duarum tribuum et dimidiæ, utpote Ruben, Gad, et Manasse (*Num.* XXXIV, 14, 15.) : quæ terra fuit ultra Jordanem respectu Judææ et Galilææ. Horum aliqui sequebantur Salvatorem propter informationem, sicut discipuli ; aliqui propter curationem, ut languidi ; aliqui propter cibum corporalem, ut famelici ; aliqui ut signa viderent, quemadmodum curiosi ; aliqui ut occasionem calumniandi invenirent, ut Scribæ et Pharisæi.

Circa vocationem prædictorum quatuor Apostolorum, dicit Hieronymus : Piscatores et illitterati eliguntur et mittuntur ad prædicandum, ne fides credentium, non virtute Dei, sed eloquentia et doctrina fieri putaretur.

Mystice autem, per Simonem Petrum signantur obedientes et firmi in fide, Simon quippe interpretatur obediens, Petrus dicitur firmus ; per Joannem, speciali gratia decorati, Joannes enim interpretatur habens gratiam ; per Jacobum, supplantantes peccata, quia Jacobus interpretatur supplantator (*Gen.* XXVII, 36.). Per Andream, qui interpretatur virilis, designantur magnanimitate fulgentes, in quorum conspectu ad nihilum deductus est malignus (*Ps.* XIV, 4.). Hos tales vocat et mittit Salvator ad prædicandum, ad docendum, ad præsidendum. Oportet enim omnino ut dignus et efficax prædicator, doctor, sive prælatus, sit rectæ rationi, Deo atque Ecclesiæ semper obediens, et firmus in fide, quatenus alios ad sanctam obedientiam, fideique immobilem firmitatem inducat. Oportet quoque ut speciali gratia adornetur, imo exuberet, quatenus de plenitudine ejus accipiant alii, scilicet purgationem, illuminationem, et perfectionem. Item necesse est ut vitiorum sit victor, quatenus quomodo alios docet, ipse in primis adimpleat, ne sibi dicatur : Qui alium doces, te ipsum non doces (*Rom.* II, 21.) ; et, Medice, cura te ipsum (*Luc.* IV, 23.). Rursus necesse est ut sit virilis in omnibus, non pusillanimis, non ponderans ista terrena, non succumbens adversis, nec mortem formidans amore justitiæ. — Postremo, quum actio Christi sit omnium nostrum instructio, per hoc quod ipse totam Galilæam tam sollicite circuivit, docentur prælati et prædicatores oves sibi commissas vigilanter circuire, visitare, docere, consolari, fovere per se ipsos, si congrue fieri possit, vel per idoneos vicarios, sicut et de religioso rege Josaphat scriptum est : Misit de principibus suis, et cum eis Levitas et sacerdotes, habentes librum legis ; et circuibant cunctas urbes Juda, erudiebantque populum (II *Par.* XVII, 7-9.).

ARTICULUS IX

ELUCIDATIO CAPITULI QUINTI : VIDENS AUTEM JESUS TURBAS, ASCENDIT IN MONTEM.

QUONIAM Dominus noster Jesus Christus secundum omnium vaticinia Prophetarum salus et lux mundi est, doctor justitiæ, et evangelicæ institutionis legislator, idcirco quum opportunum adfuit tempus, fecit quod de se ipso prædictum erat, tradens evangelicam legem. Et quoniam lex omnibus danda est, aperte proponenda, et ad hominum correctionem ac perfectionem ordinanda, propterea videns Salvator copiosissimam turbam se sequentem, instructione indigentem, et vitiis oneratam, ascendit in montem, ut ab omnibus melius videretur, ac planius audiretur. Secundo, ut per montem sublimem, evangelicæ legis ac disciplinæ excellentia monstraretur : de cujus utique legis excellentia accipi potest illud Psalmistæ, Justitia tua sicut montes Dei. Tertio, ut demonstraret prædicatorem verbi Dei, virtutum altitudinem debere conscendere, juxta illud Isaiæ : Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion. Denique, secundum Augustinum, in hoc sermone Domini continetur quidquid ad optimos pertinet mores, et ad christianæ conversationis perfectionem. Ideo prout Dominus dederit, diligentius immorandum est præsenti sequentibusque quibusdam capitulis.

Joann. VIII, 12. — Ps. XXXV, 7. — Is. XL, 9.

1 Ait ergo : *Videns autem Jesus* oculo corporali, *turbas,* de quibus in fine præcedentis capituli dictum est : quas oculo intellectuali incessabiliter vidit. Nam anima Christi semper a principio suæ creationis, actu intellexit scientia visionis omnia quæ unquam fuerunt, sunt et erunt. *Ascendit in montem* quemdam Galilææ, videlicet in montem Thabor, vel alium aliquem, secundum Hieronymum ; non in montem Oliveti, ut aliqui putaverunt. Cur

A autem in montem ascenderit, dictum est. *Et quum sedisset* in monte tanquam magister, ad quem pertinet sessio in docendo, *accesserunt ad eum discipuli ejus,* qui quasi ceteris perfectiores, magistrum perfectionis sequi valebant, et ei propinquius
copulari. *Et aperiens os suum.* Per hanc 2
circumlocutionem notatur magnitudo dicendorum. Itaque, Aperiens os suum, id est, per se ipsum atque in propria persona loquens, legemque tradens, qui olim per angelos et Prophetas loquebatur, et per B Moysen legem proposuit, *docebat eos, dicens.* Non dicitur, quod docuit turbas, sed discipulos : quod quomodo intelligendum sit, mox ostendetur.

*Beati pauperes spiritu, quoniam ipso- 3
rum est regnum cœlorum.* In exordio hujus sacrosancti sermonis, docet unigenitus Filius Dei octo beatitudines. Oportet ergo advertere, quod virtutes et dona, fructus et beatitudines, in aliquibus conveniunt, et in aliquibus distinguuntur. Virtus enim et donum in hoc conveniunt, quod utrumC que eorum est habitus ; differunt tamen in hoc, quod dona perficiunt, et in operando expeditas reddunt virtutes, easque in dignitate excellunt, demptis virtutibus theologicis, quæ præstantiores sunt donis : unde virtutes sunt plures quam dona, quæ non sunt nisi septem. Beatitudo vero et fructus in hoc conveniunt, quod utrumque eorum est actus virtutis ; sed beatitudo superaddit fructui rationem perfecti et eminentis, ita quod de ratione beatitudinis est, ut sit actus excellentis virtutis, D ad rationem vero fructus sufficit, quod sit actus virtutis delectationem spiritualem habens annexam. Interdum autem fructus accipitur pro delectatione actus virtuosi, et

beatitudo pro virtute seu habitu. Imo hoc loco quidam per beatitudines istas intelligunt ipsas virtutes : quamvis magis proprie per eas intelligantur actus. Beatitudo enim consistit in actu, non in habitu, secundum Peripateticos : tamen Platonici dixerunt eam in habitu consistere. Quemadmodum autem christiani doctores distinguunt virtutes, ita quod virtutes in summo gradu consistentes dicuntur divinæ, convenientes statui perfectorum, non incipientium, nec proficientium; sic Peripatetici tales virtutes vocabant heroicas, Platonici vero seu Stoici vocabant eas virtutes purgati animi, a passionibus et vitiis absoluti. Harum ergo virtutum actus præsertim beatitudines dicuntur. Quidam præterea asserunt beatitudines potius esse actus donorum, quam virtutum, quoniam dona excedunt virtutes. Sed hoc sic intelligendum opinor, quia virtutes non producunt elicitive ipsas beatitudines, nisi secundum quod dona perficiunt ipsas virtutes, ut sint promptæ ad operandum, et omne obstaculum cito facileque repellant.

De prima ergo et fundamentali beatitudine Veritas ait : *Beati pauperes spiritu.* In qualibet beatitudine duo tanguntur, videlicet meritum et præmium. Meritum est ipsa beatitudo viæ, videlicet actus virtutis : quod tangitur quum dicitur, Beati, etc. Præmium vero est merces merito correspondens : quæ tangitur quum dicitur, Quoniam, etc. Quum enim actus virtutis in hac vita sit laboriosus aliquo modo, maxime in principio (ars namque et virtus sunt circa difficilia, secundum Philosophum), idcirco Salvator beatitudines commendans, protinus subdit de præmio, ut ad beatitudines exercendas nos excitet. Commemoratio enim mercedis provocat et confortat laborantem. Expedit insuper scire, quod beatitudo est duplex, videlicet viæ et patriæ. Beatitudo viæ, est meritum seu actio virtuosa, unde jam sermo ; beatitudo patriæ, est præmium cœleste. Beatitudo quoque habetur dupliciter, scilicet in spe et in re. Beatitudo ergo patriæ nunc habetur in spe, per hoc quod beatitudo viæ habetur in re. Hæc est enim dispositio propinqua et summa ad illam.

Arist. Ethic. II.

Præterea, quum beatitudo stricte accepta sit optima operatio perfectissimæ virtutis, oportet quod inter octo beatitudines, sit una summa et essentialiter beatitudo vocata, præsertim quum in omni genere et ordinata multitudine, sit unum primum atque præcipuum, ad quod alia ordinantur. Hæc autem beatitudo in via est munditia cordis, in patria vero est visio Dei, quæ ponitur tota merces. Ad munditiam ergo cordis aliæ beatitudines disponunt ac referuntur. Ex quo patet, quod beatitudines non enumerantur hoc loco secundum ordinem dignitatis seu perfectionis, quo eminentiora ac meliora priora vocantur ; sed partim secundum ordinem generationis, quo imperfectum præcedit perfectum. Juxta quem modum dicit Apostolus : Non prius quod spirituale, sed quod animale ; deinde quod spirituale. *I Cor.* XV, 46.

Primam autem beatitudinem, qua dicitur, Beati pauperes spiritu, Hieronymus, Augustinus et Chrysostomus exponunt de humilitate, ut sit sensus : *Beati pauperes spiritu,* id est humiles corde, qui non inflantur, non magna de se ipsis præsumunt, nec aliquid boni sibi, sed totum Deo attribuunt, pensantes illud Apostoli : Quid habes quod non accepisti ? Et illud : Qui se putat aliquid esse, quum nihil sit, ipse se seducit. De quibus ait Psalmista : Humiles spiritu salvabit. Qui autem in propriis oculis magni et sapientes, cetерisque perfectiores sunt, non sunt pauperes spiritu. — Ambrosius vero et Leo Papa exponunt de voluntaria paupertate, propter Deum assumpta, desiderata, vel complacente, ut sit sensus : *Beati* sunt jam in spe, imo et beati in re, loquendo de beatitudine viæ, *pauperes,* id est temporalibus bonis carentes, *spiritu,* id est cum affectu cordis, ita quod divitias non appetunt, sed contemnunt, et in paupertate sua lætantur, nil proprium possidentes ; dicentes cum Paulo : Omnia arbitror ut

Ibid. IV, 7. *Galat.* VI, 3. *Ps.* XXXIII, 19. *Philipp.* III, 8.

stercora, ut Christum lucrifaciam. Hæc est A
paupertas evangelica, quam consulit Chri-
Luc. xiv, 33. stus, dicendo : Qui non renuntiat omni-
bus quæ possidet, non potest esse meus
Matth. xix, 21. discipulus ; itemque, Si vis perfectus esse,
vade, et vende omnia quæ habes, et da
pauperibus. Hæc est paupertas illa ditis-
II Cor. viii, 2. sima de qua Apostolus loquitur : Altissi-
ma paupertas eorum abundavit in divitias
simplicitatis eorum. Hæc quoque est pau-
pertas potentissima de qua Petrus claudo
Act. iii, 6. nato : Argentum, ait, et aurum non est
mihi ; quod autem habeo, hoc tibi do : In B
nomine Jesu surge et ambula. De utrisque
autem pauperibus intelligi potest illud
Is. xxv, 1, 4. Isaiæ : Domine Deus, confitebor tibi, quia
factus es fortitudo pauperi et egeno in
tribulatione sua. Hæc ergo paupertas con-
temnit omnia exteriora, honores atque di-
vitias, quantum possibile est : quatenus
summo enti, in quo omnia bona, omnia
pulchra ac desiderabilia superplenissime
continentur, absoluta, tota et libera mente
adhæreat homo, qui tanto minus Deo con-
jungitur, quanto amplius transitoriis im- C
plicatur, et per diversa distrahitur. O aman-
da, veneranda, et amplectenda paupertas !
II Cor. viii, 9. Cujus se Christus dedit exemplum, propter
nos pauper factus, quum esset dives, se-
Matth. viii, 20. cundum quod ait : Volucres cœli nidos
habent, et vulpes foveas ; Filius autem ho-
minis non habet ubi caput reclinet. — De-
nique secundum utramque expositionem,
paupertas spiritus est basis seu fundamen-
tum beatitudinum ceterarum. Humilitas
enim est radix, custos, et stabilimentum
virtutum et omnis perfectionis. Similiter D
divitiarum abjectio efficit hominem ad
omnia spiritualia expeditum, cœlestium-
que gratiarum abundanter capacem.

Deinde subditur præmium pauperum
spiritu, seu merces voluntariæ pauperta-
tis : *quoniam ipsorum est regnum cœlo-
rum,* id est, cœlestis patriæ opulentia eis
pro mercede debetur, atque parata est. Per
regnum ergo cœlorum, plenissima omni-
um bonorum sufficientia designatur, de
quibus Isaias et Paulus testantur, quia
oculus non vidit, nec auris audivit, quæ Is. lxiv, 4; I Cor. ii, 9.
præparavit Deus his qui diligunt illum.
Quæ autem sunt bona hæc, nisi objectali-
ter ipsemet Deus gloriosus et felix, dives Rom. x, 12.
in se, et dives in aliis, qui erit omnia in I Cor. xv, 28.
omnibus ? Formaliter vero sunt dotes ani-
mæ et corporis, et cetera quæ cœlestem
beatitudinem ornant, complent, perficiunt.
Quum enim præmium correspondeat me-
rito, pauperibus et humilibus rite pro-
mittitur opulentia, atque sublimitas regni
cœlestis.

Beati mites, id est, qui omnem irratio- 4
nabilem iram refrenant, et animo man-
sueto illatas adversitates atque injurias
sustinent, nec propter aliquod contrarium
occurrens irascuntur. Mititas nempe seu
mansuetudo, est virtus moralis passionem
iræ refrenans ac moderans. Nunc tamen
præsertim fit mentio de mititate purgati
animi, et sumitur mititas pro actu mitita-
tis. Videtur autem mititas jam parum ex-
tensius accipi quam modo prædicto, vide-
licet prout patientiam, passionem tristitiæ
ordinantem, includit, ut mites vocentur
homines patientes, amaritudinis felle, et
indignatione, et appetitu vindictæ caren-
tes. Quemadmodum autem ira comparatur
stultitiæ, quoniam actum rationis pluri-
mum impedit, et inhonestos gestus in vul-
tu ac corpore parit (propter quod Ecclesi-
astes dicit : Ne sis velox ad irascendum, Eccle. vii, 10.
quoniam ira in sinu stulti requiescit ; et
Job, Virum stultum interficit iracundia. Job v, 2.
Salomone quoque testante : Qui impatiens Prov. xiv, 29.
est, operatur stultitiam ; et, Doctrina viri Ibid. xix, 11.
per patientiam noscitur) ; sic mititas ma-
xime ornat scientiam, atque divinæ sapi-
entiæ illustrationem meretur, faciens ho-
minem veraciter sapientem, modestum,
ornatum, secundum quod ait Psalmista,
loquens de Deo : Diriget mansuetos in Ps. xxiv, 9.
judicio, docebit mites vias suas. Et quo-
niam mititas sapientiam promeretur, et ad
stabilem contemplationem disponit, impe-
dimenta contemplationis, et causas inter-
næ instabilitatis tollendo, videlicet iram,
impatientiam, indignationem, et amari-

tudinem; ideo mites experiri merentur A
internæ pacis dulcedinem, juxta illud Psal-
Ps. xxxvi, 11. mistæ : Mansueti autem hereditabunt ter-
ram, et delectabuntur in multitudine pa-
cis. Hæc etiam virtus specialem a Deo
gratiam ac familiaritatem sortitur, imo et
sublimationem ac beatitudinis altitudi-
Ps. cxlix, 4. nem, prout fertur in Psalmo : Quia bene-
placitum est Domino in populo suo, et
exaltabit mansuetos in salutem. Facit quo-
que hominem proximis suis vehementer
Eccli. iii, 19. amabilem, sicut Ecclesiasticus scribit : Fi-
li, in mansuetudine opera tua perfice, et B
super hominum gloriam diligeris. Hinc
Jacob. iii, 13. Jacobus ait in sua Canonica : Quis sapiens
et disciplinatus inter vos ? Ostendat ex
bona conversatione operationem suam in
mansuetudine sapientiæ. Unde Dionysius
in epistola ad Demophilum monachum as-
serit, ideo Moysen, Joseph et David, maxi-
mam apud Deum gratiam invenisse, quo-
niam mansueti fuerunt.

Consequenter ponitur proportionatum
præmium beatitudinis hujus : *quoniam
ipsi possidebunt* in præsenti vita *terram* C
proprii corporis, id est, carnem suam ha-
bebunt rationis imperio subditam, com-
positam, gubernatam. Quum enim radio
divinæ sapientiæ doceantur, se ipsos gu-
bernant in omnibus. In futuro autem pos-
sidebunt terram, id est firmam et stabilem
mansionem paradisi cœlestis, de qua Pro-
Ps. xxvi, 13. pheta : Credo videre bona Domini in terra
Ps. cxiv, 9. viventium ; et, Placebo Domino in regione
Is. lviii, 13, 14. vivorum. De qua in Isaia habetur : Si glo-
rificaveris Dominum dum non invenitur
voluntas tua, sustollam te super altitudi- D
nem terræ, dicit Dominus. Hoc est cor-
respondens præmium mitium, utpote ne
æstimemus in futuro mites sic posse re-
pelli a terra cœlesti per invisibiles hostes,
quomodo nunc frequenter expelluntur a
terra elementari ac hereditaria per hostes
visibiles.

Convenienter præterea ponitur mititas
post paupertatem spiritus. Primo, quoniam
humiles et inopes faciliter contemnuntur
ac injuriantur, et multas penurias atque
incommoda sentiunt : idcirco in primis
maxime indigent mititate, ne ad iram, vel
impatientiam concitentur. Secundo, quo-
niam humiles ac pauperes maxime dispo-
siti sunt ad mansuetudinem observandam,
sicut superbi et cupidi ad iracundiam
proni sunt, juxta illud : Ubi fuerit super- Prov. xi, 2.
bia, ibi et contumelia ; ubi autem humi-
litas, ibi et sapientia.

Sequitur beatitudo tertia. *Beati qui* 5
lugent, propria vel proximorum peccata
deflendo, et ad patriam suspirando, vel
Christo passo ac crucifixo compatiendo
cordialiter. Sic luxit qui ait : Exitus aqua- Ps. cxviii, 136.
rum deduxerunt oculi mei, quia non cu-
stodierunt legem tuam. Sic Samuel luxit I Reg. xv, 35.
Saulem, Jeremias Jerusalem, Daniel popu- Thren. i-v.
li sui captivitatem. Sic ex desiderio pa- Dan. x, 2.
triæ luxit Apostolus, dicens : Infelix ego Rom. vii, 24.
homo ! quis me liberabit de corpore mor-
tis hujus ? Et Psalmista : Fuerunt mihi Ps. xli, 4.
lacrimæ meæ panes die ac nocte, dum di-
citur mihi quotidie, Ubi est Deus tuus ; et
denuo, Heu mihi ! quia incolatus meus pro- Ps. cxix, 5.
longatus est. Hic luctus omnem carnalem
delectationem gustus et tactus, omnem
inanem gloriationem in verbis, factis, et
ludis abscindit, quemadmodum scriptum
est : Renuit consolari anima mea. Et Ec- Ps. lxxvi, 3.
clesiastes : Risum reputavi errorem ; et Eccle. ii, 2.
gaudio dixi, Cur frustra deciperis ? Vide-
tur quoque hic luctus esse actus pœniten-
tiæ, vel caritatis fraternæ, sive divinæ,
secundum quod diversæ sunt causæ ac
species luctus. Aliqui vero infeliciter lu-
gent propter damna temporalia.

Præmium luctus est : *quoniam ipsi con-
solabuntur* per internam divinæ visitatio-
nis dulcedinem, sicut testatur Propheta :
Secundum multitudinem dolorum meorum Ps. xciii, 19.
in corde meo, consolationes tuæ lætifica-
verunt animam meam. Consolantur autem
in præsenti inchoative et aliqualiter, in
patria vero complete atque totaliter. Si Rom. viii, 17.
enim compatimur, et conglorificabimur.
Pio etenim luctui sæpe miscetur, et pene
semper eum concomitatur consolatio Spi-
ritus Sancti, secundum illud : Domine, post Tob. iii, 22.

tempestatem tranquillum facis, et post fle- A tum exsultationem infundis. Vere enim et Ps. xxxiii, 9. copiose meretur gustare quam dulcis est Dominus, ita ut cum admiratione exclamet: Ps. xxx, 20. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine! Qui hunc sanctum luctum assumit, omnia vana oblectamenta aspernatur, Eccle. vii, 3. dicens cum Salomone : Melius est ire ad domum luctus quam ad domum convivii.

Convenienter autem ordinatur beatitudo luctus tertio loco, quia post exteriorum abnegationem, et adeptam animæ mansuetudinem, aptus est homo ad considerati- B onem eorum quæ præinductum pariunt luctum.

6 Sequitur quarta beatitudo. *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam,* id est, tam ardenti affectu appetunt in omnibus justitiam observari, ut Deus honoretur in omnibus, sicut famelicus appetit cibum et potum corporalem. Itaque esurire et sitire justitiam, quæ est virtus generalis, de qua nunc sermo, est vehementer optare ut omnes Deo obediant, et tam ipse quam alii in bona vita proficiant, unicuique quoque C quod suum est, conferatur. De tali siti loquitur Isaias : Is. lv, 1. Omnes sitientes, venite ad aquas; et Christus apud Joannem, Joann. vii, 37. Si quis sitit, veniat ad me. Hac fame et siti laborant homines religiosi, qui toto conatu student quotidie in gratia crescere, de virtute in virtutem procedere, et Deo semper cum ampliori reverentia deservire, secundum quod ait Apostolus : Philipp. iii, 13, 14. Ego non arbitror me apprehendisse ; unum autem, quæ quidem priora sunt, obliviscens, in anteriora autem extendens me ipsum, ad D destinatum sequor. Nemo autem tantum proficit, quantum desiderat, quatenus hoc ipsum quod agit, pro nihilo reputet, seque humiliet, et justitiam esurire nullo eesset Luc. xvii, 10. in tempore. Quum enim fecerimus omnia quæ præcepta sunt nobis, dicere debemus : Servi inutiles sumus ; quod debuimus facere, fecimus. Magna perfectio est ista esuries, quæ peccata consumit, quemadmodum ignis devorat stipulam. Cujus præmium subditur :

Quoniam ipsi sic esurientes *saturabuntur.* Nunc enim aliqualiter saturantur pane sacramentali, de quo ait Salvator, Caro Joann. vi, 56. mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus ; pane quoque obedientiæ, de quo ait Joannes, Meus cibus est, ut faciam Ibid. iv, 34. voluntatem Patris mei. Augetur enim in eis gratia Dei quotidie, quia quo aliquis magis se præparat gratiæ, eo copiosius eam sortitur. In futuro autem saturabuntur plenissime in intellectu atque affectu, quia tam clare Deum videbunt, possidebunt, ac diligent, sicut optabunt, eumque habendo obtinebunt quidquid optaverint. Propter quod dicit Psalmista : Adimplebis Ps. xv, 11. me lætitia cum vultu tuo ; et, Satiabor Ps. xvi, 15. quum apparuerit gloria tua.

Porro ista esuries et sitis sequitur luctum prædictum : quia dum homo imperfectum suum conspicit, aliorum peccata perpendit, ad futuram felicitatem suspirat, aliud non exquirit nisi ut purgetur a culpa, tam ipse quam alii, crescat in gratia, et patriæ appropinquet jugiter per fervida desideria.

Beati misericordes, aliis compatiendo, 7 subveniendo, ignoscendo, imo eorum miseriam quasi propriam æstimando ac relevando, corporales ac spirituales eleemosynas impertiendo. — Quorum præmium est : *quoniam ipsi misericordiam consequentur,* id est peccatorum remissionem, optatæ gratiæ infusionem, atque divinæ pietatis succursum in omnibus. Hoc est quod dicit Psalmista : Beatus qui intelligit Ps. xl, 2. super egenum et pauperem ; in die mala liberabit eum Dominus. Ideo Salomon dicit : Per fidem et misericordiam purgantur Prov. xv, 27. peccata ; et, Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur. Ibid. xxii, 9. Tobias quoque instruens filium suum, sic eum hortatur : Quo- Tob. iv, 8, 7. modo potueris, ita esto misericors ; et ne avertas faciem tuam ab ullo paupere : ita enim fiet, ut nec a te avertatur facies Domini. Plane misericordes rite censendi sunt, qui implent illud Apostoli : Quis in- II Cor. xi, 29. firmatur, et ego non infirmor ? Quis scandalizatur, et ego non uror ? Et rursus :

Galat. VI, 2. Alter alterius onera portate. Hinc admonet *Ephes.* IV, 32. Ephesios : Estote invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis. Hac virtute Deo assimilamur, cui proprium est misereri et parcere.

8 *Beati mundo corde,* hoc est puri in intellectu, et sinceri in voluntate, ita quod conscientiam peccati non habent, nec aliqua intentione obliqua fœdantur, sed contemplationi ac dilectioni Dei altissimi cœlestiumque bonorum vacant sine permixtione erroris, et absque occursu passionis animam obtenebrantis. Ad hanc cordis munditiam disponunt virtutes morales, appetitum sensitivum a passionum inordinatione purificantes, et ceteræ virtutes intellectuales, naturales, atque justitia, quæ est virtus specialis, moralis. Omnia enim hæc ordinantur ad hoc, ut intellectus dono sapientiæ supernaturalis supernaturaliter illustretur, donis quoque intellectus, scientiæ, et consilii ; et ut voluntas divina caritate fervescat, donisque tribus, videlicet fortitudine, timore, et pietate perficiatur : quibus peractis, potens est anima stabiliter, sincere, et affectuose Deo vacare, contemplando ac diligendo. Sicque munditia cordis essentialiter est ardens contemplatio Dei, seu contemplativa ejus dilectio. Ad hanc cordis munditiam perducitur homo triplici via seu triplici actione hierarchica, utpote : purgativa, qua mundatur a culpa ; illuminativa, qua divinitus illustratur, fitque sedes sapientiæ ; et unitiva, seu perfectiva, qua caritate accensus Deo conjungitur.

Quum ergo puritas cordis sit finis omnium exercitiorum nostrorum, ac summa præsentis vitæ perfectio, debemus incessabiliter eam intendere, ad eam suspirare, ad ejus considerationem intellectum reducere, totiesque dolere ac resipiscere, quoties sentimus nos ab ea corruisse, recessisse, vel elongationem aliquam incurrisse. Propter quod Salomon monet : Omni custodia *Prov.* IV, 23. serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit : et Moyses : Custodi temetipsum, et *Deut.* IV, 9. A animam tuam sollicite ; ne obliviscaris verborum Domini, et ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. Hoc Deo juvante facere possumus, si divini vultus præsentiam atque judicium sapienter pensemus, dicentes cum sancto Elia : Vivit Dominus, in cujus conspectu sto ; et *III Reg.* XVII, 1. cum Psalmista, Meditatio cordis mei in *Ps.* XVIII, 15. conspectu tuo semper. Talis erat sanctus Job, dicens : Nonne Deus considerat vias *Job* XXXI, 4. meas, et omnes gressus meos dinumerat ? Nec solum passiones et vitia magna, sed B et cogitationes superfluæ et distractiones inanes, cordis tollunt aut minuunt puritatem, quia verissime ait Scriptura : Qui *Eccli.* XIX, 1. spernit modica, paulatim decidit. Oportet ergo omnem animi evagationem et cogitationem inutilem devitare, atque ad sortiendam cordis puritatem infatigabiliter vigilare, laborare, et exorare.

Quoniam ipsi Deum videbunt facie ad *I Cor.* XIII, 12. faciem, id est clare per speciem : quæ visio beatifica correspondet munditiæ cordis.

Sequitur beatitudo septima. *Beati paci-* 9
C *fici,* hoc est internæ pacis, fraternæ concordiæ, communisque unanimitatis amatores, sectatores, et operatores : qui primo in se ipsis pacem habere conantur, ut appetitus inferior superiori obediat, sensualitas rationi, et caro spiritui, et ipse totus homo obediat Deo ; deinde cum aliis satagunt pacem habere et discordantes reconciliare, omnesque ad unanimitatem quamdam reducere : quemadmodum in primitiva Ecclesia multitudinis credentium erat cor *Act.* IV, 32. unum et anima una. Sic enim Deus habi- *Ps.* LXVII, 7. D tare facit unius moris in domo. De qua habitatione concordi atque fraterna cantamus : Ecce quam bonum et quam ju- *Ps.* CXXXII, 1. cundum, habitare fratres in unum ! Hæc pax ex caritate procedit, juxta illud Psalmistæ, Pax multa diligentibus legem tu- *Ps.* CXVIII, 165. am ; et per justitiam custoditur, sicut Isaias fatetur, Et erit opus justitiæ pax. De *Is.* XXXII, 17. qua pace dicit Salvator : Pacem meam do *Joann.* XIV, 27. vobis ; non quomodo mundus dat, ego do vobis. Itemque Apostolus : Pax Christi, *Philipp.* IV, 7. quæ exsuperat omnem sensum, custodiat

corda vestra. Quod enim pax ista appetenda sit, præcipue omni Christiano, constat ex hoc quod Christus suos discipulos salutando dicere consuevit, Pax vobis; eisque præcepit: In quamcumque domum intraveritis, primum dicite, Pax huic domui. Idcirco ad hanc beatitudinem sæpe nos hortatur Apostolus: ut quum ait Ephesiis, Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis; et alibi, Si fieri (inquit) potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.

Joann. xx, 19, 21, 26. *Luc.* x, 5. *Ephes.* iv, 3. *Rom.* xii, 18.

Præmium autem pacificorum subjungitur: *quoniam filii Dei vocabuntur,* hoc est adoptivi, et digni erunt vocari filii Dei in præsenti sæculo, et in futuro potissimum. Homines namque filii Dei vocantur propter aliquam assimilationem cum eo. Hoc autem maxime convenit Deo, amare et facere pacem, secundum illud Apostoli: Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Et de Christo ait: Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum. Pacifici ergo sunt similes Deo, qui cum Psalmista dicere possunt: Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus. Verumtamen, sicut dicit Chrysostomus, Multi sunt qui alios libenter reconciliant, et ipsi inimicis suis nunquam ex corde reconciliantur. Hi tales, illusores sunt pacis, non amatores.

II *Cor.* v, 19. *Ephes.* ii, 14. *Ps.* cxix, 7.

Octava demum beatitudo subjungitur.
10 *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam,* hoc est propter veritatem doctrinæ, propter veritatem vitæ, vel propter veritatem justitiæ, scilicet propter fidem, bonam conversationem, vel æquitatis et juris defensionem: et hoc, ex amore Dei, ad ejus honorem et gloriam. Veritas enim et æquitas pariunt odium. Qui igitur propter nullam adversitatem et persecutionem relinquit viam justitiæ, ille beatus est, dicens cum sancto Job: Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea, et justificationem quam cœpi, non deseram. Multi autem propter suos excessus castigantur, qui volentes se ipsos excusare et quasi beatificare, inconvenienter allegant istam scripturam, dicentes, Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quum ipsi condignam luant disciplinam propter suam malitiam. Verumtamen, si quis excessit, et pœnam sibi inflictam pro culpa sua æquanimiter tolerat, etiam ipse quodammodo beatus esse videtur. Quamvis enim non patitur propter justitiam suam, tanquam propter causam alios ad persequendum moventem, patitur tamen propter justitiam, tanquam propter causam finalem, videlicet ut sua culpa per pœnam ordinetur, et Dei injuria vindicetur, amissaque gratia reparetur. Idcirco quidquid adversitatis et pœnæ nobis acciderit, debemus propter nostra peccata patienter sufferre, reputantes hæc ipsa supplicia nostris flagitiis esse minora. Sed hoc multo minus est, quam propter justitiam pati. Unde Petrus inquit: Hæc est gratia, si propter conscientiam Dei sustinet quis tristitias, patiens injuste. Quæ enim gratia, si peccantes et colaphizati suffertis? Si autem benefacientes sustinetis, hæc est gratia apud Deum: in hoc enim vocati estis.

Job xxvii, 5, 6. *Judith* viii, 27. I *Petr.* ii, 19-21.

Insuper taliter patientium præmium subditur: *quoniam ipsorum est regnum cœlorum,* id est, æternam victoriam consequentur. Oppressis enim atque afflictis, maxime convenit gloria regni, consolatioque cœlestis. Hoc præmium octavæ et ultimæ beatitudinis, primæ quoque beatitudini est promissum, quum dicitur: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Considerando nempe in regno cœlesti sublimitatem et opulentiam universorum bonorum, sic ponitur præmium paupertatis; considerando autem in eo plenitudinem gaudiorum, sic ponitur præmium patientium et afflictorum propter justitiam. Prædictarum autem beatitudinum præmia unum et idem sunt, vel essentialiter, vel reductive. Quid enim est regnum cœlorum, nisi possessio terræ viventium? Et quid est consolatio patriæ, nisi prædicta possessio, vel aliquid consequens eam? Similiter saturari et Deum videre, idem exsistunt. Hujus ultimæ bea-

titudinis ad martyres maxime pertinentis, A
omnes electi participes sunt, prout testa-
II *Tim.* III, 12. tur Apostolus : Quia omnes qui volunt pie
vivere in Christo, persecutionem patientur.
Consequenter Salvator quasi exponit be-
11 atitudinem ultimam. *Beati estis quum ma-*
ledixerint, id est, malum de *vobis* dixerint,
homines, secundum modum qui subditur,
scilicet propter Christum, *et persecuti vos*
fuerint, mala inferendo, vel de loco ad
locum fugando, *et dixerint omne malum*
adversum vos, varia crimina vobis impo-
nendo, non veraciter, sed *mentientes,* id B
est, mendaciter vos accusantes, *propter me,*
id est, omnia mala hæc vobis inferentes ob
id, quoniam mihi adhæretis ac ministra-
tis, videlicet propter justitiam vestram.
12 *Gaudete* interius, cordialiter delectando
in istis adversis : quemadmodum dicit
Rom. v, 3. Apostolus, Gloriamur in tribulationibus ;
et exsultate, id est, ex plenitudine inte-
rioris jucunditatis signa lætitiæ foris os-
Ps. LXXXIII, 3. tendite : juxta illud, Cor meum et caro
mea exsultaverunt in Deum vivum. Hoc
Jacob. I, 2. est quod in Jacobo docetur : Omne gau- C
dium existimate, fratres, quum in diversas
tentationes incideritis. Hæc enim sunt ma-
gna beneficia Dei, sicut affirmat Aposto-
Philipp. I, 29. lus, dicens : Vobis datum est pro Christo,
non solum ut credatis in eum, sed etiam ut
I *Petr.* IV, 14. patiamini pro illo. Et Petrus : Si exprobra-
mini, inquit, in nomine Christi, beati eri-
Joann. XVI, 33. tis. Hinc ait Salvator : In mundo pressuram
habebitis ; sed confidite, quia ego vici
mundum. *Quoniam merces vestra copiosa*
est in cœlis. Hæc est una ratio gloriandi
in adversis, magnitudo remunerationis : D
II *Cor.* IV, 17. quia testante Apostolo, Id quod in præ-
senti est momentaneum et leve tribulatio-
nis nostræ, supra modum in sublimitate
æternum gloriæ pondus operatur in nobis.
Joann. XVI, 22. Unde Salvator ait discipulis suis : Vos
nunc quidem tristitiam habetis ; iterum
autem videbo vos, et gaudebit cor ve-
strum, et gaudium vestrum nemo tollet a
Rom. VIII, 18. vobis. Quum ergo non sint condignæ pas-
siones hujus temporis ad futuram gloriam,
debemus in omni tribulatione cordialiter

exsultare. Gaudendum quoque est in istis adversis propter alias causas, videlicet quia per eas Christo passo assimilamur, Deum veneramur, et sanctis hominibus conformamur. Ideo subditur : *Sic enim,* hoc est, etiam ideo in adversis et persecutionibus istis gaudete, quia *persecuti sunt* Judæi *Prophetas, qui fuerunt ante vos,* videlicet Isaiam, Jeremiam, et ceteros. Propter quod Stephanus ait : Quem Propheta- *Act.* VII, 52.
rum non sunt persecuti patres vestri ? Ex hoc patet, verba ista specialiter dici ad Apostolos ceterosque discipulos.

Circa præinducta magna oritur quæstio, an sermo præsens, quem hoc loco describit Matthæus, sit idem cum sermone qui in Luca describitur. Ad hoc quidam dixe- *Luc.* VI, 20 *et seq.*
runt, quod imo, quia uterque sermo idem habet principium, eumdemque finem, et in multis intermediis coincidit. Alii tenent oppositum : primo, quoniam secundum Matthæum Christus prædicavit in monte, secundum Lucam autem descendit de mon- *Ibid.* 17.
te, et prædicavit in loco campestri; secundo, quia secundum Matthæum prædicavit sedendo, secundum Lucam stando ; ter- *Ibidem.*
tio, quia secundum Matthæum docuit octo beatitudines, secundum Lucam quatuor; quarto, quoniam Lucas multa omittit quæ ponit Matthæus. — Quid horum sit verius, ignoratur. Utriusque tamen opinionis rationes satis faciliter solverentur. Primam namque opinionem tenendo, diceretur quod Christus primo cum discipulis montem ascendit ; ibique electione Apostolorum facta, et prædicatione incepta, descendit versus pedem montis, et ibi stans docuit discipulos, et populum simul : et si mons ille fuit in campo, tunc utique stando circa montis ascensum, stetit in loco campestri. Nec obstat quod multa omittit Lucas, quæ ponit Matthæus : sicut in Oratione dominica Matthæus ponit septem petitio- *Matth.* VI, 9-13.
nes, Lucas quinque dumtaxat ; uterque ta- *Luc.* XI, 2-4.
men eorum eamdem orationem describit. Sciens enim unus Evangelista, aliquid ab alio plene digestum, minus prosequitur illud. Qui vero secundam opinionem tuetur,

dicere potest, quod non sit inconveniens A
diversos sermones eodem modo inchoari
ac terminari, atque in multis communica-
re. Hæc secunda opinio verior æstimatur
a quibusdam, videlicet quod fuerint di-
versi sermones, sicut patescit diligenter
conspicienti utriusque sermonis descri-
ptionem.

ARTICULUS X

PROSECUTIO EXPOSITIONIS PRÆSENTIS CAPITULI, AB EO LOCO QUO DICITUR : VOS ESTIS SAL TERRÆ, ETC.

QUAMVIS sermo iste ad turbas factus B
dicatur, ad Apostolos tamen præser-
tim directus est. In principio enim hujus
capituli dicebatur : Accesserunt ad eum
discipuli ejus, et aperiens os suum, doce-
Luc. VI, 20. bat eos. Lucas etiam dicit : Elevatis oculis
in discipulos suos, dixit, etc. Eosdem ergo
nunc alloquens, docet quales debeant es-
se, tam ipsi quam eorum successores, vi-
13 delicet omnes prælati. *Vos estis sal terræ,*
id est condimentum hominum in terra
viventium, quia per discretionem et ex-
emplarem conversationem vestram corda C
aliorum condiri seu dirigi debent, ut sapo-
rem habeant operum virtuosorum, et ut
præserventur a putredine vitiorum, quem-
admodum sal confert cibis saporem, et a
putrefactione conservationem. Per sal ergo
notatur discretio, quæ in omni opere ne-
cessaria est. Propter quod in Levitico dici-
Lev. II, 13. tur : Quidquid obtuleris sacrificii, sale con-
dies ; in omni oblatione offeres sal. Unde
Marc. IX, 49. ait Salvator : Habete in vobis sal. Et quia
exempla superiorum maxime dirigunt et
conservant animas subditorum, conveni- D
enter per sal designatur conversatio ex-
emplaris.

Quod si sal evanuerit, hoc est, corru-
ptum fuerit, et suum vigorem perdiderit,
in quo salietur? id est, quid illo condiri
poterit? Nil utique. Tunc enim potius in-
ficit cibum quam prosit. Ideo subditur :
Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur
foras, hoc est, penitus effundatur, ne lo-
cum in domo inutiliter occupet, vel per
errorem cibo immissum, ipsum corrum-
pat ; *et conculcetur ab hominibus* in via
ubi effusum est sal pergentibus. Per hoc
insinuatur, quod prælatus indiscretus vel
inexemplariter vivens, non condit, nec di-
rigit corda subditorum, nec potest eis pro-
desse, sed potius obest : idcirco prælatione
indignus est, et ab ea avelli meretur, ac
humiliari, atque subesse. Propterea Pau-
lus admonet Timotheum, imo et omnem
prælatum : Esto exemplum fidelium in I *Tim.* IV, 12, 16.
verbo, in conversatione, in caritate : hoc
enim faciens, et te ipsum salvum facies,
et eos qui te audiunt.

Consequenter Christus comparat eos lu-
ci. *Vos estis lux mundi,* id est doctores 14
hominum in mundo degentium, quoniam
mentes aliorum illustrare debetis radio sa-
pientiæ atque scientiæ, docendo eos quid
credendum, quid sperandum, quid dili-
gendum, quomodo discernere debeant in-
ter bonum et malum, inter verum et fal-
sum, inter pretiosum et vile. De talibus
prælatis Dominus loquitur : Dabo vobis *Jer.* III, 15.
pastores juxta cor meum, et pascent vos
scientia et doctrina. Ex his constat, quod
pastor aliorum debeat esse actione præci-
puus, et contemplatione sublimis, imo in
utraque vita perfectus, ut valeat gregem
sibi commissum instar cœlestis hierarchiæ
purgare, illuminare, et perficere. Sed, heu !
multi jam aliorum curam suscipiunt, in
quibus non est aqua sapientiæ salutaris, *Eccli.* XV, 3.

nec panis sanctæ conversationis. Qui si se ipsos diligenter attenderent, puto quod dicerent : Non sum medicus, et in domo mea non est panis ; nolite me constituere principem populi. (*Is.* III, 7.) De talibus loquitur Isaias quinquagesimo sexto capitulo : Speculatores cæci, canes muti non valentes latrare, videntes vana et dormientes. (*Ibid* LVI, 10.)

Sed quum de Joanne, quo major inter natos mulierum non surrexit, legatur, Non erat ille lux : quomodo Apostoli appellantur lux mundi? (*Matth.* XI, 11. *Joann.* I, 8.) Et respondendum, quod Joannes non erat lux principalis et substantialis, sed ministerialis et participata. Denique triplex est lux, videlicet : lux illustrans, non illustrata, ut Deus : et sic Christus secundum divinam naturam lux erat, non Joannes. Lux illustrans et illustrata : tales præsertim fuerunt Joannes et sancti Apostoli, atque Prophetæ. Deinde gloriosus Dionysius, aliique doctores, dicuntur lux illustrata, non illustrans, sicut de pœnitentibus et conversis dicit Apostolus : Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. (*Ephes.* V, 8.)

Quod autem Apostoli et prælati debeant sapientiam sibi communicatam aliis publice prædicare, eosque splendore virtutum ædificare, ostendit Salvator per duo quibus hi comparantur, videlicet per similitudinem civitatis altæ, et lucernæ accensæ. *Non potest civitas abscondi supra montem posita,* hoc est in loco sublimi constructa. Omnibus enim etiam a longinquo apparet. Sic vos aliorum pastores, seu Ecclesia prælatorum, qui estis fundati in Christo monte altissimo, de quo in Daniele asseritur, quod crevit in montem magnum, non debetis sapientiam vobis concessam abscondere, neque latere. (*Dan.* II, 35.) Scriptum est enim : Sapientia abscondita et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? (*Eccli.* XX, 32.)

Deinde idem ostenditur per similitudinem lucernæ.
15 *Neque accendunt* homines *lucernam, et ponunt eam sub modio :* id est, quum eam accenderint, non abscondunt accensam communiter, nisi forte ad tempus, ut opportuno tempore ponatur in publico ; *sed super candelabrum* ponunt eam, *ut luceat omnibus qui in domo sunt.* Simili modo Deus non illustravit Apostolos tam copioso lumine sapientiæ, ut occultentur, ac lateant, sed totum mundum luce veritatis perfundant. Ideo subditur :

16 *Sic luceat lux vestra,* hoc est virtuosa ac splendida conversatio vestra, *coram hominibus,* id est, in eorum præsentia manifestetur, fiat, ac pateat, *ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est :* hoc est, ad hoc seu propter hunc finem opera bona coram aliis facite, ut Pater vester cœlestis glorificetur, laudetur, et justus esse noscatur ab illis per vestræ vitæ sanctitatem. Deus namque per servos perversos inhonoratur, per bonos laudatur : secundum quod Apostolus ait quibusdam, Per vos nomen Domini blasphematur inter gentes. (*Rom.* II, 24.) Et per Ezechielem ait Dominus frequenter : Commaculastis nomen meum sanctum; rursusque, Sanctificabo nomen meum magnum, quod pollutum est per vos inter gentes. (*Ezech.* XXXVI, 20-22; XLIII, 8. *Ibid.* XXXVI, 23.) Gentiles namque et perfidi, si viderint Christianum in omnibus sancte et irreprehensibiliter conversantem, nonne dicturi sunt, Vera et sancta est lex quæ talem instruit vitam, et sanctus dominus cui talis complacet vita? Si autem conspexerint Christianum scelerate agentem, nonne mox legem Christi derident, et talem esse dominum suspicantur, quales sunt servi ejus? Fideles vero et boni, quum viderint quempiam honeste et sancte viventem, statim gratiam Dei collaudant, Deum in suo ministro atque effectu extollunt, ejusque misericordiam admirantur, dicentes : Mirabilis Deus in Sanctis suis. (*Ps.* LXVII, 36.) Non ergo debemus bona coram aliis operari, vel proprias manifestare virtutes, propter propriam laudem, sed ad Dei honorem, et etiam ad proximorum ædificationem; solique Deo debemus velle placere finaliter. Ideo enim dicit Salvator : Attendite ne faciatis justitiam vestram coram hominibus, ut videamini ab illis. (*Matth.* VI, 1.)

Porro sciendum, quod operum bonorum quædam sunt communia, ad quæ commu-

niter obligamur, nec alicujus singularis
sanctitatis seu simulationis speciem ha-
bent. Talia coram aliis fieri debent. Alia
sunt opera singularis devotionis, et gratiæ
eminentis. Ista itaque potius occultanda
videntur, ne homo ultra modum ab aliis
reputetur aut honoretur, et ne speciem si-
mulationis incurrat, aut singularis appa-
reat. Unde non debemus in manifesto pe-
ctus specialiter tundere, suspiria magna
emittere, manus in cœlum extendere, sed
cum generali exterioris hominis apparatu
esse contenti, interius vero semper ad præ-
cipuam devotionem anhelare.

Et quoniam Christus nova documenta
intulit mundo, ne quis putaret suam do-
ctrinam esse contrariam documentis Moy-
17 sis et Prophetarum, subjecit : *Nolite pu-
tare quoniam,* id est quod, *veni solvere,* id
est falsificare, reprobare, destruere, *legem*
Mosaicam, *aut Prophetas* divinitus inspi-
ratos, quorum aliqui fuerunt gentiles et
ante legem, ut Job, Enoch. *Non veni sol-
vere* illa, *sed adimplere.* Legem enim Chri-
stus implevit, secundum duplicem sen-
sum : Primo, quia quod lex jussit, fecit.
Galat. IV, 4, 5. Factus est enim sub lege, ut eos qui sub
lege erant, redimeret, secundum Aposto-
Luc. II, 21. lum. Etenim secundum legem est circum-
Ibid. 22. cisus, in templo oblatus. Secundo, quoniam
quod legi defuit, perficiendo supplevit,
præceptis legis evangelica consilia adjici-
endo. Similiter Christus implevit Prophe-
tas, quia quod illi de ejus incarnatione, do-
ctrina, conversatione, prodigiis, passione,
resurrectione et ascensione prædixerunt,
verificavit et actu complevit, cetera quo-
que in die judicii adimplebit. Propter
Ibid. XXIV, 44. quod ait : Necesse est impleri omnia quæ
scripta sunt in lege Moysis et Prophetis
et Psalmis, de me.

Denique præcepta legis fuerunt triplicia,
scilicet : moralia, utpote præcepta Decalo-
gi. Hæc Christus implevit, secundum quod
Matth. XIX, 17. ait : Si vis ingredi ad vitam, serva man-
data. Alia erant cærimonialia, ut circumci-
sio, discretio ciborum, esus agni paschalis,
etc. Quæ certum est Christum observasse.

A Quum enim de Joanne Baptista prædixerit
angelus, Vinum et siceram non bibet; et *Luc.* I, 15.
Petrus post resurrectionem Christi testatus
sit, Quia nunquam comedi omne immun- *Act.* X, 14.
dum et commune : constat quod Christus
quoque servaverit discretionem in cibis.
Tertia legis præcepta erant judicialia : et
hæc Christus interdum misericorditer re-
laxavit, tanquam legislator præcipuus. In-
terdum vero probabile est eum talia ob-
servasse. Sed videtur contrarium : nam
præcepit sanato, ut tolleret lectum suum *Marc.* II, 11.
B in sabbato; sabbato quoque fecit lutum *Joann.* IX, 6.
quo oculos cæci nati linivit. Propter quod
Judæi dixerunt : Non est hic homo a Deo, *Ibid.* 16.
qui sabbatum non custodit. Responden-
dum, quod opera corporalia quæ directe
ordinabantur ad Dei honorem, licebant in
sabbato, sicut ornare templum, offerre sa-
crificium. Quod autem jussit sanato ferre
lectum in sabbato, fuit ad declarationem
facti miraculi in quo divina virtus re-
splenduit. Simili modo fecit lutum ad ex-
hibendum miraculum in quo omnipotentia
C Dei fuit ostensa. Judæi vero male intelle-
xerunt præceptum de honoratione sabbati,
multisque aliis, sicut inferius elucescet.

Quod igitur Christus implevit hæc om-
nia, manifestat, subdendo : *Amen quippe* 18
dico vobis, donec, id est quousque, *trans-
eat cœlum et terra,* id est usque ad finem
sæculi, in quo cœlum et terra transibunt,
et peribunt, seu esse cessabunt, quantum
ad esse accidentale, non quantum ad es-
se substantiale, hoc est quoad qualitatem,
situm, motum, et influentiam, non quo-
D ad eorum substantiam : tunc enim muta-
buntur in melius, nec habebunt motum
et influentiam ut modo; *iota unum,* hoc
est minimum verbum seu minima littera,
aut unus apex, id est minima particula,
non præteribit a lege, id est, non remane-
bit non adimpletum, sed erit sicut lex as-
serit, *donec omnia* in lege contenta, *fiant,*
seu impleantur. Per hoc autem quod dicit,
Donec transeat cœlum et terra, iota unum,
etc., non datur intelligi, quod postmodum
iota prætereat; sed per hoc quod ait inte-

rim non præterire iota unum, insinuat, A
quod nunquam aliquid ibit incassum, nec
erit mendosum, quod continetur in lege.
Nam et figuræ atque ministeria legis ac
Prophetarum in Evangelio adimplentur.
Iota proprie est minima littera Hebraica;
apex vero jam sumitur pro particula litteræ
in summitate litteræ posita ad discernendum.

Insuper docet Salvator, in tantum oportere
impleri et observari omnia verba
legis, ut nec minimum ejus præceptum
posset omitti sine damnationis periculo. B
19 *Qui ergo,* hoc est, quum necesse sit omnia
illa impleri, idcirco qui *solverit,* id est,
transgressus fuerit, *unum de mandatis istis
minimis* in lege contentis, quæ significavi
per iota et apicem, et quæ statim
dicturus sum, videlicet, Non occides, non
mœchaberis, non perjurabis : quæ licet
pertineant ad præcepta Decalogi, tamen
minima appellantur, quoniam parvi meriti
(comparative loquendo) est ea implere,
pertinentque ad imperfectos, rudes, et
incipientes. Unde secundum Augustinum, C
inchoant hominem : faciunt enim declinare
a malo. Qui igitur solverit unum de
mandatis his minimis, *et docuerit sic homines,*
id est, male et inobedienter vivendo
prædicaverit aliis, *minimus vocabitur,*
id est, infimus erit et dicetur, quantum
ad bona gratiæ gratum facientis, quamvis
interdum sit magnus prælatus, *in regno
cœlorum,* id est in Ecclesia militanti, de
qua dicit Apostolus, loquens de suis disci-
Coloss. IV, 11. pulis : Hi soli sunt adjutores mei in regno
Dei. Talis namque non est in statu salutis D
et gratiæ, quia prævaricando præceptum,
peccat mortaliter; docendo quoque alios
quod ipse non facit, imo cujus contrarium
facit, gravius peccat, et Deo acceptus non
Ps. XLIX, 16. est. Peccatori enim dixit Deus : Quare tu
enarras justitias meas? Propterea itaque
minimus judicatur a sanctis et sapientibus
viris, quoniam sola fide ad corpus Ecclesiæ
pertinet, non per caritatem et opera.

Qui autem fecerit et docuerit. Non adjecit,
Unum de mandatis istis minimis;
sed absolute affirmat, Qui autem fecerit et
docuerit, id est, qui divina præcepta servaverit,
et taliter conversando vere instruxerit
alios. *Hic magnus vocabitur,* id est,
magni meriti erit, *in regno cœlorum* prædicto,
imo et in futuro. Nihil enim divinius,
secundum Dionysium, quam Deo cooperari
in reductione animarum ad suæ beatitudinis
fontem. Hinc in Daniele legitur : Qui *Dan.* XII, 3.
multos erudiunt ad justitiam, quasi stellæ
fulgebunt in perpetuas æternitates.

Quod vero non sufficiat docere, nisi adsit
custodia præceptorum, adjecit Salvator :
Dico enim vobis discipulis meis, *quia* 20
nisi abundaverit justitia, id est bona conversatio,
vestra plus quam abundat justitia
Scribarum et Pharisæorum, hoc est,
nisi major fuerit justitia vestra quam illa,
non intrabitis in regnum cœlorum, id est
in patriam Beatorum. Quod tripliciter accipi
potest : Primo, quoniam Scribæ et Pharisæi
veraciter docuerunt, sed opera non
corresponderunt doctrinæ, prout infra habetur
: Super cathedram Moysis sederunt *Matth.* XXIII, 2, 3.
Scribæ et Pharisæi : omnia ergo quæcumque
dicunt, facite; secundum opera vero
eorum nolite facere, dicunt enim et non
faciunt. Secundo, quoniam Scribarum et
Pharisæorum justitia fuit servare præcepta
minima secundum superficialem intellectum
eorum, videlicet, non occidere, non
mœchari, vitando dumtaxat opera exteriora
nefaria, non desideria prava. Per talia
quippe præcepta putabant prohiberi opera,
non affectum, secundum quod verba
sonant. Talis autem justitia non sufficit ad
salutem. Huic sensui concordant sequentia,
sicut patebit. Tertio accipi potest, quasi
dictum ad Apostolos, et prælatos, ac eos
qui ex speciali vocatione, professione, seu
gradu, ad perfectionem tenentur, ideo eorum
non est circa communia languere,
quia nec sufficit eis, sed oportet ut vitam
aliorum alta puritate transcendant.

Itaque, quod non sufficiat justitia Scribarum
ac Pharisæorum, subjungitur : *Audistis* 21
quia dictum, id est præceptum a
Deo per Moysen, *est antiquis,* hoc est po-

pulo Judæorum egredientium de Ægypto : A *Non occides; qui autem occiderit* hominem, prætermisso ordine juris, *reus erit judicio* damnationis, id est, mortem cor-
22 poralem meretur, et item æternam. *Ego autem dico vobis,* id est, non solum occidi prohibeo, sed dico, *quia omnis qui irascitur fratri suo* ira inordinata, rationem obfuscante, *reus erit judicio,* id est accusatione coram divina justitia. Hoc est tantum dicere : Ego legem non solvo, sed impleo, expono, atque perficio, et ad perfectam ac sufficientem justitiam doceo ac perduco. B In lege enim aperte prohibetur homici-
Exod. xx, 13. dium, quum dicitur, Non occides; sed lex non exponit perfecte quomodo intelligendum sit illud præceptum. Propterea ego verum intellectum illius pando præcepti, et dico, quod omnis qui irascitur, id est, vindictam desiderat, seu nocumentum inferre proponit, reus est judicio.

Est ergo sciendum, quod aliqui Judæorum per præcepta hujusmodi negativa, quibus dicitur, Non occides, non mœchaberis, non furaberis, æstimabant sola facta C vetari, non autem cogitationes et affectiones : unde putabant eas non esse peccata, nisi in opus procederent. Hunc errorem aufert Salvator, insinuans non solum facta, sed etiam motus interiores et verba perversa esse damnatione condigna. Observatio autem præceptorum Decalogi fuit semper ad salutem sufficiens. Si ergo sola facta impia prohiberentur, nemo propter desideria prava, cogitationes, et animi motus, damnaretur : cujus oppositum nunc docet Salvator. Imo ex lege et Prophetis D
Mich. II, 1. patet oppositum. Scriptum enim est : Væ
Zach. VII, 10. qui cogitatis inutile; et, Malum vir fratri suo non cogitet in corde suo. Imo per Je-
Jer. XXV, 5; XXXV, 15; XXXVI, 3, 7. remiam Dominus sæpissime ait : Revertimini a cogitationibus vestris pessimis. Ira quoque in veteri Testamento prohibetur.
Gen. XLIX, 7. Unde in Genesi Jacob : Maledictus (inquit) furor, quia pertinax; et indignatio, quia
Ibid. XLV, 24. dura. Et Joseph ad fratres suos : Ne irascamini, ait, in via. Unde quod dictum est, Audistis quia dictum est antiquis, Non occides, quidam exponunt hoc modo : *Audistis quia dictum est antiquis* per modum interpretationis seu expositionis, *Non occides :* id est, præceptum de non occidendo interpretabantur de solo facto. *Ego autem,* corrigendo hujusmodi expositionem, *dico vobis, quia omnis qui irascitur,* etc.

Qui autem dixerit fratri suo, id est proximo, *Raca,* id est, verbum indignantis animi effuderit, tamen confuse et quasi in generali, non certam vituperationem aut contumeliam inferens, sed affectum interioris commotionis per signum seu verbum indignationis aperiens; *reus erit consilio,* id est tractatu quo investigatur qua pœna torquendus sit quem constat esse damnandum. *Qui autem dixerit* proximo suo, *Fatue,* id est, commotionem iræ per verbum contumeliosum, manifestam vituperationem designans, effuderit; *reus erit gehennæ ignis,* id est pœnæ infernalis.

Ecce triplex gradus culpæ, cui correspondet triplex gradus reatus seu pœnæ. Est enim ira latens in animo : quæ notatur, quum dicitur, Qui irascitur. Cujus pœna est, mereri judicium. Et est ira prorumpens in vocem indignationis et vituperationis in generali : quod gravius est primo. Cujus pœna est, prolatio sententiæ contra eum : quæ pœna gravior est quam prima. Et est ira in verbum contumeliosum procedens : quod est gravius primis duobus. Cujus pœna est, punitio ignis gehennæ : quæ prædictis pœnis est gravior; ordinantur tamen et tendunt ad eam. Loquitur ergo Salvator de ira prout est mortale peccatum, videlicet ut est ex consensu cum affectu nocendi injuste. Dicere autem, Raca, ex tali ira, est gravius; dicere vero, Fatue, exstat gravissimum. — Secundum Hieronymum, Raca est verbum Hebraicum, significans vacuum vel inane; et idem dicit Chrysostomus. Augustinus tamen testatur, quod sit vox non significans aliquid determinate, sed solum commoti cordis affectum, cujusmodi sunt interjectiones. Sed hoc facile concordatur, quia

secundum Chrysostomum, quamvis significet vacuum seu inane, id est stultum, hic tamen accipitur secundum usum loquentium, scilicet Judæorum, secundum quod quælibet provincia habet aliquod verbum exprobratorium.

Circa prædicta inquiritur, quando, et quomodo, et qualiter ira sit peccatum. Quamvis autem hæc quæstio communis sit, habet tamen difficultatem præcipuam propter sanctorum atque catholicorum doctorum contrariam (ut videtur) determinationem. Dicit enim præsenti loco Hieronymus : Definita sententia est, ut ira pœnitus
vers. 39,44. tollatur. Si enim jubemur verberanti alteram præbere maxillam, et inimicos diligere, et pro persequentibus exorare; omnis
Jacob. I,20. iræ occasio tollitur, quoniam ira viri justitiam Dei non operatur. Sed aliter sonant verba Chrysostomi dicentis hoc loco : Qui ex causa irascitur, reus non est. Nam si ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec judicia stant, nec crimina compescuntur. Justa ergo ira, mater est disciplinæ. Itaque non solum non peccat qui cum causa irascitur, sed contra, nisi iratus fuerit peccat, quoniam patientia irrationabilis vitia seminat, negligentiam nutrit, et non solum malos, sed etiam bonos invitat ad malum : quia malus, quamvis incorreptus fuerit, non emendatur; bonus autem, nisi correptus fuerit, perit, quia in corpore prævalet magis malum quam bonum.

Ad habendam autem hujus quæstionis plenam notitiam, advertendum quod Stoici sive Platonici dixerunt, passiones simpliciter esse malas atque culpabiles, ac animæ morbos. Et horum modum loquendi multi theologi sunt secuti. Peripatetici autem dixerunt passiones esse quosdam motus naturales indifferentes, videlicet nec bonos, nec malos moraliter ex sua ratione, sed fieri bonos, si per rationem moderentur, et malos, si metam rationis excedant. Horum ergo sententiam imitando, quam Augustinus et posteriores communiter imitantur, dicendum, quod ira proprie sumpta, secundum Damascenum, est desiderium

A ultionis, seu appetitus vindictæ propter injuriam illatam, seu culpam alterius. Hæc autem vindicta bene et male optari potest et exerceri, videlicet secundum rationis censuram et ordinem juris, et item modo opposito. Itaque ira ad rationem se habet dupliciter, scilicet antecedenter, sicque impedit actum rationis, et dicitur ira per vitium. Secundo se habet ad rationem consequenter, prout movetur contra peccata secundum rationis dictamen : quæ dicitur ira per zelum; et est bona, et actus virtu-
B tis moralis quæ appellatur vindicativa. De qua ira dicit Gregorius : Tunc robustius ratio contra peccata erigitur, quum ira subita rationi famulatur. Et denuo : Cavendum summopere est, ne ira quæ ut instrumentum virtutis assumitur, rationi dominetur, ne quasi domina præeat, sed tanquam ancilla ad obsequium parata, a tergo rationis nunquam recedat.

Denique moderamen seu ordo rationis circa iram, pensatur dupliciter : Primo, quantum ad id in quod tendit ira, quod est
C vindicta : quæ si quæratur propter correctionem peccantis, punitionem culpæ, seu conservationem justitiæ, erit ira laudabilis et per zelum. Secundo, quantum ad modum irascendi, videlicet, ne ira immoderate fervescat : sic enim fieret vitiosa, quamvis in finem laudabilem tenderet. Dicendum ergo secundum Thomam, quod ira immoderata ex parte vindictæ optatæ seu irrogatæ, ex suo genere est mortalis, quoniam caritati contrariatur, quæ non irritatur, *I Cor.* XIII,5.
nec cogitat malum ; contrariatur quoque
D justitiæ, quia majorem expetit ultionem quam culpa meretur, vel justum est. Potest tamen esse venialis propter parvitatem nocumenti illati, vel propter imperfectionem actus rationem prævenientis. Ira vero immoderata intus, vel foris in signis, ex modo irascendi, non est ex genere suo mortalis, nisi in tantum concrescat, ut faciat hominem a caritate Dei vel proximi sui excidere : quod contingit dum impedit rationem ab eo ad quod tenetur.

Denique præter prædictam acceptionem,

sumitur ira adhuc dupliciter, quamvis improprie : Primo, pro sola commotione animi ex imaginatione contrarii : quæ non est grave peccatum. Secundo, pro motu voluntatis, pœnam juste infligentis : et ita dicitur esse in Deo ac angelis. Eo autem modo quo ira laudabilis est, defectus iræ est vitiosus.

Doctores ergo qui iram dicunt omnino vitandam atque culpabilem, accipi possunt de ira rationem præveniente, et dicta per vitium : de qua exponendæ sunt auctoritates Scripturæ quæ iram vituperant. Alii vero loquuntur de ira per zelum, quam bonam esse præsertim hinc constat, quod
Marc. III, 5. de Christo scriptum est : Circumspiciens
Num. XXV, 7, 8, 11, 13. eos cum ira. Hac ira motus est Phinees, et
Judic. XIV, 19; XV, 3-5, 7, 8, 14, 15; XVI, 28-30. Samson. De ira autem per vitium, Christus jam loquitur.

Quæritur, quomodo dicens fratri suo, Fatue, mereatur gehennam, quum dicat
Galat. III, 1. Apostolus : O insensati Galatæ ! et iterum,
I *Cor.* XV, 36. Tu, insipiens, quod seminas, etc. Christus
Luc. XXIV, 25. quoque ait discipulis : O stulti et tardi corde ad credendum ! Dicendum, quod quum verba sint notæ et signa conceptionum animæ, ex ipsa cordis intentione et affectione consideratur culpa in verbis. Dum ergo hujusmodi verba dicuntur non animo calumniandi seu contemnendi, sed instruendi, aut caritative corripiendi, non est peccatum. Sicque Christus et ejus Apostolus sunt locuti.

Ex hac præinducta doctrina, infert Sal-
23 vator : *Si ergo,* id est, quum non liceat irasci fratri, vel dicere ei, Raca, aut, Fatue, idcirco si *offers munus tuum,* id est oblationem corporalem vel spiritualem, quam das Deo vel ejus ministris, non quod Deus ea indigeat, sed quoniam sponte hanc offers in signum quod omnia bona tua a Deo receperis : secundum quod David te-
I *Par.* XXIX, 14. statur, Tua, Domine, sunt omnia, et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi ; *ad altare* materiale in templo ; vel, Ad altare spirituale in anima, quod est fides, secundum Augustinum, vel caritas, secundum Gregorium. Nil enim acceptum est Deo ni-

A si in fide et caritate agatur, et per eas Deo exhibeatur. *Et ibi,* videlicet in loco et tempore oblationis, *recordatus fueris, quia frater,* id est proximus, *tuus habet aliquid,* hoc est justam querelam, *adversum te,* propter injuriam sibi a te illatam, hoc est, quia ei in aliquo malefecisti. Si enim tu eum offendisti, ipse habet adversum te, non tu contra eum. Si vero ipse te offendit, habes adversus eum ; sed tunc sufficit ut ignoscas ei sicut vis tibi a Deo ignosci, nec oportet facere quæ sequuntur : quæ
B tamen si feceris, opus magnæ perfectionis exhibes, maximamque mercedem acquiris.

Relinque ibi munus tuum ante altare, 24
id est, inchoatum obsequium seu oblationem suspende vel intermitte, actu aut proposito, quia non esset Deo acceptum, nisi quod subditur, feceris ; *et vade prius reconciliari fratri tuo,* id est, placa et satisfac ei, veniam postulando, et emendationem exhibendo, secundum exigentiam culpæ. Obsequium enim nostrum Deo non placet nisi ex caritate nascatur : quam non
C habet, imo et contra justitiam agit, qui fratri a se læso non satagit reconciliari et satisfacere. Eundum est autem pedibus corporis, si commode fieri possit, videlicet si frater offensus non longe sit et haberi queat. Alias eundum est pedibus mentis, hoc est desiderio atque proposito, quatenus proponas et optes ei statim satisfacere : quod quia non vales, intendas eum accedere et placare loco et tempore opportunis. In his quoque pensanda est mensura offensæ seu injuriæ proximo irrogatæ,
D quæ quanto major exstiterit, tanto celerius ac laboriosius conandum est ut reconcilietur offensus. Debemus vero interim munus ante altare relinquere, id est non facere opera bona nisi primo proponamus ire ad fratrem offensum : quod utique propositum exsequi oportet statim quum convenienter fieri poterit.

Porro, secundum Chrysostomum et Cassianum, ad caritatis perfectionem præcipue pertinet, ut etiam ille qui læsus est, studeat adversarium mitigare, non solum

dimittendo illatam injuriam, sed blando A
sermone cor ejus placando, quatenus de
cetero sincerum ad se affectum retineat.
Sic enim possum alterius quamvis injuri-
atoris iracundiam, invidiam, perversitatem
sanare, ejusque animam a morte culpæ
eripere, primo accedendo ad eum, et pa-
cem reformando inter eum et me; et quum
non facio hoc, non videor esse perfectus in
caritate Christi, qui pro iniquorum salute
sanguinem fudit, nec proximi, quem pos-
sum a tanto liberare periculo humiliando
me ipsum. Dicit ergo Chrysostomus : Ne B
dicas : Ille mihi nocuit, ille mihi satisfa-
cere debet, non ego illi. Si pro gloria salu-
tis tuæ jubet te Dominus amicitias facere,
tu potius nocitus seu nocumentum perpes-
sus, debes nocentem rogare, ut duplicem
gloriam consequaris : unam, quia nocitus
es; alteram, quia prior rogasti. Festina er-
go inimicum tuum prævenire ad amici-
tias, ne forte te tardante, ille præveniat ad
rogandum, et rapiat de manibus tuis pie-
tatis mercedem. Nam si ille tibi nocuit, et
ille te rogat, infructuosa est amicitia tua. C
Quam enim justitiam fecisti ante Deum,
si rogatus te placaveris ?

Et tunc veniens, id est, localiter redi-
ens, vel intentionem tuam ad id quod cœ-
peras, revocans, *offeres munus tuum,* id
est, inchoatum Dei obsequium perficies et
continuabis, spiritualem vel corporalem
hostiam immolando. Spirituales autem ho-
stiæ sunt devota oratio, Dei laudatio, cor-
dis compunctio, præceptorum impletio.

Insuper infert Salvator aliud documen-
25 tum ex his quæ de ira inducta sunt. *Esto* D
consentiens adversario tuo cito, id est,
concordiam fac cum eo quem læsisti, ve-
lociter, quoniam periculum est in mora,
Matth. XXV, 13. quum ignores diem et horam, *dum es in*
via cum eo, id est, quum in vita præsenti
secum conversaris : quæ vita est via ad
patriam, peregrinatio atque exsilium. *Ne*
forte tradat te adversarius judici, id est,
ne læsus a te, faciat te reum coram Chri-
sto, sicque tradat te materialiter, quoniam
est occasio et materia propter quam coram
Christo culpabilis inveniris : juxta quem
modum dracones, abyssi, ignis, grando, et *Ps.* CXLVIII, 7, 8 *et seq.*
cetera inanimata et irrationabilia, dicuntur
Deum laudare; *et judex tradat te mini-*
stro, id est, Christus det te in manum
diaboli, *et in carcerem,* id est lacum in-
ferni, *mittaris,* in æternum damnatus, quia
non satisfecisti offenso. *Amen dico tibi,* 26
non exies inde, videlicet de inferno, quasi
liberatus (quamvis in die judicii omnes
egressuri sint in inferno detenti, rursus
gravius retrudendi in eum), *donec reddas*
novissimum quadrantem, id est, pro mi-
nima culpa satisfacias : hoc est, nunquam
redimeris, quoniam in inferno nulla est
satisfactio.

Potest quoque per adversarium intelligi
sacra Scriptura, mandatum, seu lex, quæ
nostris concupiscentiis et propriæ volun-
tati adversatur, prohibendo quod cupimus.
Huic bono adversario consentire debemus,
obediendo sacræ Scripturæ, dum sumus
cum ea in via, id est, quamdiu vivimus
in sæculo isto, in quo verba Dei audimus,
et locum merendi ac demerendi habemus;
ne forte adversarius iste tradat nos judici,
id est, testimonium proferat contra nos,
reprobando scelera nostra in conspectu
divino. Non autem possumus per adversa-
rium istum intelligere carnem aut dæmo-
nem, quoniam nulli eorum consentire aut
concordare debemus.

Deinde Salvator ostendit verum intelle-
ctum præcepti negativi prohibentis mœ-
chationem seu adulterium, vel illegitimum
concubitum. *Audistis quia dictum est,* id 27
est divinitus jussum, *antiquis,* egredienti-
bus ex Ægypto cum Moyse : *Non mœcha-*
beris. Ego autem dico vobis, id est, non 28
solum corporalem fornicationem prohi-
beo : quam Judæi putabant dumtaxat hoc
prohiberi præcepto, non concupiscentiam
interiorem; imo præceptum quo dicitur,
Non concupisces uxorem proximi tui, ex- *Exod.* XX, 17.
posuerunt de signis concupiscentiæ, ut
sunt amplexus et oscula, non de concupi-
scentia intus latente. Dico itaque vobis,
quoniam omnis qui viderit mulierem ad

concupiscendum eam, id est ad hoc et eo A
fine, ut concupiscentia feminæ concitetur
in eo, *jam mœchatus est eam in corde suo,*
id est, animo seu consensu cum ea fornicatus est, et ipse inordinatus cordis affe-
ctus facit eum reum, ac si opere perpe-
I Reg. XVI, 7. trasset. Deus enim inspicit intima cordis.
Concupiscentia itaque quæ est cum animi
deliberatione atque consensu in delecta-
tionem vel opus, est mortale peccatum :
quoniam hoc non est solum titillari, sed
consentire. Refrenandi sunt ergo sensus
exteriores, maxime visus, tactus, auditus, B
Jer. IX, 21. ne mors intret in animam per corporis
sui fenestras. Testante quippe Scriptura :
Eccli. IX, 11, 9. Colloquium mulieris quasi ignis exarde-
scit, et propter speciem mulieris multi
perierunt. Propter quod ait beatus Job :
Job XXXI, 1. Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogi-
tarem quidem de virgine. Unde secundum
Gregorium, Non licet videri quod non li-
cet concupisci.

29 *Quod si oculus tuus dexter scandalizat
te, erue eum, et projice abs te.* Oculus
dexter intelligi potest tripliciter : Primo, C
ipse oculus corporalis. Si ergo iste scan-
dalizat, id est, occasionem peccandi inge-
rit, et ad concupiscendum inducit, *erue
eum,* non essentialiter, sed quantum ad
usum, id est, reprime eum, ne intueatur
illicita : quemadmodum in Ecclesiastico
Eccli. IX, 8. legitur, Averte oculos tuos a muliere com-
Ps. CXVIII, 37. pta ; et in Psalmo, Averte oculos meos ne
videant vanitatem. *Et projice abs te,* id
est, separa eum a te, quantum ad usum
illicitum, non quantum ad organum. Juxta
Coloss. III, 5. hunc sensum dicit Apostolus : Mortificate D
membra vestra quæ sunt super terram. Et
ne hoc male intelligeretur, adjecit quasi
Ibidem. exponens se ipsum : Fornicationem, im-
munditiam, etc., id est, vitia membrorum
occidite. Secundo, per oculum dextrum in-
telligitur oculus cordis, videlicet intelle-
ctus seu consideratio curiosa : quæ abjici-
enda sunt modo præfato quum scandalum
pariunt. Tertio, per oculum dextrum in-
telligitur quicumque proximus, seu quæ-
libet res adeo cara ut oculus : cujus oc-
casione si ad ruinam peccati inducimur,
debemus eam vitare. Cavenda est ergo
familiaritas et contactus ejus cujus occa-
sione scandalum patimur. *Expedit enim
tibi ut pereat,* id est, prædicto modo eruatur
ac projiciatur abs te, *unum membrorum
tuorum,* videlicet oculus dexter, præsertim
dilectus, *quam totum corpus tuum,* id est
caro tua in die judicii, *projiciatur* in ge- * mittatur
hennam ignis.* Potest quoque per corpus
intelligi congeries operum, de qua infra
dicetur : Si fuerit oculus tuus simplex, Matth. VI, 22.
totum corpus tuum lucidum erit. Opera Apoc. XIV, 13.
autem illorum sequuntur eos. Melius ergo
est unius membri vitiosum actum abscin-
dere, quam totius corporis opera bona
amittere et damnari.

Et si dextera manus tua scandalizat 30
te, abscide eam, et projice abs te, etc. Sicut
de oculo, ita de manu intelligi potest tri-
pliciter, videlicet de manu corporali, de
manu interiori, videlicet voluntate, et de
quocumque ita dilecto ac utili ut est ma-
nus dextera. Quodcumque ergo istorum
scandalizaverit te, id est, occasionem pec-
candi intulerit, abscide illud quantum ad
actum, usum, atque affectum immodera-
tum, quatenus manus corporis a contactu
libidinoso, et opere malo cohibeas, volun-
tatem quoque a pravo desiderio retrahas,
proximorum utilitatem ac delectationem,
propter bonum honestum, id est animæ
tuæ salutem et gratiam, vites. Non enim
potest vitare peccata, qui non vitat occa-
siones peccandi.

Præterea Christus corrigit Judæorum er-
rorem circa matrimonium. *Dictum est* an- 31
tiquis per Moysen : *Quicumque dimiserit
uxorem suam,* id est, dimittere voluerit,
det illi libellum repudii, id est, causam
repudiationis scribat et repræsentet, ante-
quam eam dimittat. Libellus repudii, est
scriptura continens causam cur uxor di-
mittitur. Præcepit autem Deus per Moy-
sen, non utique uxorem dimittere tanquam
in se bonum ac licitum, sed hoc præce-
pit, ut non dimitteretur nisi dato libello
repudii. Sic enim scriptum est : Si acce- Deut. XXIV, 1.

perit homo uxorem, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, quem dabit in manu illius, dimittetque eam. Judæi vero putabant dimissionem uxoris esse simpliciter bonam, jussam ac licitam, ignorantes verba prædicta intelligenda esse per modum permissionis, ne majus malum accideret, scilicet, ne Judæi uxores suas odiosas occiderent, ad quod proni fuerunt. Per quem modum etiam permit-
Deut. XXIII, 19, 20. tebantur dare ad usuram extraneis, non autem per modum jussionis. Christus ergo errorem Judæorum excludens, subjecit :

32 *Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit,* id est, a se expulerit, *uxorem suam, excepta fornicationis causa* corporalis, vel spiritualis, videlicet idololatriæ, *facit eam mœchari,* id est, dat ei occasionem adulterandi. Ex quo patet quod divortium sit illicitum, et quod illa toto tempore vitæ suæ maneat uxor prioris mariti, si vixerit. *Et qui dimissam duxerit, adulterat,* quia alterius viri uxorem sumit in conjugem, cognoscitque eam. Propter utramque autem fornicationem prædictam, videlicet adulterium et idololatriam, licet relinquere conjugem seu maritum quantum ad cohabitationem et debiti redditionem. Non tamen oportet nisi in casu. Sunt etiam varii casus in quibus propter fornicationem corporalem non licet relinquere conjugem, scilicet : si mulier ab alio sub specie proprii viri sit cognita, vel si vir eam prostituerit, vel ipse quoque adulter exsistat, etc. His verbis consonant dicta Apostoli ad Corin-
I Cor. VII, 10, 11. thios : His qui in conjugio sunt præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro suo non discedere : quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari ; et vir uxorem non dimittat. De hac materia infra plenius dicetur.

33 *Iterum audistis quia dictum est antiquis* per Moysen : *Non perjurabis; reddes autem Domino juramenta tua :* id est, non per idola, neque per elementa, sed
Deut. VI, 13. per Deum jurabis. Dixit enim : Dominum

A Deum tuum timebis, et per nomen ejus jurabis. Hoc Judæi male intellexerunt, putantes sola juramenta mendosa esse prohibita, juramenta quoque injusta et incauta esse servanda. Hunc errorem excludens Salvator, subjunxit :

Ego autem dico vobis, non jurare omnino. 34
Secundum Hieronymum, Christus non prohibet jurare per Deum, sed per ea quæ subsequuntur, videlicet, Neque per cœlum, etc. Sed quoniam statim subjungitur : Sit autem sermo vester, Est, est ;
B Non, non : intelligitur, secundum aliquos, Christus etiam juramentum per Deum dissuasisse vel prohibuisse, non quia semper malum atque illicitum sit, sed, ut ait Augustinus, ne per assiduitatem jurandi, incidat homo perjurium. Est quoque alia ratio cur non debeamus jurare sine necessitate, vel magna utilitate, quamvis sint vera quæ dicimus : quia hoc cedit ad irreverentiam Dei, quod homo tam leviter, inadvertenter et intimorate assumit tantæ sanctitatis majestatem in testem. Quod au-
C tem jurare non sit prorsus illicitum, innotescit per hoc quod Paulus in suis epistolis toties invenitur jurasse, dicendo : Testis est mihi Deus ; et, Testificor coram Deo, etc. Rom. I, 9; Philipp. I, 8; I Thess. II, 5. II Tim. IV, 1.

Porro, secundum Hieronymum super illud Jeremiæ, Jurabis, Vivit Dominus, in Jer. IV, 2.
veritate, et judicio, et justitia, tres sunt comites juramenti, videlicet veritas, judicium, et justitia ; et quodcumque horum defuerit, juramentum erit illicitum. Imo sic jurans, eo ipso quo jurat, perjurus ef-
D ficitur, secundum Thomam, quia hæc observare tenetur in quolibet casu. Si enim desit veritas, juramentum est mendax ; si judicium desit, juramentum est temerarium et incautum ; si justitia, iniquum est, leve atque inutile. Veritas itaque ad juramentum ordinata, requiritur ex parte rei de qua juratur ; judicium vero seu discretio, ex parte jurantis ; justitia autem, ex parte causæ, ut sit necessitas ad jurandum. Juratio ergo debite circumstantionata, videlicet, ut fiat ex causa neces-

saria, tunc ubi taliter [fit] et propter con-
gruum finem, non solum est licita, sed et
actus virtutis quæ dicitur latria. Qui enim
sic jurat, exhibet reverentiam Deo, præ-
supponens eum habere infallibilem veri-
tatem, omniumque certam notitiam, ac
universalem providentiam. Unde ait Scri-
II *Par.* xv, 13, 14. ptura : In omni corde suo juraverunt Do-
Ps. LXII, 12. mino, et invenerunt ; et Psalmista, Lauda-
buntur omnes qui jurant in eo. Hieronymus
quoque affirmat, quod jurans veneratur
vel diligit eum per quem jurat.

Sic ergo intelligenda est littera : *Dico*
vobis non jurare omnino, hoc est non ju-
rare omnibus modis indifferenter, seu ex
qualibet causa, sed solum modo jam dicto,
videlicet *neque per cœlum, quia thronus,*
id est sedes et habitatio, *Dei est.* Quam-
vis enim incircumscriptus immensusque
Deus loco nullo claudatur, ibi tamen esse
asseritur, ubi operatur et se ipsum osten-
dit. Quum ergo in cœlo empyreo maxime
I *Cor.* XIII, 12. operetur, illicque facie ad faciem conspi-
ciatur, merito cœlum empyreum appella-
tur thronus ejus. Unde Unigenitus Dei :
Apoc. III, 21. Ego (inquit) vici, et sedi cum Patre meo
35 in throno ejus. *Neque per terram* jurave-
ris, *quia scabellum pedum ejus est,* id est
divinæ potestati subjecta, et a Deo in ulti-
mo ac infimo rerum ordine collocata. Per
pedes itaque Dei, designatur operatio seu
provisio ejus, pertingens usque ad infima.
Is. LXVI, 1. Hoc idem in Isaia scriptum est : Hæc dicit
Dominus : Cœlum mihi sedes est, et terra
scabellum pedum meorum. Non est itaque
sic intelligendum, quasi Deus in divinita-
tis natura corporalia habeat lineamenta, et
situaliter sedeat, præsertim quum de ipso
Job XI, 8, 9. scriptum sit : Excelsior cœlo est, et pro-
fundior inferno ; longior terra mensura
ejus, et latior mari. *Neque per Jerosoly-*
mam juraveris, *quia civitas est magni re-*
Esther XIII, 9. *gis :* de quo legitur in libro Esther : Domi-
ne rex omnipotens, in ditione tua cuncta
Ps. XCIV, 3. sunt posita ; et in Psalmo, Quoniam Deus
magnus Dominus, et rex magnus super
omnes deos. Fuit enim Jerusalem deputata
36 ad hujus regis obsequium. *Neque per ca-*

A *put tuum juraveris, quia non potes unum*
capillum album facere aut nigrum, pro-
pria potestate et solo imperio, quamvis
per artem et naturalium rerum applicatio-
nem possit homo diversos colores crinibus
capitis sui inducere.

Ecce non solum per Deum, sed etiam
per creaturas jurare prohibuit vel dissua-
sit. Sed quomodo intelligendum est hoc ?
Nonne per Evangelium et per Sanctos fit
licitum juramentum ? Nonne Joseph per *Gen.* XLII, 15, 16.
salutem Pharaonis juravit ? Nonne Aposto-
B lus dicit, Ego testem invoco Deum in ani- II *Cor.* I, 23.
mam meam ? Quæritur ergo, quando et
quomodo liceat per creaturas jurare. Re-
spondet B. Thomas, quod juramentum fit
dupliciter : primo, per simplicem conte-
stationem ; secundo, per exsecrationem.
Juramentum primo modo factum, princi-
paliter divinæ veritati innititur. Secunda-
rio autem assumuntur aliquæ creaturæ ad
jurandum, non secundum se, sed in quan-
tum divina in eis veritas manifestatur :
sicque juratur per Evangelium, id est per
C Deum, cujus veritas in Evangelio contine-
tur ; et item per Sanctos, qui hanc verita-
tem crediderunt. In juramento autem quod
fit per exsecrationem, assumitur creatura
tanquam id in quo divinum exerceatur
judicium, si non verum asseritur, ut quum
homo jurat per caput, vel filium suum,
seu aliam rem dilectam. Denique, sicut
licitum est jurare per Deum pro loco, cau-
sa et tempore, sic et per creaturas, tam
per simplicem contestationem, quam per
exsecrationem. Per exsecrationem namque
D juravit Apostolus : Ego, inquiens, testem
invoco Deum in animam meam. Quod vero
Joseph per salutem Pharaonis juraverit,
utroque modo intelligi potest, videlicet :
per modum exsecrationis, ita quod Phara-
onis salutem obligavit Deo ; et per modum
contestationis, contestando veritatem divi-
næ justitiæ, ad cujus executionem prin-
cipes terræ constituuntur, quorum unus
fuit Pharao : sicque per ejus salutem ju-
ravit Joseph, in quantum divina justitia
in Pharaonis imperio monstrabatur. Quum

ergo per creaturas juratur, jurans obliga- A
tur implere jurata, ac si per Deum jura-
ret : quia non jurat per creaturas, nisi in
quantum divina virtus in eis relucet. Ideo
quoque non licet per eas jurare, nisi cir-
cumstantiis debitis observatis, quemadmo-
dum nec per Deum.

Est etiam alia ratio cur Christus per
creaturas jurare prohibuit : quia speciem
idololatriæ habet hujusmodi juramentum.
Idololatræ enim sic jurant; et ei per quod
juratur divinus honor impendi videtur, ut
tangit hoc loco Hieronymus. Quid enim est B
jurare, nisi infallibilem testem ad confir-
mationem verborum inducere ? Christus
vero insinuat, ideo per creaturas non esse
jurandum sine causa necessaria, quia in
eis aliquid divinæ virtutis relucet. Dicit
enim : *Neque per cœlum, quia thronus
Dei est,* id est, gloria Dei manifestatur
in cœlo ; *neque per terram, quia scabel-
lum pedum ejus est,* id est, in terra relu-
cet dispositio potestatis divinæ : sicque
jurando per cœlum aut terram, juratur
per eum cujus majestas præsentatur in
cœlo, vel cujus dispositio relucet in ter-
ra. Per hoc quoque quod non possumus
unum capillum capitis nostri facere al-
bum vel nigrum, evidenter patescit quod
non a nobis, sed a Deo ipsum caput acce-
pimus.

Sit autem sermo vester, Est, est ; Non, 37
non : id est, simpliciter affirmate quod
verum est, et negate quod falsum est, nec
adhibeatur juratio sine necessitate. *Quod
autem his abundantius est,* id est, jura-
mentum quod affirmationi seu negationi
superadditur, *a malo est,* id est, ex malo
culpæ, vel malo pœnæ procedit, videlicet
ex infirmitate, incredulitate, vel suspi-
cione ejus qui exigit juramentum, vel ex
malo jurantis, qui jurat omissis tribus
prædictis juramenti comitibus. Non dixit,
Quod his abundantius est, malum est; sed,
A malo : quia juramentum non est semper
peccatum, sed origo juramenti est malum
quoddam, videlicet quoniam homines sibi
invicem discredunt.

ARTICULUS XI

ELUCIDATIO SEQUENTIS PARTIS HUJUS CAPITULI, USQUE AD FINEM IPSIUS, VIDELICET : AUDISTIS QUIA DICTUM EST.

CONSEQUENTER Salvator informat di- C
scipulos circa judiciale legis præce-
38 ptum de pœna talionis. *Audistis quia di-
ctum est,* id est, per Moysen denuntiatum
est filiis Israel : *Oculum pro oculo* requires,
dentem pro dente exiges : id est, si quis tibi
excutiat dentem vel oculum, fiat ei simili-
ter. Dixit enim Moyses : Qualem læsionem (*Lev.* xxiv, 20 ; *Exod.* xxi, 23-25 ; *Deut.* xix, 21.)
quis intulerit, talem sustinere cogetur, ut
livorem pro livore, vulnus pro vulnere,
animam pro anima. Hæc ultio licita erat in
lege rudibus data, quatenus timore eadem
patiendi retraherentur ab injuriatione, et D
ne læsi ex impatientia et crudelitate exce-
derent modum in ulciscendo. Est enim
commune hominibus, ut velint plus læsio-
nis rependere, quam passi sunt, eo quod
alius prior in eos peccavit, sicque non so-
lum læsionem, sed et contemptum inju-
stitiamque perpessi sunt. Lex ergo aliqua-
liter reduxit ad pacem, et præparavit ad
patientiam, dum jubet non plus inferre
quam illatum est. Judæorum vero non-
nulli circa verba prædicta dupliciter erra-
verunt : primo, quoniam æstimabant vin-
dictam propter se appetendam ; secundo,
quia putabant hæc verba sic dici per
modum præcepti, ut non liceret aliter age-

re, seu penitus indulgere : non pensantes A
Ps. vii, 5. illud in Psalmo, Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis. Jeremias quoque virum per-
Thren. iii, 30. fectum describens, ait : Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis. Christus ergo istos errores excludens, subjecit :

39 *Ego autem dico vobis, non resistere malo,* id est non repugnare, non reddere malum pro malo, non litigare, nec repercutere. Per hoc non datur intelligi, vitia non esse coercenda, nec excessus esse corri- B gendos ab his quibus ratione officii competit servare justitiam ; sed ne privata persona vindicet semetipsam, et ne aliquis affectu vindictæ potius quam zelo justitiæ, corrigendique animo, resistat malo, id est peccatori seu peccato. Si autem per hoc quod non resistitur malo, periret ordo justitiæ, ac rigor disciplinæ, et impii in suis malignitatibus indurarentur ac foverentur, resistendum esset secundum ordinem juris ex caritate, præsertim ne iniqui in æternum perirent. Si vero ex resistentia C mali, oritur grave scandalum infirmorum, vel majus malum, tenetur homo non resistere malo, ne ponat offendiculum proximo, aut pejor fiat scissura; vel scandalum tale alio modo sedandum est. Si autem desistat homo resistere malo vindictam non quærendo, quamvis resistendo non oriretur scandalum prædictum majusve malum, tunc erit opus supererogationis atque consilii non resistere. Hinc ergo dicit
Rom. xii, 21. Apostolus : Noli vinci a malo, sed vince in bono malum. Denique imperfectis et D passionatis hominibus tutius atque salubrius est, ut assuescant non resistere malo, quamvis possint. Nam etsi æstiment se resistere secundum ordinem juris, timendum est tamen quod potius impellantur passione quam ratione, impatientia quam justitia, privato amore quam sincera dilectione. Itaque vindicta non est optanda neque quærenda sub ratione vindictæ, sed medicinæ atque justitiæ, utpote ut transgressor in hoc sæculo corrigatur, ordo justitiæ observetur, alii terreantur, vel propter aliquid simile.

Præterea, secundum Christi perfectissima documenta, parum est non resistere. Subditur enim : *Sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe ei et alteram* vel secundum realem exhibitionem, si ratio id deposcat ad ostendendam patientiam, et aliorum ædificationem, vel ad demonstrandum caritatis fervorem, quo homo paratus est ad omnia sustinenda pro fide et Christo. Si autem nil tale occurrat, præbenda est altera maxilla, seu alia pars corporis (sicut B. Martinus præbuit dorsum cædentibus) secundum animi præparationem, ita ut homo paratus sit plura perferre : quia non semper corporaliter præbenda est altera maxilla, præsertim quum Christus alapa recepta dixerit sacrilego : Si male locutus sum, testimonium Joann. xviii, 23.
perhibe de malo ; si autem bene, quid me cædis ? Paulus quoque apostolus, quum a militibus cæderetur, dixit : Si civem Ro- Act. xxii, 25.
manum et indemnatum licet vobis flagellare ? Et tamen utique non solum flagel- Ibid. xxi, 13.
lari, sed et mori pro Christo paratus fuit ; sed desideravit primo Romam videre et informare.

Videtur tamen prædictis contrarium, quod illico jussus cædi, dixit pontifici id Ibid. xxiii, 2, 3.
jubenti : Percutiet te Deus, paries dealbate. Thomas quoque apostolus in vultu percussus, satis horrendam legitur ultionem impetrasse, ita ut percussorem leo occideret. Ad primum respondet Augustinus, quod verba Apostoli erant prophetia, non imprecatio mali. Ad aliud dicit, quod non cogimur illi historiæ credere. Possumus autem dicere, quod ex misericordia potius quam ex crudelitate Thomas hoc fecerit, ut Deus parceret animæ percussoris, et ceteri divinam potestatem agnoscerent.

Et ei qui vult tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium. 40
Istud, secundum Augustinum, intelligitur non quoad operis ostensionem, sed animi præparationem. Sed quia Apo-

I *Cor.* VI, 7. stolus dicit : Jam omnino delictum est in A vobis, quod judicia habetis inter vos; quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? Hinc ergo oportet diligentius intellectum horum verborum inquirere. Chrysostomus itaque hoc loco multis persuasionibus videtur velle probare, nequaquam servum Dei debere coram judice pro temporalibus causam habere vel apparere, propter peccati periculum, quod vix evitari potest, et scandalum aliorum, et quoniam Christus majora rependere potest, si ejus amore vitetur judicium. Idem videtur Augustinus sentire, exponendo præmemorata verba Apostoli dicens : Hoc ipsum vestro peccato agitur, quod inter vos negotia judicio determinanda habetis, quia peccatum est habere judicium contra fratrem.

Verum si hoc absolute intelligatur, daretur impiis magna libertas atque occasio spoliandi et rapiendi, præsertim bona simplicium, fierentque innumerabilia mala. Glossa igitur, quasi exponens verba Augustini, adjecit : Perfectis licet repetere sua simpliciter, utpote sine lite, sine causa, sine judicio; sed non convenit eis inde movere causam ante judicem. Infirmis vero licet repetere sua coram judice, judiciumque habendo contra fratrem, sed non contentiose, vel fraudulenter, vel apud judices infideles.

Verum nec istud videtur aliis satis resolutum. Ecclesia namque non peccat habendo judicia, et religiosi possunt coram judice sua repetere. Fideles quoque in terris infidelium habitantes, nec fideles judices habere potentes, possunt ad judices infideles recurrere. Alii ergo respondent, quod liceat, non autem expediat, sæcularia habere judicia, et quod religiosi ac perfecti possunt sua repetere coram judice, quasi bona communia, non ut propria. — Aliqui etiam breviter dicunt, quod non licet repetere sua in judicio, si ex repetitione oriatur scandalum et malum deterius. Sed tunc scire oportet, quando et quomodo bona temporalia dimittenda sunt propter vitanda scandala aliorum. Ad quod Thomas respondet, quod temporalium bonorum quædam sunt nobis commissa, quemadmodum bona Ecclesiæ committuntur prælatis, et bona reipublicæ committuntur rectoribus. Horum itaque conservatio imminet his quibus commissa sunt, de necessitate, sicut et depositorum. Ideo propter scandalum vitandum dimittenda non sunt, sicut nec alia quæ sunt de necessitate salutis. Unde B. Thomas Cantuariensis episcopus, repetiit bona Ec- B clesiæ cum grandi scandalo regis. Alia bona temporalia, sunt nostra seu propria; et hæc propter scandalum dimittenda sunt, vel largiendo ea aliis, si apud nos sint, vel dimittendo ea aliis, si apud nos non sunt, quando scandalum ex infirmitate vel ignorantia oritur, quod est scandalum infirmorum : dimittenda sunt, inquam, vel scandalum alio modo sedandum est, ut errans instruatur, et scandalizari desistat. Quod si noluerit, jam scandalum ejus erit scandalum Pharisæorum. Dum igitur scanda- C lum ex malitia scandalizati procedit, non sunt bona temporalia, quamvis propria, propter id vitandum dimittenda, quia hoc vergeret in detrimentum boni communis, et rapientibus hoc noceret in anima.

Quod ergo ait Salvator, et ejus Apostolus, intelligendum est secundum promptitudinem animi, ita quod homo paratior sit pati fraudem atque injuriam, quam judicio agere, desiderio pacis internæ et quietis, et ne alii offendantur, dummodo aliunde expediat. — Ex his aliqualiter elu- D cescit, quomodo intelligendum sit, quod alibi præcipit Christus : Qui aufert quæ *Luc.* VI, 30. tua sunt, ne repetas, scilicet cum lite et contentione, vel cum scandalo pusillorum.

41 *Et quicumque te angariaverit,* id est, coegerit seu violenter compulerit, *mille passus,* hoc est ambulare secum per mille passuum spatium (quinque autem pedes faciunt passum), *vade cum illo et alia duo* millia passuum, secundum animi præparationem, vel secundum operis exsecutionem, si sine majoris mali et scandali ortu

vitare non poteris : id est, si aliquis a te A exegerit indebitam servitutem, sed licitam, debes animo esse paratus plus facere, quam ille angariando requirit. Si autem in omnibus præinductis percutiens, rapiens, sive angarians, ex nostra patientia in sua malitia confirmetur ac foveatur, expedit ei resistere secundum juris processum. Si tamen habeatur spes de ejus emollitione, videlicet, quod ejus pravitas per nostram pietatem, caritatem et patientiam corrigatur, sustinendum est, sicut Apostolus loquitur : Vince in bono malum. (*Rom.* XII, 21.) B Unde Chrysostomus : Patientia, inquit, tua illius vincat crudelitatem, et ostende quod major sit benignitas Dei in sanctis, quam malitia diaboli in iniquis hominibus. — Interea, si servus Christi libenter eat cum impio, vel serviat violento, non angariatur, sed ille æstimat se istum angariare.

42 *Qui autem petit a te, da ei* quod postulat, si rationabiliter quærat, et tibi facultas adsit. Da itaque ei secundum exigentiam et possibilitatem tui status ac facultatum tuarum, et si non corporale, tamen spiri- C tuale munusculum, ut si inconvenienter vel inconvenientia postulaverit, informes errantem, quia verbum melius quam datum. Nonne ecce verbum super datum bonum? (*Eccli.* XVIII, 16, 17.) Ut autem testatur Ambrosius : Ejusdem criminis est habenti sua auferre, et indigenti quod quærit denegare, quum possis tribuere. Quoniam, contestante Chrysostomo, homines non domini, sed dispensatores sunt divitiarum, idcirco omnia quodammodo sunt communia. Huic consonat quod in Actibus dicit Apostolus : Opor- D tet reminisci verbi Domini Jesu, quia beatius est magis dare quam accipere. (*Act.* XX, 35.) Denique, secundum principem theologorum, bonum est sui diffusivum ; et caritas non quærit quæ sua sunt. (I *Cor.* XIII, 5.) Ideo dicit Apostolus ad Timotheum : Divitibus præcipe facile tribuere. (I *Tim.* VI, 17, 18.) Verumtamen prodigalitas non laudatur. Nec obstat prædictis illud in Ecclesiastico : Benefac humili, et ne dederis impio. (*Eccli.* XII, 6.) Hoc enim intelligendum est de beneficio corporali, quod non est impio dandum, si sit in fomentum et adjutorium suæ impietatis. Spirituale autem beneficium nulli negandum est, sicut nec corporale in articulo necessitatis.

Et volenti mutuari a te, id est aliquid sibi concedi, seu mutuum accipere, *ne avertaris,* negando ei quod petit, si rationabiliter petit, et tibi adsit facultas. Hoc enim spectat ad caritatem, ut necessitatem proximi quasi propriam æstimemus ac sublevemus subveniendo egenti. Imo agendum est quod in Ecclesiastico scribitur : Perde pecuniam propter fratrem et amicum. (*Eccli.* XXIX, 13.) Teste quoque Psalmista : Jucundus homo qui miseretur et commodat, quia in æternum non commovebitur. (*Ps.* CXI, 5, 6.)

Insuper Christus exponit præceptum legis de dilectione proximi : de qua ait Apostolus, Qui diligit proximum, legem implevit. (*Rom.* XIII, 8.) *Audistis quia dictum est* in lege 43
Moysis : *Diliges proximum tuum,* non dilectione carnali, nec solum dilectione naturali, sed et dilectione caritativa atque gratuita, quæ fundatur in communicatione felicitatis æternæ; *et odio habebis inimicum tuum,* non odiendo naturam, sed culpam, non personam, sed vitium : quod utique odium ex caritate procedit, et ad perfectionem pertinet. De quo in Psalmo cantatur : Perfecto odio oderam illos; (*Ps.* CXXXVIII, 22.) et, Iniquos odio habui. (*Ps.* CXVIII, 113.) Hoc autem quod de odio inimici subjicitur, quidam Judæorum pessime intellexerunt, dicentes inimicos simpliciter odiendos : ad quod multa veteris Testamenti testimonia adduxerunt. Multa enim sunt quæ superficialiter intellecta, videntur hoc ipsum prætendere : sicut quum Moyses ait, Non quæres ei bona; (*Deut.* XXIII, 6.) et Nehemias, Confundantur, et peccatum eorum non deleatur. (II *Esdr.* IV, 4, 5.) Sed talia atque similia intelligenda sunt, quantum ad temporalia bona, vel de inimico secundum vitium inimicitiæ, non secundum esse naturæ; vel dicuntur zelo justitiæ, seu modo prophetiæ, non affectu invidiæ. Quod autem inimici non sint odiendi secundum verum intellectum legis, hinc liquet, quod in Levitico scribitur : Non oderis fratrem tuum (*Lev.* XIX, 17.)

in corde tuo, sed publice argue eum, ne A
Lev. xix, 18. habeas super illo peccatum; et denuo, Non
quæres ultionem, nec memor eris inju-
riæ civium tuorum. Et Salomon loquitur :
Prov. xxiv, 17. Quum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas,
et in ruina illius ne exsultet cor tuum. Job
Job xxxi, 29. quoque protestatur : Si gavisus sum ad
ruinam ejus qui me oderat, et exsultavi
quod invenisset eum malum.

Judæorum ergo errorem Christus exclu-
44 dens, adjunxit : [*Ego autem dico vobis :*]
Diligite inimicos vestros, quantum ad id
quod habent a Deo, puta naturam ad Dei B
imaginem factam, et beatitudinis suscepti-
vam. Diligere autem, est alicui bonum vel-
le, secundum Philosophum. Debemus ergo
adversariis nostris bona spiritualia velle,
videlicet gratiam in præsenti, et gloriam
in futuro : imo et bona corporalia eis op-
tanda sunt, secundum quod expedit eorum
saluti. *Benefacite his qui oderunt vos,* in-
teriorem affectum extendendo in opus, ut
scilicet impendatis eis beneficia spiritua-
lia seu corporalia, secundum congruenti-
am causæ, loci, ac temporis. Unde et Salo- C
Prov. xxv, 21; *Rom.* xii, 20. mon admonet : Si esurierit inimicus tuus,
ciba illum; si sitit, potum da illi. *Et orate*
pro persequentibus et calumniantibus, hoc
est calumniam inferentibus, *vos.* In ge-
nerali pro omnibus illis orandum est, et
etiam in speciali, si specialis causa orandi
occurrit, ut si viderimus inimicum gra-
viter anxiatum, seu damnationis periculo
expositum. De necessitate ergo præcepti
est, ut omnibus quantumcumque adversa-
riis, appetamus saltem in generali gratiam
conversionis, et cetera ad salutem neces- D
saria, nec alicui tali specialiter nos pre-
canti, negemus subsidium ei necessarium,
si dare poterimus. In speciali autem alicui
adversario caritative affici et auxiliari, spe-
ciali necessitate non occurrente, ad super-
erogationem pertinere videtur.

45 *Ut sitis filii* adoptivi *Patris vestri qui*
in cœlis est, scilicet Dei Patris, vel totius
superbeatissimæ Trinitatis, quæ est unus
Creator ac Deus et Pater omnium no-
strum ; *qui solem suum* corporalem, in
cœlo fulgentem ac discurrentem, *oriri fa-*
cit super bonos et malos : omnibus enim
hominibus sol ministrat et nascitur, radios
suos omnibus influendo ; *et pluit super*
justos et injustos. Invitat ergo nos Chri-
stus ad inimicorum dilectionem exemplo
Dei, qui naturalia beneficia nemini sub-
trahit, ut simus filii ejus, id est, ut ei as-
similemur, conformando nos ejus bonitati
ac pietati. Ratio enim filiationis in quadam
assimilatione consistit. Propter quod dicit
Apostolus : Estote imitatores Dei sicut filii *Ephes.* v, 1.
carissimi. Unde Joannes loquitur : Sicut *I Joann.* iv, 17.
ille est, et nos sumus in hoc mundo, vide-
licet adversariis nostris affectum et effe-
ctum caritatis impendendo.

Consequenter ponit Salvator aliam ratio-
nem amandi inimicos. *Si enim diligitis* 46
eos qui vos diligunt, id est, si solum ama-
tis amantes vos, non tam propter Deum,
quam ideo quia vos diligunt, *quam mer-*
cedem habebitis a Deo in patria ? quasi di-
cat, Nullam. *Nonne et publicani,* hoc est
publici peccatores, *hoc faciunt ?* Utique,
et tamen nullam a Deo mercedem sortiun-
tur. *Et si salutaveritis fratres vestros tan-* 47
tum, id est, salutem et bona optaveritis
propinquis vestris, *quid amplius facitis*
quam publicani ? *Nonne et ethnici,* id est
gentiles, *hoc faciunt?* Quia in hac clausula
additur, Tantum, datur intelligi, quod in
præcedenti quoque clausula subaudien-
dum erat. Sciendum ergo, quod amicos di-
ligere ex caritate, non est immeritorium ;
diligere vero amicos alia quacumque dile-
ctione, non est meritorium. Signum autem
quod amici diliguntur, quia amici, et non
principaliter propter Deum, est quum sic
diliguntur, quod inimici non diliguntur.
Denique qui unum hominem odit, nullum
veraciter diligit, quum sit in peccato mor-
tali, quod caritatem exstinguit. Idcirco qui
amat amicos et non inimicos, non amat
amicos per caritatem, sed per naturalem,
carnalem, sive politicam amicitiam. Non
ergo habet a Deo mercedem.

Quæri potest hoc loco, quid sit magis
meritorium, diligere amicum, vel inimi-

cum. Ad hoc diversimode satis a diversis A respondetur. Thomas vero respondet hoc modo : Dilectio refertur ad diligentem, et ad Deum, qui est ratio diligendi proximum. Referendo ergo dilectionem ad diligentem, sic dilectio amici eminet dilectioni inimici : quia amicus quum sit melior atque propinquior, est materia aptior dilectioni quam inimicus. Propter quod actus caritatis transiens super talem materiam est melior, et oppositum ejus est pejus, videlicet odium amici quam inimici. Quantum vero ad id quod est ratio dili- B gendi proximum, quod est Deus, dilectio inimici præeminet : primo, quoniam solus Deus est causa hujus dilectionis ; secundo, quia ex dilectione inimici ostenditur amor Dei fortior esse in diligente, quam ex dilectione amici. Nihilo minus dilectio amici secundum se est melior, ferventior, magisque meritoria : quia ad rationem virtutis ac meriti, plus facit bonum quam difficile. Quamvis ergo dilectio inimici sit difficilior, non tamen est melior vel magis meritoria, nisi præmii accidentalis ratione C laboris annexi. Præmium vero essentiale correspondet fervori dilectionis.

48 *Estote ergo vos perfecti,* non solum amicos, sed etiam æmulos diligendo, pietatis viscera semper habendo, et in omni virtute viriliter vos habendo, *sicut et Pater vester cœlestis perfectus est* perfectione simpliciter dicta, et extra omne genus, ita quod nulla ei deest nobilitas, sed omne quod absolute loquendo melius est inesse quam deesse, convenit Deo cum plenitudine infinita. Huic ergo perfectioni assimi- D lari non possumus similitudine æqualitatis, sed imitationis. Scriptum est enim : Cui similem fecistis Deum ? aut quam imaginem ponetis ei ? et cui assimilastis me ? dicit Sanctus. *Is.* XL, 18, 25. De hac perfectione deiformi, qua Deo assimilari præcipimur, ait Moyses : Perfectus eris, et absque macula cum Domino Deo tuo. *Deut.* XVIII, 13. O vere quanta est bonitas atque dignatio Dei, et quanta est dignitas rationalis creaturæ, eo quod Deus immensus, in cujus comparatione totus mundus est velut pulvis exiguus, vult sibi assimilari similemque vocari creaturam suam rationalem ! Ad hanc quippe perfectionem, etiam in veteri Testamento divinitus invitamur, juxta illud : Nolite contaminare animas vestras : ego enim sum Dominus Deus vester. *Lev.* XI, 43, 44. Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. *Ibid.* XI, 44, 45 ; XIX, 2 ; XX, 7, 26 ; XXI, 8.

Postquam sublimia perfectaque documenta Salvator proposuit, congruentissime admonet vitare vulpeculam, utpote vanam gloriam, quæ tunc fortius atque latentius ingredi solet sive pulsare, non solum pusillos, sed et proficientes ac fervidos, quando efficacius divinis obtemperaverunt præce-
ptis sive consiliis. *Attendite ne justitiam* 1 (cap. VI.)
vestram, videlicet opera virtuosa quæ docui, *faciatis coram hominibus, ut videamini ab illis,* hoc est ad hunc finem quod virtuosi ab illis reputemini, et laudem humanam captetis : hoc enim esset hominibus velle placere ; Deus autem dissipat ossa eorum qui hominibus placent. *Ps.* LII, 6. *Alioqui,* id est, nisi attenderitis sicut admoneo, *mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cœlis est,* id est in conspectu Dei in patria, quoniam cœlestem beatitudinem sortituri non estis. Non enim aliquid meremini sic agendo, quia in moralibus, actus habet speciem a fine ; et secundum Ambrosium, Intentio imprimit speciem actui tuo. Si ergo finis est vanus, opus est vitiosum. Denique secundum Dionysium, bonum est ex integra causa, videlicet omnibus circumstantiis concurrentibus ; malum vero contingit omnifariam, id est, quæcumque circumstantia omittatur. Inter omnes autem circumstantias actus virtuosi, *propter quod* exstat præcipua : et ergo si opus agatur propter laudem humanam, maxime vitiatur atque inficitur.

Tu ergo quum facis eleemosynam, noli 2
tuba canere ante te, id est, noli alta voce, vel signo alio manifestare te ipsum, propter laudem hominum obtinendam, *sicut hypocritæ faciunt in synagogis et vicis,* hoc est templis et plateis. Sic enim multi Judæorum fecerunt. *Ut honorificentur ab*

hominibus. Amen dico vobis, receperunt A
mercedem suam, videlicet laudem huma-
nam. O vanitas ac miseria infinita, propter
volatilem, vilem, fallacem et momentane-
am hominum laudem, divino, æterno et
3 cœlesti honore privari ! *Te autem faciente*
eleemosynam, nesciat sinistra tua quid
faciat dextera tua, id est, tam occulte
hanc facias, quantum ad animi intentio-
nem, ut nec ab illo videatur qui tibi tam
vicinus est ut una manus alteri. Per ta-
lem etenim modum loquendi, datur intel-
ligi, quod homo debet a nemine velle B
videri propter gloriam hominum capien-
dam, quamvis ad aliorum ædificationem
et Dei honorem, possit eleemosyna fieri in
aperto. Vel spiritualiter, Nesciat sinistra,
id est cogitatio perversa seu vana affectio,
quid faciat dextera tua, id est cogitatio et
affectio bona : hoc est, cogitatio vana om-
nino abjiciatur, nec bonæ cogitationi de
qua eleemosyna nascitur, admisceatur. *Ut* 4
sit eleemosyna tua in abscondito loco, id
est, occulte fiat, saltem secundum deside-
rium cordis, intentionemque animi, ne
cupias inaniter apparere.

Et Pater tuus cœlestis, *qui videt* oculo
intellectuali, *in abscondito,* id est intus in
anima, scrutans corda et renes ; et etiam *Ps.* VII, 10.
in occultis tenebrosisque locis, quemad-
modum Jeremias ait : Si occultabitur vir *Jer.* XXIII, 24.
in absconditis, et ego non videbo eum ?
Homo quippe videt quæ foris apparent, I *Reg.* XVI, 7.
Deus autem intuetur cor. *Reddet tibi* copi-
osum præmium eleemosynæ, quod in præ-
senti inchoatur, et in futuro perficitur.

ARTICULUS XII

EXPLANATIO CAPITULI SEXTI : ET QUUM ORATIS.

POST exhortationem operum misericor- C
diæ et caritatis fraternæ, quibus homo
ad proximos suos virtuose extenditur, do-
cet Salvator de actu latriæ per quem ani-
ma ad Deum elevatur, videlicet de ora-
tione, quæ secundum Damascenum, est
ascensus mentis in Deum, vel petitio de-
centium, id est rerum quas decet peti a
5 Deo. *Et quum oratis,* Deum suppliciter
invocando, *non eritis sicut hypocritæ,* id
est, assimilari non debetis vanis homini-
bus, humanam laudem potius quam Dei
honorem, vel honorationem a Deo, quæ- D
rentibus ; *qui amant in synagogis,* id est
in publicis conventiculis seu templis, *et*
in angulis platearum stantes orare. Stant
enim, ut sic remotius videantur. Quod au-
tem apud Christianos designat ecclesia,
hoc apud Judæos significat synagoga, vide-
licet locum cultus divini, vel collectionem
fidelis populi. Secundum Chrysostomum,
dicit non, In plateis, sed, In angulis pla-
tearum : ad insinuandum quod hypocritæ
interdum quærunt secretum locum oran-
di, non ut lateant, sed ut videantur quasi
in abscondito orare, sicque dupliciter com-
mendentur : primo, quoniam orant ; se-
cundo, quoniam latere desiderant. Sciunt
enim laudabilius esse in occulto orare. Ta-
les sunt multi, qui simulant se honores
refugere, nolle præesse, gloriam vanam
odire, ut honorem, prælationem, et glo-
riam consequantur. Sciunt enim, quoniam
honor sequitur fugientem, et quod se hu- *Luc.* XIV, 11; XVIII, 14.
milians exaltetur. Ideo scriptum est : Est *Eccli.* XIX, 23.
qui nequiter se humiliat, et interiora ejus
plena sunt dolo. Sic igitur orant, *ut vide-*
antur ab hominibus, id est, devoti puten-
tur, laudentur et honorentur. *Amen,* id
est veraciter, *dico vobis, receperunt merce-*
dem suam. Imo, etsi a nullo homine vide-
antur neque laudentur, receperunt tamen

mercedem suam in præsenti, quantum ad A
suum propositum et affectum ; nec a Deo
præmium sortiuntur, sed pœnam, tanquam
sacrilegi qui re sacra abutuntur in vanitatem.

His verbis non prohibet Christus in ecclesia materiali ac publicis locis orare,
I *Tim.* II, 8. quum dicat Apostolus : Volo viros orare in
omni loco, levantes puras manus ; et Psal-
Ps. CXV, 14. mista, Vota mea Domino reddam coram
Ps. XXVIII, 2; XCV, 9. omni populo ejus ; itemque, Adorate Dominum in atrio sancto ejus. Et quomodo
Luc. XVIII, 1; I *Thess.* V, 17. poterimus semper et sine intermissione B
orare, si non oraverimus ubicumque fuerimus ? Denique sunt orationes solennes
ac publicæ, quas faciunt ministri Ecclesiæ
pro populo : quas certum est in ipsa ecclesia publice fieri oportere. Orationes quoque privatæ singulorum maxime in ecclesia fieri debent, propter loci sanctitatem
et Sacramenti præsentiam, juxta illud :
Is. LVI, 7, 8. Domus mea domus orationis vocabitur
cunctis gentibus, dicit Dominus. Quod ad
litteram de materiali ecclesia dictum esse,
Marc. XI, 17. Christus allegat. Prohibet ergo Dominus in C
templo et angulis platearum orare, more
hypocritarum, videlicet appetitu laudis humanæ, vel commodi temporalis, et ne solum
oremus in publicis locis. Ideo subditur :
6 *Tu autem quum oraveris,* id est, orare
intendis vel incipis, *intra in cubiculum
tuum,* id est locum secretum et quietum.
Et clauso ostio loci, ne quis accedat, teque
impediat, vel ad inanem gloriam excitet,
eo quod inveniaris in tam sancto opere,
humanum adspectum, præconiumque vitare. Aliqui enim solent subito et inaniter D
gloriari, quum inveniuntur præter vel contra propositum suum laudabiliter occupari. *Ora Patrem tuum* cœlestem, Deum
trinum ac simplicem, *in absconso* loco. *Et
Pater tuus, qui videt in absconso :* non
enim latent eum quæ fiunt in locis abstractis. Specialiter quoque videt Deus per
approbationem in absconso, id est, misericorditer adspicit et acceptat opera bona
quæ fiunt in abditis ad vitandum vitium
vanitatis. Locus vero secretus et quietus
plurimum confert ad orationis puritatem
atque fervorem : quia tunc homo securior
est, nec a sensibilibus toties inquietatur,
unde imaginatio ejus quietior est, et intellectus stabilior ; voluntas quoque tanto
ardentius fertur in Deum, stabiliusque in
eo permanet fixa, quanto amplius a multis abstrahitur.

Potest etiam per cubiculum spiritualiter accipi cor hominis. Sic ergo debemus
intrare cubiculum animæ, id est, ad cor
nostrum redire, et spiritum nostrum intra nos colligere (juxta illud : Audiam *Ps.* LXXXIV, 9.
quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, et
in eos qui convertuntur ad cor), et Patrem
in absconso, id est in cordis secreto soli
Deo patenti, orare, sicut ait Salvator : Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in *Joann.* IV, 24.
spiritu et veritate adorare oportet. Hoc
modo oravit Anna, cujus tantum labia movebantur, et vox penitus non audiebatur. I *Reg.* I, 13.
Et Pater tuus qui videt in absconso, hoc
est in intimo cordis fundo, quem nulla *Job* XLII, 2.
latet cogitatio, *reddet tibi* quod postulas,
imo multiplicem orationis effectum tibi
præstabit, videlicet dulcem in orando saporem, optatæ gratiæ infusionem, sempiternamque gloriam, si tamen infatigabiliter oras.

Orantes autem, nolite multum loqui, id 7
est verba coram Deo multiplicare, *sicut
ethnici,* id est gentiles, *faciunt :* qui ideo
orando multum loquuntur : *putant enim
quod in multiloquio suo,* hoc est virtute
multorum verborum, *exaudiantur* a diis
suis. Et non mirum quod diu orant, et
verba multiplicant : nam orant dæmones,
qui etsi audiant, exaudire non valent, nec
aliquid facere, nisi permissi a Deo. Orant
reges mortuos, Jovem, Mercurium, quorum
crimina sunt notiora quam nomina, qui
etsi viverent, salutem conferre non possent. Orant idola insensata, quæ habent *Ps.* CXIII, 6, sec. Hebr.: CXXXIV, 17.
aures, nec audiunt. *Nolite ergo assimilari
eis,* verba multiplicando ea ratione qua 8
illi, ut arbitremini in multiloquio, et non
potius in affectu fervido, exaudiri. Patet

ergo quod Christus non absolute prohibet verba in oratione protendere, sed ne hoc faciamus more ethnicorum. Nam ipse hor-
*Luc.*xviii,1. tatur nos ut oremus instanter et semper : quod sine multiplicatione verborum mentalium sive vocalium non fit. Ipse quoque
Ibid. vi,12. in oratione pernoctavit. *Scit enim Pater vester, quid opus,* id est necesse, vel utile, *sit vobis, antequam petatis eum* pro quocumque negotio. Scientia enim Dei æterna, perfecta, invariabilisque consistit. Ideo non oportet multum loqui, quasi in multiloquio exaudiret Deus : quia si sic, tunc per nostros sermones aliquid sibi notificaretur, quod antea ignorasset, vel per verborum multitudinem flecteretur, quorum nullum omniscienti et incommutabili competit Deo.

Denique circa hunc locum dicit Chrysostomus : De oratione nobis est sermo, quam solam quasi spirituale tributum anima de visceribus suis offert Deo. Vis autem scire, quam pretiosa sit oratio ? Nulla justitia thymiamati comparatur, nisi sola oratio. Sicut enim thymiamata bene confecta delectant hominem odorantem, sic oratio justi suavis est ante Deum. Vis autem scire dignitatem ejus ? Mox ut de ore processerit, suscipiunt eam angeli manibus suis,
*Tob.*xii,12. sicut Tobiæ angelus dixit : Ego orationem tuam obtuli Deo. Orans autem, nil novi faciat quod adspiciant alii : alte clamando, manus extendendo, pectus tundendo, vel oculos impudenter ad cœlos levando. Sed interiora sua ingrediatur, ut nihil cogitet, nisi de quo orat, et quem orat ; ut claudat ostium sensus carnalis, omnesque cogitationes carnales et sollicitudines foras expellat. Si autem de extraneis et carnalibus rebus cogitaveris, non introisti in interiorem intellectum tuum, neque clausisti ostium sensus ; sed tacite cum cogitationibus superfluis loquens, tempus orationis amittis. Possumus et per ostium intelligere, ut non clamose oremus. Ex

A clamosa enim oratione, multa mala sequuntur. Maxime tria hæc : Primum, quia clamose orans, non credit Deum esse ubique, et absconsa audire, id est, ita se habet alte sibilando, ac si non crederet illa. Secundum, quia mysteria orationum tuarum aliis pandis, et non audiris a Deo, quoniam indisciplinate orasti, sed adhuc ab hominibus derideris. Tertium, quoniam alterum juxta te non permittis orare. Vocibus enim tuis rapis sensum illius ad tuos sermones : et non solum non exau-
B diris, sed adhuc peccatum colligis, dum orare alios non permittis. Sic igitur ora
ut Anna, cujus labia movebantur, vox non I *Reg.* i, 13.
audiebatur. Hæc Chrysostomus.

Porro, per hoc dictum, Scit Pater vester quid opus sit vobis antequam petatis eum, videretur aliqualiter confirmari opinio Socratis asserentis nihil determinatum petendum a Deo, quoniam melius scit quam nos ipsi quid nobis expediat, nisi immediate subjungeret Christus orationem determinata bona petentem. Sed quum Deus
C invariabilis non flectatur, nec solum sciat quid nobis necesse sit, sed etiam quid ipse daturus exsistat, cur eum oramus ? Respondendum, quod ideo, ut ipse donet eo ordine quo se daturum prævidit. Quamvis enim prædestinatio non sit ex meritis, tamen in sua æterna prædestinatione disposuit se daturum gratiam in præsenti, et gloriam in futuro, per preces nostras ac merita. Oramus quoque, ut orando ferventius desideremus, et copiosius mereamur, sicque capaciores reddamur, et plura be-
D neficia obtineamus, susceptamque gratiam diligentius custodiamus, in spe divina roboremur acquirendo quod petimus, et Deo familiariores quodammodo efficiamur,
cum omni fiducia ad thronum gratiæ ac- *Hebr.* iv, 16.
cedentes.

Consequenter docet Filius Dei formam orationis perfectæ, materiamque petendam : *Sic ergo vos orabitis.*

ARTICULUS XIII

EXPOSITIO ORATIONIS DOMINICÆ : PATER NOSTER.

De hujus Orationis expositione, laude et efficacia, tanta jam a sanctis atque catholicis doctoribus dicta sunt, ut pene tædio sit ea perlegere. Verumtamen nec digna, nec sufficientia dicta sunt, nec usquam dicentur. Tanta nempe est hujus gloriosæ Orationis profunditas in sensu, fecunditas in mysteriis, efficacia in effectu, artificialitas in processu seu ordine, ut nemo capere queat vel eloqui. Immensum igitur æternumque Dei Verbum propter nos incarnatum, et quodammodo breviatum, verbum abbrevians et consummans fecit super terram. *Is.* x, 23.

9 *Sic,* inquit, *vos orabitis : Pater noster.* Quid tam auget fiduciam, quid tam inflammat affectum, quid tam lætificat humilem animam, sicut Deum verum et summum velle a fidelibus patrem vocari, eumque fiducialiter patrem vocare? Ut ergo cum plena fiducia postulemus, ejusque quem invocamus, benevolentiam conciliemus seu capiamus, voluit Christus ut sic inchoemus : Pater. Pater utique creatione, provisione, adoptione, redemptione, ad cujus imaginem conditi sumus, cujus providentia gubernamur, cujus gratia adoptati sumus, cujus pietate sumus redempti. Quamvis autem hoc loco nomine patris possit intelligi Deus Pater, prout pater relative accipitur, imo quælibet divina Persona; tamen secundum Augustinum, per patrem Deus Trinitas designatur. Dicit autem, Pater noster, potius quam, Pater meus : ut dicendo, Noster, intelligamus nos omnes fratres esse, atque ad fraternam dilectionem ac mutuam orationem teneri, sicque oremus pro invicem ut salvemur; et etiam ideo, ut sciamus quod Deus sit universale bonum, apud quem non est A personarum acceptio, qui bonum commune diligit et requirit. *II Par.* xix, 7; *Rom.* ii, 11. Secundum Chrysostomum, libenter exaudit Deus precem, dum orans non solum pro se, sed et pro aliis orat. Pro se enim orare, naturæ est et necessitatis; orare autem pro altero, caritatis et gratiæ. Sed pensemus ac satagamus, ne tantæ dignationi, caritati et gratiæ Creatoris simus ingrati, non considerando beneficia ejus, nec ejus majestatem honorando, ne dicat nobis : Si pater ego sum, ubi est honor meus? *Malach.* i, 6.

B *Qui es in cœlis,* id est in cœlestibus civibus seu Beatis, in quibus es excellentissimo modo per gloriam, beatificamque præsentiam. Vel, In cœlis materialibus, præsertim in cœlo empyreo, ubi specialiter esse et habitare diceris, quoniam ibi excellentius operaris, et te ipsum ostendis : quamvis secundum veritatem, ad nullum locum vel tempus determineris vel habitudinem habeas, quantum in te est, sed sis ante omnia non solus, post omnia non præventus, in omnibus non inclusus, C extra omnia non exclusus, supra omnia non elatus, infra omnia non oppressus, manens æternaliter, in tua substantiali simplicitate invariabiliter incircumscriptibiliterque subsistens. Vel, In cœlis, id est sanctis ac virtuosis hominibus, quorum conversatio est in cœlis, qui terrenis non inhiant. *Philipp.* iii, 20. Talibus enim dicit Apostolus : Templum Dei sanctum est, quod estis vos. *I Cor.* iii, 17. In omnibus quippe est Deus per essentiam, præsentiam, et potentiam, omnia penetrans, ambiens et conservans, singulis- D que magis propinquus ac intimus quam aliqua pars suo toti, vel aliquid sibimetipsi : quoniam ipse solus illabitur rerum essentiis, nec aliquid alteri adest, nisi vir-

tute divinæ præsentiæ, seu præsentis, et A
ut sic loquar, præsentissimi Dei, qui per
Jer. XXIII, 24. Jeremiam testatur : Numquid non cœlum
et terram ego impleo ?

Sanctificetur, id est, cum omni puritate
et reverentia honoretur, sanctum esse sci-
atur, in sanctitate et justitia ei ministre-
tur, laudetur et glorificetur, *nomen tuum*
nominatum, videlicet tu ipse qui diver-
sis nominibus designaris, qui testatus es :
I *Reg.* II, 30. Quicumque glorificaverit me, glorificabo
Is. VIII, 13. eum. De quo Isaias inducit : Dominum ex-
ercituum ipsum sanctificate ; ipse pavor B
vester, et ipse terror vester. Ecce hoc ad
bonos pertinet filios, ut primo omnium,
patris sui honorem et gloriam quærant.
Ps. XV, 2. Deus enim bonorum nostrorum non eget,
nec nostro obsequio sive præconio aliquid
felicitatis aut gloriæ ei accrescit. Sed hoc
prorsus justissimum est, ut omnis illi ho-
nor et gloria impendatur. Itaque, Sancti-
ficetur ab omnibus nomen tuum, præsta-
que gratiam adimplendi hoc ipsum. Heu
me miserum, ingratum ac frigidum ! qui
toties sine attentione, et per consequens C
sine reverentia et affectu, verba ista pro-
nuntio. Studeamus igitur agere quod ab
omnibus fieri cupimus, videlicet, ut Deum
ubique et semper honorare conemur, quo-
niam maledictus qui habet se ad eum in-
timorate et irreverenter. Unde in Ecclesi-
Eccli. XXXIX, 41. astico habetur : Et nunc in omni corde et
ore collaudate et benedicite nomen Domini.

10 *Adveniat regnum tuum,* id est, ad tuam
Ps. L, 20. beatitudinem perducamur, ut ædificentur
muri cœlestis Jerusalem, et ruina angelo-
rum suppleatur, numerus Beatorum in pa- D
tria compleatur, sicque regnum trium-
phantis Ecclesiæ consummetur, ac cito
adveniat, ut transferamur de via ad pa-
triam. Vel, Adveniat regnum tuum, id est,
Ecclesia militans, in qua per fidem et gra-
tiam regnas ac habitas, perficiatur ac mul-
tiplicetur, totoque orbe diffundatur, ut tu
solus regnes in ea, hostesque ejus, maxime
dæmones, ejiciantur foras. *Fiat voluntas
tua,* id est, omne præceptum tuum ac be-
neplacitum custodiatur seu impleatur, *sic-
ut in cœlo,* hoc est in Beatis et comprehen-
soribus, *et in terra,* id est in viatoribus :
hoc est, da gratiam, per quam nos in hac
valle degentes, tibi tam prompte, reveren-
ter ac pure obediamus, sicut Beati in cœlo
viventes, quantum nostra fragilitas hoc
permittit, videlicet, ut corpore et anima
tibi in omnibus pareamus.

Panem nostrum supersubstantialem, id 11
est Christum vere superessentialem, et ti-
bi consubstantialem, qui ait, Ego sum pa- *Joann.* VI, 51.
nis vivus qui de cœlo descendi, hoc est
panem sacramentalem ; *da nobis hodie,* ut
hoc cibo spirituali ac saluberrimo quoti-
die sustentemur ac roboremur, suscipien-
do eum sacramentaliter et spiritualiter, vel
spiritualiter solum. Vel, Supersubstantia-
lem, id est præcipuum, secundum Hiero-
nymum, hoc est panem vitæ et intellectus,
panem animæ, panem gratiæ ac obedien-
tiæ (de quo dicitur : Meus cibus est, ut *Ibid.* IV, 34.
faciam voluntatem Patris mei) ; vel certe,
ut dictum est, panem Eucharistiæ, quem
Dionysius supersubstantialem appellat. Lu-
cas dicit : Panem nostrum quotidianum, *Luc.* XI, 3.
id est, quo indigemus quotidie, scilicet
sufficientiam alimenti, da nobis hodie, ut
licet jam panem pro multis diebus suffi-
cientem habeamus, nihilo minus cibum
corporalem cum gratiarum actione et so-
brietate, quasi de manu tua accipiamus.
Hoc est quod in Proverbiis petitur : Tan- *Prov.* XXX, 8.
tum victui meo tribue necessaria.

Et dimitte nobis debita nostra, id est 12
peccata, et pœnas quas peccando merui-
mus, *sicut et nos dimittimus debitoribus
nostris,* qui nos offenderunt, et emendare
tenentur. Qui igitur non ignoscit, contra se
orat. Aliqui vero dicunt se culpam dimit-
tere, non pœnam, quam secundum viam
justitiæ proponunt inferre. Qui tales sunt,
videant quomodo Deus eis pœnas debitas
relaxabit. Non tamen semper dimittenda
est pœna, præsertim a prælato, vel judice,
quia non expediret delinquenti. Si autem
homo quantum in se est, mallet pœnam
clementer dimittere, quam juste ulcisci,
nisi fraterna caritas et ordo justitiæ aliud

flagitarent, potest secure Deum orare pro A pœnæ relaxatione.

13 *Et ne nos inducas in tentationem.* Secundum Jacobum, Jacob. I, 13. Deus neminem tentat, loquendo de tentatione hostili et deceptoria, quæ ordinatur ad malum tentati. Tentat tamen electos tentatione probationis et exercitationis, quæ ordinatur ad purgationem et perfectionem tentati. Probat autem seu tentat, non ut sibi aliquid innotescat, sed ut homo purificetur, et aliis ostendatur, atque se ipsum cognoscat. Unde Deut. VIII, 2. locutus est Moyses : Recordaberis itineris per quod adduxit te Dominus, ut affligeret te, atque tentaret, et nota fierent quæ versabantur in animo tuo. In Exodo Exod. XX, 20. quoque legitur : Ut probaret vos Deus, venit, et ut terror illius semper in vobis Joann. VI, 5, 6. esset. Sic et Christus tentavit Philippum. De qua sancta tentatione in Sapientia legitur : Sap. III, 5. Deus tentavit justos, et invenit illos dignos se. De qua sanctus Job contestatur : Job XXIII, 10. Probavit me Dominus quasi aurum quod per ignem transit. Non ergo petimus non induci in hanc tentationem, non enim directe inclinat ad culpam. Ideo dicit Psalmista : Ps. XXV, 2. Proba me, Domine, et tenta me. Et in Judith habetur : Judith VIII, 24, 25. Illi qui tentationes non susceperunt in timore Domini, et impatientia sua exterminati sunt. Tobiæ quoque Tob. XII, 13. tentato angelus affirmavit : Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te. Nihilo minus orare debemus Deum, ut præstet nobis gratiam patientiæ atque constantiæ in tentatione hujusmodi.

De alia vero tentatione jam dicta, quæ est ab hostibus animæ, scilicet mundo, D carne, et dæmone, petimus ut non inducamur in eam per consensum, quamvis ipsa inducatur in nos per impugnationem. Imbecilles quoque et imperfecti suam infirmitatem scientes, quandoque utiliter orant ne tententur, propter vitandum ruinæ periculum, vel ne graviter impugnentur. Tentatio autem hujusmodi, dum ei non consentimus, est magni profectus occasio. Eccli. XXXIV, 9. Qui enim non est tentatus, quid scit? Itaque, Et ne nos inducas in tentationem, ne opprimat nos, nec mergamur in ea, nec desinas nos supra vires tentari, I Cor. X, 13. sed da fortitudinem resistendi, et fac cum tentatione proventum. In hanc malam tentationem inducit Deus permissive, subtrahendo auxilium. Juxta quem modum dicitur Exod. IV, VII, IX-XI, XIV; Deut. II, 30; III, 1-3. indurasse Pharaonem, Sehon, et Og : et quomodo dicit Apostolus, II Thess. II, 10. Mittet illis spiritum erroris, ut credant mendacio.

Porro viri perfecti orare possunt ut tententur utroque modo, qui cum Apostolo dicere possunt : Rom. VIII, 35. Quis nos separabit a caritate B Christi? Et : Ibid. 38, 39. Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Talibus quippe dicitur : Jacob. I, 2. Omne gaudium existimate, fratres, quum in diversas tentationes incideritis. Unde Jeremias oravit : Jer. X, 24. Corripe me, Domine.

Sed libera nos a malo, hoc est ab omni incentivo et occasione peccati, a malis pœnalibus propter originale peccatum inflictis, ab omni periculo, et salutis obstaculo. C *Amen,* id est, fiat. Hæc dictio, Amen, est Hebræa; quam nec Græcus nec Latinus interpres transtulit, propter reverentiam ejus, eo quod Christus toties usus est ea. Est autem orationis signaculum fructuosum, et animi recollectivum. Dicendo enim, Amen, anima summatim fertur ad omnia præinducta, et renovatur affectio impetrandi : sicque oratio cum fervore finita, pleniorem sortitur effectum.

Postremo, de hujus dominicæ Orationis perfectione, et septem petitionum in ea contentarum congruentissimo ordine, dicit Thomas hoc modo : Oratio dominica omnino perfectissima est, quia non solum continetur in ea quidquid orandum est, sed etiam eo ordine quo petenda sunt : ita quod ipsa est informativa totius nostri affectus. Primo enim cadit in desiderio animæ ipse finis, deinde media ad finem. Finis autem noster est Deus, ad quem dupliciter tendimus : Primo, desiderando gloriam Dei, quantum ad ipsum, videlicet, ut ipse honorificetur in omnibus : quod

procedit ex caritate qua diligimus Deum
in se ipso. Et ad hoc pertinet prima peti-
tio qua dicitur, Sanctificetur nomen tuum.
Secundo, prout desideramus perfrui glo-
ria Dei : quod oritur ex caritate qua nos
ipsos in Deo diligimus. Ad quod spectat
secunda petitio, Adveniat regnum tuum.
Ad hunc autem finem ordinat seu adducit
nos aliquid dupliciter : Primo per se : et
hoc rursus dupliciter, scilicet : principa-
liter et directe, ut sunt opera virtuosa qui-
bus meremur, ad quod respicit petitio
tertia, Fiat voluntas tua ; secundo, instru-
mentaliter, utpote cooperando seu adju-
vando ad opera bona, quod facit alimen-
tum, et hoc quærit quarta petitio, Panem
nostrum quotidianum. Secundo, ordinat
nos aliquid ad finem prædictum, per acci-
dens, scilicet removendo prohibens sive
impedimentum salutis consequendæ, quæ
est noster finis. Sunt autem tria quæ nos
a salute impediunt : Primum est pecca-
tum, quod directe a felicitate excludit :
ideo quinta petitio est, Et dimitte nobis
debita nostra, etc. Secundum est tentatio,
a Deo nos retrahens : propter quod sexta
petitione oramus, Et ne nos inducas, etc.
Tertium est præsens pœnalitas, quæ vitæ
sufficientiam impedit : ideo septimo peti-
mus, Sed libera nos, etc.

Harum septem petitionum, tres primæ
nunc impleri incipiunt, in patria vero per-
fecte implentur. Aliæ quatuor, ad præ-
sentis vitæ necessitatem atque miseriam
pertinent, secundum Augustinum. Sed quia
Job vii, 1. militia est vita hominis super terram, nec
a pœnalitatibus originalis peccati libera-
mur in sæculo isto, videtur quod etiam
duæ ultimæ impleantur in patria, in qua
neque tentatio locum habet, neque pœ-
nalitas.

Hanc igitur sacratissimam orationem ex
divinæ ac sempiternæ sapientiæ fonte im-
mediate manantem, devotissime profera-
A mus, et tanto devotius quanto frequentius,
ne frequentia incuriam pariat atque fasti-
dium, sed eam sæpius iterando, crescamus
semper in ejus affectu, seu gratia, per
quam ardentius solito repetatur. Novi fra-
trem qui ut hanc orationem attentius
diceret, quamlibet ejus petitiunculam ad
digitum manus per ordinem legit.

Quod autem harum septem petitionum
quinta, videlicet, Dimitte nobis, sit maxime
attendenda propter pactum quod in ea
cum Domino facimus, constat per hoc,
B quod hanc solam Christus quasi exponen-
do prosequitur : *Si enim dimiseritis ho-* 14
minibus peccata eorum. Tanquam dicat :
Recte docui vos sic orare, et merito sic
oratis, Dimitte nobis debita, etc. Si enim
dimiseritis hominibus peccata eorum in
vos commissa vel omissa, *dimittet et vobis*
Pater vester cœlestis delicta vestra in eum
patrata. *Si autem non dimiseritis homi-* 15
nibus, nec Pater vester cœlestis *dimittet*
vobis peccata vestra. Hoc inferius magis
tractabitur, et ex præhabitis patet. Tene-
C mur enim omnes, etiam persecutores, di-
ligere. Unde in Ecclesiastico dicitur : Qui *Eccli.*
vindicari vult, a Deo inveniet vindictam, xxviii, 1, 2.
et peccata illius servans servabit ; relin-
que proximo tuo nocenti te, et tunc de-
precanti tibi peccata solventur. Et in libro
Judicum : Sicut feci, ita reddidit mihi *Judic.* i, 7.
Dominus.

Quæritur, quomodo homo quicumque
offensus offensori peccata dimittere possit,
quum scriptum sit : Quis potest peccata *Marc.* ii, 7.
dimittere, nisi solus Deus? Dicendum, quod
D solus Deus dimittit peccatum simpliciter
per gratiam, tollendo maculam culpæ, re-
laxandoque pœnam quæ secundum divi-
nam æquitatem peccato debetur. Homo
autem dimittit peccatum quodam modo,
scilicet quantum ad injuriam seu offen-
sam sibi illatam, vel quoad satisfactionem
sibi debitam.

ARTICULUS XIV

DECLARATIO RESIDUÆ PARTIS PRÆSENTIS CAPITULI : QUUM JEJUNATIS.

16 QUUM *jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes.* Jejunium est actus abstinentiæ, quæ est pars temperantiæ. Est enim jejunium moderata alimenti carentia, et ordinatur ad multa, præsertim ad quatuor, utpote : ad concupiscentiæ refrenationem, ad contemplationis puritatem, ad culpæ emendationem, ad virtutum et gratiæ adeptionem. Unde cantatur : Qui corporali jejunio vitia reprimis, mentem elevas, virtutem largiris et præmia. Quum ergo jejunium sit actus virtutis, ad Dei dumtaxat honorem fieri debet, non ad ostentationem inanem. Ideo ait Salvator :

Quum jejunatis, vos ipsos corporaliter affligendo ex parcimonia victus, *nolite fieri,* id est, non solum non sitis, nec efficiamini, sed nec cupiatis esse vel fieri, *sicut hypocritæ tristes.* Hoc quod ait, Hypocritæ tristes, legi potest divisim, et conjunctim : divisim sic, Nolite fieri tristes in corde vel apparatu, sicut hypocritæ tristes sunt vel corde vel apparatu ; conjunctim sic, Nolite fieri sicut hypocritæ tristes, id est, non efficiamini similes hypocritis tristibus, simulando mœrorem in vultu quasi ex magna devotione. *Exterminant enim,* id est, extra convenientem dispositionem seu naturalem ac solitum terminum ponunt, *facies suas,* pallorem, attenuationem, seu maciem assumendo in vultu. Secundum diversas enim animæ affectiones facies facile immutatur. Quemadmodum ergo Esther regina tristem animum celavit vultu jucundo, sic hypocritæ inanem animum celant facie mœsta. Aliqui autem hypocritæ jejunant, ut faciem macilentam pallidamque acquirant, et sic sancti ac jejunantes putentur. Aliqui vero non jejunant, et tamen ficta exterminatio- (Esther xv, 8.)

A ne vultus jejunare se simulant. Sunt enim quatuor species hypocrisis : prima, qua homo se fingit habere vel facere quod non habet nec facit ; secunda, quum bona facit propter inanem gloriam ; tertia, quum mala bonis obumbrationibus depinguntur ac palliantur : unde infra habetur, Væ vobis, qui similes estis sepulcris dealbatis. (Matth. XXIII, 27.) Quarta, quum homo simulat se velle latere, et tamen hoc facit ut videatur, nec hypocrita, sed humilis reputetur. Ecce quam infelicissimum, vile, et contempti-
B bile est genus hypocritarum : de quibus merito dicitur, Simulatores et callidi provocant iram Dei. (Job XXXVI, 13.) Deus namque est ipsa veritas ; totum autem negotium hypocritarum falsitati innititur. Exterminant igitur facies, *ut pareant,* id est videantur, *hominibus jejunantes,* non ad ædificationem intuentium, sed ad propriam laudem. *Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam :* quæ modica est, quoniam gaudium hypocritæ ad instar puncti. (Ibid. XX, 5.)

Tu autem, quum jejunas. Consuetudo 17
C Scripturæ est, sæpe mutare personam, tempus, vel numerum : sic modo a plurali ad singulare descenditur. Tu autem, o fidelis, quicumque sis ille, quum jejunas, *unge caput tuum, et faciem tuam lava,* id est, sincerum vultum prætende, et festivus ac
hilaris esto, *ne videaris hominibus jejunans,* id est, ut vanam gloriam fugias ; *sed* 18
Patri tuo cœlesti, *qui est in abscondito,* id est, inaccessibilem lucem inhabitat, et incomprehensibilis est, quemadmodum Isaias testatur : Vere tu es Deus absconditus, (I Tim. VI, 16. Jer. XXXII, 19. Is. XLV, 15. Ps. XVII, 12.)
D Deus Israel. Posuit nempe tenebras latibulum suum. Vel : Qui est, id est habitat, in abscondito, id est in corde humili, latere optanti, non in manifesto, id est in animo

vano apparere volenti. Secundum Hiero- A
nymum, Christus loquitur secundum morem provinciæ Palæstinæ, in qua diebus festis homines capita ungunt : sicque per capitis unctionem et faciei lotionem, insinuatur celebritas quædam, seu gaudium vultus. In omni enim opere virtuoso lætandum est, præsertim quum dicat Apo-
Philipp. III, 1; IV, 4. stolus : Gaudete in Domino semper. Potest quoque per caput, mens, per faciem, conscientia designari, ut sit sensus : *Unge caput tuum,* id est, mentem tuam spirituali jucunditate perfunde : de qua ait Psalmi- B
Ps. XLIV, 8. sta, Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ. Est enim oleum pravum, de quo scribi-
Ps. CXL, 5. tur : Oleum peccatoris non impinguet caput meum. Et est oleum bonum, de quo
Cant. I, 2. in Canticis : Oleum effusum nomen tuum, id est dulce, clarum, ac delectabile, quemadmodum oleum. Hoc oleum non competit
Job XXVII, 10. hypocritis, juxta illud : Numquid hypocrita poterit in Omnipotente delectari? *Et faciem,* id est conscientiam, *tuam lava* ab intentione corrupta, omnique macula,
Jer. IV, 14. prout per Jeremiam consulitur : Lava a C
malitia cor tuum, ut salva fias. Et Isaias
Is. I, 16. inquit : Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum.

Et Pater tuus cœlestis, *qui videt in abscondito,* id est, intima cordis agnoscit, et in abscondito facta bona acceptat, approbandoque inspicit. Hoc modo Deus non videt inaniter facta in manifesto, juxta
Eccli. XXXIV, 23. quod Sapiens ait : Non respicit Dominus in oblationes injustorum. *Reddet tibi* salutarem effectum jejunii, et præmium copiosum, videlicet indulgentiam, concupiscen- D
tiarum mitigationem, contemplationisque gratiam. Denique, quod jejunium mereatur divinæ sapientiæ illustrationem, patet
Dan. I, 8-20. in Daniele, Anania, Azaria, et Misaele, quibus Deus præstitit sapientiam et scientiam propter abstinentiam. Meretur et precum exauditionem, sicut ad Danielem angelus
Ibid. X, 12. loquitur : Ex die quo posuisti cor tuum ut affligeres te in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua. Tanta nempe est virtus jejunii, ut de pessimis dæmonibus Christus dicat : Hoc genus dæmoniorum Marc. IX, 28.
in nullo potest exire, nisi in oratione et jejunio.

Sed quoniam parum prodest abstinere a cibis, nisi abstineatur a vitiis, prout Dominus asserit : Ecce in die jejunii vestri Is. LVIII, 3-6.
invenitur voluntas vestra; ecce ad lites et contentiones jejunatis. Numquid hoc est jejunium quod elegi ? Nonne hoc est magis jejunium quod elegi? dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes. Et rursus, quoniam jejunii tres sunt comites, scilicet eleemosyna, humilitas, et oratio : unde in Tobia legitur, Bona Tob. XII, 8.
est oratio cum jejunio et eleemosyna. Ideo consequenter Christus docet vitia exstirpare, avaritiamque vitare per eleemosynarum largitionem.

Nolite thesaurizare vobis, id est immode- 19
rate colligere, *thesauros,* id est temporales divitias naturales, ut sunt blada, gemmæ, etc., vel artificiales, ut sunt pecuniæ, vasa et vestes, *in terra,* id est in sæculo isto, ubi non habetis manentem locum, sed pe- Hebr. XIII, 14.
regrini et advenæ estis : juxta illud in Psalmo, Ne sileas, quoniam advena ego Ps. XXXVIII, 13.
sum apud te et peregrinus, sicut omnes patres mei. Unde in libro Paralipomenon David fatetur : Peregrini sumus coram te, I Par. XXIX, 15.
Domine; dies nostri quasi umbra sunt super terram, et nulla est mora. *Ubi ærugo,* id est rubigo, *et tinea demolitur,* id est, corrumpit divitias seu thesauros, *et ubi fures effodiunt* domos vel loca in quibus occultantur thesauri, *et furantur* eos. Thesaurus enim est vel de metallis, et hunc demolitur rubigo; vel de vestibus, quem destruit tinea ; vel de lapidibus, quem subtrahunt fures. Hinc scriptum est : Agi- Jacob. V, 1-3.
te nunc, divites, plorate ululantes in miseriis quæ advenient vobis : divitiæ vestræ putrefactæ sunt, et vestimenta vestra a tineis comesta sunt; aurum vestrum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum in testimonium vobis erit. Hanc thesaurizationem seu avaritiam gravissime damnat Scriptura. Dicit enim Apostolus, quod avaritia sit idolorum servitus, om- Coloss. III, 5.

I Tim vi,10. niumque malorum radix sit cupiditas ; et, A
Ibid. 9. Qui volunt (inquit) divites fieri, incidunt
in tentationem et laqueum diaboli. Sapiens
Eccli. x, 9, 10. quoque ait : Avaro nihil est scelestius, et
nihil est iniquius quam amare pecuniam ;
hic enim animam suam habet venalem.
Quum enim temporalia ad spiritualia ordinantur, habent rationem instrumenti ac medii : ideo non sunt amplius appetenda vel exquirenda, quam ad spiritualia bona adipiscenda, augenda, seu conservanda, prosunt et conferunt. Propter quod dicit
I Tim. vi, 8. Apostolus : Habentes victum et quibus te- B
gamur, his contenti simus. Verumtamen thesaurizatio procedens ex causa honesta, et nemini nocens, atque ad pium finem relata, non est illicita, neque his verbis prohibita.

20 *Thesaurizate autem,* id est, copiose colligite, et prudenter reponite, *vobis,* id est ad vestram salutem, *thesauros,* id est cumulum operum meritoriorum, *in cœlo* empyreo, id est ad hunc finem, ut ad cœlestem perducamini mansionem, committendo opera vestra Deo, et mercedem ab eo tantum C
quærendo. Hoc est quod Apostolus monet :
Ibid. 17-19. Divitibus hujus sæculi præcipe, non sublime sapere, nec sperare in incerto divitiarum, divites fieri in operibus bonis, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. Avari autem, et divites qui in terra, non in cœlo, thesaurizant, experientur verum
Job xxvii, 19, 20. esse quod in Job scribitur : Dives quum dormierit, nihil secum auferet ; apprehendet eum quasi aqua inopia. Denique quidam thesaurizant sibi in inferno, sicut D
Rom. ii, 5. affirmat Apostolus : Secundum duritiam tuam et impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei. Tales sunt peccatores in pec-
Amos iii, 10. catis assidui, de quibus Propheta : Nescierunt (inquit) facere rectum, thesaurizan-
Eccli. iii, 29. tes impietatem. Peccator enim adjiciet ad peccandum. *Ubi neque ærugo neque tinea demolitur* thesauros, *et ubi fures non effodiunt neque furantur.* In regno enim cœlorum nihil esse potest nocivum aut corruptivum, juxta illud : Non intrabit in Apoc. xxi, 27.
illam civitatem aliquid coinquinatum, nisi qui scripti sunt in libro vitæ.

Propterea vero in cœlo thesaurizare debes, o quilibet Christiane : *Ubi enim est* 21
thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. Thesaurus namque est quod præcipue amatur, colligitur, et custoditur. Ubi ergo thesaurus tuus, ibi est et cor tuum, non per essentiam, sed per affectum, intentionem atque memoriam. Per cor enim, desiderium et cogitatio cordis exprimitur. Quod ergo magis amatur, hoc frequentius cogitatur. Ideo thesaurizantes immoderate in terra, conversationem non habent in cœlo, neque cor supernis ac divinis intentum, sed in sensibilibus pressum et miserabiliter occupatum. Sed quoniam Christianus oculum mentis semper ad cœlum, tanquam ad patriam, erigere debet, incumbit ei thesaurizare in cœlo spirituales divitias meritorum, quas in die mortis inveniat, edat, et sine fine possideat.

Lucerna corporis tui est oculus tuus. 22
Non de oculo exteriori, neque de corpore naturali intelligendum est hoc. Subditur enim : *Si fuerit oculus tuus simplex, totum corpus tuum lucidum erit,* etc. Oculus enim exterior non proprie dicitur simplex vel nequam, sed sanus vel infirmus. Et quamvis aliquo modo simplex dici possit, non tamen propter ejus simplicitatem, id est custodiam, totum corpus naturale lucidum erit, id est bonis actibus ornatum, et a carnalibus vitiis incontaminatum. Potest enim contingere, ut propter incustodiam tactus vel gustus maculetur, quemadmodum et in cæcis. Intelligendum est ergo de oculo interiori et corpore morali, ut sit sensus : *Lucerna,* id est illuminatrix atque directrix, *corporis tui,* id est totius operationis tuæ, seu universitatis et congeriei operum tuorum licitorum, *est oculus tuus,* id est ratio illuminata, vel intentio recta, quæ dirigit animam in agendo sicut lucerna illuminat hominem in eundo. *Si fuerit oculus tuus simplex,* id est ratio non perversa, et intentio bona,

totum corpus tuum, id est omne opus tuum, *lucidum erit,* id est splendore virtutis ornatum et purum.

23 *Si autem oculus tuus nequam fuerit,* id est intentio obliqua, et ratio errabunda, *totum corpus tuum,* id est congeries operum, *tenebrosum erit,* id est vitiosum et maculatum : quamvis ipsa ex genere bona sint et præcepta, ut si quis vadat ad Missam ut videat mulierem, vel præstet eleemosynam ut videatur ab homine. Intentio enim imprimit speciem moralitatis operationi, et a fine maxime pendet bonitas et malitia actionis. Intentio vero et finis est duplex, videlicet : correspondens, connaturalis, seu proportionatus operi. De quo fine et intentione nunc agitur. Alius est finis et intentio improportionate se habens ad actum, sed solum ex parte operantis concipitur. Et sic ex se mala non possunt fieri propter finem bonum, seu bona intentione, loquendo de fine et intentione primo modo acceptis ; sed fieri possunt bono fine et bona intentione, secundo modo. Hoc tamen non sufficit ad operis bonitatem : ut si quis occidat adversarium suum, quatenus illo occiso, pacifice vivat.

Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sunt, id est, si ratio tua, quæ debuit alia
Ps. IV, 7. illustrare (quia signatum est super eam lumen vultus divini), tenebris ignorantiæ et peccati fuscatur, ipsa quoque intentio pervertatur, *ipsæ tenebræ quantæ erunt?* id est, affectiones carnales et operationes injustæ quam impiæ erunt? Erunt quippe dupliciter vitiosæ : primo, quia in se malæ sunt; secundo, quia ex prava intentione procedunt.

Consequenter ponit Salvator rationem non thesaurizandi in terra, seu contemnendi superfluitatem temporalium divitiarum.
24 *Nemo potest duobus dominis* non subordinatis, sed contrariam voluntatem habentibus, *servire,* videlicet Deo et mundo, Deo et carni. Propter quod dicit Apo-
Galat. I, 10. stolus : Si hominibus placerem, Christi servus non essem. Dominis vero subalternatis atque concordibus, potest homo si-

A mul servire ac obedire, videlicet Deo et ejus vicariis. Imo qui uni eorum repugnat, reluctatur et alteri, sicut ait Salvator : Qui Luc. x, 16.
vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit. *Aut enim unum odio habebit,* quantum ad id quo contrariatur alteri, *et alterum diliget,* eum videlicet cui ex animo servit, juxta quod dicit Apostolus :
Servi, diligite dominos vestros, non ad Ephes. VI, 5, 6.
oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ex animo. *Aut unum sustinebit,* id est eum cui servit : et si non di-
B ligat, tamen tolerabit eum, et jugo ejus subjiciet se; *et alterum contemnet,* videlicet eum cui non servit neque obedit. Non dicit, Aut unum diliget, et alterum contemnet : quia interdum non diligit eum cui deservit, et tamen sustinet eum quasi durum dominum, ut patet in his qui dæmoni serviunt, quem non diligunt. Item non dicit, Et alterum odio habebit, sed, Contemnet, videlicet Deum : quia secundum Augustinum, etiam illi qui non serviunt Deo, non odiunt eum, sed sper-
C nunt, dum quasi de ejus bonitate securi sunt. Dicit enim Augustinus : Nullius vere conscientia Deum potest odisse. Sed videtur contrarium quod de Judæis ait Christus : Nunc autem viderunt et oderunt me Joann. XV, 24.
et Patrem meum gratis. Et Psalmista :
Nonne qui oderunt te, Domine, oderam? Ps. CXXXVIII, 21.
Et rursus : Superbia eorum qui te oderunt, Ps. LXXIII, 23.
ascendit semper. Dicendum, quod considerando Deum secundum se, et ut causam rerum, nemo eum odit; considerando vero eum ut prohibitorem et punitorem
D delectationum ac delectabilium, multi odiunt ipsum.

Non potestis Deo servire, id est vere et obedientialiter subditi esse, *et mammonæ,* id est divitiis, seu dæmoni de avaritia tentanti. Qui enim Deo servit, præfert spiritualia et æterna sensibilibus ac transitoriis; qui vero divitiis servit, præfert caduca cœlestibus. Divitiis namque servire, est inordinato earum affectu ligari, in eis finem ponere, cupiditatisque vitio superari
atque subesse. A quo autem quis victus II Petr. II, 19.

est, hujus et servus est. Unde Salvator ait : A
Joann. VIII, 34. Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Talis potius possidetur et regitur a divitiis, quam regat et possideat eas.

25 *Ideo dico vobis* discipulis meis, qui ad perfectionem tendere festinatis. Talibus enim præcipue loquitur Christus in sequentibus, quamvis ad omnes Christianos aliquo modo pertineant. *Ne solliciti sitis,* id est, inordinatam et anxiam curam habeatis, *animæ vestræ,* id est vitæ animali alimoniis indigenti, vel vobis ipsis (ut ponatur pars pro toto, scilicet anima pro homine), *quid manducetis,* id est de cibo et sustentaculo vitæ, sub quo intelligitur potus; *neque corpori vestro* solliciti sitis hoc modo, *quid induamini,* id est de vestitu. Superflua autem sollicitudo circa hujusmodi appellatur, quando homo in tantum circa talia adipiscenda occupatur, quod a spiritualibus debitis impeditur, vel talia abundantius quærit, quam necessaria sint. De sollicitudine tali Salomon loqui-
Prov. XI, 7. tur : Exspectatio sollicitorum peribit. Porro sollicitudo ordinata et rationalis vocatur, qua homo secundum exigentiam sui status quærit necessaria vitæ præsentis in ordine ad spiritualia. Talisque sollicitudo est pars prudentiæ; hanc non habere, esset Deum tentare, vel ignaviter se habere.

Prædictam vero superfluam sollicitudinem non esse habendam, probat Salvator multiplici ratione et exemplo. Et primo per locum a majori. *Nonne anima plus,* id est præstantior, *est quam esca* corporalis? *et corpus* nonne *plus,* id est dignius, est *quam vestimentum?* Utique. Qui ergo D sine vestra sollicitudine, ex sua liberalissima bonitate largitus est vobis animam et corpus, alimentum quoque et vestitum præstabit sine immoderata sollicitudine
I Petr. V, 7. vestra. Ipsi enim cura præcipua est de rationali creatura.

Deinde ponit aliam rationem ad idem, sumptam ex consideratione irrationabili-
26 um creaturarum. *Respicite,* id est, sapienter attendite, *volatilia cœli* aerii : quæ dicuntur volucres cœli, quoniam volant in aere, qui infimum cœlum vocatur; *quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant* fructus *in horrea.* Omnia enim hæc sunt opera rationis, quæ illis convenire non possunt. Videmus tamen, quod multæ aves congregant victum in nidos. Quemadmodum ergo volatilia pergunt ad grana, et colligunt ea secundum naturalem instinctum, sic hominibus committitur labor et providentia, non sollicitudo inquieta vel avaritia. *Et Pater vester cœlestis pascit ea* per causas secundas. Nam opus B naturæ et intelligentiæ, est opus primæ causæ. Unde in Psalmo cantamus : Qui dat Ps. CXLVI, 9.
jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum. Et Job ait : Qui Job XXXVIII, 41.
præparat corvo escam, quando pulli ejus clamant ad Deum, vagientes eo quod non habeant cibos. *Nonne vos magis pluris,* id est majoris dignitatis ac pretii, *estis illis* volatilibus? Et per consequens magis vobis providebit. In tantum siquidem major cura est Deo de rationabilibus quam irrationabilibus creaturis, ut dicat Apostolus :
C Numquid cura est Deo de bobus? I Cor. IX, 9.

Quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? 27
id est, quum nemo ex vobis possit cogitando seu alio modo, augere staturam seu quantitatem corporis sui magnitudine unius cubiti, sed Deus dat vobis debitam quantitatem, patet quod etiam de alimento sufficientiam tribuet et de vestitu. Ideo
subditur : *Et de vestimento quid,* id est 28
cur, *solliciti estis* (modo præfato)? Quod autem sollicitari non debeant, pandit exemplo inanimatorum. *Considerate lilia agri,* id est, quæ in agris nascuntur, *quomodo crescunt. Non laborant, neque nent* pro adeptione naturalis decoris seu quantitatis : et tamen speciosissime vestiuntur seu adornantur a Deo in colore et superficie.
Ideo subditur : *Dico vobis, quoniam nec* 29
Salomon, qui erat rex ditissimus, valde potens, et in vestibus atque ornatibus sui et ministrorum suorum plurimum gloriosus : propter quod regina Saba videns ve- III Reg. X, 4, 5.
stes servorum ejus, non habuit spiritum;

in omni gloria, id est præclara ac splen-
dida induitione, *sua coopertus est,* id est,
tam speciose vestitus est, *sicut unum ex
illis* liliis agri. Quæ enim purpura regum,
quæ tinctura artificum æquari poterit pul-
chritudini florum? Ars namque humana
imitatur naturam, sed non adæquat eam;
sed nec natura adæquat artem divinam et
exemplarem, quamvis eam aliqualiter imi-
30 tetur. *Si autem,* id est quia, *fœnum agri,*
id est herbam, *quod hodie est, et cras,* id
est cito post hæc, vel die sequenti, *in cli-
banum mittitur* ad comburendum, *Deus
sic vestit,* id est, ornat viriditate seu alia
specie, et pulchra superficie; *quanto ma-
gis* Deus vestiet *vos modicæ fidei,* id est,
qui de divina providentia imperfectam fi-
dem habetis, et ob id tam immoderatam
sollicitudinem de necessariis acquirendis
habetis?

31 *Nolite ergo solliciti esse,* cum inquietu-
dine mentis impediente pacem internam
et libertatem cordis in Deo *dicentes : Quid
manducabimus, aut quid bibemus, aut quo
32 operiemur? Hæc enim omnia,* scilicet ci-
bum, potum, et vestimenta, *gentes inqui-
runt* cum sollicitudine animi, id est gen-
tiles, qui divinam providentiam vel non
attendunt vel negant, præsertim quantum
ad hæc inferiora, putantes Deum non agno-
scere distincte neque curare actus huma-
nos, neque hæc corruptibilia providenter
Ps. LXXII, 11. disponere, juxta illud in Psalmo : Et dixe-
runt : Quomodo scit Deus? et, Si est scien-
Job XXII, 12, 14. tia in Excelso? Job quoque dicit : An co-
gitas quod Deus excelsior cœlo sit? Nec
nostra considerat, et circa cardines cœli
perambulat. In persona talium dicitur per
Sap. XV, 12. Sapientem : Æstimaverunt lusum esse vi-
tam nostram, et conversationem vitæ ad
lucra compositam, et oportere undecum-
que acquirere.

Cur autem hæc Christianis cum sollici-
tudine inquirenda non sint, subditur : *Scit
enim Pater vester cœlestis,* æternus et ado-
randus. Cujus ineffabilis pietas incompre-
hensibilisque dignatio patet in hoc, quod
a nobis vermiculis pater vocari dignatur,
A imo et præcipit, sicut infra inducitur : Pa- *Matth.* XXIII, 9.
trem nolite vocare super terram. Sed at-
tendendum est nobis, ne propter ingratitu-
dinem et negligentiam nostram mereamur
ab eo audire illud Isaiæ : Filios enutrivi et *Is.* I, 2.
exaltavi, ipsi autem spreverunt me; et il-
lud, Homo quum in honore esset, non in- *Ps.* XLVIII, 13, 21.
tellexit. Scit itaque Pater vester, *quia his
omnibus,* scilicet victu et indumento ac
domo, *indigetis.* Nomine enim indumenti
seu operimenti, etiam habitaculum vel ho-
spitium insinuatur : de quo non est major
B sollicitudo habenda, quam de indumento.

Ex præinductis infert Magister universæ
perfectionis saluberrimum documentum.
Quærite ergo, id est contemplando, aman- 33
do, et bene agendo adipisci studete, *pri-
mum,* id est principaliter et ante omnia
inferiora, *regnum Dei,* id est cœlestem pa-
triam, vitam æternam, triumphantis Ec-
clesiæ societatem, hæc bona a longe adspi- *Hebr.* XI, 13.
ciendo, salutando, et confitendo quoniam
peregrini et advenæ estis super terram. De
quo regno scriptum est : Justi accipient *Sap.* V, 17.
C regnum decoris et diadema speciei de ma-
nu Domini. Hoc regnum est finis noster :
ideo debet primo cadere in intentione, et
quotidie prima ac summa occupatio no-
stra esse debet pro adipiscendo hoc regno.
Quod quia adipisci non possumus, nisi
observando mandata, idcirco post deside-
rium hujus finis statim quærere debemus
et justitiam ejus, id est opera bona ac
meritoria, quibus ad regnum perducimur.
Hæc vero justitia est quam Christus jam
docuit, de qua et professus est : Nisi abun- *Matth.* V, 20.
D daverit justitia vestra plus quam Scriba-
rum et Pharisæorum, non intrabitis in
regnum cœlorum.

His autem æternis ac spiritualibus bonis
digne quæsitis, temporalia necessaria no-
bis non deerunt, si tamen saluti expedi-
ant. Unde subjungitur : *et hæc omnia,* ad
victum et operimentum opportuna, *adji-
cientur,* id est superaddentur *vobis,* quasi
bona accidentalia, minus principalia, ac
instrumentalia, sine quibus spiritualis con-
versatio nequit subsistere. Primum autem

refertur ad secundum. Per hoc igitur quod A Salvator docet regnum Dei et justitiam ejus primo esse quærenda, innuit temporalia quoque secundario esse quærenda, cum labore quidem, sed non cum sollicitudine, secundum Chrysostomum. Scri-
Ps. cxxvii, 2. ptum est enim : Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es. Et Adæ di-
Gen. iii, 19. ctum est : In sudore vultus tui (non in sollicitudine) vesceris pane tuo. Unde Apo-
Act. xx, 34. stolus : Ad ea, inquit, quæ mihi necessaria erant, ministraverunt manus istæ. Non ergo sic adjiciuntur, quod homo debeat B ponere manum suam in gremio suo, et non facere quod in se est. Sed nonne aliqui martyres ex fame exstincti sunt, et multi justi maximas patiuntur penurias,
II Cor. xi, 9, 27. sicut et Paulus perpessum se asserit? Et respondendum, quod sæpenumero subtrahuntur prædicta electis ad eorum probationem, et copiosius meritum. Salvator vero loquitur in communi. Deus tamen ex causis sibi agnitis facit interdum aliter in particulari.

34 *Nolite ergo solliciti esse* inordinate, ut C dictum est, *in crastinum,* id est in tempus futurum, pro temporalibus quæ vobis tempore futuro necessaria erunt; sed agi-
Ps. liv, 23. te quod ait Psalmista : Jacta cogitatum tuum in Dominum, et ipse te enutriet.
I Petr. v, 7. Et princeps apostolici agminis : Omnem, ait, sollicitudinem vestram projicientes in Deum, quoniam ipsi cura est de vobis.
I Cor. vii, 32. Ideo Paulus quoque dicebat : Volo vos sine sollicitudine esse. Quamvis autem possit homo ordinatam habere sollicitudinem de provisione temporalium, illa tamen non D
Eccle. iii, 1. erit nisi tempore congruo. Omnia enim tempus habent, et cuilibet negotio aptum tempus debetur. Qui ergo ante tempus sollicitatur de temporali negotio, sollicitus est in crastinum : sicut qui tempore hiemali occupatur pro messe seu frugibus colligendis. Qui vero instante tempore messis moderatam curam habet de fructibus congregandis, non sollicitatur in crastinum, quia non prævenit debitum tempus. Crastinum ergo hoc loco accipitur non solum pro die proximo subsequente, sed pro tempore futuro ; sicque frequenter accipitur in Scripturis : ut quum ait Jacob, Cras respondebit mihi justitia mea ; et Gen. xxx, 33.
Moyses, Quum interrogaverit te filius tuus Exod. xiii, 14.
cras, dicens, etc. Sic in libro Josue duæ tribus et semis dixerunt aliis filiis Israel : Josue xxii, 24.
Cras filii vestri dicent filiis nostris.

Denique duæ rationes subtiles subduntur, cur non sit habenda sollicitudo, id est pœnalis et anxia cura de crastino, quantum ad temporalia. Quantum vero ad spiritualia debemus semper esse solliciti de crastino, juxta illud : Vigilate, et estote Matth. xxv, 13; xxiv, 44.
parati, quia nescitis diem neque horam. Prima ratio est : *Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi,* id est, propriam curam habebit, hoc est, quocumque die futuro occurret vobis sufficiens sollicitudinis causa sive occasio, nec oportet sollicitudinem miserabilem prævenire, seu ante tempus arripere. Secunda ratio est : *Sufficit diei,* id est cuilibet tempori, *malitia sua,* id est sollicitudo sua, quæ est malum pœnæ, et etiam malum culpæ interdum. Hoc est : sufficit homini omni die malitia pœnæ et culpæ, multiplicesque miseriæ occurrentes quotidie ; ideo non oportet uno die admittere malum futuræ diei, ne uno die duplex malum affligat. Unde Apostolus dicit : Redimentes tempus, quoniam dies Ephes. v, 16.
mali sunt. Dicitur autem diei malitia sua sufficere, et dies malus esse, non quod tempus in se pravum consistat, sed quoniam his qui in tempore hujus sæculi vivunt, multa mala occurrunt. Nam homo Job xiv, 1.
natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.

ARTICULUS XV

EXPLANATIO CAPITULI SEPTIMI : NOLITE JUDICARE, UT NON JUDICEMINI.

IN præsentis capituli exordio prohibet A
1 Dominus judicare. *Nolite,* inquiens, *ju-*
Luc. vi, 37. *dicare, ut non judicemini.* Lucas dicit : Et
II Cor. v, 10. non judicabimini. Et nonne utique omnes
nos adstare oportet ante tribunal Christi,
ut referat unusquisque prout gessit? Habet autem hic locus difficultatem præcipuam, propter diversas auctoritates Scripturæ, quæ quantum ad verba, videntur contrariæ. Ubertim quippe ad judicandum invitamur, imo judicare præcipimur. Ut
I Cor. ii, 15. enim Apostolus dicit : Spiritualis homo
Ibid. xi, 31. omnia judicat; et rursus, Si nos ipsos, in- B
quit, dijudicaremus, non utique judicare-
Ibid. iv, 3. mur. Et tamen ait : Neque me ipsum ju-
Rom. xiv, 4; Jacob. iv, 13. dico; itemque, Tu quis es, qui judicas
proximum tuum? Et pene innumerabilia sunt loca Scripturæ, quorum quædam prohibent, quædam jubent vel admonent judicare.

Advertendum ergo secundum Thomam, quod judicium proprie sumptum, est actus judicis, in quantum hujusmodi. Judex vero dicitur, quasi *jus dicens.* Idcirco judicium est determinatio juris seu prolatio C
sententiæ. Judicium ergo est actus justitiæ tanquam habitus ad judicandum idonea inclinantis, rationis vero seu prudentiæ, tanquam judicium proferentis. Judicium itaque in tantum est licitum, in quantum ex justitia et ratione procedit. Tria vero requiruntur ad hoc quod judicium de alio per modum sententiantis sit licitum : Primo, ut procedat ex habitu justitiæ et ratione, non ex impetu passionis. Qui enim in magnis peccatis sunt, judicare non debent eos qui in eisdem vel minoribus D
sunt peccatis, secundum Chrysostomum. Secundo, ut procedat ex auctoritate præsidentis : quia judicare homo non debet, nisi subjectum. Tertio, ut proferatur secundum rectam rationem prudentiæ. Si primum horum defuerit, vocatur judicium injustum et perversum; si secundum, erit usurpatum; si desit tertium, erit suspiciosum ac temerarium. Nihilo minus de manifestis, et quæ bono animo fieri nequeunt, judicare permittimur vel jube-
mur, juxta illud : Attendite vobis a falsis vers. 15, 16.
prophetis; a fructibus eorum cognoscetis eos. Prædicta ergo tria inordinata judicia prohibentur.

Denique, ut alii dicunt, multiplex est judicium. Primum est judicium discretionis : quod est meritorium, si cum circumstantiis debitis fiat. De quo per Jeremiam
loquitur Deus : Si separaveris pretiosum Jer. xv, 19.
a vili, quasi os meum eris. De quo et in
Job asseritur : Numquid qui non amat ju- Job xxxiv, 17.
dicium, potest sanari? Unde ait Psalmista :
Recte judicate, filii hominum. Aliud est Ps. lvii, 2.
judicium commendabile, scilicet judicium propriæ discussionis : de quo Apostolus
loquitur, Si nos ipsos dijudicaremus, etc.; I Cor. xi, 31.
et Psalmista, Ideo non resurgunt impii in Ps. i, 5.
judicio. Job quoque ait : Judicium eliga- Job xxxiv, 4.
mus, et inter nos videamus quid sit melius. Tertium judicium est tolerabile, utpote judicium definitionis de inexcusabilibus malis. Quartum est utile, puta judicium præsidentis, secundum regulas juris. Unde Christus apud Joannem præcepit, dicens :
Nolite secundum faciem judicare, sed ju- Joann. vii, 24.
stum judicium judicate. Quintum est judicium inutile, scilicet suspicionis, tamen sine consensu rationis. Sextum est detestabile. Quod fit quatuor modis : Primo, quum fertur sententia de secretis cordis sine sufficientibus signis; secundo, quum dubia in pejorem partem trahuntur; ter-

tio, dum judicatur de futuro hominis statu; quarto, quum contra jus assumitur exsecutio. Porro, secundum Augustinum, duo sunt in quibus judicium est vitandum : quum ignoramus quo animo aliquid factum sit, et quum ignoramus qualis futurus sit qui peccavit. Et quoniam unusquisque quolibet momento, potest a Deo tangi, converti, et emendari, propterea nunquam definitive judicare debemus personam alterius, seu statum ejus futurum.

Quæritur, an per suspiciones sit judicandum. Dicendum, quod suspicio est opinio mali de altero, ex levibus causis concepta; et procedit ex tribus : Primo, ex malitia suspicantis, qui sibi de propria malitia conscius, facile putat alios tales, qualis est ipse. Secundo, ex malo affectu ad alterum : sicut qui alium odit vel ei irascitur, facile suspicatur malum de eo. Tales suspiciones sunt perversæ, sicut et causæ earum. Tertio procedit ex quadam experientia : unde secundum Philosophum, secundo Rhetoricæ, Senes sunt magis suspiciosi, tanquam aliorum defectus magis experti. Et ista suspicio minus culpabilis est, quoniam causa ejus melior est, et ipsa propinquior est certitudini. Insuper triplex est gradus suspicionis : Primus, dum quis ex levibus signis, de bonitate alterius dubitat : quod est veniale peccatum, pertinens ad tentationem humanam, sine qua præsens vita non agitur, et ex humana infirmitate procedit. Secundus gradus est, quando ex levibus signis firmiter æstimat alium esse perversum : quod est mortale peccatum contra caritatem fraternam, et contemptum habet adjunctum, si malum quod de alio æstimat, sit de genere peccati mortalis. Tertius gradus est, quando ex levibus signis proceditur ad punitionem alterius : quod est gravius aliis, et contra justitiam. Quamvis autem dubia sint in partem meliorem interpretanda, quantum ad quamdam piam fiduciam, quoniam non debemus proni esse ad male sentiendum de alio; tamen, quando impendendum est remedium contra animæ morbum, interpretanda sunt in partem deteriorem, propter securitatem, non simpliciter definiendo, sed de pejori timendo.

Quam autem perversum sit prædictis illicitis modis de alio judicare, innotescit ex plurimis locis epistolarum Pauli. Siquidem ad Romanos fatetur dicens : Inexcusabilis es, o homo omnis qui judicas; in quo enim alium judicas, te ipsum condemnas. Et alibi : Tu quis es, qui judicas alienum servum? Suo domino stat aut cadit. (*Rom.* II, 1. — *Ibid.* XIV, 4.)

Itaque, *Nolite judicare* judicio usurpatorio, temerario, suspicioso, vel de incertis et ceteris modis inordinatis jam dictis, *ut non judicemini* judicio reprobationis a Deo, tanquam transgressores præcepti de
non judicando. *In quo enim judicio judi-* 2
caveritis, id est secundum qualitatem meriti vel demeriti vestri, quod incurritis judicando bene vel male, *judicabimini* a Deo, qui reddet unicuique quod meretur. Si ergo temerarie judicatis, ipsa temeritas vestra vobis nocebit, vosque damnabiles faciet; et si recte judicatis, rectitudo vestra vobis proficiet. Juxta hunc sensum dictum est Petro : Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit, id est, iniquitate quam facit gladium accipiendo, damnabitur, si non pœnitentiam egerit. Simili modo scriptum est in Genesi : Omnis qui effuderit sanguinem, effundetur sanguis illius. Uniuscujusque enim peccatum in proprium redundat auctorem. Ideo in Proverbiis dicitur : Iniquitates suæ capient impium, et funibus peccatorum suorum constringetur. Et Ecclesiastes : Qui fodit (inquit) foveam, incidet in eam; et qui dissipat sepem, mordebit eum coluber. Et alio in loco : Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur. *Et in qua mensura mensi fueritis,* id est, secundum quod aliis feceritis, *remetietur,* id est, a Deo retribuetur *vobis,* hoc est, secundum proportionem operis vestri ad alios, erit proportio vestræ mercedis. Judicium enim sine misericordia fiet ei qui non fecerit misericordiam. Qualem ergo vis Deum esse tibi, talem te exhibe alteri. (*Ps.* LXI, 13; *Prov.* XXIV, 29; *Jer.* XXXII, 19; *Matth.* XVI, 27; *Rom.* II, 6; *Apoc.* XXII, 12. — *Matth.* XXVI, 52; *Apoc.* XIII, 10. — *Gen.* IX, 6. — *Prov.* V, 22. — *Eccle.* X, 8. — *Eccli.* XXVII, 30. — *Jacob.* II, 13.)

3 *Quid autem vides festucam in oculo* A
fratris tui, hoc est, cur observas et pen-
sas parvum peccatum in conversatione vel
corde proximi tui, judicando eum, et ar-
guendo de minori excessu, *et trabem,* id
est grande peccatum, *in oculo tuo,* id est
in animo tuo, seu vita, *non vides?* qua-
si dicat Salvator : Hoc irrationabiliter agi-
tur. Caritas namque erit ordinata, ut a
se ipso incipiat homo, nec præsumat ali-
um increpare, judicare, seu disciplina-
re, qui se ipsum non purgat, discutit, et
Rom. II, 21, 23. emendat. Dicit enim Apostolus : Qui alium B
doces, te ipsum non doces ; qui gloriaris
in lege, per prævaricationem legis Deum
inhonoras. Itaque, si peccatum arguentis,
seu judicis, publicum est, et tamen judi-
cat alium, peccat peccato præsumptionis
ac scandali ; si vero peccatum ejus sit ab-
ditum, peccat per præsumptionem. Pro-
pter quod dicit Ambrosius : Judicet de er-
rore et culpa alterius, qui in se ipso non
habet quod judicet, ne quum de alio judi-
cat, in semetipsum ferat sententiam. Scri-
Luc. XIX, 22. ptum est enim : Ex ore tuo te judico, serve C
nequam. Verumtamen Thomas affirmat,
quod si peccatum prælati vel judicis sit
occultum, et incumbat ei judicare ratione
injuncti officii, potest cum timore et hu-
militate judicare atque arguere. Cui con-
cordat quod alii dicunt, videlicet, quod si
arguens corde pœniteat, potest fratrem
cum humilitate arguere.
4 *Aut quomodo,* hoc est qua ratione vel
fronte, *dicis fratri tuo, Sine,* id est, per-
mitte et sta, *ejiciam festucam de oculo*
tuo, id est, parvum peccatum tollam a te, D
teque mundabo per informationem, incre-
pationem, vel correctionem, *et ecce trabs,*
hoc est magnum peccatum, *in oculo tuo*
est, imo tua præsumptione auges vitia tua
5 priora? *Hypocrita,* id est, simulator san-
ctitatis, qui tuam malitiam pallias : nam
aliorum parva mala redarguendo, ostendis
te immunem a vitiis, quod tamen non est.
Ejice per confessionem et pœnitentiam,
primum, antequam alium increpes, *tra-*
bem de oculo tuo, id est magna peccata
a corde tuo : quemadmodum scriptum est,
Quasi a facie colubri, fuge peccatum ; *et* *Eccli.* XXI, 2.
tunc videbis ejicere, id est, illuminatus eris
ad ejiciendum, *festucam de oculo fratris*
tui. Tunc enim non poterit tibi dicere :
Medice, cura te ipsum. — Circa hanc lit- *Luc.* IV, 23.
teram dicit Chrysostomus : Omnis sacer-
dos qui vult docere populum, prius doceat
se ipsum : alioqui nec alium reprehendat
aut doceat, ut si judicium Dei non evadit,
opprobrium hominum non patiatur. Quem-
admodum enim medicus ægrotus, argu-
mentum suæ imperitiæ in proprio gestat
corpore ; sic prælatus iniquus se ipsum
non curans, suæ stultitiæ judicium secum
portat.
Nolite sanctum, hoc est pura et immacu- 6
lata mysteria fidei, profunda et secretissi-
ma christianæ sapientiæ, vel sacramenta
Ecclesiæ, *dare,* id est propalare seu tra-
dere, *canibus,* id est irrationabilibus et
insanis hæreticis, vel ceteris infidelibus,
aut indoctis, impœnitentibus et passiona-
tis hominibus, de quibus dicit Apostolus :
Videte canes, videte malos operarios, vi- *Philipp.* III, 2.
dete concisionem. *Neque mittatis marga-*
ritas vestras, hoc est pretiosissima dona
cœlestium gratiarum vobis concessa, *ante*
porcos, id est homines carnales, de quibus
Paulus : Malæ bestiæ, inquit, ventres pin- *Tit.* I, 12.
gues. Hinc Dionysius primo Mysticæ theo-
logiæ capitulo, ait ad Timotheum : Vide
ne quis indoctorum hæc videat, qui in
sensibilibus detinentur. Isti omnino indi-
gni et incapaces sunt prædictorum bono-
rum, quoniam teste Apostolo, Carnalis ho- *I Cor.* II, 14.
mo non percipit ea quæ sunt Spiritus
Dei, stultitia enim est illi. Hoc est quod
in Isaia habetur : Quem docebit Dominus *Is.* XXVIII, 9.
scientiam? et quem intelligere faciet au-
ditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab ube-
re. Hinc et Apostolus : Sapientiam, inquit, *I Cor.* II, 6.
loquimur inter perfectos. *Ne forte concul-*
cent eas pedibus suis, hoc est, intellectu
et affectu prædicta bona contemnant, ir-
rideant, et condemnent, *et conversi,* non
a malo ad bonum, sed a malo in pejus, vel
corporaliter ad vos conversi, *dirumpant,*

id est, persequantur, impugnent vel occi- A
dant *vos.*
Quoniam vero præinducta Christi præ-
cepta ac hortamenta supernaturalia sunt,
et difficilia, quæ humana virtute observari
non possunt; idcirco Salvator invitat ad
fiduciam deprecandi pro adjutorio gra-
tiæ, per quam omnia faciliter adimplen-
7 tur. *Petite* a Deo quæ decent, et vere salu-
bria sunt, *et dabitur vobis* quod petitis, si
instanter petieritis, et pro vobis : quem-
Joann. xiv, 13. admodum ait Salvator, Quidquid petieritis
Patrem in nomine meo, hoc faciam. *Quæ-* B
rite, id est, diligenter investigate, et agi-
te ea per quæ oratio redditur exaudibilis,
quæ sunt facere quod in se est, disponendo
se ad gratiæ postulatæ susceptionem, de-
clinando videlicet a proposito peccandi, et
dando se ad observanda præcepta. Unde
Job viii, 5, 6. scriptum est : Si omnipotentem depreca-
tus fueris, si mundus et rectus incesseris,
statim evigilabit ad te. Et Evangelium ait :
Joann. ix, 31. Scimus quoniam peccatores Deus non au-
dit, sed si quis cultor est Dei. Hoc est
Prov. xxviii, 9. quod Salomon dicit : Qui declinat aurem C
suam ne audiat legem, oratio ejus erit
I Joann. iii, 21, 22. exsecrabilis. Et Joannes : Carissimi, si cor
nostrum non reprehenderit nos, fiduciam
habemus ad Deum, et quidquid petieri-
mus, accipiemus. Ideo subditur : *et inve-*
nietis. Pulsate, hoc est, misericordiam Dei
clamore sanctæ dilectionis, id est alto de-
siderio, invocate, *et aperietur vobis* janua
vitæ, thesaurus pietatis divinæ : id est,
bonitas Dei effundet se super vos, et ve-
stram precem admittet. Vel sic : Petite,
desiderando; quærite, vocaliter exorando; D
pulsate, bene vivendo.
8 *Omnis enim qui petit* a Deo, modo præ-
dicto, *accipit* quod precatur, vel aliquid
melius; *et qui quærit, invenit, et pulsanti*
aperietur : hoc est, perseveranter et la-
crimose aures divinæ misericordiæ flagi-
tanti, tribuetur ingressus ad bona gratiæ
in hoc sæculo, et ad bona gloriæ in futu-
Marc. xi, 24. ro. Unde Marci undecimo legitur : Omnia
quæcumque orantes petitis, credite quia
accipietis, et evenient vobis. In Ecclesia-
stico quoque legitur : Quis invocavit illum Eccli. ii, 12.
et despexit eum? Sed videtur contrarium
quod ait de se ipso beatus Job : Clamo, et Job xxx, 20, 21.
non exaudis me; sto, et non respicis me;
mutatus es mihi in crudelem. Dicendum,
quod hoc ideo dicitur, quoniam Deus in-
terdum dispensative differt exaudire pre-
ces fidelium ; tuncque afflicto apparet,
quod Deus non attendat, neque exaudiat
eum : et tali affectu loquitur Job. Tria
autem requiruntur, ut oratio sit exaudi-
bilis : Primo, ut petantur quæ ad salutem
pertinent. Ideo Paulus pro stimulo carnis
auferendo, ter supplicavit, et exauditus II Cor. xii, 8, 9.
non est, quoniam magis erat ei expediens
stimulum illum manere in ipso, eo quod
virtus perfectorum in infirmitate perficia-
tur. Secundo, ut perseveranter oretur. Ter-
tio, ut pro se ipso. Deus tamen quando-
que cito exaudit etiam pro aliis.
Quod autem Deus neminem exaudire
contemnat, probat Christus per locum a
minori, et per exemplum patris terreni.
Aut quis est ex vobis, hoc est de numero 9
vestro, *homo* pater, *quem si petierit filius*
suus famelicus *panem, numquid lapidem*
porriget ei pro pane? Non utique. Pater
enim providet filio de alimento, et susten-
taculo vitæ. *Aut si piscem petierit* filius, 10
numquid serpentem porriget ei pater? Pa-
lam quod non. *Si ergo vos, quum sitis* 11
mali, id est, non obstante quod estis pec-
catores, et ad peccata proclives, *nostis* per
operis exhibitionem, *bona data,* id est uti-
lia pro sustentatione vitæ, *dare filiis ve-*
stris carnalibus, *quanto magis Pater ve-*
ster qui in cœlis est, dabit bona spiritualia
et honesta, videlicet virtutes et gratiam,
petentibus se? Ipse enim naturaliter bonus
est, et omnino misericors, a quo plus ha-
bemus, quam a patre carnali, videlicet
animam immediate. Idcirco incomparabi-
liter plus amat nos, et diligentius providet
nobis, quam pater carnalis.
Et quoniam dictum est orationis effe-
ctum impediri per impiam conversatio-
nem, ideo Christus docet hoc impedimen-
tum esse vitandum. *Omnia ergo quæcum-* 12

que vultis voluntate rationabili et discreta,
ut faciant vobis homines proximi vestri, *et*
vos facite eis : id est, quemadmodum vul-
tis ut vobis impendatur a proximis vestris
consilium, auxilium, misericordia, et om-
ne quod expedit, sic facite illis pro viri-
bus vestris. Hoc est quod Tobias docet :
Tob. iv, 16. Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne
aliquando alii facias. Aliqua autem irra-
tionabiliter et contra legem divinam vo-
lunt homines : de talibus non est nunc
sermo. Cur vero Christus hoc dixerit, sub-
ditur : *hæc est enim lex et Prophetæ :* hoc
est, doctrina moralis Mosaicæ legis ac Pro-
phetarum ordinatur et tendit ad hoc, ut
faciamus proximis quod fieri nobis ab
illis peroptamus. Ad quod reducitur illud :
non facere illis quod nobis optamus non
fieri ordinata voluntate. Istud est enim
unum primum principium naturaliter no-
tum in agibilibus, ad quod naturaliter
inclinat synderesis : ex quo deducuntur
et eliciuntur reliqua præcepta ad proxi-
mum ordinantia hominem. Omnia ergo
virtualiter in ipso includuntur.

Præterea, Christus ostendit rectam viam
13 perducentem ad patriam. *Intrate,* id est,
ad veram beatitudinem pergite, *per an-*
gustam portam, hoc est per opera pœni-
tentialia, laboriosa, ac ardua, ut sunt je-
junia, abstinentiæ, disciplinæ, vigiliæ, et
per ceterarum actus virtutum, videlicet
per humiliationem, obeditionem, inimico-
rum dilectionem, continuam cordis custo-
diam : quæ omnia sunt angusta itinera,
quoniam virtus est circa bonum difficile,
et consistit in medio, quod difficile est
Deut. xvii, 20. attingere. Nonne angusta via est, nec ad
dexteram, nec ad sinistram divertere, re-
gia via incedere, concupiscentias refrena-
re, passiones animi superare, odientem
diligere, adversanti benefacere ? Hæc ta-
men est via perducens ad finem beatum.
Ps. xvi, 4. Ideo dicit Psalmista : Propter verba la-
biorum tuorum, ego custodivi vias duras.
Denique porta angusta Christus intelligi
Joann. x, 9. potest, qui asserit : Ego sum ostium ; per
me si quis introierit, salvabitur. Per hanc

A portam intrare, est Christi vestigia imita-
ri, juxta quod dicit : Qui vult venire post Luc. ix, 23.
me, abneget semetipsum, et tollat crucem
suam quotidie, et sequatur me. Sed et lex
evangelica appellari potest porta angusta,
et tanto angustior, quanto perfectior, tan-
quam omnium vitiorum prohibitiva, su-
pernaturalia jubens credi et fieri.

Quia lata porta, et spatiosa via est, quæ
ducit ad perditionem, id est æternam dam-
nationem. Hæc lata porta spatiosaque via
est, in desideriis carnis ambulare, per vi-
B tiorum abrupta incedere, mundi vanita-
tibus inhærere, sine timore peccare. *Et*
multi sunt qui intrant per eam, id est,
qui taliter conversantur. Multi enim vo- Matth. xx, 16 ; xxii, 14.
cati, et pauci electi. Stultorum quoque, Eccle. i, 15.
secundum Salomonem, infinitus est nu-
merus. Unde in Osee habetur : Non est Osee iv, 1, 2.
veritas, non est misericordia, non est sci-
entia Dei in terra ; maledictum et homici-
dium, mendacium, furtum et adulterium
inundaverunt, et sanguis sanguinem teti-
git. *Quam angusta,* hoc est multum stri- 14
C cta, et laboriosa est, *porta, et arcta via,*
jam dicta, *quæ ducit ad vitam* æternam, *et*
pauci sunt qui inveniunt eam! Nam quam-
vis eis ostendatur, nolunt tamen per eam
incedere. Quamvis autem per portam et
viam idem possit intelligi, possumus ta-
men per portam intelligere actus virtutum
theologicarum, præsertim caritatis, cui di-
recte correspondet præmium essentiale (de
qua legitur : Hæc porta Domini, justi in- Ps. cxvii, 20.
trabunt in eam) ; per viam vero, aliarum
seu inferiorum virtutum operationes, quæ
D disponunt ad perfectum actum caritatis,
per hoc quod auferunt passionum vitio-
rumque impetus. Itaque arcta dicitur via
hæc, quoniam omnem qui vult Deo pla-
cere, oportet in omnibus divinæ voluntati,
matri Ecclesiæ, et rectæ rationi obtem-
perare : quod non est parum difficile ho-
mini fragili ac mortali, in carne viventi,
quemadmodum Ecclesiastes inquit : Quid Eccle. ii, 12.
est homo, ut sequi possit Regem factorem
suum ? Et tamen dicitur nobis : Si quis Jacob. ii, 10.
totam legem servaverit, offendat autem

II *Tim.* II, 5. in uno, factus est omnium reus; et, Nemo
coronatur, nisi qui legitime certaverit.
Ps. XVII, 27. Porro, quoniam teste Scriptura, Cum
Eccli. XIII, 1. perverso perverteris, et, Qui tetigerit pi-
cem, inquinatur; ideo Christus docet socie-
tatem fallacium atque pravorum vitare, ne
15 impediamur ab introitu regni. *Attendite,*
hoc est, vos ipsos custodite, *a falsis pro-*
phetis, id est perversis doctoribus, hypo-
critis, et fictis sanctis, *qui veniunt ad vos*
in vestimentis ovium, hoc est cum appa-
renti religione, et ficta maturitate, seu ve-
stibus abjectis ac religiosis. Ut enim de-
cipiant simplices, simulant se justos ac
II *Cor.* XI, 14, 15. veros. Unde Apostolus ait : Ipse Satanas
transfigurat se in angelum lucis; non est
ergo magnum, si ministri ejus transfor-
mentur velut ministri justitiæ. De talibus
Jer. XIV, 14. prophetis scriptum est : Visionem men-
dacem, et divinationem fraudulentam, et
seductionem cordis sui prophetant vobis.
Vestimenta itaque ovium intelligi possunt
corporaliter, ipsa corporis indumenta de-
centia, et spiritualiter, opera virtuosa, ut
sunt jejunia, orationes, quibus animæ ad-
ornantur : quorum imaginem simulatam
assumunt isti prophetæ atque hæretici.
Intrinsecus autem, id est in anima, *sunt*
lupi rapaces, id est rapacibus lupis simi-
les : quia sub pelle seu veste ovina abs-
condunt ac deferunt cor lupinum, de-
siderantes animas fidelium strangulare,
inducendo eos ad suos errores. De talibus
Act. XX, 29. dicit Paulus : Scio quod post discessionem
meam, intrabunt in vos lupi rapaces, non
parcentes gregi.
16 *A fructibus,* id est ex operibus, *eorum*
cognoscetis eos, quales intrinsecus sint :
quia si diligenter considerentur, inveniun-
tur vane gloriosi, non humiles, sapientes
in oculis suis et proprii sensus, non vera-
citer patientes, sed pleni privato amore, et
aliquibus singularibus vitiis deformati. Hoc
in omnibus hæreticis claruit. Operatio igi-
tur arguit formam, quoniam qualis quis-
quis est, talia operatur. Nec diu potest quis
ferre personam fictam, secundum Sene-
cam, sed cito in suam naturam incidunt,

A quibus non subest veritas. Quod autem isti
perversi non possunt opera veraciter bo-
na producere, probat Christus per simi-
le. *Numquid colligunt* homines *de spinis*
uvas, aut de tribulis ficus? Non utique.
Sic nec de cordibus prædictorum falla-
cium (qui propter suam crudelitatem et
passionum suarum aculeos, spinis ac tri-
bulis comparantur) possunt boni fructus
procedere, qui uvis et ficubus assimilan-
tur, quoniam animam inebriant atque de-
lectant. Huic similitudini consonat illud
B Jacobi : Numquid fons de eodem foramine *Jacob.* III, 11, 12.
emanat dulcem et amaram aquam? Num-
quid potest ficus uvas facere, aut vitis
ficus?
Sic omnis arbor bona, fructus bonos fa- 17
cit, si tamen ordinetur ad fructificandum,
et non potius ad alios usus. Vel per fru-
ctum intelligitur omnis utilitas ex arbore
proveniens. *Mala autem arbor fructus ma-*
los facit. Hæc principaliter de hominibus
asseruntur, intelligendo per arborem bo-
nam, rectam voluntatem, seu hominem ju-
C stum; per arborem malam, voluntatem
perversam, seu hominem vitiosum. Bonus
itaque homo, in quantum hujusmodi, facit
fructus bonos; et malus, malos. *Non po-* 18
test arbor bona fructus malos facere, in
quantum bona, sic nec homo virtuosus, ut
talis, facere potest opera mala. Potest ta-
men malus fieri et peccare. *Neque arbor*
mala, ut talis, *fructus bonos facere* potest.
Sic homo iniquus, secundum quod talis,
facere opera bona non potest, quamvis
possit fieri bonus. Loquitur ergo Salvator
D de arbore bona et mala formaliter, non
materialiter. Unde hujusmodi propositio-
nes veræ sunt in sensu composito, et non
in sensu diviso. *Omnis arbor,* hoc est qui- 19
libet homo adultus, rationisque compos,
quæ non facit fructum bonum, observan-
do præcepta, *excidetur* a consortio electo-
rum : juxta illud, Tollatur impius, ne *Is.* XXVI, 10, juxta LXX.
videat gloriam Dei; *et in ignem* inferna-
lem *mittetur,* in judicio particulari, quan-
tum ad animam, in judicio vero universa-
li, cum anima et corpore. Si ergo peccatum

omissionis meretur ignem inferni, pecca- A
tum commissionis quam horribiliter puni-
Joann. xv, 2, 6. etur ? Unde dicit Salvator : Omnem palmi-
tem in me non ferentem fructum, tollet
eum, et in ignem mittet. Ex his infertur
20 intenta conclusio : *Igitur ex fructibus eo-
rum cognoscetis eos.*

Quod autem sine fructibus bonis nemo
queat salvari, pandit Salvator subjungens :
21 *Non omnis qui dicit mihi* ex fide infor-
Matth. xxv, 11. mi : *Domine, Domine,* sicut fatuæ virgi-
nes ; *intrabit in regnum cœlorum :* quia
non sufficit nuda confessio oris. Sed vide- B
I Cor. xii, 3. tur contrarium illud Apostoli : Nemo po-
test dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu
Rom. x, 10. Sancto ; et rursus, Corde creditur ad justi-
tiam, ore autem confessio fit ad salutem.
Dicendum, quod Apostolus sumit Dicere,
proprie, pro enuntiatione intenta ac af-
fectuosa, quæ exigit caritatem. Loquitur
etiam de confessione oris procedente ex
Jacob. ii, 17, 26. fide formata. Fides autem sine operibus
informis ac mortua est : ideo ejus confes-
sio non sufficit ad salutem. *Sed qui facit
voluntatem,* hoc est præceptum voluntatis, C
Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit
post hujus exsilii incolatum, omniumque
peccatorum plenam satisfactionem, *in re-
gnum cœlorum.*

Denique, ne fideles vanitate seducti,
desiderent gratias gratis datas, ad excel-
lentiam quamdam ac admirationem perti-
nentes, cujusmodi sunt prophetia, ejectio
dæmonum, operatio miraculorum, quæ om-
nia bonis et malis sunt communia ; sed
potius cupiant gratiam gratum facientem,
22 et veras virtutes, adjecit : *Multi dicent mi-* D
hi in die illa, hoc est, in die judicii, quæ est
dies famosissima. Ideo intelligitur, quam-
vis non exprimatur, distincte dicent, aut
potius verbo mentali quam vocali, quia
judicium illud celerrime fiet ac finietur,
Matth. xxiv, 27. quemadmodum infra asseritur : Sicut ful-
gur exit ab oriente, et apparet usque in
occidentem ; sic erit adventus Filii homi-
nis. *Domine, Domine, nonne in nomine
tuo,* hoc est in te, et in virtute et gratia
tua, *prophetavimus ? et in nomine tuo dæ-
monia ejecimus,* videlicet invocando no-
men tuum, et per illud dæmones adju-
rando ? *et in nomine tuo virtutes multas
fecimus,* hoc est multa miracula ? Hæc non
sufficiunt, quoniam Balaam divinitus pro- Num. xxiii, xxiv.
phetavit ; et in Actibus quidam de circum- Act. xix, 13.
euntibus exorcistis Judæorum leguntur eje-
cisse dæmonia, dicendo : Adjuro vos per
Jesum, quem Paulus annuntiat. Miracula
quoque interdum fiunt, non merito ope-
rantis, sed recipientis, ad declarationem
potentiæ Christi.

Et tunc confitebor, hoc est, per inspira- 23
tionem internam, vel sententiæ contra eos
prolationem, respondebo *eis : Quia nun-
quam novi vos* per absolutam approbatio-
nem, æternamque prædestinationem ; *dis-
cedite a me* in infernum, *qui operamini*
etiamnunc, quantum ad affectum peccan-
di, *iniquitatem.* Quod enim in angelis ca-
sus, hoc in hominibus agit mors, secun-
dum Damascenum. Quemadmodum ergo
angeli æternaliter manent in illo affectu
malitiæ in quo erant quando cadebant, sic
anima æternaliter manet in illo affectu in
quo recedit a corpore. Ideo reprobi jugiter
erunt in affectu peccandi, et in die judi-
cii, et in inferno : erit in eis desiderium
peccandi, quamvis non poterunt [illud] ex-
sequi. Unde Hieronymus et Chrysostomus
dicunt : Non dicit, Qui operati estis, ne
videatur tollere pœnitentiam, sed, Qui ope-
ramini, id est, qui usque in præsentem
horam quum judicii tempus advenit, licet
non habeatis facultatem peccandi, tamen
adhuc habetis affectum. Sed opponi pos-
set, quod in Sapientia de impiis legitur :
Videntes turbabuntur timore horribili, in- Sap. v, 2, 3.
tra se pœnitentiam agentes. Dicendum,
quod pœnitebunt de peccato, non in quan-
tum est malum, sed in quantum est pœnæ
meritorium.

Omnis ergo, id est, quia confessio oris 24
sine opere bono non sufficit, ideo omnis
qui audit aure carnis et mentis, *verba mea
hæc,* quæ in isto sermone disserui, in quo
evangelicam legem proposui, *et facit ea,*
bene vivendo, *assimilabitur viro sapienti,*

qui ædificavit domum suam materialem
supra petram, id est stabile fundamentum.
25 *Et descendit pluvia, et venerunt flumina,*
et flaverunt venti, et irruerunt in domum
illam ; et non cecidit : fundata enim erat
supra petram. Hoc enim totum litteraliter
accipi potest de domo materiali, firmo fundamento subnixa : quam flumina, venti, et similia dejicere nequeunt, propter suæ constructionis stabilitatem. Tali igitur viro similis est omnis bonus Christianus, *qui ædificavit domum suam,* id est conscientiam, vel operum suorum structuram, *supra petram,* videlicet Christum : de quo
I *Cor.* x, 4. Apostolus, Petra (inquit) erat Christus ; et,
Ibid. III, 11. Fundamentum aliud nemo ponere potest, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. *Descendit pluvia,* id est malarum suggestionum ac cogitationum tumultus seu copia, *et venerunt flumina,* id est persecutionum abundantia, *et flaverunt venti,* id est tumores elationis ac vanitatis, *et irruerunt,* id est, tentando impugnaverunt, *domum illam,* hoc est conscientiam piam, vel operationum bonarum congeriem, sibilante et invadente diabolo ; *et non cecidit* a via justitiæ : *fundata enim erat supra petram,* id est, Christo fortiter adhæsit, ejus gratiæ et adjutorio jugiter in-
Ps. xxv, 1. nitendo. Omnes enim qui sperant in eo, non infirmantur.

Mystice per virum sapientem intelligitur Christus, *qui ædificavit* per caritatem, fidem et gratiam, *domum suam,* id est Ecclesiam : quæ domus sumus nos ; *supra petram,* id est in Deo Patre, de quo dicitur :
II *Reg.* xxII, 2. Dominus petra mea. Vel, Supra petram, id est fidei firmitatem, propter quam et
Matth. xvI, 18. de qua dictum est Petro : Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam
Ps. xxxIx, 3. meam ; itemque in Psalmo, Statuit supra petram pedes meos. In hanc domum irruunt *pluvia* adversitatum, *flumina,* id est hominum persequentium agmina, *venti,*
Ephes. vI, 12. id est invisibiles hostes, spiritualia nequitiæ in cœlestibus, contra quos est nobis præcipua colluctatio ; et non cadit, nec vincitur, quoad se totam, quoniam in Christo exstat fundata. Huic igitur sapienti viro, imo et sapientiæ Dei, pro viribus assimilemur, fundando et conservando corda ac opera nostra in Christo cum timore sancto et diligenti custodia, quia veraciter scriptum est : Si non instanter servaveris te in timore Domini, cito subvertetur domus tua. *Eccli.* xxvII, 4.

Et omnis qui audit verba mea hæc au- 26
ribus corporis solum, *et non facit ea,* obediendo præceptis meis jam introductis, *similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam supra arenam,* hoc est debile
fundamentum. *Et descendit pluvia, et ve-* 27
nerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam ; et cecidit, et fuit ruina ejus magna, id est, funditus eversa est, quia non habuit stabile fundamentum. Ad litteram planum est totum hoc. Talique stulto ædificatori parificatur homo sciens seu audiens verba Dei, nec tamen obediens. Ædificat enim domum suam, id est mentem, conscientiam, seu operationem, supra arenam, id est supra bonum creatum, variabile et caducum, videlicet supra humanam laudem, vanam gloriam, propriam adinventionem : idcirco a prædictis pluviis, ventis, ac fluminibus in ipsum ejusque domum irruentibus, cadit totaliter domus ipsius. Potest quoque per virum stultum dæmon intelligi, de quo in Evangelio dicitur : Inimicus homo *Matth.* xIII, 28.
hoc fecit. Qui domum suam, id est ecclesiam malignantium, supra prædictam arenam ædificat.

Et factum est, quum consummasset, id 28
est, prædicando finivisset, *Jesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina ejus,* quoniam talia aut similia nunquam audie-
rant a suis doctoribus. *Erat enim docens* 29
eos sicut potestatem habens, hoc est gratiam efficacissimæ sermocinationis sortitus, qua corda audientium fortiter movit et excitavit, sicut de ipso Judæi dixerunt : Nunquam sic locutus est homo, sicut hic *Joann.* vII, 46.
loquitur. Unde de ipso in Psalmo prædictum est : Diffusa est gratia in labiis tuis. *Ps.* xLIv, 3.
Et Propheta : Posuit, ait, os meum quasi *Is.* xLIx, 2.
gladium acutum. Vel sic : Sicut potestatem

habens, non solum ministerialiter, quasi A
servus, sed propria auctoritate, ut Dominus legis ac Prophetarum. Ideo non ea docuit solum quæ habentur in lege, sed legem exposuit, et supplevit, atque pro suo libito addidit et subtraxit. *Et non sicut*
Scribæ eorum, et Pharisæi, qui tam efficaciter et auctoritative prædicare non poterant, sed tenebantur ad id quod Moyses in
Deuteronomio jussit : Non adjicies ad ver- *Deut.* IV, 2.
bum quod ego propono in conspectu tuo, nec subtrahes.

ARTICULUS XVI

EXPOSITIO CAPITULI OCTAVI : QUUM AUTEM DESCENDISSET DE MONTE.

QUONIAM præinducta Christi doctrina B
supernaturalis est, humanæ rationis facultatem transcendens, neque argumentis humanis probabilis, ideo oportuit eam supernaturalibus argumentis, hoc est divinis miraculis, confirmari, ut sciretur esse a Deo, qui falsitatis assertor, aut confirmator esse non valet. Hinc ergo post evangelicæ doctrinæ descriptionem, describit beatissimus Evangelista Christi miracula : de
Joann. V, 36. quibus alibi Christus testatur, Opera quæ dedit mihi Pater, testimonium perhibent
Ibid. XV, 22, 24. de me; et rursus, Si non venissem, et ope- C
ra non fecissem quæ nullus alius facere potest, peccatum non haberent, videlicet infideles Judæi. Hæc sunt divinæ veritatis verique Dei sigilla, Evangelio Christi appensa, quibus certissime scimus evangelicum librum esse velut epistolam, nobis a Deo per Christum transmissam, sicut et
Ibid. VII, 16. ipse fatetur : Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.

1 Ait itaque S. Matthæus : *Quum autem descendisset* Jesus *de monte,* in quo præ-
scriptum fecit sermonem : qui non erat D
mons Oliveti, quamvis hoc dicat Chrysostomus, sed mons quidam in Galilæa, in qua fecit sermonem hunc, unde et statim fertur ingressus Capharnaum, quæ erat principalis urbs Galilææ : et hoc etiam dicit Hieronymus; *secutæ sunt eum turbæ multæ,* propter diversas rationes, ut ta-
Matth. IV, 25. ctum est supra.

Et ecce leprosus veniens, adoravit eum. 2
Si credidit eum esse verum Deum : quod utique Christus de se ipso in sermone præ-
scripto insinuavit, dicendo : Multi dicent *Matth.* VII, 22.
mihi in die illa : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? quæ fieri non possunt, nisi in nomine Dei. Si ergo leprosus hoc intellexit, et Jesum Deum esse credidit, tunc dicendum, quod adoravit eum adoratione latriæ. Si autem credidit eum esse prophetam tantum et hominem purum, quamvis sanctum, adoravit eum veneratione duliæ, quæ creaturis impen-
ditur : sicut et Josue adoravit angelum, et *Josue* V, 15.
Salomon matrem suam, illa David regem. *III Reg.* II, 19.
Adoravit ergo Jesum prostratus in terram, *Ibid.* I, 16, 31.
vel genibus flexis, *dicens : Domine, si vis, potes me mundare.* Quam fiducialis, certa, ac reverentialis petitio ! Non enim de potentia subveniendi dubitavit, qui voluntatis pietatem imploravit. Certissimus fuit iste leprosus hominem illum amantissimum esse Deo, et omnia posse impetrare ab eo, cujus doctrinam tam potestativam efficacissimamque esse advertit. Et quoniam plena fide oravit, exaudiri mox me-
ruit : omnia namque possibilia sunt cre- *Marc.* IX, 22.
denti. Ideo subditur :

Et extendens Jesus manum suam, unitæ 3
deitatis organum, *tetigit eum, dicens : Volo, mundare,* hoc est, volo ut munderis,

Lev. XIII, 46; *Num.* V, 2, 3. ut legantur hæc verba divisim. In lege prohibitum erat tangere leprosum, sed hoc intelligendum erat de his qui maculari poterant a leproso, non de his qui suo tactu poterant purgare leprosum. Potuit vero Salvator sanare leprosum sine manus suæ extentione et tactu; sed quia humanitatem assumpsit, per eam operatus est, et in agendo humano modo se habuit, ut sciamus totam salutem nostram per assumptam Christi humanitatem esse completam. Denique Christus dicendo, Volo, mundare, *Ps.* XXXII, 9; CXLVIII, 5. ostendit se esse de quo dictum est : Ipse dixit, et facta sunt. *Et confestim mundata,* id est repulsa seu ablata, *est lepra ejus.* In quo patet quam libere ac imperialiter operatus sit Christus, magisque mirandus est modus agendi, quam actio.

4 *Et ait illi Jesus : Vide,* id est, perpende quod tibi injungo, videlicet, *nemini dixeris* quod curaverim te. Nonne in præsentia multorum Christus curavit hunc languidum, etiam ad suæ doctrinæ confirmationem? Cur ergo jussit eum tacere? Imo, si voluit miraculum esse occultum, cur non potius curavit eum silenter, solo nutu, seu voluntate, quam verbo et tactu? Et respondendum, quod jussit eum tacere : Primo, ut instrueret nos vanam gloriam devitare, et in mirificis actibus malle abscondi, quantum in nobis est, quam propalari, quamvis interdum propter aliorum profectum oporteat talia manifestari. Secundo, ut ait Hieronymus, quia necesse non erat ut voce jactaret, quod corpore præferebat. Tertio, secundum Chrysostomum, ne si fama sanationis ejus ad sacerdotes perveniret, recusarent eum, ex invidia Christi, tanquam mundatum admittere.

Sed vade, ostende te sacerdotibus, ut illi judicent te mundatum, sicque inter homines converseris, *et offer munus tuum,* id est debitam oblationem Deo pro gratiarum actione beneficii tibi impensi, et pro emundatione tua, hoc est pro manifestatione tuæ purgationis, *quod præcepit Moyses* a leprosis mundatis offerri, *in testimonium illis,* id est, ad hoc ut testimonium

A eis perhibeatur a sacerdote, quod sint vere a lepra purgati. Quemadmodum in Levitico legitur, jusserat Moyses ut leprosus mundatus offerret tortam panis, duosque *Lev.* XIV, 2-32. turtures, atque sextarium olei, juxta ritum qui prædicto loco describitur. Christus, qui non venit legem solvere, nec cærimonialia *Matth.* V, 17. reprobare ante suam passionem, misit leprosum mundatum, ut legalem hostiam immolaret, quoniam cærimonialia legis usque ad Christi passionem durabant, et vim obligandi habebant. — Porro, secundum B Hieronymum, multis de causis mittit Christus leprosum ad sacerdotes : primo, ex humilitate, ut sacerdotibus videatur deferre; secundo, ne legem videatur infringere; tertio, ut sacerdotes vel credendo propter tantum miraculum salvarentur, vel non credendo inexcusabiles fierent. Est etiam alia ratio, scilicet figura futuri. Misit enim eum ad sacerdotem, ad figurandum quod Christianus, quamvis sit per contritionem et gratiæ infusionem a lepra animæ seu peccato mundatus, tenetur tamen C congruo tempore, si adsit facultas, se sacerdoti novæ legis ostendere, aperiendo ei cor suum per veram confessionem, quia nec Deus dimittit peccatum, nisi sub hac conditione, videlicet, ut pœnitens proponat confiteri secundum Christi præceptum. — In Luca legitur iste leprosus mundatus a Christo in una civitatum, puta Capharnaum. *Luc.* V, 12.

Quum autem introisset Capharnaum, 5
accessit ad eum centurio, rogans eum, et 6
dicens : Domine, puer meus jacet in domo
D *paralyticus.* Sciendum, quod iste centurio, id est princeps centum militum, seu hominum armatorum, non accessit ad Christum in propria persona, sed per alios a se missos, secundum quod Lucas dicit : Misit ad Jesum seniores Judæorum. At illi *Ibid.* VII, 3-5. quum venissent ad Jesum, rogabant eum sollicite, dicentes ei : Quia dignus est ut illi hoc præstes; diligit enim gentem nostram, et synagogam ipse ædificavit nobis. Et post pauca : Me ipsum, inquit, non sum *Ibid.* 7. dignum arbitratus ut venirem ad te. Sed

quia homo dicitur facere quod facit per
alios, maxime per amicos, quemadmodum
dicimus regem aliquem obsidere civita-
tem, eo quod populus ejus eo jubente eam
obsideat; idcirco Matthæus asserit centu-
rionem accessisse ad Jesum. Domine, puer
meus jacet in domo paralyticus, id est,
paralysim, utpote resolutionem ac immo-
bilitatem membrorum et sensuum susti-
nens, *et male torquetur,* id est, gravissime
Luc. vii, 2. infirmatur : quia (ut dicit Lucas) moritu-
7 rus erat præ infirmitate. *Et ait illi Jesus,*
hoc est, per alios respondit. Non enim
immediate dixit ad centurionem verba se-
quentia. *Ego veniam, et curabo eum.* Quæ-
ritur, quomodo hoc verum sit, quod ait,
Ego veniam : non enim venit usque ad
centurionis domum, ut patet ex conse-
quentibus. Ad hoc responderi potest du-
pliciter : Primo, quia (ut Lucas dicit) Jesus
Ibid. 6. cœpit ire ad domum centurionis, et appro-
pinquavit domui ejus, ideo ait, Veniam,
scilicet usque ad locum domui tuæ propin-
quum. Secundo, ut intelligatur conditiona-
liter, scilicet, Ego veniam ad paralyticum
domumque tuam, si desideraveris hoc : ut
sit promissio benevolentiæ, non assertio
operis.

Denique, propter magnam fidem, humi-
litatem, caritatem, ac sapientiam centurio-
nis, Christus tam prompte promisit : Ego
veniam, et curabo eum. Fides enim cen-
turionis apparuit in hoc, quod credidit
Christum posse curare letaliter infirman-
tem : quod non fuit multo minus miracu-
lum quam suscitare defunctum. Humilitas,
quod indignum se æstimavit in propria
persona coram Christo apparere, vel eum
in domo sua recipere : sicut et Petrus di-
Ibid. v, 8. xit, Exi a me, Domine, quia peccator sum.
Caritas, quod pro servo suo tam instan-
ter rogavit, quem etiam puerum nominat,
propter dilectionem ad eum. Unde Lucas
Ibid. vii, 2. scribit, quod fuerat ei pretiosus, id est ca-
rus. Sicque centurio implevit illud Sapien-
Eccli. xxxiii, 31. tis : Servus fidelis sit tibi quasi filius. Est
quoque consuetudo Scripturæ, ministros
pueros appellare. Unde in libris Regum

A habetur, quod Elias venit in Bersabee, et *III Reg.* xix, 3.
dimisit ibi puerum suum. Sapientia au-
tem centurionis patet in hoc, quod Christi
divinitatem cognovit, eumque solo verbo
vel angelorum ministerio posse dare so-
spitatem pensavit.

Denique ad dandum humilitatis exem-
plum, promisit se ad paralyticum servum
iturum. Ut enim in Joanne habetur, roga- *Joann.* iv, 47-50.
tus visitare filium reguli, non acquievit;
sed rogatus visitare servum centurionis,
statim assensit, ne dedignemur abjectas et
B pauperes visitare personas. In quo facto,
secundum Gregorium, superbia nostra re-
tunditur, qui in hominibus, non naturam
qua ad imaginem Dei facti sunt, sed hono-
res et divitias veneramur. Hinc ait Bernar-
dus : Ad sanandum filium reguli ire no-
luit, ne divitias honorare videretur ; ad
servum pergit, ne servilem conditionem
contemnere putaretur.

Et respondens centurio, ait : Domine, 8
non sum dignus. Istam responsionem fecit
centurio per nuntios intermedios. Quum
C enim aliqui retulissent ei verba Christi,
Ego veniam, remisit nuntios ex parte sua,
dicentes, Domine, non sum dignus, prout
Lucas plenius recitat. Itaque, Non sum di- *Luc.* vii, 6.
gnus *ut intres sub tectum meum,* hoc est
in domum meam tecto opertam : quum tu
sis genere Judæus, ego gentilis; tu Salva-
tor, ego peccator; tu Deus, ego homo. Quæ *II Cor.* vi, 14.
enim conventio luci ad tenebras? Et quid *Jer.* xxiii,
tritico cum paleis? Agnovit centurio quam 28.
abominabile erat Judæis alienigenam acce-
dere, vel cum gentilibus manducare, bi-
D bere, ingredi, vel misceri. Quidam dicunt,
quod ideo dixit centurio, Domine, non sum
dignus ut intres sub tectum meum, quia
fortassis habuit idola in domo sua. Sed hoc
non videtur probabile, quia (ut dictum
est) ipse ædificavit synagogam Judæis : *Luc.* vii, 5.
propter quod certum est quod fuerat fer-
vens cultor unius veri Dei, sicut Cornelius *Act.* x, 1,
centurio. Quis enim nunc sponte construe- 2, 22.
ret Christianis ecclesiam, nisi coleret Chri-
stum? *Sed tantum dic verbo* imperiali, id
est, dicendo præcipe ut puer meus sane-

Jer. xxxii, 17, 27. tur, *et sanabitur* a paralysi *puer meus :* non enim est tibi difficile omne verbum. Unde habebat centurio iste tantam fidem de Christi potentia? Dicendum, quod partim ex fama qua audierat prædictum leprosum tam potenter ac imperiose a Christo curatum, partim ex inspiratione divina.

Præterea, quod non exigeretur corporalis præsentia Christi, probat per locum a
9 majori. *Nam et ego homo sum,* videlicet homo purus, non Deus et homo ut tu, *sub potestate constitutus,* id est superiori principi subditus, utpote imperatori ac præsidi. Ex parte enim Romanorum positus fuit centurio in urbe Capharnaum, ut eam secundum legem Romanorum gubernaret et custodiret. *Habens sub me milites* centum mihi obedientes. *Et dico* imperando *huic* militi, *Vade* quo mitto te, *et vadit* ut jubeo; *et alio* (secundum antiquam grammaticam), id est, alteri militi dico, *Veni* ad me, *et venit; et servo meo* dico, *Fac hoc* quod tibi injungo, *et facit.* Per hæc verba dedit centurio intelligere, quod Christus solo præcepto, atque angelorum obsequio, sine sua corporali præsentia, poterat facere omne quod voluit, nec indigeret ad curandum paralyticum corpore præsens esse.

10 *Audiens autem Jesus* verba hæc ab ore nuntiorum, *miratus est,* vel vere, vel secundum apparatum, ut plenius inquiretur. Miratus est ergo de tam insolita fide, eximia humilitate, ingenti sapientia viri gentilis. *Et sequentibus se* turbis *dixit : Amen,* id est veraciter, *dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel,* id est in populo Judæorum, sicut in isto centurione. Non est hoc intelligendum de fide omnium Israelitarum simul accepta, sed de fide cujusque seorsum. Secundum Hieronymum, Christus loquitur de præsentibus, non de præteritis Prophetis ac Patriarchis. Sed numquid fides centurionis major erat fide beatæ Virginis, Joseph, Zachariæ, Elisabeth, Simeonis et Annæ? Non utique. Quomodo ergo intelligenda sunt hæc? Et respondendum, quod modicum pro nihilo reputatur, secundum Philosophum. A Quoniam ergo Judæi in Christum perfecte credentes, paucissimi erant respectu aliorum non credentium (nondum enim fratres ejus in eum credebant, ut apud Joannem dicitur), Joann. vii, 5. ideo ait : Non inveni tantam fidem in Israel. Simili sensu ait in Psalmo, Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit; Ps. lxviii, 21. quum tamen scriptum sit, quod multæ mulieres sequentes plangebant eum, Luc. xxiii, 27. et discipuli ejus vehementissime contristabantur. Matth. xvii, 22. Per Israel ergo intelligit majorem partem Judæorum et principes eorum. Vel B dicendum, quod ideo asserit se non invenisse tantam fidem, id est tam manifestam et excellentem fidei confessionem in Israel, quoniam nemo Judæorum tempore conversationis Christi in mundo, tam publice ac præclare confessus est ejus majestatem sicut centurio, nisi forte paucissimis quibusdam exceptis, ut Joanne Baptista, etc. Ibid. iii, 11, 12; Marc. i, 7, 8; Joan. i, 26, 27, 29-34.

Potest insuper dici, mystice intelligendum esse hoc dictum, videlicet de Ecclesia, respectu Synagogæ, non de persona C centurionis et quocumque Judæo, ut sit sensus : Non inveni tantam fidem in Israel, id est in Synagoga veteris Testamenti, sicut in centurione, id est in Ecclesia novæ legis, per centurionem designata, qui secundum doctores, figura fuit Ecclesiæ ex gentibus congregatæ. Sed tunc rursus dubium oritur, quomodo fides Ecclesiæ præferatur Synagogæ, quum Virgo benedicta, Apostoli, et tota pene Ecclesia primitiva, cujus fides perfectissima erat, fuerint ex populo Judæorum. Act. vi, 7; xvi, 5. Et respondendum, quod D nomine Ecclesiæ, intelligi possunt omnes renati fonte Baptismatis : et sic fides Ecclesiæ major est fide Synagogæ, perfectione ac numero. Si autem per Ecclesiam intelligatur sola gentilitas conversa, seu Ecclesia ex gentibus adunata, sic fides Ecclesiæ major est fide Synagogæ, numero, id est credentium multitudine. Nam plures ex gentibus quam ex Judæis crediderunt in Christum. Aliqui etiam dicunt, quod fides centurionis præfertur fidei Israel, et Apostolorum, discipulorumque Christi, non

quantum ad devotionem, sed quantum ad A
facilitatem credendi.

Quod autem per centurionem figuretur
fides Ecclesiæ ex gentilitate collectæ, hinc
constat, quod Christus occasione fidei cen-
turionis, de gentium conversione prædi-
11 cit : *Dico autem vobis, quod multi ab ori-
ente et occidente,* ac ceteris partibus terræ,
quæ per duas principales partes mundi
significantur, puta gentiles ex omnibus fi-
nibus mundi, *venient* ad fidem et gratiam
per prædicationem Apostolorum : de qui-
Ps. XVIII, 5. bus prædictum est, In omnem terram ex- B
Act. I, 8. ivit sonus eorum; quibus et dixit, Eritis
mihi testes usque ad ultimum terræ. Hoc
Is. XLII, 10. est quod Isaias inquit : Cantate Domino
canticum novum, laus ejus ab extremis
Ibid. XLIX, 12. terræ. Ecce isti de longe venient, et ecce
illi ab aquilone et mari, et isti de terra au-
strali. *Et recumbent,* id est, feliciter re-
quiescent, et spiritualiter edent ac bibent,
cum Abraham et Isaac et Jacob, ceterisque
electis Judæis, *in regno cœlorum.* Nominat
autem Christus specialiter hos tres, quia
inter Patriarchas præcipui, primi, ac fa- C
mosissimi fuisse videntur, saltem in mul-
Gen. XII, 7; XIII, 15, 17; XV, 18; XVII, 8; XXVI, 3, 4; XXVIII, 13; XXXV, 12. tis; et quoniam principaliter facta est eis
promissio terræ repromissionis, per quam
cœlestis figuratur hereditas, seu regnum
cœlorum.

12 *Filii autem regni,* id est Judæi incredu-
li : qui dicuntur filii regni cœlestis, quia
ad illud specialiter invitabantur, et quia
in eis olim Deus regnavit, quum crederent
in futurum, in quem non credebant præ-
sentialiter apparentem, et inter eos con-
versantem. Isti ergo sunt filii vocatione et D
nomine, suaque præsumptuosa reputatio-
ne, non prædestinatione et vera consecu-
Deut. XXXII, 19. tione. De quibus scriptum est : Provocave-
Is. I, 2. runt eum filii sui et filiæ; et Isaias, Filios
(inquit) enutrivi, ipsi autem spreverunt
me. Hi ergo *ejicientur* a consortio electo-
rum, *in tenebras exteriores,* id est corpo-
rales atque palpabiles tenebras carceris in-
fernalis, statim quum moriuntur, quoad
animam, in die autem novissimo, quoad
corpus et animam. Tenebræ aliud non sunt
nisi privatio luminis. Lumen vero est du-
plex, videlicet : spirituale, sicut est sapi-
entia, gratia, veritas : et hujus privatio
sunt tenebræ interiores, exsistentes in spi-
ritu. Aliud est lumen sensibile, seu corpo-
rale : cujus privatio sunt tenebræ exterio-
res, quæ sequuntur per privationem, sicut
silentium dicitur audiri. Quamvis autem
in inferno sit ignis, ille tamen obscurus
est atque fumosus, non lucidus, nisi for-
sitan in tantum ut damnati possint se
mutuo videre ad cumulum suæ miseriæ,
secundum Thomam. Potest quoque per te-
nebras istas infernus tenebrosus intelligi,
qui propter suæ obscuritatis horribilem
densitatem, nomine tenebrarum exprimi-
tur. De quo ait beatus Job : Dimitte me an- *Job* X, 20, 21.
tequam vadam ad terram tenebrosam, et
opertam mortis caligine.

Ibi, videlicet in inferno seu tenebris
ejus, *erit fletus, et stridor dentium.* Cer-
tum est quod fletus et stridor dentium
non sint corporaliter in substantiis spiri-
tualibus, scilicet animabus separatis atque
dæmonibus; sed ante diem judicii est in
eis fletus interior, id est summa tristitia,
ex qua corporalis fletus solet causari, et
dentium stridor, id est interiorum visce-
rum horrenda concussio. Post diem vero
judicii, erit in hominibus condemnatis stri-
dor dentium corporalis ex frigore inferna-
li, quoniam ibunt a calore nimio ad aquas *Ibid.* XXIV, 19.
nivium. In fletu autem corporali duo pen-
santur, videlicet oculorum ac cerebri con-
turbatio, et resolutio lacrimarum. Quantum
ad primum erit in eis fletus, non quantum
ad secundum, quia cessante motu primi
mobilis, omnis generatio atque corruptio fi-
nem habebit. Talis etiam fluxus seu resolu-
tio lacrimarum tandem finiretur, nisi Deus
miraculose multiplicaret in illis materiam
lacrimarum, puta humorem in corpore.

Et dixit Jesus centurioni, per internun- 13
tios : *Vade,* id est, ab hac tua sollicitudine
et timore recede, securusque esto; *et sicut
credidisti* puerum tuum posse sanari solo
verbo meo me absente, *fiat tibi* ut ille cu-
retur. *Et sanatus est puer in illa hora,*

imo eodem, ut puto, momento quo Christus verba hæc protulit, vel quo centurio ea audivit.

Quæritur circa prædicta, quomodo in Christo fuit admiratio? Ad quod aliqui dicunt, quod in Christo non fuit vera admiratio, quia ut asserit Damascenus, admiratio ex subita imaginatione alicujus novi procedit, videlicet ex nova et repentina apprehensione alicujus insoliti prius incogniti, vel non considerati. Christus autem ut homo, a primo suæ conceptionis instanti vidit, actualiterque cognovit in Verbo visione beatifica, omnia quæ cognoscit Verbum notitia visionis, hoc est omnia quæ unquam fuerunt, vel erunt : ideo nil de novo apprehendit, unde ad admirationem inductus sit. Sed fuit in eo admiratio secundum exteriorem apparentiam : quæ non fuit deceptoria, sed ordinata ad nostram instructionem, videlicet, ut fidem centurionis, aliorumque mirificam conversionem, et Judæorum perfidiam admiremur. Sic nempe et Deus per modum mirantis se habuit, quum de Sodomitis loqueretur in Genesi : Descendam, et videbo si juxta clamorem qui venit ad me faciant. Alii dicunt, quod in Christo fuit vera admiratio, non quantum ad scientiam beatificæ visionis, nec quantum ad scientiam habitualem infusam, qua cognovit res in proprio genere, sed quantum ad scientiam acquisitam et experimentalem, quam isti ponunt in anima Christi. Sic ergo secundum istos, fuit in Christo aliquid de novo cognitum, prius ignotum, quoad istum sciendi modum seu habitum, ex cujus inspectione admirabatur.

Gen. XVIII, 21.

Expositio moralis.

Postremo, moralitatem breviter tangendo, sicut per centurionem figuratur Ecclesia, ita per servum ejus paralyticum figuratur quilibet spiritualiter languidus, et maxime acediosus, more paralytici ad divina piger, et quasi immobilis. Pro tali orat Ecclesia Christum, ut puerum hujusmodi curet, et ad divina fervidum agilemque efficiat : cujus precibus Christus frequenter annuit. Et sicut centurio ex humilitate misit seniores Judæorum intercessores, sic Ecclesia per sacerdotes tanquam per mediatores implorat Christi clementiam : quorum fide, prece ac merito, peccatores frequenter sanantur, quemadmodum fide centurionis sanatus est puer ejus. Per centurionem quoque, qui dixit humillime, Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, figurati sunt timorati ac humiles Christiani, qui Christi opem desiderant, sed eum intra se communicando vel celebrando recipere vehementer verentur : unde cum spirituali receptione Sacramenti multoties contentantur. Et quamvis hoc interdum sit bonum, melius tamen est ex fervore et spe pietatis divinæ Sacramentum recipere. Semper autem expedit cum centurione, Christi dignitatem, propriamque vilitatem perpendere, et intimo corde fateri : Domine, non sum dignus, etc. Per puerum quoque seu servum paralyticum, convenienter intelligitur appetitus sensitivus totus infectus, et ad mala proclivus, qui jacet in domo nostra, videlicet corpore fragili, in quo, secundum Apostolum, non habitat bonum. Hunc ergo petamus sanari a Christo, ut sine rebellione serviat rationi ac Deo.

Rom. VII, 18.

ARTICULUS XVII

PROSECUTIO EXPOSITIONIS PRÆSENTIS CAPITULI : ET QUUM VENISSET JESUS IN DOMUM PETRI.

RECITATIS duobus miraculis in sexu A
virili peractis, describitur tertium factum in sexu femineo. Utrumque etenim
sexum venit Christus corporaliter spiritu-
14 aliterque sanare congruo ordine. *Et quum
venisset Jesus in domum Petri* apostoli,
qui erat in civitate Capharnaum, quamvis
Joann I, 44. Petrus esset de civitate Bethsaida, ut legitur
in Joanne. Solebat enim Christus divertere
ad domus familiarium suorum et amicorum, ad quiescendum atque vescendum,
non ex necessitate, sed ex dignatione. *Vidit socrum ejus,* hoc est matrem uxoris B
Petri, *jacentem et febricitantem,* ut habe-
Luc. IV, 38. tur in Luca, quod tenebatur magnis febribus. Erat enim vetula, quæ multum debilitabatur ex febribus, propter defectum
15 naturalis caloris. *Et tetigit* Jesus *manum*
Marc. I, 31. *ejus,* ut habetur in Marco, quod accedens
elevavit eam tenens manum ejus; *et dimisit eam,* id est, recessit ab ea, *febris* re-
Luc. IV, 39. pente, quia (ut Lucas ait) imperavit febri,
et continuo surrexit. In quo signo magis
mirandus est modus agendi, quam actio.
Quamvis enim naturaliter possit quis sa- C
nari a febribus, non tamen in instanti, sed
hoc supernaturale est. *Et surrexit* socrus
sanata, *et ministrabat eis* ad mensam, vel
in aliis, utpote Christo et ejus discipulis.
In quo aliud signum consideratur, quia (ut
dicit Hieronymus) natura febricitantium
est, ut post febrem corpora magis lassescant, et incipiente sanitate, mala pristinæ
ægritudinis sentiant. Quod ergo hæc mulier subito vires perfecte recepit, certum
est supernaturale fuisse.

16 *Vespere autem facto,* videlicet die isto D
ad occasum tendente, *obtulerunt ei,* videlicet Christo, *multos dæmonia habentes,* id
est dæmoniacos; *et ejiciebat spiritus* malignos ab obsessis corporibus, *verbo,* id
est solo vocis suæ imperio, non longa adjuratione, ut exorcistæ Judæorum. Ab instanti enim quo Christi humanitas unita
fuit Verbo personali unione, subjecta est Ps. VIII, 8;
ei omnis creatura : ideo ejus imperio om- I Cor. XV, 26; Ephes.
nia creata obediunt. Propter quod ait Sal- I, 22; Hebr.
vator : Pater diligit Filium, et omnia dedit II, 8. Joann. III,
in manu ejus. *Et omnes male habentes,* 35.
id est infirmos, *curavit.* Vicini namque,
perceptis præscriptis miraculis, adduxerunt ad Jesum omnes languidos suos, cu-
ravitque universos. Ita *ut impleretur quod* 17
*dictum est per Prophetam, dicentem : Ipse
infirmitates nostras accepit, et ægrotationes portavit.* Nostra translatio continet sic,
Vere languores nostros ipse tulit, et dolo- Is. LIII, 4.
res nostros ipse portavit : et redit in idem.
Ut sit sensus : *Ipse* Christus *infirmitates,* id
est pœnalitates *nostras,* ex originali peccato consecutas, videlicet mortalitatem, famem, sitim, lassitudinem, ceterosque indetrahibiles defectus, *accepit* in se ipso, et
habuit eas, sicut ait in Psalmo : Infirmata Ps. XXX, 11.
est in paupertate virtus mea; et rursus,
Ego sum pauper et dolens; itemque, Re- Ps. LXVIII, 30.
pleta est malis anima mea. *Et ægrotatio-* Ps. LXXXVII,
nes portavit, id est, nostros languores pie 4.
in aliis supportavit, et condolendo curavit,
sicut Apostolus dicit : Alter alterius onera Galat. VI, 2.
portate. Non tamen fuit in Christo infirmitas corporalis ex indispositione complexionis proveniens, secundum Damascenum.
Non ergo assumpsit omnes defectus nostros, sed eos dumtaxat qui integritati et
perfectioni naturæ non repugnant.

Videns autem Jesus turbas multas circa 18
se : quia ut dicit Marcus, tota civitas erat Marc. I, 33.
congregata ad januam; *jussit ire* secum
discipulos suos *trans fretum,* id est ultra

mare Galilææ, quod juxta Capharnaum decurrebat. Abiit ergo navigio a Capharnaum
Luc. IV, 42; *Marc.* I, 35. in locum desertum, ut Lucas et Marcus commemorant, ut doceret nos humanam laudem et gloriam fugere, tunc præsertim quando magnum aliquid egimus, et magis ab universis cum admiratione inspicimur. Quum enim prædicta miracula faceret, omnes in ejus præconium proruperunt. Dæmones quoque copiose clamabant, dicen-
Marc. I, 24; *Luc.* IV, 34, 41. tes, Tu es Christus et Filius Dei, sicut alii referunt Evangelistæ. Alia ratio fuit, ut daret prædicatoribus ac prælatis exemplum sæpius recedendi a strepitu populi ad locum secretum, ad vacandum contemplationi ac orationi, ut sic repleantur gratia illustrationis divinæ, et quæ divinitus perceperunt, aliis affectuose eructent.

19 *Et accedens* ad Jesum *unus Scriba,* id
est eruditus in lege, *ait illi : Magister, sequar te quocumque ieris,* id est, tibi inseparabiliter adhærebo. Qua intentione hoc dixerit, ex subsequenti Christi responsione
20 elicitur. *Et dicit ei Jesus : Vulpes foveas*
habent, id est latibula sua sub terra, *et volucres cœli* aerii, in quo volant, habent *nidos,* in quibus quiescunt et pullos enutriunt; *Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet,* id est propriam domum. Sed nonne Maria, quæ erat unica suis parentibus, ex parte patris habuit domum parentum suorum? et Joseph (qui adhuc vixit, secundum quosdam) propriam habuit domum? Et respondendum, probabile esse quod Virgo beata omnia sua vendidit, egenisque contulit, similiter Joseph : aliter non implessent quod Christus edocuit alios, et Apostoli perfecerunt, qui
Matth. XIX, 27. relictis omnibus secuti sunt Christum. Christus ergo in summa vixit inopia, proprio carens hospitio. Propter quod Jeremias vehementer admirans, ait ad eum :
Jer. XIV, 8, 9. Quare quasi colonus venturus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum? Quare venturus es quasi vir vagus?

Quæritur, cur Christus pauperem vitam elegit. Dicendum : Primo, ut Scripturas Prophetarum impleret. Sic enim primus Christi adventus in paupertate describitur : Exsulta satis, filia Sion; ecce rex *Zach.* IX, 9. tuus veniet tibi justus et salvator, ipse pauper. Et in Psalmo : Pauper sum ego, *Ps.* LXXXVII, 16. et in laboribus a juventute mea. Unde patet cæcitas Judæorum exspectantium regem Messiam in primo suo adventu temporaliter regnaturum, et omnia regna sæculi possessurum. Secundo, ut faceret quod docere volebat. Venit enim ut mundi ac divitiarum prædicaret contemptum : non ergo debuit eas habere. Tertio, ut non solum verbis, sed etiam rebus futuri sæculi vitam doceret. Per hoc enim quod omnia temporalia contemnuntur, maxime declaratur esse vita alia post præsentem. Quarto, ne putaretur collatione divitiarum attraxisse sibi discipulos. Quinto, ut merito suæ paupertatis, veras divitias consequamur, quemadmodum dicit Apostolus : Pro- *II Cor.* VIII, 9. pter nos egenus factus est, quum dives esset, ut illius inopia divites efficeremur.

Ex prædicta Christi responsione elicitur, quod Scriba perversa intentione dixit, Sequar te, utpote quatenus conversando cum Christo congregaret sibi divitias. Quoniam enim litteratus fuit, cogitavit multis infirmis sanitatem a Christo acquirere, inducendo Christum ad sanationem illorum : sicque volebat pecuniam multam a sanatis colligere. Simili intentione Simon magus dixit Petro et Joanni : Date mihi hanc po- *Act.* VIII, 19. testatem, ut cuicumque manus imposuero, recipiat Spiritum Sanctum. Jesus itaque videns mentem illius, repulit eum, dicendo : Vulpes foveas habent, etc., id est, quum ego tantam paupertatem elegerim, quid quæris mecum conversando congregare divitias?

Alius autem de discipulis ejus, scilicet 21
Jesu Christi, *ait illi : Domine, permitte me primum,* id est, antequam te inseparabiliter sequar, *ire et sepelire patrem meum.* Quidam dicunt istud non esse intelligendum, quasi pater hujus discipuli jam defunctus fuisset, et ipse ad sepeliendum patrem ire rogasset, quia hoc ei negatum non esset, quum sit opus pietatis; sed quod

discipulus iste tenebatur carnali amore pa-
rentum, cum quibus usque ad mortem
eorum voluit permanere, eisque sepultis
Christo adhærere. Verumtamen Ambrosi-
us, Isidorus, et Glossa super Lucam di-
cunt, quod pater discipuli hujus mortuus
fuit, et ipse ad patris sepulturam ire opta-
vit : quod magis consonat litteræ. Nec ra-
tio illa concludit, videlicet, quod sepelitio
patris non fuisset negata discipulo, quum
sit opus pietatis. Nam apud divum Lucam,
ubi factum istud narratur, alius legitur
Luc. IX, 61. Christo dixisse : Sequar te, Domine, sed
primum permitte mihi renuntiare his quæ
domi sunt. Quod quamvis bonum sit, ta-
Ibid. 62. men Christus ei id negavit, propter peri-
culum moræ. Similiter negavit huic patris
sepelitionem, non quia mala, sed quia ma-
joris boni impeditiva. Dicit itaque Am-
brosius : Docet Christus minora bona pro
utilitate esse prætermittenda. Majus est
enim animas mortuas prædicando suscita-
re, quam corpus mortui in terra abscon-
dere. Unde elicitur, quod quando parentes
aliunde habere possunt sustentaculum vi-
tæ, vel sepulturam, filii non impediuntur
a religionis ingressu.

22 *Jesus autem ait illi : Sequere me* mentis
affectu, operis imitatione, et corporis gres-
su. Nec obviat quod secundum Lucam
Ibid. 60. Christus dixit, Vade et annuntia regnum
Dei : quia hoc erat Christum sequi operis
imitatione, corporaliter vero sequebatur
eum sæpe seu congruis horis. *Et dimitte
mortuos,* scilicet morte culpæ (sicut de vi-
I *Tim.* V, 6. dua deliciosa dicit Apostolus, Vivens mor-
Apoc. III, 1. tua est; et Joannes in Apocalypsi, Nomen,
inquit, habes quod vivas, sed mortuus es),
sepelire mortuos suos morte naturæ.

23 *Et ascendente eo,* videlicet Christo, *in
naviculam.* Nunquam legitur Christus in-
trasse navim cortinatam negotiatorum aut
piratorum, sed naviculam aut navim pi-
scatorum : in quo ejus humilitas commen-
datur. *Secuti sunt eum discipuli ejus,* quia
Luc. VIII, 22. cum eo ingressi sunt navim, ut legitur in
Luca. Secundum Origenem, Christus quum
multa et magna fecisset in terra, perrexit

A ad mare, ut ibidem excellentiora opera de-
monstraret, quatenus terræ marisque Do-
minum se ostenderet. Ascendit autem in
naviculam, ut pergeret ad locum secretio-
rem, et populum fugeret, propter causas
paulo ante prætactas. Secundum Hierony-
mum, iste ascensus Christi in naviculam
fuit quando exivit Capharnaum. Sed hoc
intelligendum non est de exitu facto sta-
tim post sanationem socrus Petri. De navi-
gatione namque seu transfretatione post
illum exitum immediate prædictum est. vers. 18.
B Post quam rursus introivit Capharnaum *Marc.* II, 1.
post dies octo, ut habet Marcus. Et postea
egressus Capharnaum, quum fecisset ser-
monem de parabola seminis eodem die,
videlicet tempore vespertino, ingredieba-
tur naviculam istam, ut patet in Marco. *Ibid.* IV, 35, 36.

Et ecce motus magnus factus est in ma- 24
ri, id est in stagno Genesareth, ultra quod
transfretavit : quod dicitur mare, juxta
proprietatem idiomatis Hebræorum, qui
quamlibet magnam collectionem aquarum,
nominant mare, eo quod in Genesi legi-
C tur : Congregationes aquarum appellavit *Gen.* I, 10.
Deus maria. Motus hic maris creditur su-
scitatus magis virtute divina seu miracu-
lose, quam naturaliter, ut Christi potentia
atque divinitas panderentur per motionis
hujusmodi sedationem. Naturaliter autem
motus maris generatur ex vaporibus infe-
rioribus aquarum ascendentibus, et vento
flante ac occurrente in aere. *Ita ut navi-
cula operiretur fluctibus* maris; nam aquæ
eam abundanter ingrediebantur. *Ipse vero*
Jesus *dormiebat* in puppi super cervical, *Marc.* IV, 38.
D ut Marcus habet. Dormiebat autem secun-
dum assumptam humanitatem, ut ejus ve-
ritatem ostenderet, et futurum miraculum
gloriosius exhiberet; non secundum divi-
nitatem, juxta illud in Psalmo : Ecce non *Ps.* CXX, 4.
dormitabit neque dormiet, qui custodit Is-
rael. Denique, secundum partem sensiti-
vam, non secundum portionem intellecti-
vam dormivit, juxta illud : Ego dormio, et *Cant.* V, 2.
cor meum vigilat.

Et accesserunt discipuli, et suscitave- 25
runt eum, dicentes : Domine, salva nos,

id est, a tempestate hac libera ; *perimus,*
26 hoc est, mergi incipimus. *Et dicit eis Je-
sus : Quid timidi estis,* inordinato timore
qui ex defectu fidei oritur, non solum ti-
more naturali qui ex imminentia periculi
nascitur, *modicæ fidei,* id est, vos qui ad-
huc parvam, sed tamen aliquantulam fi-
dem habetis? Quod enim dixerunt, Domine,
salva nos, ex fide manavit, qua credide-
runt eum esse Dei Filium, et ad salvandum
potentem ; quod vero dixerunt, Perimus,
ex timore et pusillanimitate processit ;
quod autem suscitaverunt eum, ex igno-
rantia et fidei imperfectione descendit.
Putabant enim quod Christo dormienti, mi-
nus innotescerent omnia, quam vigilanti,
quasi somnus actum rationis impediret in
ipso. Unde increpari et audire meruerunt :
Quid timidi estis, modicæ fidei ? Nempe,
si magnæ fidei exstitissent, imperassent
et ipsi tempestati, moxque cessasset, prout
Matth. XVII, 19; XXI, 21; *Marc.* XI, 23; *Luc.* XVII, 6. alibi ait Salvator : Si habueritis fidem sic-
ut granum sinapis, dicetis huic monti,
Tollere, et mitte te in mare, et obediet
vobis.

Tunc surgens Jesus a somno, et puppi,
seu loco dormitionis, *imperavit,* id est,
per modum imperantis potenter injunxit,
mari, id est commotioni tempestatique
maris, *et ventis,* ut cessarent ; *et facta est
tranquillitas magna,* id est plena quies a
procella præfata, in instanti, quoniam vir-
tus divinitatis Christi quum sit infinita,
agit in instanti. In quo opere Christus suæ
divinitatis omnipotentiam demonstravit.
Nam vento et mari imperare, et imperia-
liter subjecta habere ad nutum, non con-
venit nisi vero Deo. Propter quod Marcus,
ut istud miraculum gloriosius commen-
Marc. IV, 39. daret, sic ait : Surgens, comminatus est
vento, et dixit mari : Tace et obmutesce.
In isto fundatur positio theologorum, po-
nentium in omni natura creata potentiam
obedientialem, qua suo Creatori ad nutum
obedit in omnibus.

27 *Porro homines* exsistentes in navi, *mi-
rati sunt,* viso tanto prodigio, *dicentes :
Qualis est hic ?* quasi dicant : Aliquid su-
pra hominem apparet in eo, videlicet, quod
sit Deus, vel Deo carissimus, ac summe
familiaris. *Quia venti et mare obediunt
ei :* de quo scriptum est, Tu dominaris *Ps.* LXXXVIII, 10.
potestati maris, motum autem fluctuum
ejus tu mitigas. Inanimata autem proprie
non obediunt nisi Deo, per auctoritatem.
Si ceteris obedire dicantur in his quæ sunt
supra naturam, intelligendum est, per mi-
nisterium, secundum Hieronymum et Be-
dam. Quod dicitur, Porro homines mirati
sunt, non de discipulis Christi, sed de nau-
tis et aliis qui aderant intelligendum est.
Aliis vero satis probabiliter videtur, quod
de discipulis quoque hoc ipsum dicatur :
quod ex verbis Marci et Lucæ sequi puta- *Marc.* IV, 40; *Luc.* VIII, 25.
tur. Miratio enim consurgit ex inspectione
effectus et ignorantia causæ : quemadmo-
dum homines videntes lunam eclipsari, et
causam eclipsis ignorantes, mirari cœpe-
runt. Quum ergo causa perfecte cognosci-
tur, cessat miratio : idcirco astrologus ecli-
psim non admiratur ut rusticus. Discipuli
autem nondum cognoverant Christi divini-
tatem, cujus virtute facta sunt hæc. Ipsi
ergo mirati sunt, quamvis minus quam
alii, quoniam magis soliti erant videre mi-
racula Christi.

Præterea, per naviculam quidam my-
stice intelligunt crucem, in qua Salvator
moriendo dormivit : quam secum ascende-
runt discipuli, postmodum tollentes cru- *Luc.* IX, 23.
cem suam quotidie. Quo pendente in cru-
ce, facta est magna in mundo tempestas,
quia a sexta hora usque ad nonam tenebræ *Matth.* XXVII, 45.
factæ sunt, terra mota est, Apostoli quo- *Ibid.* 51.
que turbati fuerunt, suscitaveruntque Chri-
stum, ejus resurrectionem optando. Quo
resurgente, magna cordis tranquillitas data
est Christi discipulis. Chrysostomus per
navim intelligit Ecclesiam, id est congrega-
tionem fidelium, ad quam Christus descen-
dit per incarnationem et conversationem
cum ea. Ipsa quoque portavit Christum,
prædicando eum per totum mundum, qui *Marc.* XVI, 20.
est mare magnum de quo ait Salvator in
Psalmo : Veni in altitudinem maris. Chri- *Ps.* LXVIII, 3.
sto autem hanc navim ingresso, tentatio-

num et adversitatum commotio irruit su- A
per discipulos; sed clamando ad Christum
evaserunt. Navis enim Petri concuti po-
test, non mergi. Sic et nos in omni gravi
tribulatione clamemus ad Christum, di-
centes : Domine, salva nos, perimus.
28 *Et quum venisset* Jesus cum discipulis,
trans fretum, id est ultra stagnum seu ma-
re prædictum, *in regionem Gerasenorum,*
quæ erat ex alio littore hujus maris. Et
dicitur regio Gerasenorum a principali ci-
vitate terræ illius, quæ dicitur Gerasa, vel
Geneser. *Occurrerunt ei duo* homines *ha-* B
bentes dæmonia : quia quilibet eorum, vel
saltem unus, a multis dæmonibus fuit ob-
Luc. VIII, 30. sessus. Lucas enim refert, quod legio dæ-
Marc. v, 2; Luc. VIII, 27. monum fuit in eo. Marcus vero et Lucas
non loquuntur nisi de uno habente dæ-
monia ; sed non est contradictio inter eos
et Matthæum, quoniam numerus minor
non excludit majorem, neque econtra. *De*
monumentis exeuntes : quia non habita-
bant in domibus, sed in fossis factis pro
sepultura; *sævi nimis,* id est valde fero-
ces in se et in alios, quoniam a dæmoni- C
bus obsessi erant, quibus data fuit a Deo
licentia exercendi crudelitatem magnam
per homines istos ab ipsis obsessos. Et
tam sævi erant, *ita ut nemo posset* illæ-
sus atque securus *transire per viam illam.*
29 *Et ecce clamaverunt.* Viso enim Jesu,
dæmones loquebantur per vascula a se im-
pleta, *dicentes : Quid nobis et tibi, Jesu, Fili*
Dei? id est, quæ conventio vel similitudo
inter nos insanos atque obsessos, et te sa-
pientem ac sanctum? quasi dicant : Non
debuisti venire ad nos. Hæc verba homines D
isti loquebantur, sed dæmonibus eos ad
loquendum moventibus adscribuntur. Quod
autem nominant Jesum Filium Dei, non
ex certa cognitione, sed conjectura et sus-
picione procedit, secundum Hieronymum.
Hæc quoque confessio ex necessitate po-
tius quam ex voluntate processit, velut
si servi fugitivi verbera metuentes, verba
blanda suo domino loquantur, ut eis par-
catur. *Venisti* [*huc*] *ante tempus,* id est
valde cito et ante tempus a nobis præsum-

ptum, vel ante diem judicii, in quo erit
plena et finalis reproborum damnatio, *tor-*
quere nos, quoniam tua præsentia nobis
pœnalis est, et timemus ejici a te : quod
nobis grave est valde. Dæmones enim quum
maxime odiant homines, delectantur eos
torquendo, et dolent dum expelluntur. Id-
eo autem potissimum dixerunt, ut reor,
Venisti ante tempus torquere nos, quo-
niam verebantur in infernum retrudi, in
quem noverant se in die judicii retru-
dendos. Verumtamen ubique ferunt ignem
suum secum.
Erat autem non longe ab illis dæmo- 30
niacis *grex porcorum multorum* usque ad
duo millia, secundum Marcum, *pascens,* id Marc. v, 13.
est nutrimentum sumens, in monte, de
herbis atque graminibus. *Dæmones au-* 31
tem rogabant eum, videlicet Jesum, *dicen-*
tes : Si ejicis nos ab istis duobus obsessis,
mitte, id est, ire permitte, *nos in gregem*
porcorum, id est in porcos. Talis fuit ista
petitio, velut si reus timens patibulum,
quærat gladium, quia inter duo mala mi-
nus malum eligitur. *Et ait illis* Jesus : *Ite* 32
in porcos. Hæc Christus concessit, non ad
instantiam dæmonum, sed propter alias
causas. Primo, ut ostenderetur hominibus
quantus sit rancor dæmonum contra eos,
propter hoc quod quærunt nocere jumen-
tis et pecoribus hominum. Secundo, ut
miraculum istud ejectionis dæmonum hac
occasione amplius divulgaretur ad homi-
num informationem : quod et factum est,
ut statim subjungitur. Tertio, quoniam ho-
mines regionis Gerasenorum suis pecca-
tis hoc damnum meruerunt. Erant quippe
gentiles, ut fertur. *At illi* dæmones *ex-*
euntes ab obsessis, *abierunt in porcos.* Imo
in unum porcum plures dæmones intra-
verunt, secundum quod numerus dæmo-
num numerum porcorum excessit. In uno
siquidem obsesso fuerat legio dæmonum. Ibid. 9; Luc. VIII, 30.
Et ecce impetu, id est cum strepitu veloci
ac vehementi, seu motu celerrimo et ra-
bido cursu, *abiit totus grex* porcorum *per*
præceps, id est præcipitanter, seu per lo-
cum præcipitem et tortuosum, *in mare*

Genesareth, dæmonibus porcos impellenti- A
bus. Porci namque potius agebantur, quam
agebant. *Et mortui sunt* porci *in aquis,*
id est submersi et suffocati.
33 *Pastores autem* porcorum *fugerunt,* ter-
riti tam insolito horrendoque facto, et ne
damnum ipsis imputaretur, et ne ipsi quo-
que a dæmonibus invaderentur; *et veni-*
entes in civitatem Geneser, metropolim
Luc. VIII, 26. hujus provinciæ : quæ fuit ex opposito
Galilææ, ut Lucas commemorat; *nuntia-*
verunt omnia civibus, scilicet de submer-
sione porcorum, *et de his* duobus *qui dæ-* B
monia habuerant, quomodo curati essent
a Christo, de cujus licentia dæmones in-
34 gressi sunt porcos. *Et ecce tota civitas,* id
est populus civitatis pro magna vel prin-
cipaliori parte, *exiit obviam Jesu,* ut eum
Marc. V, 14. honorarent, vel signa facta viderent, ut
asserit Marcus. *Et viso eo, rogabant eum,*
ut transiret a finibus eorum, id est, ab
ipsis et terra eorum recederet : vel quia
Matth. VIII, 8. se indignos reputabant ejus præsentia, sic-
ut centurio; vel ne talia damna amplius
paterentur, si Christus plures dæmoniacos C
in terra ipsorum curaret. Verumtamen, si
sapientes fuissent, potius Christum rogas-
sent secum manere, quam omnino terram
eorum exire.

Mystice, per hoc quod Christus post ma-
ris transfretationem, dormitionem, et sus-
citationem, ingressus est terram Gerase-
norum gentilem, significatur, quod post
conversationem suam in hoc sæculo, tur-
bulentissimo mari, post dormitionem in
cruce ac monumento, et resurrectionem,
intravit terras gentilium, mittendo ad eos
Apostolos, et introeundo corda eorum per
fidem et gratiam. Per sanationem quoque
sævissimorum dæmoniacorum, designatur
conversio habituatorum et obstinatorum
in vitiis : qui quum in profundum pec- Prov. XVIII, 3.
catorum venerint, contemnunt; qui sine Eccle. VIII, 11.
ullo timore perpetrant mala; super quos
clausit puteus os suum. De quibus ait Psal- Ps. LXVIII, 16.
mista : Prodiit quasi ex adipe iniquitas Ps. LXXII, 7.
eorum; et Salomon, Lætantur quum ma- Prov. II, 14.
lefecerint. Tales sæpius sanantur et con-
vertuntur a Christo, ita ut omnes qui vi- Ezech. XXVIII, 19.
derint, obstupescant.

ARTICULUS XVIII

EXPLANATIO CAPITULI NONI : ET ASCENDENS IN NAVICULAM, TRANSFRETAVIT.

1 Et *ascendens,* id est ingrediens Jesus
in naviculam, forte in eamdem in
qua venit ad terram Gerasenorum, *trans-* D
fretavit, hoc est, navigando per mare præ-
dictum reversus est cum sua comitiva; *et*
venit in civitatem suam. Per hanc civi-
tatem Hieronymus intelligit Nazareth, a
qua Jesus dictus est Nazarenus. Augusti-
nus vero intelligit per eam Capharnaum :
et hoc communius tenetur, quoniam apud
Marc. II, 1. Marcum manifeste describitur sequens mi-
raculum in urbe Capharnaum perpetra-
tum. Quemadmodum ergo Nazareth dicitur
civitas Christi, quia in ea conceptus, et
Bethlehem, quia in ea natus; sic Caphar-
naum, quia in ea moratus, frequenter con-
versatus, et multa miracula operatus.

Et ecce habitantes vel exsistentes in 2
Capharnaum, *offerebant,* hoc est præsen-
tabant, *ei,* videlicet Christo, *paralyticum*
jacentem in lecto : qui secundum Marcum,
a quatuor portabatur, quia per se ingredi Marc. II, 3.
non valebat. Denique, secundum Lucam,
quum domum in qua Jesus fuerat, intro-
ire viri isti non possent, ascenderunt su- Luc. V, 19.
per tectum, et illo nudato, per tegulas Marc. II, 4.
submiserunt ægrotum in lecto ante Je-
sum, per funes, ut puto. *Et videns Jesus*

oculo interiori, *fidem illorum* offerentium
paralyticum, atque ipsius paralytici, qui
etiam fidem habuit recipiendæ sanitatis,
et potentiæ Christi, quamvis forte mino-
rem quam illi, *dixit paralytico : Confide,*
fili, hoc est, spera te adepturum quod
optas : imo majora recipies, nam *remit-*
tuntur tibi peccata tua, propter quæ hanc
sustines infirmitatem. Antequam Christus
paralytico peccata sua indulsit, infudit ei
quamdam displicentiam seu contritionem
culparum.
3 *Et ecce quidam de Scribis,* quorum mul-
Luc. v, 17. ti tunc aderant, ut Lucas evangelista re-
fert : qui magis venerunt ex curiositate,
vel animo calumniandi, quam desiderio
proficiendi ; *dixerunt intra se : Hic bla-*
sphemat, usurpando sibi quod soli Deo
possibile est, scilicet peccata remittere.
Marc. ii, 7. Dixerant enim in cordibus suis : Quis po-
test peccata dimittere, nisi solus Deus ?
Quoniam ergo putabant Jesum esse ho-
minem purum, imposuerunt sibi crimen
blasphemiæ, eo quod præsumpsit alicui
peccata dimittere.
Jesus vero probat se non blasphemasse,
verumque Deum esse, aperiendo secreta
cordis illorum, et paralyticum solo impe-
rio propria virtute et auctoritate curando,
II *Cor.* ii, 11. quorum utrumque Deo est proprium. Quis
enim novit quid agatur in homine, nisi
4 spiritus hominis? *Et quum vidisset* ocu-
lo intellectuali, *Jesus cogitationes illorum*
Scribarum : quas tunc videre non cœpit,
sed a principio creationis animæ suæ eas
cognovit, sicut et cetera futura ; sed nunc
ostendit se eas vidisse : ut sit sensus,
Quum vidisset, id est, vidisse se ostendere
vellet, Jesus cogitatus illorum perversos.
Unde Joannes in suo evangelio protesta-
Joann. ii, 25. tur : Necessarium Christo non erat, ut quis
ei testimonium perhiberet de homine ; ip-
se enim sciebat quid esset in homine.
Dixit eis : *Ut quid cogitatis mala,* id est
falsa, *in cordibus vestris,* hoc est cum
cordis consensu imputando mihi blasphe-
Ibid. viii, 50, 49. miam, qui non quæro gloriam meam, sed
honorifico Patrem meum? Hoc idem ait

A Christus apud Jeremiam : Usquequo mo- *Jer.* iv, 14.
rabuntur in te cogitationes noxiæ ?
Deinde probat per experientiam se esse
Deum, et posse relaxare peccata. *Quid est* 5
facilius dicere, hoc est dicendo efficere,
Remittuntur tibi peccata tua, an dicere,
id est dicendo peragere, *Surge,* o paraly-
tice, *et ambula* omnino sanatus? *Ut autem* 6
sciatis quoniam Filius hominis (noverant
turbæ quod per Filium hominis intellexit
se ipsum) *habet potestatem in terra,* id est
in hominibus qui demorantur in terra,
B *dimittendi peccata,* secundum quod Deus
est, per auctoritatem, ita quod operari pos-
sit in anima, maculam culpæ per nitorem
infusæ gratiæ auferendo. Loquitur autem
Christus jam de potestate sua increata,
divina ac infinita, non humana : aliter ra-
tio sua non videretur concludere. *Tunc ait*
paralytico. Hoc verbum interponit Evan-
gelista. Christus nempe adjecit : Tibi di-
co, paralytice, *surge* sanus a lecto ægritu-
dinis, *tolle lectum tuum,* in quo jaces, *et*
vade in domum tuam : quæ forsan intra
C Capharnaum fuerat sita. — Sed quæritur,
quomodo ista argumentatio valeat, quum
majus sit animam a languore peccati cu-
rare, quam corporalem infirmitatem sa-
nare. Dicendum, quod Christus intendit
probare utrumque soli divinæ posse con-
venire potentiæ. Nam licet paralysim cu-
rare possit naturaliter fieri, tamen tam
imperialiter, subito et auctoritative eam
curare, non competit nisi potentiæ infi-
nitæ. Idcirco ostendendo se taliter posse
sanare paralysim, demonstravit quoque se
D posse dimittere culpam.
Et surrexit paralyticus jam sanatus, *et* 7
abiit in domum suam, proprium portans
lectum, ad declarandum quod nec vesti-
gium pristinæ infirmitatis in eo perman-
sit. *Videntes autem turbæ* tantum prodi- 8
gium, *timuerunt.* Objectum timoris est
malum. Nam timoris servilis objectum, est
malum pœnæ : timoris vero filialis obje-
ctum, est malum culpæ, videlicet separa-
tio a Deo, vel Dei offensa. Quid ergo vel
cur timuerunt hæ turbæ, quum potius

exsultare et amare debuerant? Et respondendum, quod ex tanto miraculo perpenderunt sanctitatem dignitatemque Christi, quem licet nondum putarent Deum, certissime tamen tenebant eum esse virum sanctissimum, divina potestate agentem : sicque considerata sanctitate ipsius, propriam pravitatem clarius attenderunt, quia opposita juxta se posita clarius innotescunt ; sicque ultionem divinæ justitiæ metuebant, se ipsos abhorruerunt, et Christi præsentia se reputabant indignos, eumque offendere verebantur. *Et glorificaverunt Deum,* id est, gloriosum, pium et omnipotentem esse professi sunt, *qui dedit potestatem talem hominibus,* scilicet potestatem faciendi miracula. Cur non dixerunt, Qui dedit talem potestatem huic homini, singulariter, præsertim quum secundum Marcum, (*Marc.* II, 12.) dixisse legantur, Quia nunquam sic vidimus ? Dicendum, quod forte intendebant ponere plurale pro singulari ; vel nondum putabant ampliorem potestatem collatam Christo, quam Moysi et Prophetis.

Consequenter gloriosus evangelista Matthæus, sui ipsius conversionem describit.
9 *Et quum transisset** inde [*Jesus*], hoc est a Capharnaum, seu domo ubi sanavit hunc paralyticum, *vidit hominem sedentem in telonio,* id est occupatum in colligendo vectigalia seu tributa : et forte ad litteram tunc sedebat quantum ad situm corporis in telonio, id est in domo publica, ubi solvebantur prædicta. Vel telonium est mensa in qua computantur vectigalia. *Matthæum nomine.* Hic Matthæus alio nomine appellatus est Levi, sicque vocant eum Lucas et Marcus, (*Luc.* v, 27, 29 ; *Marc.* II, 14.) dum ejus conversionem describunt : nam propter reverentiam nolunt eum usitato nomine designare, dum inhonestum ejus officium exprimunt. *Et ait illi* Jesus : *Sequere me.* Respexit Jesus Matthæum oculo corporali, sed multo profundius oculo pietatis internæ seu compassionis affectu, quemadmodum respexit (*Luc.* XXII, 61.) et Petrum, post trinam negationem. Similiter vocat Matthæum, verbo vocali ad extra corporales aures pulsando; sed multo virtuosius vocavit eum verbo inspirationis occultæ, exhortationisque intimæ : de quo ait Propheta, Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. (*Ps.* LXXXIV, 9.) Porro verba Christi operativa erant, et penetrativa cordis. *Et surgens* a pristina conversatione injusta, a loco telonii, et ab omni affectu terreno, *secutus est eum,* videlicet Christum mentis religiosa devotione, et corporis gressu promptissimo.

Et factum est, discumbente eo, id est 10
Christo manducante, *in domo* Matthæi, qui fecit Christo magnum convivium, secundum Lucam, (*Luc.* v, 29.) non tamen immediate post conversionem suam, sed postea. Imo, quod hic dicitur de vocatione Matthæi, per recapitulationem dicitur, non secundum historiæ ordinem : ut habetur in Luca, quod Jesus ascendens in montem antequam illic sermocinaretur, (*Ibid.* VI, 12, 13.) vocavit ad se discipulos suos, elegitque ex eis duodecim Apostolos, quorum Matthæus exstitit unus ; (*Ibid.* 15.) sermo autem in monte, diu factus fuit ante prædicti paralytici curationem, post quam hic describitur vocatio Matthæi. Sed forte convivium factum est statim post curationem paralytici hujus. Quamvis enim Matthæus primo mox secutus sit Christum, postea tamen de licentia Christi, una cum Christo et ejus discipulis rediit ad domum suam, forsitan dispositurus de negotiis suis, quia teloniarius fuit, et dominis suis rationem reddere debebat. Glossa tamen videtur aliter dicere. *Ecce multi publicani,* id est publici transgressores, *et peccatores* minus famosi in vitiis, *venientes* ad domum Matthæi, ab eo invitati, quoniam socii ejus fuerunt, et exemplo Matthæi Christum sequi ac pœnitere cœperunt : quemadmodum in libris Regum Eliseus ab Elia vocatus fecit convivium sociis suis, mactans boves duos ; (III *Reg.* XIX, 21.) *discumbebant cum Jesu et discipulis ejus* in domo Matthæi. Porro, si Matthæus in sua vocatione omnia sua penitus reliquisset quasi non reversurus, nec dispositurus de eis, non redisset ad propriam domum, ne-

* alias *transiret*

que de suis facultatibus exhibuisset Chri-
sto et ceteris tam solenne convivium.
11 *Et videntes Pharisæi* Christum et ejus
discipulos cum publicanis comedere, *di-
cebant discipulis ejus.* Secundum Lucam
Luc. v, 30; et Marcum etiam Scribæ murmurabant, di-
Marc. II, 16. centes : *Quare cum publicanis et pecca-
toribus manducat Magister vester?* quasi
dicant, Hoc indecens est : quum dicat Je-
Jer. XXIII, 28. remias, Quid tritico cum paleis? et David,
Ps. C, 5. Superbo oculo et insatiabili corde, cum
hoc non edebam. Et rursus Scriptura hor-
Eccli. IX, 22. tatur : Viri justi sint tibi commensales. Et
Prov. XXIII, 6. Salomon in Proverbiis : Ne comedas, in-
quit, cum homine invido.
12 *At Jesus audiens* ad minus aure cordis
verba Pharisæorum, qui ista dixerunt ut
quasi non audirentur a Christo, *ait* eis,
efficaciter respondendo, atque illorum præ-
sumptionem ac elationem redarguendo :
Non est opus, id est, necessarius non est, *va-
lentibus,* id est sanis, *medicus,* loquendo de
utrisque formaliter. Medicus enim ordina-
tur ad vulnerum atque morborum sanatio-
nem, quæ in hominibus sanis non sunt, nec
indigent medico quamdiu sunt tales : quod
de spirituali et corporali sano, ac medi-
co verum est. *Sed male habentibus,* id est,
infirmis opus est medicus. Nam spiritua-
liter vulneratis seu impiis necessarius est
medicus spiritualis, qui possit animam
peccatricem ad statum gratiæ revocare, et
I *Thess.* V, 14. illud Apostoli implere : Corripite inquie-
tos, consolamini pusillanimes, suscipite in-
firmos, patientes estote ad omnes. Talis
Is. L, 4. fuerat Christus, qui in Isaia testatur : Do-
minus, inquiens, dedit mihi linguam eru-
ditam, ut sciam sustentare eum qui lapsus
est, verbo.

Itaque misericordia miseris necessaria
est : quod Christus consequenter probat
13 auctoritate Osee prophetæ, dicens : *Euntes
autem,* id est, corporaliter a me receden-
tes, vel spiritualiter a præsumptione, cru-
delitate, et ignorantia abeuntes. Nam du-
pliciter peccatis : primo, quod vos ipsos
justificatis; secundo, quod alios spernitis,
judicatis, et condemnare audetis. *Discite*
A *quid est,* id est, quomodo intelligi debeat
et observari : *Misericordiam volo,* hoc est *Osee* VI, 6.
compassionem et subventionem ad pro-
ximum indigentem, *et non sacrificium* le-
gale, quasi illud sit per se acceptum ac
meritorium sicut misericordia; vel, Non
sacrificium legale pro tempore evangeli-
cæ legis, in quo misericordia maxime præ-
dicatur. Simili modo scriptum est apud
Isaiam prophetam, dicentem : Holocausta *Is.* I, 11.
arietum et adipem pinguium nolui. Quid
autem velit Deus subjungitur illico, sci-
B licet, Subvenite oppresso. Unde Michæas *Ibid.* 17.
propheta hoc ipsum clarius introducit, di-
cens : Numquid offeram Domino holocau- *Mich.* VI, 6, 7.
tomata? numquid placari potest Deus in
millibus arietum? quasi dicat, Nequaquam.
In quo ergo placatur adjecit : Indicabo *Ibid.* 8.
tibi, homo, quid sit bonum, aut quid Do-
minus requirat a te : utique facere judi-
cium, et diligere misericordiam.

Consequenter subditur causa vel potius
signum, quod Deus vult misericordiam po-
tius quam sacrificium. *Non enim veni vo-
C care justos, sed peccatores.* Hoc est quod
alibi ait Salvator : Venit Filius hominis *Luc.* XIX, 10.
quærere et salvum facere quod perierat;
et Apostolus, Fidelis sermo, et omni ac- I *Tim.* I, 15.
ceptione dignus, quoniam Christus Jesus
venit in hunc mundum peccatores salvos
facere. Sed nonne Christus vocavit Jaco-
bum justum, Petrum, qui nunquam come- *Act.* X, 14.
dit omne immundum, Andream, Joannem,
et alios quosdam justissimos? Et nonne
Apostolus veraciter asserit, Quos præde- *Rom.* VIII, 30.
stinavit, hos et vocavit? Quomodo ergo non
D venit Christus vocare justos? Et respon-
dendum dupliciter : Primo, quia secundum
Ambrosium, per justos intelligit Scribas
et Pharisæos, de sua justitia præsumentes,
qui tamen veraciter justi non erant, sed
vani atque elati. Per peccatores vero in-
telliguntur humiliter pœnitentes, qui ve-
raciter justi sunt. Illos ergo justos Christus
non venit vocare per salutarem effectum,
seu efficientiam, et consecutionem salutis
(juxta quem modum Christus non est cru-
cifixus pro reprobis, sed electis), quia de

Rom. x, 3. taliter justis dicit Apostolus : Ignorantes
Dei justitiam et suam volentes statuere,
justitiæ Dei non sunt subjecti. Istos vero
peccatores venit vocare efficienter atque
finaliter : de quibus infra testatur, loquens
Matth. xxi, 31. ad Pharisæos, Quia videbitis publicanos et
peccatores præcedere vos in regnum Dei.
Secundo, dicendum quod Christus loquitur
hic de vocatione ad pœnitentiam, quæ
peccatoribus competit, non justis, secundum
quod tales sunt. Unde apud Lucam
Luc. v, 32. sic legitur respondisse : Non veni vocare
justos, sed peccatores in pœnitentiam. Justos
vero vocavit et vocat ad gratiæ incrementum
et vitæ spiritualis perfectionem.

Denique auctoritates inductæ ad hoc,
quod cum peccatoribus vescendum non
sit, intelligi possunt de peccatoribus penitus
obstinatis, de quorum conversione non
est spes, et de justis imperfectis, quibus
obesse valet conversatio cum injustis, jux-
Ps. xvii, 27. ta quod scriptum est : Cum perverso per-
I *Cor.* v, 11. verteris. Unde Apostolus : Cum hujusmodi,
ait, nec cibum sumere. Christo autem
nocere non potuit conversatio cum perversis.
Publicani quoque et peccatores cum
eo vescentes, non erant inconvertibiles :
ideo ut illuminarentur et converterentur,
Christus se ad eos humane ac affabiliter
habuit.

Interea, per corporale convivium quod
Christo Matthæus exhibuit, mystice intelligitur
spirituale convivium quod ei in
anima sua paravit, præbendo Christo delicias
cordis, per hoc quod eum in anima
toto recepit affectu, aperiens ei ostium
mentis. De quo convivio ait Salvator in
Prov. viii, 31. Proverbiis Salomonis : Deliciæ meæ, esse
cum filiis hominum ; et in Apocalypsi :
Apoc. iii, 20. Ego sto ad ostium, et pulso ; si quis aperuerit
mihi, intrabo ad illum, et cœnabo
cum eo, et ipse mecum. Præterea, per corporale
illud convivium designatur spirituale
convivium quod Christo facit Matthæus
quotidie in tota Ecclesia, ubicumque ejus
evangelium legitur et auditur : ex cujus
auditione corda hominum proficiunt, Christo
se offerunt, eum recipiunt, et cum
eo spiritualiter epulantur. Sed et dum exemplo
Matthæi graves transgressores convertuntur
et corriguntur, facit Matthæus
Christo solenne convivium. In vocatione
quippe publicani et teloniarii ad discipulatum,
apostolatum, et Evangelistæ officium,
proponitur omnibus quantumcumque
perversis, grandis fiducia pœnitendi
ac veniæ.

Tunc, id est, postquam Salvator sua re- 14
sponsione confudit et obturavit ora Pharisæorum,
ut dictum est, *accesserunt ad
eum discipuli Joannis* Baptistæ, *dicentes :
Quare nos et Pharisæi jejunamus frequenter,*
videlicet sæpius quam in lege præcipitur,
ex speciali devotione, *discipuli autem
tui non jejunant* tam sæpe (quamvis
jejunia præcepta servaverint) ? In hac interrogatione
multipliciter peccant Joannis
discipuli : Primo, quod se de suo jactant
jejunio, quod potius fuerat occultandum,
maxime quoad illud quod supererogationis
exstiterat. Secundo, quod se Pharisæis
conjunxerant, quos a Joanne noverant reprobatos.
Tertio, quod Christi discipulos,
imo et Christum redarguere præsumpserunt,
quem a Joanne laudatum sciebant. *Matth.* iii, 11.
Et ait illis Jesus : Numquid possunt 15
filii sponsi, id est spirituales filii et discipuli
mei, qui sum sponsus Ecclesiæ (de
quo legitur, Tanquam sponsus procedens *Ps.* xviii, 6.
de thalamo suo ; de quo dicit Apostolus,
Despondi vos uni viro virginem castam II *Cor.* xi, 2.
exhibere Christo), *lugere quamdiu cum
illis est sponsus,* id est affligi et contristari,
jejunando frequenter, et alia rigorosa
exercitia prosequendo ? tanquam dicat :
Hoc non decet ; amicus autem et filius *Joann.* iii, 29.
sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet
propter vocem sponsi. *Veniet autem
tempus quum auferetur ab eis sponsus,* videlicet
dies passionis et ascensionis, quando
Christus ablatus est, quantum ad corporalem
præsentiam, quemadmodum ait :
Pauperes semper habebitis vobiscum, me *Matth.* xxvi, 11.
autem non semper habebitis ; et iterum :
Exivi a Patre, et veni in mundum ; ite- *Joann.* xvi, 28.
rum relinquo mundum, et vado ad Patrem.

Quantum vero ad divinæ majestatis na-
turam, et gratiosam ac spiritualem inha-
bitationem, semper erat et est cum suis
Matth. xxviii, 20. fidelibus, juxta illud : Ecce ego vobiscum
sum omnibus diebus, usque ad consum-
mationem sæculi. *Et tunc jejunabunt,* cor-
poraliter abstinendo : sicut et Jacobus, qui
vovit se non comesturum, donec vidisset
Filium hominis resurrexisse a mortuis, et
Ibid. xxvi, 75. Petrus, qui egressus flevit amare, quous-
que Christum resurrexisse audivit. Certum
est autem Apostolos, et totam primitivam
Ecclesiam, post Christi passionem in ma-
gna sobrietate vixisse.

Insuper probat Christus, per quasdam
similitudines, quod discipulis suis adhuc
non congruebat frequens vel magnum je-
16 junium. *Nemo autem* prudenter agens,
immittit, id est, suendo transfert et inse-
rit, *commissuram,* id est juncturam seu
particulam, *panni rudis,* id est novi, pi-
losi, ac spissi, *in vestimentum vetus,* illud
reformando cum tali particula a novo pan-
no seu vestimento abrupta. *Tollit enim
plenitudinem ejus a vestimento,* id est, si
quis partem panni novi a nova veste ac-
ceptam, adjungat et consuat veteri vesti-
mento, aufert plenitudinem ejus, id est
perfectionem novi panni, a vestimento no-
vo, quod deformatur et partim corrumpi-
tur, si ei pars sua abstrahatur, ut veteri
vesti jungatur ; *et pejor scissura,* id est
damnosior corruptio, *fit* in novo panno seu
vestimento, quam fuerat in antiquo. Per
hoc innuit Christus, quod sicut tam diffe-
rentium pannorum conjunctio impropor-
tionata est et deformis, sic status jejunanti-
um non potest subito transferri in eos qui
usitati sunt manducare frequenter, qua-
les fuerunt discipuli Christi. Idcirco opor-
tuit eos primo spiritualiter innovari per
Spiritum Sanctum, tuncque abstinere : sic-
ut et factum est. Nam statim post resur-
rectionem, receperunt Spiritum Sanctum,
Joann. xx, 22. insufflante in eos Christo : quem in die
Act. ii, 1, 4. Pentecostes plenius receperunt; et ex tunc
jejunaverunt. Istud videmus quotidie veri-
ficari, quod homines quamvis pœniteant

A multum, tamen jejunare non valent, nisi
per gratiam confortentur ac renoventur.

Aliud exemplum subjungitur. *Neque* 17
mittunt, id est, homines non fundunt, *vi-
num novum,* videlicet mustum, *in utres
veteres,* id est in vasa antiqua. *Alioqui,* id
est, si mustum in veteres utres transfun-
datur, *rumpuntur utres* tales, quum sint
debiles, vini violentam ebullitionem non
potentes sufferre, *et vinum effunditur, et
utres* tales *pereunt,* id est, destruuntur.
Sed vinum novum in utres novos mittunt
B homines, *et ambo conservantur,* id est, vi-
num et vasa manent in esse. Per hoc Salva-
tor insinuat, quod sicut debilia vasa ferre
nequeunt nova vina, sic rudes et fragiles
discipuli sui nondum dispositi erant ad
sustinendum magnum rigorem jejunii; sed
innovandi erant per infusionem Spiritus
Sancti, quatenus fervorem perfectionis,
abstinentiæque rigorem, utiliter et fructu-
ose possent sufferre : quia Joannis et Pha-
risæorum discipuli, quamvis corporaliter
jejunabant, parum tamen interius profe-
C cerunt, quoniam gratia innovationis præ-
dictæ non erant repleti. Tali ergo infru-
ctuoso jejunio noluit Christus suos vexari,
præsertim quum corporalis exercitatio ad I *Tim.* iv, 8.
modica prosit. Per vinum igitur novum,
rigor abstinentiæ et fervor perfectionis
designantur ; per utres veteres, homines
fragiles, nondum spiritualiter renovati, ro-
borati, accensi. Idcirco ferre non possunt
rigorem justitiæ et perfectionis laborem,
sed rumpuntur, quia sub onere cadunt, ni-
si mirabiliter præveniantur a Spiritu San-
D cto. Propterea paulatim ad perfectionem
ducendi sunt : sicut novitiis in religione
conceditur annus probationis, in quo vires
proprias experiantur, et pedetentim ad
perfectiora exercitia extendantur. Nam et
paulatim longius itur. Et Bernardus ait :
Nolo subito summus fieri ; successive pro-
ficere volo.

Hæc verba jam præinducta, *illo,* vide- 18
licet Christo, *loquente ad illos* discipulos
Joannis Baptistæ, *ecce princeps unus ac-
cessit* ad Jesum corde fideli, et corpore

Luc. VIII, 41; *Marc.* V, 22. celeri. Secundum Lucam et Marcum, princeps iste fuit archisynagogus seu princeps synagogæ cujusdam, vocabaturque Jairus. Habebant enim Judæi certas domos seu templa, non ad sacrificia offerenda, sed ad vacandum orationi, lectioni, consilio, ac laudibus Dei : et hæ domus vocatæ sunt synagogæ. Qui vero præerant synagogis et eis qui ad synagogas confluxerunt, nominabantur archisynagogi : quorum unus exstitit Jairus iste. *Et adoravit eum,* videlicet Christum : non adoratione latriæ, quia non putavit Jesum esse Deum. Nam B ut ex subditis innotescit, non putavit eum posse facere quod rogabatur, nisi corporaliter esset præsens. Adoravit igitur eum, id est, magnam ei reverentiam exhibebat : *Luc.* VIII, 41. cecidit enim ad pedes ejus, ut Lucas refert. *Eccli.* III, 20. Juxta quod scriptum est : Quanto major es, humilia te in omnibus. Sed quæritur, si non credidit Jesum esse Deum, quomodo mente fideli accessit. Et respondendum, quod credidit eum posse facere quod rogabatur : nec Jairus tenebatur adhuc ad tam explicitam fidem, ut ideo di- C catur non fuisse fidelis, quia non credidit Jesum esse Deum.

Accessit ergo, *dicens : Domine, filia mea modo defuncta est.* Videtur huic contrarium, quod in Marco legitur Christo *Marc.* V, 23. dixisse : Filia mea in extremis est. Dicendum dupliciter : Primo, quod Jairus loquitur secundum communem modum loquendi, quo de agonizante cujus vita desperatur, communiter dicimus, quod sit mortuus homo. Jairo autem recedente a domo, cœpit filia ejus se ad mortem dis- D *Luc.* VIII, 42. ponere : unde apud Lucam habetur, quod moriebatur. Idcirco asseruit eam defunctam. Secundo, quod Matthæus narrat verba Jairi quæ dixit Christo, postquam a servis suis percepit filiam suam jam esse mortuam. *Sed veni* corporaliter, *impone manum tuam super eam, et vivet,* id est, resuscitabitur. Non ergo Jairus tam perfectæ fidei fuit sicut centurio, sed corporalem præsentiam Christi necessariam æstimavit. Tantam vero virtutem ac san- A ctitatem credidit inesse animæ Christi, ut corporali tactu suæ manus, filia ejus suscitaretur, utique virtute, prece ac merito animæ Christi. Non enim ignoravit hic Jairus, quemadmodum in libris Regum legitur defunctum quemdam suscitatum ex contactu ossium Elisei. IV *Reg.* XIII, 21.

19 *Et surgens Jesus* a domo Matthæi, in qua cum publicanis comedit, suosque, ut dictum est, discipulos excusavit, *sequebatur eum,* videlicet Jairum. Compatiebatur etenim Jairo, quia secundum Lucam, filia *Luc.* VIII, 42. ista unica erat parentibus suis, habens annos fere duodecim. Videtur itaque Jairus præcessisse, quia nunc dicitur, quod Christus sequebatur eum. Tamen in Marco scriptum est, quod abiit cum eo ; nec in *Marc.* V, 24. hoc est dissonantia. Quamvis enim itinerantium unus ante alium vadat, nihilo minus simul ire dicuntur : et forte Jairus parum præcessit, quasi dispositurus domum suam ad recipiendum Christum condigne. *Et discipuli ejus,* videlicet Christi, simul cum suo magistro secuti sunt Jairum, imo et turba magna, secundum *Ibidem.* Marcum.

20 *Et ecce mulier.* Quum in divinis Scripturis præmittitur, Ecce, innuitur notabile esse quod sequitur. *Quæ sanguinis fluxum patiebatur,* forte in naribus, *duodecim annis.* Et quum vita animalis consistat in sanguine, patet quod talis infirmitas sit periculosa atque letalis. *Accessit retro :* quia præ verecundia voluit occulte facere quod fecit, præsertim quum secundum legem, esset immunda ; *et tetigit fimbriam* *Lev.* XV, 19, 25. *vestimenti ejus,* hoc est inferiorem partem vestimenti. Hoc loco asserunt expositores, estque probabile, quod Christus portaverit vestimentum juxta consuetudinem Judæorum, videlicet cum quatuor fimbriis. Legitur quippe in Numeris, quod quum Do- *Num.* XV, 35, 38, 39. minus præcepisset hominem sabbato ligna colligentem lapidari, eo quod præceptum de sabbati celebratione fuisset transgressus, jussit Dominus ut filii Israel facerent sibi fimbrias quatuor, per quatuor angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacin-

thinas, quas quum viderent, recordarentur omnium præceptorum Domini. Hoc ad præcepta cærimonialia pertinebat : idcir-
*Galat.*IV,4. co Christus factus sub lege, id observavit, sicut et alia quædam legalia, usque ad tempus passionis, in quo cærimonialium obligatio prorsus cessavit.

Hanc mulierem dicit Ambrosius Martham fuisse. Sed videtur obsistere, quod
*Luc.*VIII,43. apud Lucam mulier hæc fertur omnem substantiam suam in medicos erogasse. Martha vero post hujus miraculi perpetrationem dives fuit : aliter Christum et ejus comitivam tam frequenter ac liberaliter aluisse ac hospitasse non valuisset. Eusebius ergo in Ecclesiastica historia ait, quod fuit mulier civis Cæsareæ Philippi. In cujus testimonium dicit ante fores domus ejus erectam imaginem æream genibus provolutam, juxta quam est imago Salvatoris dexteram protendentis ad statuam mulieris. Dicit Eusebius se ista vidisse.

21 *Dicebat enim intra se,* id est in corde : *Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero* ab isto sanguinis diuturno profluvio. In quo magnitudo devotionis ac fidei hujus feminæ declaratur, quæ non solum per tactum manus, ut archisynagogus, sed etiam per tactum vestis Christi credidit omnem infirmitatem, quamvis naturaliter incurabilem, posse curari. Nam et iste sanguinis fluxus, naturaliter incurabilis fuit, ut patet ex ejus diuturnitate, et impotentia medicorum, in quos dum mulier omnia
Ibidem. bona sua expendisset, nihil profecit, secundum Lucam. Tantam igitur credidit Christo sanctitatem ac potestatem inesse, ut diffunderetur per vestem : quæ licet in se virtutem sanandi non haberet, tamen, in quantum erat operimentum corporis Christi, virtuosum et efficax fuit instrumentum curandi, interiori virtute redundante ad exteriora.

22 *At Jesus conversus,* id est, retro seu post se adspiciens, *et videns eam* oculo corporali, et notitia approbationis, *dixit : Confide, filia,* magis quam ante, id est, firmiter spera te obtinere quod cupis, at-
A que majora. Invitat ergo eam potius ad robur augmentumque spei, quam ad ipsam spem : nam et ante confidebat ; aliter non tetigisset. Lucas et Marcus plenius recitant istud miraculum, quia secundum eos, Christus interrogavit, Quis me tetigit? *Luc.*VIII,45-47; *Marc.*V,30-33.
Et Petro respondente, Præceptor, turbæ te comprimunt et affligunt, et tu dicis, Quis me tetigit? Christus repetivit : Tetigit me aliquis ; nam et ego novi virtutem de me exisse. Quo dicto, videns mulier quia non latuit, venit, procidit, et coram omnibus
B profitebatur quid fecit, et quomodo ei acciderit. *Fides tua,* id est actio fidei, *te salvam fecit* ab isto languore per modum causæ instrumentalis ac meritoriæ, id est, merito fidei tuæ curata es a me, tanquam a causa principali et efficienti. *Et salva facta est mulier* a profluvio sanguinis, et a peccatis, *ex illa hora* qua tetigit fimbriam ejus. Christus equidem, cujus per- *Deut.*XXXII,4.
fecta sunt opera, salvavit in anima, quos salvavit in corpore, quamvis quidam eorum recidivum inciderint, redeundo ad
C vitia.

Moraliter per mulierem sanguine profluentem, intelligitur quælibet anima peccatrix, fluxu peccati atque immunditiæ contabescens : quæ a nullo viatore curari potest, sed tangendo fimbriam vestimenti Christi, id est sacramenta Salvatoris recipiendo, curatur.

Et quum venisset Jesus in domum principis, scilicet Jairi archisynagogi. Omittit 23
Matthæus quod alii Evangelistæ pronuntiant, videlicet, quod Jesu exsistente in
D via, quidam venerunt, dicentes ad Jairum : Filia tua defuncta est, quid ultra vexas Magistrum? *Marc.*V,35; *Luc.*VIII,49.
Putabant enim Jesum non posse suscitare defunctam, quamvis potuerit agonizantem sanare. Propter quod Jesus dixit ad Jairum : Noli timere. Tantummodo crede, et salva erit. *Marc.*V,36; *Luc.*VIII,50.
Et quum vidisset tibicines, hoc est quosdam homines lugubre carmen canentes, ad provocandum fletum in aliis. Tales adducebantur antiquitus in funere magnarum personarum. Quemadmodum enim quædam sym-

phoniæ, melodiæ, seu cantus provocant A
ad audaciam, sicut in bellis, quædam ad
lætitiam, quædam ad devotionem; sic quæ-
dam inducunt ad planctum. *Et turbam tu-
multuantem,* hoc est, confusum sonum, et
magnum strepitum facientem, loquendo,
lamentando, et funeri necessaria præpa-
24 rando ; *dicebat* ad eos : *Recedite,* domum
exeundo, et ab ista afflictione et tumultu
cessando ; *non est enim puella mortua*
quoad me, quamvis naturali ordine mor-
tua sit, *sed dormit* mihi, qui eam valeo
facilius suscitare a morte, quam vos dor- B
mientem a somno. Itaque, Non est mor-
tua, id est irreparabiliter destituta a vita,
sed dormit, dormitione mortis, simili dor-
mitioni somni. *Et deridebant eum,* scientes
quod mortua esset. Laborabant enim in
æquivocis, et non intellexerunt profundi-
tatem verborum Christi. Et forte puella
ista non fuit mortua morte culpæ, quam-
vis fuerit mortua morte naturæ, ut ideo
quoque dictum sit : Non est mortua, sed
dormit.
25 *Et quum ejecta,* id est de domo expulsa, C
esset turba tumultuans, quæ propter in-
credulitatem et derisionem Christi, digna
non erat conspicere tantum miraculum,
intravit cubiculum, *et tenuit manum ejus,*
videlicet defunctæ puellæ, dicens, imo, se-
Luc. VIII, 54. cundum Lucam, clamans : Puella, surge.
Cui hoc dixit, jam non erat puella, sed
cadaver seu corpus exanime. Anima quo-
que non surrexit localiter, nisi per acci-
dens. Ponitur ergo pars pro toto. Corpori
enim præcipitur ut resurgat. *Et surrexit
puella.* In quo pensandum, quod non oran- D
do, sed imperando Christus puellam resu-
scitat : in quo ejus omnipotentia atque
divinitas declarantur. Recolamus qualiter
III *Reg.* XVII, 21, 22; IV *Reg.* IV, 33-35. Elias et Eliseus mortuos suscitarunt, mox-
que sciemus quanta sit differentia in mo-
do agendi illorum, et Christi, quamvis in
facto convenientia quædam consistat. Illi
ad Deum clamando, et super corpora ex-
stincta sæpius incumbendo, tandem impe-
trant quod deposcunt; iste solo imperio
operatur quod placet. Quanta ergo diffe-
rentia est inter Dominum imperantem, et
servum orantem, tantum iste illos excedit.

Porro, secundum Lucam, nemo suscita- *Luc.* VIII, 51.
tioni puellæ interfuit, nisi Petrus, Jacobus
et Joannes Christo familiarissimi, parentes
quoque puellæ. Quamvis autem Salvator
sine contactu potuerit illam reduxisse ad
vitam, tenuit tamen manum ejus, ad os-
tendendum quod sua caro seu humanitas
exstitit instrumentum unitæ ac operantis
deitatis. Secundum Marcum, puella resu- *Marc.* V, 42.
scitata protinus ambulavit : quo viso, qui
aderant obstupuerunt stupore maximo. Je-
sus vero vehementer eis præcepit, ut ne- *Ibid.* 43.
mo hæc sciret : jussitque puellæ dari ci-
baria; et comedit, ut veraciter suscitata
probaretur. Quamvis autem Apostoli, et
parentes puellæ tacuerunt, non vulgando
miraculum istud, turba tamen ejecta, quæ
noverat puellam vere defunctam, percepto
quod revixisset, non tacuit. Ideo subditur :
Et exiit fama hæc, id est rumor tanti pro- 26
digii, *in universam terram illam,* hoc est
ad omnes habitatores Galilææ, in qua facta
sunt hæc.

Denique tres mortuos legitur suscitasse
Salvator, per quos spiritualis suscitatio tri-
um generum hominum impiorum mystice
figuratur. Suscitavit namque filiam Jairi
in domo : per quod designatur spiritualis
suscitatio eorum qui per peccatum inte-
rioris consensus, spiritualiter mortui sunt.
Alium suscitavit in via ad tumulum, scili- *Luc.* VII, 12-15.
cet unicum filium viduæ : quo designatur
spiritualiter suscitatio impiorum, propter
peccatum operationis vita gratiæ destituto-
rum. Tertium suscitavit de monumento, *Joann.* XI, 38-44.
utpote Lazarum : per quod figuratur spi-
ritualis suscitatio habituatorum in malo,
qui pessima consuetudine velut lapide
grandi premuntur.

Specialiter vero per Jairum, qui inter-
pretatur illuminans, quilibet bonus ac do-
ctus prælatus, omnisque diligens propriæ
animæ custos exprimitur. Quum ergo præ-
latus talis, seu homo timoratus, conspicit
filiam suam, id est congregationem sibi
commissam, seu propriam animam gravi-

ter infirmantem, pergat per desideria san- A
cta ad Christum, eique procidens, oret pro
spirituali sanatione hujusmodi filiæ, qua-
tenus Christus per gratiæ infusionem, eam
visitare, vivificare et salvare dignetur.
27 *Et transeunte inde Jesu,* id est, a domo
Marc. VI, 1. archisynagogi eo redeunte, et patriam su-
am intrante, secundum Marcum, videlicet
Nazareth, secundum Hieronymum, *secuti
sunt eum duo cæci* ducti ab aliis, *claman-
tes, et dicentes.* Tamen clamor et dictio
idem fuit in re, scilicet dictio seu locutio
clamorosa ex magno affectu procedens. B
Miserere nostri, fili David, nostram cæci-
tatem tollendo, et nostræ miseriæ condo-
lendo. Vocant autem eum filium David,
quoniam crediderunt eum esse Christum,
quem Judæi communiter noverant de se-
28 mine David nasciturum. *Quum autem* Jesus
venisset domum, id est ad suum hospiti-
um : non enim habuit propriam domum,
Matth. VIII, 20. quia non habuit ubi caput reclinaret; *ac-
cesserunt ad eum cæci. Et dicit eis Jesus :
Creditis quia,* id est quod, *hoc,* utpote
lumen et visum oculorum, *possum facere,* C
id est tribuere, *vobis?* Non ex ignorantia
sciscitatur, sed ut illi fideli oris confessio-
ne amplius mereantur, et ut manifestetur
Marc. IX, 22. omnia possibilia esse perfecte credenti.
Dicunt ei : Utique, Domine, credimus hoc:
29 aliter non te essemus secuti. *Tunc tetigit
oculos eorum, dicens : Secundum fidem
vestram,* id est, prout credidistis, et juxta
exigentiam meriti fidei vestræ, *fiat vobis,*
hoc est, recipiatis quod creditis vobis pos-
30 se conferri a me. *Et aperti sunt oculi
eorum* corporales, proprio actu utendo. D
Et comminatus, id est cum mina locu-
tus, *est eis Jesus dicens* cum imperio, quo-
niam mala eis minabatur, nisi obedirent
suo præcepto, quo ait : *Videte,* id est,
quantum in vobis est cavete, *ne quis* ab-
31 sentium *sciat* istud miraculum. *Illi autem
exeuntes* de domo in qua visum recepe-
runt, *diffamaverunt,* id est, diversimode
atque celebriter famaverunt seu famosum
fecerunt, *eum,* a quo tantum beneficium
erant sortiti, *in tota terra illa* Galilææ.

Quæritur, an hoc agendo bene fecerunt.
Videtur quod imo, quoniam ex magnitu-
dine devotionis et gratitudinis hoc fece-
runt. Apparet tamen quod non, eo quod
Christo non obedierunt. Et respondendum,
quod omnis Christi actio, nostra est instru-
ctio. Interdum ergo Christus præcepit vel
permisit miracula sua manifestari, ad glo-
riam Dei et hominum ædificationem, seu
fidei confirmationem, ut instrueret nos
quod vicissim debeamus simili ratione
propria bona aliis propalare, juxta illud :
Luceat lux vestra coram hominibus. Unde *Matth.* V, 16.
et Paulus virtutes suas et signa diligenter
describit, in tantum ut dicat : Nihil minus II *Cor.* XII, 11.
feci ab his qui sunt supra modum Aposto-
li. Aliquando vero Salvator jussit sua mi-
racula occultari, ut doceat nos hominum
laudes et admirationes omnemque vani-
tatem abhorrere ac fugere. Illi vero qui
nihilo minus ejus miracula ad Dei gloriam
prædicaverunt, dicuntur non fecisse con-
tra Christi præceptum, quia præceptum
ejus intelligebatur secundum unam consi-
derationem, videlicet, ne talia signa pan-
derentur ex vanitate propter jactantiam,
et etiam ut per tale præceptum doceremur
vanam gloriam abjicere. Voluit tamen ea
manifestari propter alias rationes jam in-
troductas. Idem autem secundum diversos
respectus est volitum, et non volitum. Sic
ergo cæci illustrati mente magis quam cor-
pore, impleverunt secundum quosdam,
Christi præceptum, quoad verum intelle-
ctum ipsius.
Egressis autem illis duobus cæcis jam 32
illuminatis, de domo in qua illuminati
sunt a lumine luminum, *ecce* qui aderant,
obtulerunt ei, videlicet Christo, *hominem
mutum, dæmonium habentem,* id est pos-
sessum a dæmone ipsum mutificante. Non
enim hic homo mutus erat ex naturali de-
fectu, sed dæmonis operatione, usum lin-
guæ in eo impedientis. Quemadmodum
namque dæmones loqui possunt per ho-
mines a se obsessos idiomata talibus ho-
minibus prorsus ignota, movendo linguas
eorum ad talium prolationem verborum,

A eo quod natura corporalis obediat spiri-
tuali substantiæ, quantum ad motum loca-
lem, ut Thomas pulchre declarat; sic im-
pedire possunt organa corporis humani ab
actibus suis, videlicet linguam a loquela,
33 sicque efficiunt hominem mutum. *Et eje-
cto dæmonio,* quod Christus ab homine
Ps. VIII, 8. expulit potenti imperio, quoniam omnia
subjecta erant pedibus suis, *locutus est
mutus,* id est, qui mutus exstiterat. Ces-
sante enim causa, cessat effectus. Et ideo,
sicut dæmon per suam præsentiam fecit
hominem mutum, sic per suam expulsio-
nem, restitutus est homo pristinæ facultati
loquendi.

Et admiratæ sunt turbæ, propter inso-
litum opus. Imo duo signa in eodem per-
acta sunt, videlicet dæmonis ejectio, et
linguæ relaxatio. Multoque amplius admi-
rabilis, virtuosus et gloriosus fuit modus
agendi, quam opus, scilicet, quod tam im-
perialiter atque faciliter, et item tam fre-
quenter et quasi innumerabiliter Christus
signa ista peregit. Ideo admiratæ sunt tur-
bæ, *dicentes : Nunquam apparuit sic in
Israel,* id est, nunquam aliquis Israelita,
Patriarcha sive Propheta, tam gloriose ope-
ratus est, ut iste. Quamvis enim multi eo-
rum fecerint signa majora, quam sit dæ-
monem mutum expellere, sicut Josue et
Josue X, 12, 13; *Is* XXXVIII, 8. Isaias, ad quorum instantiam sol a naturali
cursu cessavit; nullus tamen in veteri Te-
stamento, tot et tanta fecit miracula, tam-
que potenter et imperialiter, sicut Chri-
Joann. XV, 24. stus. Propter quod in Joanne dicit : Si opera
non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit,
peccatum non haberent.

34 *Pharisæi autem,* qui erant ambitiosi,
avari, et invidi, maxime contra Christum,
quia eorum vitia increpabat liberrime, *di-
cebant,* ex invidia rationis judicium obte-
nebrante. Amor enim privatus et odium
pervertunt judicium, juxta illud Prophe-
Mich. III, 1, 2. tæ : Numquid vestrum est scire judicium,
qui odio habetis bonum? *In principe dæ-
moniorum,* id est virtute et cooperatione
pessimi dæmonis, huic seductori familia-
ris, cum quo pactum habet, *ejicit dæmo-
nes* ab obsessis, ita quod ejectio dæmonum
est obedientia in suum superiorem, ad cu-
jus invocationem iste dæmonia ejicit. Di-
cebant itaque, quod Jesus principi dæmo-
niorum, videlicet Beelzebub, esset concors
et familiaris, et quod dæmon ille superior
præciperet dæmonibus inferioribus exire
ab hominibus ad invocationem seu impe-
rium Jesu, quatenus homines æstimantes
talia fieri potestate divina, seducerentur,
putando Jesum esse Christum sive prophe-
tam. Sic quoque dicebant miracula Salva-
B toris fieri magicis artibus. Falsitatem vero
hujus dicti Christus infra evidenter osten- *Matth.* XII, 25 *et seq.*
dit, sicut patebit.

Et circuibat Jesus cum discipulis suis, 35
civitates omnes et castella Galilææ et alia-
rum terrarum vicinarum, et simpliciter
omnes civitates et castella, vel quasdam
de omnibus, ut sit distributio pro generi-
bus singulorum. Vel forte est locutio hy-
perbolica, id est per excessum prolata, ad
insinuandum quod valde multa loca cir-
cuivit. *Docens in synagogis eorum,* vide-
C licet Judæorum, ad quas convenire sole-
bant ut audirent verbum Dei. Porro, per
hoc quod Christus non solum civitates, sed
et castella circuivit, docentur prælati et
prædicatores, non postponere curam pau-
corum, et eorum qui in parvis locis mo-
rantur, sed omnibus et singulis pro viribus
providere. *Et prædicans evangelium re-
gni,* id est evangelicam legem atque doctri-
nam, in qua regnum cœleste promittitur,
et per cujus observantiam ad illud directe
ac immediate pertingitur, *et curans om-
D nem languorem* graviorem, *et omnem in-
firmitatem* minorem. Vel languor refertur
ad vitia animæ, infirmitas autem ad incom-
moda corporis. Nam quos curavit in corpo-
re, sanavit quoque in anima. Primo itaque
prædicavit et docuit; deinde ægritudines
repulit, quatenus operatio miraculorum
supernaturalem doctrinam commendaret,
auditoribusque vehementer infigeret, et
ut eos quos sermo non emendavit, signa
converterent.

Frequenter Evangelistæ describunt Chri-

sti miracula in communi, nam tot, tanta,
et talia exstiterunt, quod sigillatim et ple-
ne recitari non poterant : in quo evidenter
ostenditur virtus et veritas Christi, præ-
sertim quum nil tale legatur de aliquo
Sancto veteris Testamenti, quamvis Elias
et Eliseus plurima fecerint signa. Hinc Jo-
Joann. XXI, 25. annes ait : Multa quidem alia fecit Jesus,
quæ si scribantur per singula, nec ipsum
arbitror mundum capere posse eos qui
scribendi sunt libros.

36 *Videns autem* Jesus *turbas* ipsum se-
quentes, *misertus est eis,* tanquam miseri-
cordissimus et amator præcipuus ; *quia
erant vexati* lassitudine, fame, siti, et etiam
dolore cordis propter commissa mala et
bona omissa : de quibus cordialiter multi
eorum pœnitebant, ex verbis Christi ad
compunctionem inducti ; *et jacentes* præ
fatigatione : et forte jacebant in terra sub
dio, carentes hospitio, quoniam plures eo-
rum pauperes erant, nec poterant præ
multitudine faciliter hospitari, et illum se-
Matth. VIII, 20. quebantur qui personaliter non habebat
reclinatorium capitis. Erant ergo afflicti,
sicut oves non habentes pastorem : quoni-
am sicut oves tales non habent alentem, et
eas in stabulum colligentem, ne devoren-
tur a lupis ; sic isti carebant bonis docto-
ribus ac prælatis, excepto Christo et ejus
discipulis. Sacerdotes quippe et Scribæ
pascebant et quærebant se ipsos, non gre-
gem sibi commissum. De talibus enim Do-
Mich. III, 3. minus dicit per Prophetam : Qui comede-
runt carnem populi mei, et pellem desuper
Jer. II, 8. excoriaverunt. Et per Jeremiam : Sacerdo-
tes, inquit, non dixerunt, Ubi est Domi-
nus ? et tenentes legem nescierunt me ; et
pastores prævaricati sunt in me. Sed quum
Joann. X, 11, 14. Christus sit pastor bonus, quomodo gre-
gem se sequentem comparat ovibus sine
pastore ? Et respondendum, quod excepit
semetipsum. Vel ideo dicit eum similem
ovibus sine pastore, quoniam licet ipse

A in spiritualibus pasceret se sequentes, non
tamen semper in temporalibus seu corpo-
ralibus, sed erant sæpe in magna penuria.
Tunc Christus providus pastor *dicit di-* 37
scipulis suis : Messis quidem multa, id
est, multi sunt parati audire et facere ver-
ba Dei : qui messi comparantur, quia dis-
positi sunt congregari ac recipi in horre-
um Christi, tanquam boni fructus, et in
virtute maturi. De talibus enim ait Joannes
Baptista, loquens de Christo : Triticum *Matth.* III, 12.
colliget in horreum suum, videlicet in Ec-
B clesiam militantem et triumphantem. *Ope-
rarii autem,* id est boni et efficaces pasto-
res, doctores ac prædicatores, sunt *pauci,*
imo paucissimi, et tanto pauciores, quanto
major perfectio requiritur ad bonum pa-
storem, qui verbo et opere congreget po-
pulum in domum seu horreum Dei. Nam
et si sint qui audiant, desunt qui dicant.
Rogate ergo Dominum messis, videlicet 38
Christum omnium hominum dominato-
rem, seu Deum Trinitatem, Dominum uni-
versorum, maxime electorum, in quibus
C actualiter dominatur, dum ei obediunt, *ut
mittat operarios,* id est fructuosos atque
idoneos doctores et prælatos, *in messem
suam,* id est ad plebem Ecclesiæ instruen-
dam ac gubernandam. Maximum etenim
Dei beneficium est, habere bonum pasto-
rem, quoniam vere ait Scriptura : Qualis *Eccli.* X, 2.
est rector civitatis, tales et habitantes in
ea. Hoc Moyses oravit, dicens : Provideat *Num.* XXVII, 16, 17.
Dominus Deus spirituum universæ car-
nis, hominem qui sit super multitudinem
hanc, ne sit populus Domini sicut oves
D sine pastore. Tales operarios promittit se
Dominus præstiturum per Jeremiam pro-
phetam, dicens : Dabo vobis pastores juxta *Jer.* III, 15.
cor meum, et pascent vos scientia et do-
ctrina. Ecclesia ergo, quæ secundum Apo-
stolum, est Dei agricultura, et secundum *I Cor.* III, 9.
Isaiam, dicitur vinea Domini, ipsa quoque *Is.* V, 7.
nunc dicitur messis Domini.

ARTICULUS XIX

ELUCIDATIO CAPITULI DECIMI : ET CONVOCATIS DUODECIM DISCIPULIS SUIS, DEDIT ILLIS POTESTATEM, ETC.

POSTQUAM Christus docuit se rogandum ut mitteret operarios in messem suam, statim, nondum rogatus, saltem condigne, ex abundantia suæ clementiæ mittit operarios sanctos Apostolos in messem suam, de qua alio asserit loco : Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel. (*Matth.* XV, 24.) Itaque, postquam instruxit Apostolos de evangelicæ legis doctrina, multisque miraculis eos confirmavit in fide, mittit eos ut alios doceant. Ut enim Dionysius protestatur, non est aptus alios ad Deum reducere, purgando, illuminando, perficiendoque eos, nisi qui in se ipso excellenter purgatus, illuminatus, perfectusque fuerit, quatenus de plenitudine ejus accipiant alii. (*Joann.* I, 16.)

1 *Et convocatis duodecim discipulis suis,* puta Apostolis, ad se, *dedit illis* Jesus *potestatem spirituum immundorum,* id est virtutem supra et contra dæmones impuritate peccati repletos, *ut ejicerent eos* ab hominibus obsessis, in nomine Christi. Dedit quoque eis potestatem, ut *et curarent omnem languorem* difficulter sanabilem, inveteratum, latentem, *et omnem infirmitatem* facilius curabilem, hoc est omne genus cujuscumque morbi. Vel per languorem, invaletudo animæ seu peccatum, per infirmitatem vero, morbus corporis designatur. Nam et corporum curatio ordinabatur ad animæ sanationem : de qua Jeremias, Sana me (inquit) et sanabor. (*Jer.* XVII, 14.) Missi sunt ergo Apostoli ad animas reparandas. Data præterea est Apostolis tanta miraculorum potestas, quatenus veritas evangelicæ prædicationis divino testimonio fulciretur, et quia non aliter crederetur illitteratis ac idiotis.

2 *Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc.* Ponit Evangelista nomina Apostolorum, ne alii pseudoapostoli reciperentur quasi veri Apostoli. Ut enim in epistolis Pauli frequenter ostenditur, tempore Apostolorum, multi falsi apostoli surrexerunt, dicentes se veros Christi Apostolos. (II *Cor.* XI, 12, 13, 20; *Galat.* I, 7.) *Primus* dignitate, non vocatione, est *Simon, qui* alio nomine *dicitur Petrus,* et etiam Cephas. (*Joann.* I, 42.) Simon autem fuit primum nomen ipsius : alia duo nomina imposuit illi Christus. (*Matth.* XVI, 18; *Joann.* I, 42.) Simon interpretatur obediens ; Petrus, firmus; Cephas, caput, vel principalis. Petrus tamen et Cephas idem significant, ita quod Petrus interpretatur firmus et principalis, similiter Cephas. Unde alio in loco ait Salvator : Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. *Et Andreas frater ejus,* videlicet Petri. Quamvis autem Petrus et Andreas primo simul a Christo vocati sint ad apostolatum, ut dictum est supra, Andreas tamen primo a Christo vocatus est ad sui cognitionem, et cognito Christo, Andreas duxit fratrem suum Petrum ipso seniorem, ad Christum. (*Matth.* IV, 18, 19. *Joann.* I, 40. *Ibid.* 41, 42.)

3 *Jacobus* Major, id est vocatione prior, et Christo familiarior : qui interfuit resuscitationi puellæ, Transfigurationi, et trinæ orationi Christi tempore passionis ; (*Marc.* V, 37. *Matth.* XVII, 1. *Marc.* XIV, 33.) *Zebedæi* filius, *et Joannes* evangelista, *frater ejus,* utpote Jacobi. Hos duos, ut Marcus refert, Christus vocavit Boanerges, id est Filios tonitrui, propter altisonam et invictam Evangelii prædicationem. (*Ibid.* III, 17.) *Philippus :* quem Christus legitur apud Joannem statim post suam baptizationem vocasse. (*Joann.* I, 43.) Eratque Philippus a Bethsaida, et frater Nathanaelis de quo testatus est Christus : (*Ibid.* 44.)

Joann. I, 47. Ecce vere Israelita, in quo dolus non est. *Et Bartholomæus; Thomas, et Matthæus* Luc. VI, 15; Marc. III, 18. *publicanus.* Lucas et Marcus nominant Matthæum ante Thomam, nec addunt, Publicanus. Matthæus vero sicut vere humilis, Thomam sibi præponit, seque publicanum appellat. Et *Jacobus* Minor, filius *Alphæi :* Galat. I, 19. qui dictus est frater Domini, tanquam vultu et conversatione ei conformis ; et fuit primus Jerosolymorum Christianorum antistes ; *et Thaddæus :* qui aliis in locis Luc. VI, 16; Act. I, 13. vocatur Judas Jacobi, id est frater Jacobi Minoris ; qui etiam, teste Hieronymo, dicebatur Lebbæus, quod interpretatur corculus, id est cordis sui diligens custos. Fuit ergo trinomius.

4 *Simon Cananæus :* qui dicitur Cananæus, non quia de genere populi Chanaan, Joann. II, 1-11. sed a vico Cana, ubi Christus convertit aquam in vinum. Hunc Lucas vocat Luc. VI, 15. Simonem Zelotem, quoniam Cana interpretatur zelus, secundum Hieronymum. *Et Judas Iscariotes,* id est natus a vico Judææ nomine Carioth, *qui et tradidit eum,* Matth. XXVI, 15. videlicet Jesum, dicens : Quid vultis mihi dare, et ego eum vobis tradam ? Qui velut Is. XIV, 12. alter Lucifer cecidit de cœlo, et tanquam Job I, 6; II, 1. alter Satan adfuit inter filios Dei.

5 *Hos duodecim misit Jesus* ad prædican- Marc. VI, 7. dum, binos et binos, seu combinatos, secundum Marcum. Unde quod Matthæus et Luc. VI, 14-16. Lucas exprimunt eos combinatos, putant nonnulli ideo factum, quia illi pariter missi sunt, qui combinantur. Denique post Ibid. X, 1. hanc missionem Apostolorum, designavit Dominus Jesus et alios septuaginta duos discipulos, et misit illos binos et binos ante faciem suam, ut Lucas refert. *Præcipiens eis,* puta Apostolis, *et dicens : In viam gentium,* id est ducentem ad gentiles, *ne abieritis,* illos visitando seu instruendo, *et in civitates Samaritanorum :* qui receperunt quinque libros Moysis, sed non Prophetas ; erantque natione gentiles, et IV Reg. XVII, 24. a rege Assyriorum adducti, filiis Israel captis, prout in libris Regum plenius edocetur ; *ne intraveritis,* gratia prædicandi,
6 nec in villas aut castella eorum. *Sed potius*
A *ite ad oves quæ perierunt,* id est perditas, seu propter peccatum damnationi obnoxias, *domus,* id est populi seu familiæ *Israel.* Potest autem per Israel intelligi Jacob patriarcha, de quo Judæi exorti sunt, qui alio nomine nuncupatus est Israel ; Gen. XXXII, 28. vel populus Israeliticus.

Quemadmodum ergo Christus ait, Non Matth. XV, 24. sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel ; sic et Apostolos mittit solum ad illas : non quod ipse nullo modo missus sit ad gentes, præsertim quum in B Actibus Apostolorum dicat Apostolus, No- Act. XXVIII, 28. tum vobis sit, quia gentibus missum est hoc salutare Dei ; et Simeon justus, Vide- Luc. II, 30, 31. runt, inquit, oculi mei Salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum. Sed quoniam primo ac principaliter missus est ad convertendos Judæos, deinde gentiles ; sic nunc jubentur Apostoli solis prædicare Judæis : quoniam primo eis prædicari decebat tanquam populo peculiari, quorum patres ex quibus Christus, Rom. IX, 5. ad quos facta fuit de Christi adventu pro- C missio ; et etiam ut Judæi inexcusabiles fierent de sua incredulitate. Si enim Christus suos discipulos ad infideles primo misisset, habuissent occasionem calumniandi atque dicendi, quod ipse non esset Christus in lege promissus populo Judæorum. Itaque, quoniam Christus et ejus discipuli ante passionem ipsius modico tempore prædicaverunt, idcirco ante passionem non prædicaverunt nisi Judæis. Porro, post resurrectionem dixit eis Salvator : Euntes in mundum universum, prædicate Marc. XVI, 15. D Evangelium omni creaturæ. Et tamen nec hoc exsecuti sunt Apostoli, nisi post prædicationem Judæis copiose et diu impensam : quibus pro majori parte induratis, ad gentes profecti sunt. Propter quod Pau- Act. XIII, 46. lus et Barnabas dixerunt Judæis : Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repulistis illud, ecce convertimur ad gentes.

Euntes autem prædicate, dicentes : Quia 7
appropinquavit regnum cœlorum, id est gloria regni cœlestis, quia per Christi in-

carnationem ac meritum, ingressus regni A
cœlorum patescit. Homines nempe elon-
gantur ac distant a regno cœlesti et vera
felicitate, per culpam. Quoniam ergo Chri-
Joann. I, 29. stus venit tollere peccata mundi, idcirco
a tempore sui adventus appropinquavit
hoc regnum, et homines ad ejus adeptio-
nem disponi cœperunt. Nemo tamen ante
passionem illud ingredi potuit.

Consequenter Salvator donat Apostolis
congrua proportionataque argumenta pro-
8 bandi doctrinam evangelicam. *Infirmos*
curate, miraculose et instrumentaliter, di- B
vinam potentiam atque clementiam invo-
cando ; *mortuos suscitate.* Non leguntur
Apostoli ante passionem mortuos suscitas-
Act. IX, 40; XX, 10, 12. se, sed postea. *Leprosos mundate,* orando
pro curatione eorum ; *dæmones ejicite.*
Gratis, id est sine pretio vestro ac meri-
to, *accepistis* a me dona Spiritus Sancti,
videlicet gratias gratis datas, et gratiam
Rom. XI, 6. gratum facientem : alioqui gratia non es-
set gratia ; *gratis,* id est pure propter
Deum, *date,* id est, aliis communicate spi-
ritualia vobis concessa, sacramenta Eccle- C
siæ, beneficia sanitatum, sapientiam et sci-
entiam, et ceteros actus spirituales : pro
quibus nihil sumendum est per modum
pretii, ne spiritualia temporalibus com-
parentur ; quamvis aliquid accipi possit
tanquam stipendium vitæ. Hoc et Petrus
in prima sua hortatur Canonica, dicens :
I *Petr.* IV, 10. Unusquisque sicut accepit gratiam, in al-
terutrum illam administrantes, sicut boni
dispensatores multiformis gratiæ Dei.

9 *Nolite possidere aurum, neque argen-*
tum, neque pecuniam in zonis vestris, id D
est in bursis ad zonas pendentibus. Quid
mirum si hoc dicatur ad discipulos, qui-
Luc. XIV, 33. bus et dixit, Qui non renuntiaverit omni-
bus quæ possidet, non potest meus esse
discipulus ? Apostoli namque esse debu-
erant ceteris omnibus, maxime prædica-
toribus, exemplum perfectionis, videlicet
Matth. VI, 34. paupertatis et plenæ spei in Deo, non co-
gitando de crastino, itemque de libertatis
perfectione, sola futuri sæculi bona quæ-
rendo. Denique, non solum prohibuit Chri-
stus Apostolis nil horum possidere, sed
etiam nihil secum portare. Unde apud Lu-
cam : Nihil, inquit, tuleritis in via, etc. *Luc.* IX, 3.
Temporalium namque possessio parit sol-
licitudinem, et impedit animi libertatem,
sicque efficit hominem minus expeditum
ad infatigabile prædicationis officium. *Non* 10
peram, id est repositorium victualium, *in*
via prædicationis, possideatis aut circum-
feratis.

Videtur contrarium quod ait Salvator :
Quando misi vos sine sacculo et pera, *Ibid.* XXII, 35, 36.
numquid aliquid defuit vobis ? sed nunc
qui habet sacculum, tollat ; similiter et
peram. Sed et ipse Salvator aliquid tulit in
via, videlicet sacculum, peram, pecuniam,
quorum Judas custos fuit. Nam quum in
Cœna Christus ei dixisset, Quod facis, fac *Joann.* XIII, 27.
citius ; putabant Apostoli quod dixisset ei : *Ibid.* 29.
Eme nobis quæ ad diem festum necessa-
ria sunt. Discipuli quoque ejus intrave- *Ibid.* IV, 8.
runt civitatem Samaritanorum emere ci-
bos. Et respondendum ad primum, quod
Christus secundum congruentiam loci ac
temporis, convenientia dedit præcepta. In
legatione igitur Apostolorum quæ facta
est ante passionem, præcepit ne quid tol-
lerent in via, quia tunc mittebantur ad
notos, nec prædicabant mirabilia aut su-
pernaturalia de Christo, sicut post passio-
nem; unde et tunc persecutionem perpessi
non sunt, ut postea, sed satis provisum
est eis ab his quibus prædicaverunt : ideo
jussi sunt pro tunc nihil secum portare.
Post passionem vero, cœperunt mirabilia
prædicare de Christo, et hominum vitia
ac idola publice reprobare : idcirco tunc
permissi sunt secum ferre necessaria vi-
tæ. Quod autem Apostoli post passionem
hoc egerint, innotescit ex eo quod ad Co-
rinthios dicit Apostolus : Numquid non I *Cor.* IX, 5.
habemus potestatem mulierem sororem
circumducendi, sicut et ceteri Apostoli, et
fratres Domini, et Cephas ? Ad secundum
dicendum, quod Christus tulit et habuit
talia pro communitate sui gregis, et pro
necessitate egenorum, non quasi privata
et propria bona.

Neque duas tunicas superiores, seu tales quarum una dumtaxat necessaria est, id est, non habete vestes superfluas. Juxta
Luc. III, 11. quem sensum ait Joannes Baptista : Qui habet duas tunicas, det non habenti. Hoc ergo intelligendum est, secundum qualitatem locorum ac temporum : quia in uno loco et tempore pauciora vestimenta sufficiunt, quam in alio.

Neque calceamenta, neque virgam. Mar-
Marc. VI, 8, 9. cus refert Christum dixisse : Nihil tuleritis in via, nisi virgam tantum, sed calceati sandaliis. Quomodo ergo nunc dicitur, Neque calceamenta, neque virgam ? Et respondendum, quod loquitur de integris calceamentis. Sandalia vero sunt incompleta calceamenta, nec reputantur pro calceis. Quod autem ad Ephesios dicit
Ephes. VI, 15. Apostolus, Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis, de spiritualibus calceamentis intelligi potest : de quibus in Can-
Cant. VII, 1. ticis scribitur, Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis ! Denique non omnia quæ jam jubentur Apostolis, æstimanda sunt omnibus prædicatoribus ad litteram esse præcepta, sed his in quibus eadem ratio invenitur. De virga major est difficultas. Unde sciendum, quod Christus concessit discipulis portare virgam, sumendo virgam ad litteram, quoniam Judæorum consuetudo erat, ut doctores et prædicatores eorum ferrent virgam in signum doctrinæ, et in signum quod hi quibus prædicabant, tenebantur eis de victualibus providere. Sed hoc loco virga accipitur spiritualiter, pro innitentia animi super quamcumque rem temporalem, vel pro re temporali quantumcumque parva et vili, ut sit sensus : Neque virgam, id est, nolite alicui rei temporali inniti, vel rem temporalem quantumcumque minutam, quasi proprium possidere.

Cur autem nil horum possidendum sive portandum sit prædicatori, subjungitur. *Dignus est enim operarius,* id est prædicator verbi Dei et minister altaris, seu quilibet spiritualis in templo ministrans, et spiritualia populo exhibens, *cibo suo,* id est necessariis ad corporis sustentationem. Imo hoc dictat ratio, lexque divina, et jus humanum. Imo hoc ipsum Apostolus pro modico reputans, sic ait : Si nos vobis spi- I Cor. IX, 11.
ritualia seminavimus, magnum est si vestra carnalia metamus ? Ideo iterum loquitur : Communicet autem qui catechizatur Galat. VI, 6.
ei qui catechizat, in omnibus bonis ; itemque, Dominus ordinavit his qui Evangelio I Cor. IX, 14.
deserviunt, de Evangelio vivere.

Mystice, per aurum hoc loco prohibitum, intelligitur sapientia sæcularis ; per argentum, sermo coloratus ; per pecuniam autem, cupiditas ; per duas tunicas, duplicitas animi, vel sanctitas simulata ; per virgam, rigor vindictæ ; per peram, thesauri impietatis. Omnia igitur hæc abjicienda sunt prædicatoribus atque doctoribus Christi, quia ut ait Apostolus : Prudentia Rom. VIII, 6.
carnis, mors est ; et rursus, Sermo (inquit) I Cor. II, 4.
meus non fuit in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis. Jacobus quoque hortatur : Purificate corda, duplices animo. Jacob. IV, 8.

In quamcumque autem civitatem, id est 11
locum majorem, *vel castellum,* id est locum minorem, *intraveritis,* gratia prædicandi, vescendi, vel hospitandi, *interrogate,* id est, ab hominibus locorum illorum diligenter inquirite, *quis* habitator, *in ea* civitate, id est tali vel tali loco, *dignus sit* vestro introitu seu hospitatione : id est, ad quemlibet indifferenter non intretis ad vescendum vel quiescendum, sed ad aliquem bonæ famæ, ac vitæ laudabilis, ne ex diffamia et peccatis hospitis vos recipientis, incurratis diffamiam vel suspicionem malam, et ne alios scandalizetis, vestraque doctrina vilipendatur ab aliis. Sed huic documento videtur contrarium, quod ipsemet Christus ad publicanos et peccatores Matth. IX, 10.
ingressus est, convescens cum eis. Porro Apostoli et successores eorum, quum sint medici animarum, videntur potissimum ingredi debuisse domus peccatorum, non justorum. Et respondendum, quod peccatores ad quos Christus declinavit, veraciter pœnituerunt, et tales a prædicatore sunt visitandi ; qui vero indurati atque in-

fames sunt, non sunt visitandi a prædicato- A
ribus : sicut nec medicus visitat languidos
omnem medicinam et sanitatis consilium
respuentes.

Et ibi, id est in tali hospitio, *manete,*
donec exeatis, id est tamdiu quousque oc-
currat vobis rationabilis causa egrediendi
de domo illa, videlicet, ut alibi prædicetis,
vel aliquid boni alibi efficiatis. Vult itaque
Christus ne prædicator, more gyrovagi et
hominis vani, currat de domo ad domum,
et locum sine profectu frequenter trans-
Prov. xxvii, 8. mutet : quia ut Salomon profitetur, Sicut B
avis tranvolans de nido suo, sic homo qui
relinquit locum suum. Sed actu prædica-
tionis et corporalis necessitatis cessante,
convertatur ad Deum, orationi, compun-
ctioni, et contemplationi vacando, quatenus
illic sibi Deus infundat quod aliis postmo-
dum affectuose proponat. Qui autem non
valet corpus suum stabilire in loco, quo-
modo poterit cor suum stabilire in Deo?

12 *Intrantes autem in domum* talem, *salu-*
tate eam, dicentes, id est, veram salutem
seu felicitatem optate, et dicite habitanti- C
bus et exsistentibus in ea : *Pax* exterior,
scilicet quies ab hostium impugnatione,
paxque interior, puta tranquillitas mentis,
Ephes. ii, 14. sit *huic domui.* Quid enim Christus pax
nostra, aptius quam pacem mandaret? Est
tamen pax quædam carnalis et vitiosa,
quam habuit Adam et Eva, quam etiam
habet ratio impii cum sensualitate. Hanc
vers. 34. Christus non mandat, juxta illud : Non ve-
13 ni pacem mittere, sed gladium. *Et si qui-*
dem fuerit domus illa digna : id est, si
exsistentes in ea fuerint capaces pacis, se D
disponendo ad gratiam a vobis eis peti-
Philipp. iv, 7. tam, vel si fuerint præordinati ad pacem
Christi, quæ omnem sensum exsuperat, et
prædestinati; *veniet pax vestra super eam,*
id est, pax quam eis optastis præstabitur
ipsis, et oratio vestra pro illis exaudietur;
si autem non fuerit digna, id est capax
seu prædestinata, sed obicem ponens et
reproba, *pax vestra ad vos revertetur,* id
est, sermo quo eis pacem petistis, vobis
meritorius erit, et salutarem in vobis sor-
tietur effectum in præsenti et in futuro.
Juxta quem sensum ait Psalmista : Oratio *Ps.* xxxiv, 13.
mea in sinu meo convertetur.

Et quicumque non receperit vos, negan- 14
do vobis hospitium, *neque audierit* auri-
bus cordis *sermones vestros,* vestris exhor-
tationibus obtemperando; *exeuntes foras*
de domo vel civitate non recipientium vos,
excutite pulverem de pedibus vestris, id
est, minutias terræ pedibus vestris adhæ-
rentes removete, et in loca illorum reji-
cite, in signum damnationis eorum : ut
excussio illa significet illos in infernum
excutiendos, et item quod vos nil tempo-
rale ab ipsis quæsistis.

Amen dico vobis, tolerabilius, id est 15
minor pœna, *erit terræ,* id est populo, *So-*
domorum et Gomorrhæorum, et per con-
sequens, aliarum trium urbium cum illis
mersarum, videlicet Seboim, Adama, et *Deut.* xxix, 23.
Segor, *in die judicii, quam illi civitati,*
id est populo civitatis vos non hospitanti
nec audienti. An hoc intelligendum sit ab-
solute, ita quod simpliciter omnibus con-
sideratis, major erit damnatio horum, quam
Sodomitarum, difficile est determinare. Vi-
detur enim quod sic, quoniam ceteris pa-
ribus, major est damnatio malorum fide-
lium, quam infidelium, et tanto gravius
est peccatum, quo major gratia offertur ac
spernitur. Sodomitæ autem non viderunt
miracula, nec prædicationem tam effica-
cem, ut fuit sermocinatio Apostolorum.
Oppositum vero hujus apparet ex eo quod
in Genesi legitur, quemadmodum homines *Gen.* xiii, 13; xviii, 20.
Sodomitæ pessimi erant, et peccatores ni-
mis coram Domino. Lyra ergo respondet,
quod comparatio ista intelligenda sit so-
lum quantum ad aliquid, hoc est quoad
peccatum inhospitalitatis et immisericor-
diæ Sodomorum, non quoad peccata eo-
rum contra naturam, ita quod Sodomitis
remissius erit in die judicii, quam istis,
non simpliciter, sed quoad hoc, quod mi-
nus peccaverunt non exercendo opera mi-
sericordiæ in suos, quam isti, qui non
receperunt Apostolos. Sed huic solutioni
videtur obstare, quod Christus simpliciter

loquitur. Item, qui non receperunt Aposto- A
los, non videntur minus peccasse quam
Judæi tempore Ezechielis : et tamen de il-
Ezech. XVI, 48, 51. lis ait Ezechiel, quod Sodoma non pecca-
vit dimidium peccatorum illorum. Rursus,
Sodomitæ transgressi sunt legem natura-
lem dumtaxat, isti vero legem naturalem
atque divinam seu scriptam. Hæc tangen-
do, sic dixerim : quoniam determinare nil
audeo. Certum est tamen quorumdam Ju-
dæorum, eorum videlicet qui Christum oc-
ciderunt, et forte eorum qui occiderunt
ejus discipulos, peccata esse graviora sce-
leribus Sodomorum.

ARTICULUS XX

EXPLANATIO RESIDUÆ PARTIS HUJUS CAPITULI : ECCE EGO MITTO VOS.

SUBINDE Salvator docet discipulos om-
nesque prædicatores, ad veram pru-
dentiam, ad invictam atque fortissimam
patientiam, ad plenam quoque habendam
16 in Deo fiduciam. *Ecce ego mitto vos* ad
prædicandum, *sicut oves in medio lupo-
rum,* id est, sicut mittuntur homines pii,
innocentes ac simplices, qui ovibus com-
parantur, inter rapaces, voraces crudeles-
que homines, qui more luporum opprimunt
innocentes, juxta illud Isaiæ prophetæ :
Is. III, 15. Quare atteritis populum meum, et facies
pauperum commolitis? Tales fuerunt sa-
cerdotes, Scribæ et Pharisæi Judæorum,
qui Christum et ejus discipulos dilaniare
conati sunt.

Estote ergo prudentes, id est circumspe-
cti, cauti ac providi, ne a lupis fallamini,
Ps. LVII, 5, 6. *sicut serpentes,* qui obturant aures suas, ne
audiant incantantem, et toto corpore caput
suum, in quo vita consistit, occultant et
protegunt. Sic nos aures obturemus, ne
verba nociva, detractoria, aut deceptoria
audiamus, quemadmodum Sapiens nos hor-
Eccli. XXVIII, 28. tatur : Sepi aures tuas spinis, et noli au-
dire linguam nequam. *Et simplices,* id est
sine felle amaritudinis, sine simulatione
Ibid. XXI, 15. ac duplicitate, estote *sicut columbæ.* Non
enim est sensus, ubi abundat amaritudo ;
Ibid. II, 14. et væ duplici corde. Ecce ordinata tempe-
ries, ut prudentia nostra sit simplex, non
Job XXXVI, 13. vulpina, aut versipellis. Callidi namque
B provocant iram Dei, et vir versutus odio- *Prov.* XIV, 17.
sus est, ut in Proverbiis dicitur. Simplici-
tas quoque nostra non sit rudis, indocta,
aut indiscreta. De hac sancta simplicitate
Salomon ait : Simplicitas justorum diriget *Ibid* XI, 3, 5.
eos, et justitia simplicis diriget viam ejus ;
et alibi, Cum simplicibus sermocinatio *Ibid.* III, 32.
Dei. Qui itaque inter perversos et persecu-
tores mittitur, vivit et conversatur, maxi-
ma eget prudentia, ne aliquo modo perver-
tatur, aut mente lædatur ab ipsis. Idcirco
Sapiens inquit : Dic sapientiæ, Soror mea *Ibid.* VII, 4.
C es ; et prudentiam voca amicam.

Cavete autem, id est, vos ipsos obser- 17
vate et custodite, *ab hominibus,* ne detri-
mentum salutis et gratiæ inferant vobis,
terrendo aut blandiendo. Unde in Eccle-
siastico scriptum est : A filiis tuis cave, et *Eccli.* XXXII, 26.
a domesticis tuis attende. Et Jeremias :
Unusquisque, ait, a proximo se custodiat, *Jer.* IX, 4.
et in omni fratre suo non habeat fidu-
ciam. Et certe multum perfectus atque
beatus est, qui se ita ab hominibus cavet,
quod nullus sit sibi peccati occasio. *Tra-
D dent enim,* id est adducent, *vos in conci-
liis,* id est ad loca secreta conciliorum, seu
inter se ipsos contra vos concilia cele-
brantes ; *et in synagogis suis,* id est publi-
cis locis seu congregationibus, *flagellabunt
vos.* Hæc atque sequentia non leguntur il-
lata Apostolis seu discipulis Christi ante
ipsius passionem, sed postea frequenter et

Act. iv, 5-7; v, 27; vi, 12; xvii, 19; xviii, 12; xxii, 30. copiose, ut patet in Actibus Apostolorum. A
Et ad præsides, id est judices substitutos :
quales fuerunt Festus et Felix, ante quos
18 ductus est Paulus; *et ad reges :* qualis fuit
Ibid. xxv, 6, 7; xxiii, 33. Herodes, qui Jacobum occidit, et Petrum
incarceravit, volens post Pascha producere
Ibid. xii, 1, 2. eum populo; *ducemini propter me,* id est
Ibid. 3, 4. ob constantem prædicationem fidei meæ,
et nominis mei cultum atque amorem, *in testimonium illis, et gentibus,* id est in testimonium damnationis tam regum et judicum vos condemnantium, quam gentium eis consentientium, vel vos eis præ- B sentantium : ita quod vestra innocens adductio, vera confessio, libera prædicatio, injustaque passio, testimonium perhibebit, et declarabit illos esse damnabiles, qui credere noluerunt, et vos persecuti sunt. Vel, In testimonium illis, id est, ut testimonium perhibeatis de me coram ipsis, vel, ut ipsi testimonium ferant adversum vos.
19 *Quum autem tradent vos* ante conspectum regum et judicum, *nolite cogitare,* id est anxie præmeditari, et cum sollicitudine quadam inquirere, *quomodo aut quid* C *loquamini,* id est per quem modum, vel quam rationem seu responsionem detis ad objecta vel interrogata. Non prohibetur per hoc, quin homo possit facere quod in se est, sagaciter considerando quid et quam constanter ac sapienter responderi oporteat (præsertim quum princeps Apo-
I Petr. iii, 15. stolorum dicat : Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est fide et spe), sed ne homo in sua præmeditatione, inquisitione, vel eruditione confidat, aut turbetur et metuat D si tempus præmeditandi non habeat. Hujus insuper efficax ratio assignatur :

Dabitur enim vobis in illa hora traditionis vestræ, *quid loquamini,* id est, divinitus mentibus vestris infundetur ac revelabitur apta responsio. Tunc enim potissimum adimpletur quod Dominus lo-
Ps. lxxx, 11. quitur : Aperi (seu dilata) os tuum, et im-
20 plebo illud. Cujus annectitur ratio : *Non enim vos estis qui loquimini,* quasi principales locutores, vel ex proprio ingenio respondentes, *sed Spiritus Patris vestri,* id est Spiritus Sanctus a Patre æterno procedens, est *qui loquitur in vobis,* id est in anima vestra, per inspirationem internam, docendo vos : juxta illud, Audiam quid Ps. lxxxiv, 9.
loquatur in me Dominus Deus. Propter quod dicit Salvator : Paracletus Spiritus Joann. xiv, 26.
Sanctus docebit vos omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis. Vel, Loquitur in vobis, id est per os vestrum, tanquam principalis locutor : prout in Actibus de Stephano scribitur, quod Judæi Act. vi, 10.
non poterant resistere sapientiæ et Spiritui qui loquebatur.

Tradet autem frater infidelis *fratrem* 21
fidelem *in mortem* martyrii, *et pater* infidelis *filium* fidelem; *et insurgent filii* infideles, *in parentes* fideles, *et morte eos afficient.* Hæc omnia frequenter contigisse in sanctis martyribus, multæ testantur historiæ. *Et eritis odio omnibus,* id est ali- 22
quibus de omni genere hominum, puta cunctis perversis : de quibus dicit Apostolus, Si hominibus placerem, Christi ser- Galat. i, 10.
vus non essem; *propter nomen meum,* id est propter me, et propter fidem, spem et caritatem, conversationem et prædicationem quam habetis in me. Veritas enim generat odium. Hinc Christus inquit : Si Joann. xv, 19.
de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Et Joannes : Nolite, in- I Joann. iii, 13.
quit, mirari si odit vos mundus. *Qui autem perseveraverit* in fide, caritate et opere, *usque in finem* vitæ præsentis inclusive, *hic salvus erit,* beatitudinem patriæ consequendo. In quacumque enim hora justus Ezech. iii, 20; xviii, 24; xxxiii, 13.
recesserit a justitia, omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur, ut ait Ezechiel. Et in ea affectione anima æternaliter manet, in qua separatur a corpore, prout Salomon asserit : Si ceciderit, inquit, lignum ad Eccle. xi, 3.
austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. Sola ergo perseverantia coronatur; nec inchoasse, sed consummasse, virtutis est. Hanc vocem, Joann. x, 3.
Qui perseveraverit, non audiunt nisi oves.

23 *Quum autem persequentur vos in civitate ista,* in qua principaliter estis, *fugite in aliam.* Sic enim Christus fugit in Ægyptum (Matth. II, 13, 14. Luc. IV, 30; Joann. VIII, 59; XII, 36.), et sæpius abiit et abscondit se. Petrus quoque de carcere ab angelo liberatus (Act. XII, 7-11, 17.), relicta Jerosolyma, fugit in alium locum. Sic et Paulus a Damasco fugit (Ibid. IX, 25.). Et Stephano lapidato, fideles qui erant Jerosolymis, dispersi sunt per regiones Judææ, præter Apostolos (Ibid. VIII, 1.). Quæ omnia in Actibus recitantur.

Sed videtur huic contrarium, quod apud Joannem scriptum est (Joann. X, 12.) : Mercenarius videt lupum venientem, et fugit. Et respondendum, quod ista admonitio de fuga non est universaliter intelligenda, nec per modum præcepti communiter data. Quando enim ex fuga alicujus alii graviter scandalizarentur, fides irrideretur, justitia opprimeretur, subditi periclitarentur, nequaquam est fugiendum, præsertim prælato, superiori vel doctori, nisi omnes simul fugere possint. Porro, quum ex fuga alicujus non immineat tale periculum, sed potius aliquod commodum, scilicet : quia non expediret Ecclesiæ tali pastore seu membro privari, propter futurum profectum ; et quia qui fugit, potest alibi fructificare, et in loco a quo fugit, alium idoneum loco sui relinquere : tunc fugere licet. Fugere autem ex timore ruinæ, propter propriam infirmitatem, non semper est illicitum, quamvis sit imperfectum. Sed et multi Sanctorum ex fervore fidei, etiam non requisiti, obtulerunt se ipsos ad martyrium.

Et quasi Apostoli quærerent, Quamdiu fugiemus ? respondet : *Amen dico vobis, non consummabitis,* id est, perfecte non perambulabitis, nec prædicando circuietis, *civitates Israel,* id est populi Judæorum, *donec,* id est antequam, *veniat Filius hominis,* id est, post resurrectionem ad vos revertatur : quemadmodum apud Joannem scriptum est (Ibid. XIV, 18, 28.), Non vos relinquam orphanos, vado, et venio ad vos ; et rursus (Ibid. XVI, 22.), Iterum autem videbo vos. Tempus quippe prædicationis Apostolorum in Judæa ante passionem, modicum fuit, nec in eo poterant omnes civitates Israel consummare. Vel sic : Non consummabitis, id est, non convertetis ad fidem, civitates Israel, id est totum populum Judæorum, vos et successores vestri, donec veniat Filius hominis ad judicium universale. Non enim generaliter convertentur, nisi in fine sæculi, instante secundo Christi adventu.

Non est discipulus super magistrum, 24
nec servus super dominum suum. Si per magistrum et dominum, determinate intelligamus Christum, certum est nullum Christianum hoc magistro ac domino esse majorem vel parem. Si vero per magistrum et dominum, intelligatur indeterminate quicumque magister et dominus, intelligendum est verbum hoc formaliter, ut sit sensus : Non est discipulus, in quantum discipulus, super magistrum, id est major aut doctior eo, nec servus, secundum quod talis est, super dominum suum,
id est major ac dignior eo. *Sufficit disci-* 25
pulo, ut sit sicut magister ejus, id est, ei assimiletur : si tamen ille perfectus sit. Alioqui æmulari oportet charismata meliora (I Cor. XII, 31.), et magis proficere, præsertim quum dicat Propheta : Super omnes docentes me intellexi (Ps. CXVIII, 99.). Si vero per magistrum, Christus specialiter designetur, tunc omnino sufficit disciplo, id est cuilibet Christiano, ut sit similis Christo, qui omnis perfectionis ac sanctitatis exemplar est, cui nullus æquari valet seu parificari (I Petr. II, 21-23.). Debet tamen ejus sequi vestigia, juxta illud : Qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare (I Joann. II, 6.). *Et servus* debet esse contentus, vel *servo* sufficere debet, ut sit *sicut dominus ejus,* id est, domino suo conformetur ut decet. Hæc Salvator ait, quatenus sui ipsius exemplo provocet discipulos suos et omnes fideles ad patientiam inconcussam. Unde prædicta applicans ad se ipsum, adjecit :

Si, pro quia, *patremfamilias,* id est me Christum, ecclesiasticæ familiæ patrem, *Beelzebub,* id est dæmonem seu dæmoniacum, *vocaverunt* Judæi, dicendo : In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit (Luc. XI, 15.)

dæmonia, *quanto magis,* id est multo am-
plius, *domesticos ejus,* id est discipulos
meos, filios domus meæ, quæ est Ecclesia,
appellabunt Beelzebub, adscribendo ver-
ba, facta et signa eorum principi dæmo-
niorum ? Dicitur autem aliquis dæmon
dupliciter, videlicet per naturam, et per
participationem seu imitationem diabolicæ
pravitatis : et hoc secundo modo vocave-
runt Judæi Christum Beelzebub ; sicque
Joann. vi, 71. Christus ait de Juda, Nonne vos duodecim
ego elegi, et unus ex vobis diabolus est?
26 *Ne ergo timueritis eos,* propter injurias
et contumelias quas vobis possunt infli-
gere, sed potius exsultate in omni adver-
sitate quam ab eis patimini : consideran-
tes quid passus sim ego, et gloriantes in
hoc, quod domino vestro ac magistro con-
formari meruistis, quum hoc sit benefi-
cium ingens. Quid enim tam gloriosum est
servo, quam ut domino suo assimiletur?
Sæpe contingit ut aliquis injuriam passus
doleat, et ulcisci se cupiat. Si vero con-
spexerit alium multo sublimiorem, eadem
vel graviora perpessum, et tamen servare
patientiam, incipit consolari, et ab ira ces-
sare, dicens in se : Si ille tantus talia pa-
titur, quanto magis ego ? Ita et nos, si
Christi passionem patientiamque pensa-
mus, patientiam discimus, et cum Apo-
Rom. v, 3; stolo in tribulationibus jucundamur. Cur
II Cor. vii, 4. vero hi impii metuendi non sint, subditur.
Nihil enim opertum, id est, nullum
opus est jam ita absconditum et ignotum,
quod non revelabitur, id est, manifestum
erit cunctis et singulis in die judicii, qua-
tenus omnes sciant justum esse judicium
Dei ; *et occultum,* id est, nullum proposi-
tum, consilium, desiderium, vel cogita-
men, est nunc ita secretum, *quod non scie-
tur* ab omnibus in die novissimo, quando,
I Cor. iv, 5. secundum Apostolum, adveniet Dominus,
qui illuminabit abscondita tenebrarum, et
manifestabit consilia cordium. Quasi di-
cat : Non curetis quid nunc patiamini pro-
pter me, quoniam veniet hora in qua et
vestra patientia, et illorum perversitas, di-
gnam ac justam sortietur mercedem : se-

A cundum illud Joannis in Apocalypsi, Ecce Apoc. xxii, 12.
venio cito, et merces mea mecum est, da-
re unicuique secundum opera sua.
Quod dico vobis in tenebris, hoc est in 27
locis secretis ; vel, In tenebris, id est in
parabolis, mysteriis et figuris, de his quæ
evangelicam veritatem concernunt; *dicite*
aliis *in lumine,* hoc est publice coram om-
nibus. *Et quod in aure,* id est secrete, et
quasi silenter, *auditis* a me de finali om-
nium retributione, et ceteris fidei docu-
mentis, *prædicate super tecta,* id est stan-
B do in locis elevatis atque patentibus : prout
Isaias inquit, Clama, quasi tuba exalta vo- Is. lviii, 1.
cem tuam ; et alibi, Super montem excel- Ibid. xl, 9.
sum ascende, tu qui evangelizas Sion. Ad
litteram, per tecta, intelligi possunt deam-
bulatoria templi, super quæ ascendebant
doctores Hebræorum prædicaturi populo,
vel tecta domorum in Palæstina, quæ pla-
na erant, et apta ut super ea staret prædi-
cans populo.
Et nolite timere timore carnali et inor- 28
dinato, *eos qui occidunt corpus,* hoc est
C tyrannos et persecutores, *animam autem*
rationalem *non possunt occidere,* quum sit
immortalis. Non ergo possunt ei auferre
vitam naturæ, nec etiam vitam gratiæ,
compellendo eam ad culpam, quum libera
sit. Ideo dicit Scriptura : Qui timet homi- Prov. xxix, 25.
nem, cito corruet ; et Isaias : Nolite, in- Is. li, 7, 12.
quit, timere opprobrium hominum, et bla-
sphemias eorum : quis tu, ut timeas ab
homine mortali, et a filio hominis qui qua-
si fœnum arescet ? Non itaque cessemus
ab opere bono propter tormenta quæ re-
D probi infligere possunt, ne simus de eo-
rum collegio, de quibus fertur in Psalmo :
Deum non invocaverunt ; illic trepidave- Ps. xiii, 5;
runt timore, ubi non erat timor. Unde lii, 6.
rursus ait Psalmista : Non timebo millia Ps. iii, 7.
populi circumdantis me, etc. ; et, Si consi- Ps. xxvi, 3.
stant adversum me castra, non timebit cor
meum. Et Job : Si expavi, inquit, ad mul- Job xxxi, 34.
titudinem nimiam. Si autem pensemus hu-
jus vitæ brevissimam umbram, instabilem
fluxum, et infinitam calamitatem, atque
futuræ beatitudinis quæ pro temporali II Cor. iv, 17.

passione momentanea redditur, merces in A
æternum mansura, non solum non timebimus,
sed et affectabimus mori pro Christo.
Quoniam tamen hoc ipsum magna perfectio
est, et donum Dei, orare debemus
Ps. LXIII, 2. cum Psalmista, A timore inimici eripe animam
meam : videlicet, ne timeat persequentem.
Verumtamen naturalis timor
mortis, qui etiam fuit in Christo, non reprobatur;
sed per rationem frenandus est,
ne immoderatus consistat : quinimo, ut
cesset.

Sed potius eum timete, qui potest et ani- B
mam et corpus perdere in gehennam, hoc
est damnare atque projicere in infernum :
videlicet Deum, qui tanto amplius metuendus
est omni persecutore et impio homine,
quanto pœnalior ac diuturnior est
pœna inferni, quam pœna hujus mundi,
Jer. X, 6, 7. temporalisque mortis. Ideo Propheta : Magnus
es tu, inquit, et magnum nomen tuum
in fortitudine : quis non te timebit,
Job XXIII, 15. o Rex gentium? Et sanctus Job ait : A facie
ejus turbatus sum, et considerans eum,
timore sollicitor. Salomon quoque in Pro- C
Prov. XXIII, 17, 18. verbiis : In timore (inquit) Domini esto
tota die, et habebis spem in novissimo.

Denique ad habendum cor tam securum
Ibid. XXVIII, 1. ac imperterritum, juxta illud, Justus quasi
leo confidens, absque terrore erit, hortatur
nos Christus ex consideratione divinæ providentiæ
omnia disponentis ac præmiantis,
29 dicens : *Nonne duo passeres asse veneunt,*
hoc est, pro nummo sic dicto venduntur?
Est enim as, assis, genus nummi parvi
valoris. *Et unus ex illis* passeribus venditis
non cadet super terram mactatus, id D
est, non occidetur, *sine Patre vestro,* hoc
est sine nutu et providentia Patris cœle-
Luc. XII, 6. stis. Unde in alio loco inquit : Nonne quinque
passeres veneunt dipondio? et unus
ex illis non est in oblivione coram Deo.
Est autem dipondium, duplicem valorem
30 assis habens. *Vestri autem et capilli capitis
omnes numerati sunt :* quoniam omnia
quantumcumque parva et vilia, distincte
et perfectissime cognoscuntur a Deo. Ex
his infert Salvator conclusionem intentam.

Nolite ergo timere corporum occisores, 31
quasi Deus non attendat, nec curet de persecutione
et morte vobis inferenda, nec
præmium tribuat. Quod utique ita non est :
nam *multis passeribus meliores estis vos,*
quum sitis rationales. Si ergo illorum providentiam
habet Deus, nec sine ejus nutu
unus illorum occiditur, quanto magis habet
curam vestri, et pensat quid pro justitia
sustinetis, reddetque præmium copiosum?

Ostendit præterea Christus, quanta sit
merces timentium Deum, non homines
persequentes. *Omnis ergo qui confitebitur* 32
me verbo et opere, seu confessione fidei
formatæ, ac laudis divinæ, *coram hominibus,*
maxime infidelibus, impiis, et tyrannis
: quod se fecisse gloriatur Psalmista,
dicens, Et loquebar in testimoniis tuis in *Ps.* CXVIII, 46.
conspectu regum, et non confundebar ;
*confitebor**, hoc est, approbabo, et ad me ** confitebor et ego*
pertinere affirmabo, *eum coram Patre meo,
qui in cœlis est,* quia quum fuerit meo tribunali
præsentatus, judicabo pro eo, et
ejus justitiam commemorabo : imo Christus
indesinenter confitetur tales pertinere
ad se. *Qui autem negaverit me coram ho-* 33
minibus, negabo et ego eum, nisi pœnitentiam
agens, resipuerit : quemadmodum Petrus,
qui post trinam negationem flevit *Matth.* XXVI, 69-75.
amare, et veniam meruit ; *coram Patre
meo, qui in cœlis est,* quia quum fuerit
mihi ad judicandum oblatus, pronuntiabo
sententiam contra eum, dicamque, Nescio
te. *Luc.* XIII, 27.

Tripliciter Christus negatur : verbo tantum,
ut in his qui timore pœnarum Christum
negaverunt ; verbo et opere, sed non
corde, ut quum malus Christianus dicit et
agit contra fidem, quum tamen non dubitet
fidem esse veram ; opere, sed non verbo,
juxta illud Apostoli : Confitentur se *Tit.* I, 16.
nosse Deum, factis autem negant, quum
sint abominati et reprobi. Potest etiam addi
quartus modus, videlicet, quum quis
corde non credit, et tamen se credere asserit
vel ostendit. Quælibet harum negationum
est peccatum mortale, saltem in

II *Tim.* II, 12. casu aliquo. Unde dicit Apostolus : Si negaverimus eum, et ipse negabit nos; et *Ibid.* I, 8. alibi, Noli, inquit, erubescere testimonium Domini nostri Jesu.

34 *Nolite arbitrari quod venerim mittere pacem* carnalem, mundanam, et in malo fundatam, *in terram,* hoc est inter homines. Est igitur pax nociva et inordinata, quæ est concordia seu consensus, vel qui- *Act.* XXIII, 6. etatio aliquorum in malo : quam Paulus sciens esse inter Sadducæos et Pharisæos, ex industria rupit eam, dicens : De spe et resurrectione mortuorum ego judicor ho- *Luc.* XIX, 42. die. De qua pace dicit Salvator : Jerusalem, Jerusalem, et quidem in hac die quæ ad *Ps.* LXXII, 3. pacem tibi; et Psalmista, Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns. Denique alia est pax vera, spiritualis, interna, quæ est tranquillitas mentis, ex ordinatione interiorum (quam caritas facit) proce- *Ps.* CXVIII, 165. dens. De qua fertur in Psalmo : Pax multa *Ps.* XXXVI, 11. diligentibus legem tuam; et rursus, Mansueti delectabuntur in multitudine pacis. Ista non convenit pravis, prout in Isaia *Is.* XLVIII, 22; LVII, 21. scriptum est : Non est pax impiis, dicit Dominus. Hanc Christus venit mittere in terram, sicut in Actibus loquitur Petrus : *Act.* X, 36. Verbum (inquiens) misit Deus in Israel, pacem annuntians per Jesum. Unde per *Mich.* V, 5. Prophetam de Christo prædictum est : Et erit iste pax, Assyrius quum venerit, et quum calcaverit in domibus nostris. Et *Zach.* IX, 10. Zacharias dixit : Loquetur pacem gentibus.

Consequenter ergo Christus, quasi exponens se ipsum, adjunxit : *Non veni pacem* jam dictam ac vitiosam *mittere, sed gladium,* hoc est eradicationem ac separationem hujuscemodi pacis. Potest quoque per gladium accipi rigor perfectionis quam docuit Christus, vel sermo evangelicus : de *Ephes.* VI, 17. quo Paulus, Et gladium (inquiens) spiritus, quod est verbum Dei; et in Psalmo, *Ps.* XLIV, 4. Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime. Hinc in Isaia Christus testa- *Is.* XLIX, 2. tur : Posuit Dominus os meum quasi gladium acutum. Ad litteram autem loquitur Christus potissimum de gladio seu discordia quæ in toto orbe, ex Apostolorum prædicatione secuta est, dum pene in qualibet domo quidam conversi sunt, et quidam in infidelitate manserunt, inter quos dissensio fuit. Propter quod dictum est : Tradet *vers.* 21. frater fratrem in mortem, et pater filium. Ut enim dicit Hieronymus : Nullus fidus affectus inter eos est, quorum diversa est fides.

35 *Veni enim separare hominem adversus patrem suum,* hoc est filium a patre dividere, carnalem eorum pacem destruendo, et inordinatam unionem tollendo, ne unanimes sint in peccato, sed altero eorum averso a me, alius convertatur ad me; *et* simili modo, veni separare *filiam adversus matrem suam,* malam amicitiam auferendo, et bonam inimicitiam seu veram dilectionem inducendo, ut evellatur carnalis affectus; *et nurum,* hoc est conjugem filii, *adversus socrum suam,* id est matrem

36 mariti. *Et inimici hominis* patrisfamilias, erunt *domestici ejus :* quia commorantes secum sibi adversabuntur atque dissentient. Hoc ipsum apud Michæam prophetam legitur : Vir fratrem suum venatur ad mor- *Mich.* VII, 2, 5, 6. tem; ab ea quæ dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui, quia filius contumeliam facit patri, filia consurget adversus matrem, nurus adversus socrum, et inimici hominis domestici ejus. — Venit igitur Christus homines quantumcumque propinquos separare ab invicem, dupliciter : Primo, auferendo ab eis unionem carnalis affectionis, et consensum in malo : et hæc est separatio spiritualis, necessaria ad salutem, sine qua nemo potest esse servus *Luc.* XIV, 26. vel discipulus Christi. Secundo, auferendo ab eis unionem convictus et cohabitationis, trahendo quosdam ad religionis ingressum : et hæc est separatio localis, pertinens ad supererogationem.

37 *Qui autem amat patrem aut matrem* carnalem *plus quam me,* majus bonum eis optando quam mihi, vel magis afficiendo ad eos quam ad me, seu magis inhærendo eis quam mihi, aut magis appretiando eos quam me, *non est me,* hoc est mea fruitione aut dilectione, *dignus,* quum non ha-

beat caritatem ordinatam, et per consequens, nec caritatem, quum ordo caritatis sit in præcepto. *Et qui amat filium aut filiam super me,* hoc est plus quam me, *non est me dignus,* quoniam bonum creatum, caducum, finitum, præfert bono divino, incommutabili atque immenso. Ordo nempe caritatis efflagitat, ut Deus summe et incomparabiliter ac sine mensura diligatur, videlicet toto corde, tota virtute, etc., deinde propria anima, deinde proximus, deinde proprium corpus. Inter proximos vero maxime diligendi sunt parentes; nec propter alicujus rei creatæ favorem, amorem, sive intuitum, recedendum est ab amore et cultu divino. — Denique in Evangelio secundum Lucam Christus af-
Luc. XIV, 26. firmat : Qui non odit patrem, et matrem, et uxorem, et filios, non potest meus esse discipulus. Non quod debeamus odio habere illos quoad id quod sunt, sed quoad culpam quam habent, et quantum nobis in via Dei obsistunt.

38 *Et qui non accipit crucem suam,* hoc est pœnitentiæ afflictionem, vitiorum et concupiscentiarum crucifixionem, *et sequi-*
Matth. VII, 14, 13. *tur me* ambulando per arctam viam, et ingrediendo per portam angustam, vel etiam mortem corporalem sustinendo pro me, si ratio exigat; *non est me dignus :* quia non habet gratiam gratum facientem. Idcirco
II *Cor.* IV, 10, 11. hortatur Apostolus : Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in carne
II *Tim.* II, 11, 12. nostra mortali; rursusque : Si commortui sumus, et convivemus; si sustinebimus, et conregnabimus. Maledicti sunt ergo qui nunc in deliciis, et vanitatibus, vel volu-
Job XXI, 13. ptatibus vivunt, qui ducunt in bonis dies suos, quia in puncto ad inferna descendent. Ex quo certissime constat impossibile esse, nunc gaudere cum sæculo, et post regnare cum Christo, secundum quod Sal-
Luc. VI, 25, 24. vator noster asserit : Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis; væ vobis qui saturati estis; væ vobis qui habetis consolationem vestram. Totum equidem tempus vitæ præsentis ad gemendum et flendum, ad pœnitentiam peragendam, ad suspirandum ad patriam, ad pugnandum contra vitia, nobis indultum est, districteque requirendum est a nobis per Christum quomodo sit expensum.

Qui invenit, hoc est, vere cognoscit, et 39
spiritualiter diligit, *animam suam, perdet eam,* id est, in præsenti sæculo eam affliget ac mortificabit, abstrahendo ei delectabilia mundi, exponendoque eam omni propter Christum persecutioni. *Et qui perdiderit animam suam* hoc modo *propter me,* hoc est amore mei, et ut mihi finaliter uniatur : quod tamen non est animam perdere secundum veritatem, sed secundum carnalium æstimationem ; *inveniet eam,* id est, in futura beatitudine eam possidebit, et salvam reperiet. Hoc est quod alibi dicit Salvator : Qui odit animam su- *Joann.* XII, 25.
am in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. — Alii sic exponunt : *Qui invenit animam suam,* id est, præsentem vitam carnaliter inordinateque diligit, *perdet eam,* hoc est, damnationi faciet eam obnoxiam, seu damnatione condignam, quum præsens vita non sit amanda in se, nec deliciose fovenda, sed ad futuram vitam ordinanda.

Qui recipit vos prædicatores et paupe- 40
res meos ad suam mensam vel domum, necessaria ministrando, *me recipit,* hoc est, rem mihi tam gratam ac meritoriam facit, ac si meam personam reciperet. Recipit enim membra mea, seu mysticum corpus meum. Hinc Christus ait ad Paulum : Quid me persequeris ? Et ad Samuelem : *Act.* IX, 4.
Non te abjecerunt, sed me. Tantus est I *Reg.* VIII, 7.
amor Dei ad nos, ut dicat per Zachariam prophetam : Qui tetigerit vos, tanget pupil- *Zach.* II, 8.
lam oculi mei. *Et qui me recipit* in propria persona, dum adhuc in mundo vivo inter homines, vel in membris meis, vel spiritualiter in corde suo per fidem et caritatem, *recipit eum qui me misit,* id est Deum Patrem, vel totam Trinitatem, quæ inseparabilis est. A qualibet namque Persona divina missus est Christus secundum quod homo, quemadmodum in Isaia te-

Is XLVIII, 16. statur, dicens : Et nunc Dominus misit A me, et spiritus ejus. Qui autem Christum corporaliter receperunt in mundo, certum est quod rem Deo Patri gratam fecerunt, eumque per gratiæ infusionem spiritualiter susceperunt. Qui vero receperunt Christum spiritualiter, credendo in ipsum, receperunt et Patrem, totamque superbenedictissimam Trinitatem. Unde Joannes (I *Joann.* II, 23; V, 10.) ait in prima sua epistola : Qui negat Filium, nec Patrem habet; et qui non credit in Filium, mendacem facit Patrem, quia non credit in testimonium quo testificatus B est Pater de Filio.

41 *Qui recipit Prophetam,* hoc est nuntium Dei de futuris vaticinantem, *in nomine Prophetæ,* id est ad hoc, quia Propheta est, et inspiratus ac missus a Deo, *mercedem Prophetæ,* id est beatitudinem Prophetæ in cœlo paratam, *accipiet* a Deo, quamvis non tantam sicut Propheta, nisi aliunde sit magni præclarique meriti. Imo, si talis receptus ut Propheta, non esset verus, sed pseudopropheta, si tamen recipitur quia putatur Propheta, recipiens C non privatur mercede veri Prophetæ, quoniam (I *Reg.* XVI, 7.) Deus mentalis intentionis inspector est. *Et qui recipit justum in nomine justi,* hoc est ea ratione quoniam justus est et famulus Dei, justificatus a Deo, non quia cognatus, aut compatriota, *mercedem justi accipiet* a Deo in patria, pro opere misericordiæ. Talis namque receptio justi, quum ex caritate procedat, et actus misericordiæ sit, meritoria est vitæ æternæ. Si vero recipiens non esset in caritate, nil de condigno mereretur. Posset tamen D Deus ei caritatem infundere occasione receptionis præfatæ.

Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis discipulis meis aut famulis, 42 utpote *calicem aquæ frigidæ,* id est aquam frigidam tam modicam quæ contineri possit in scypho, *tantum in nomine discipuli,* id est ideo solum quia discipulus Christi est : quod est ad Christi honorem conferre; *amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Deus enim nullum bonum dimittit irremuneratum, magisque pensat affectum et intentionem, quam munus vel magnitudinem ejus. Nullus ergo adeo pauper est, ut possit se de omissione operum misericordiæ excusare, quum regnum cœlorum porrectione calicis aquæ frigidæ possit mercari, imo solo affectu, si desit aqua.

Postremo sapienter pensanda est discretio Christi in suis præceptis, quomodo rigorem justitiæ clementia temperet. Qui enim præcepit prædicatoribus suis sanctis Apostolis, aliisque discipulis, nil possidere vel ferre in via, nunc alios ad receptionem et sustentationem illorum tam copiosissimis promissionibus incitat, ut asserat se recipi ab his qui illos receperint, recipientes quoque associandos receptis in gloria.

Et factum est quum consummasset, id 1 est terminasset, *Jesus* sermonem præhabi- (cap. XI.) tum, *præcipiens duodecim discipulis suis,* puta Apostolis, nihil possidere aut ferre in via, et cetera quæ nunc exposita sunt, *transiit inde,* id est a loco in quo istum sermonem fecit, *ut doceret et prædicaret in civitatibus eorum,* videlicet Judæorum seu Apostolorum, quia in eisdem locis ad quæ præmisit eos, de quibus orti fuerunt, prædicavit Dominus Jesus.

ARTICULUS XXI

ELUCIDATIO CAPITULI UNDECIMI : JOANNES AUTEM QUUM AUDISSET OPERA CHRISTI IN VINCULIS.

RECITATA eruditione ac missione Apo- A
stolorum, consequenter agitur de Præ-
2 cursore. *Joannes autem* Baptista, *quum*
Luc. VII, 18. *audisset* a suis discipulis : juxta illud, Nun-
tiaverunt Joanni discipuli ejus de omnibus
his, videlicet Christi miraculis, quomodo
filium viduæ suscitavit a morte, etc. Unde
jam subditur : *opera Christi* miraculosa, *in*
Marc. VI, 17. *vinculis* positus, hoc est ab Herode Antipa
incarceratus ad instantiam Herodiadis, pro-
ut Marcus evangelista describit. *Mittens*
duos de discipulis suis ad Christum. Duos
misit, ad socialis vitæ commendationem, B
Deut. XIX, 15. et ad idoneam testificationem, quia in ore
duorum vel trium testium stat omne ver-
3 bum. *Ait illi,* interrogando per internun-
tios : *Tu es qui venturus es, an alium*
exspectamus? Joannem non dubitasse de
Christi persona, videlicet, quod ipse esset
rex Messias, mundi Salvator in lege pro-
missus, et a Prophetis prænuntiatus, om-
nes sancti catholicique doctores concordi-
ter protestantur. Quomodo enim de hoc
ambigere potuit, qui nondum natus Chri-
Luc. I, 41. sti præsentiam se cognoscere exsultando C
monstravit ? Qui aliis quoque Christum
Joann. I, 29, 36. monstrando, disseruit, Ecce Agnus Dei ?
Ibid. 32. Qui Spiritum Sanctum in forma columbæ
conspexit super Christum descendere, se-
Matth. III, 14. que humiliando ei dixit, Ego a te debeo
baptizari, et tu venis ad me ? Non ergo
dubitando interrogavit.

Sed ut brevior fiat tractatus, exponenda
sunt diligenter verba Baptistæ. *Tu es qui*
venturus es? Quare non ait, Tu es qui
venisti ? Et si venturus erat, quomodo ve-
nit vel venturus erat ? Arbitror ego hæc D
verba Joannis dupliciter posse intelligi :
Primo sic : *Tu,* de quo talia audio, *es qui*
venturus es, hoc est, prænuntiatus seu
prophetatus es esse futurus ? hoc est, an
tu es Christus quem Prophetæ cecinerunt
venturum ? *An alium exspectamus,* id est,
alium salvatorem præstolari debemus ?
Quoniam enim apud Judæos celeberrima
exstitit fama Christum tandem nascitu-
rum, sicut a principio mundi erat prædi-
ctum, idcirco per hanc circumlocutionem,
Tu es qui venturus es ? Christi persona
exprimitur : sicut et alio loco scriptum
est : Illi homines, quum vidissent quod *Joann.* VI, 14.
fecerat signum, dixerunt, Quia hic est vere
Propheta qui venturus est in mundum.
Hoc etiam patet per id quod in Actibus
Apostolorum Paulus affirmat : Joannes ba- *Act.* XIX, 4.
ptizavit populum, dicens, In eum qui ven-
turus esset, ut crederent, hoc est in Jesum.

Si ergo hoc modo exponatur, certissi-
mum est Joannem non interrogasse hæc
ex aliqua sui dubitatione. Cur ergo inter-
rogavit ? Imo, quomodo interrogavit, quum
interrogatio videatur esse dubia proposi-
tio ? Et respondendum, quod interrogavit,
non ob propriam dubitationem, sed propter
discipulorum suorum ignorantiam, quos
volebat ex Christi responsione doceri et
certificari. Noverat enim in spiritu, qua-
liter Christus fuerat responsurus. Ut enim
ait S. Hieronymus, discipuli Joannis su-
perbierunt, et aliquid mordacitatis habu-
erunt contra Christum. Nam ex livore at-
que invidia sciscitabantur a Christo : Quare *Matth.* IX, 14; *Luc.* V, 33.
nos et Pharisæi jejunamus frequenter, di-
scipuli autem tui manducant et bibunt ?
Simili mente dixerunt Joanni Baptistæ :
Magister, cui tu testimonium perhibebas, *Joann.* III, 26.
ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad
eum. Tanquam dicant : Nos relinquimur,

et ad illum confluit turba. Præterea, quod A (*Luc.* VII, 18.) nuntiaverunt Joanni opera Christi, non fecerunt simplici corde, sed invidia stimulante, ut dicit Glossa Lucæ. Volens ergo Joannes animas discipulorum suorum sanare, mittit eos ad Christum, ut visis ejus miraculis, credant ac diligant. Quærit autem, non quasi dubitans, sed informationem nuntiorum desiderans. Unde et Christus multoties interrogavit quæ utique non ignoravit : ut quum dixit de Lazaro, (*Joann.* XI, 34.) Ubi posuistis eum ? et ad Philippum, Unde (*Ibid.* VI, 5.) ememus panes ut manducent hi ? et alias, B (*Matth.* XXII, 20.) Cujus est imago hæc et superscriptio ? Quandoque enim interrogat homo, ut instruatur ; interdum, ut instruat ; interdum, ut experiatur si aliquis sciat quod quærit; interdum, ut alterius ignorantiam monstret. Joannes quæsivit, ut discipuli sui instruerentur. Hæc dicta sunt secundum eos qui exponunt hunc locum modo nunc tacto.

Secundo exponitur sic : *Tu,* Christe, Fili Dei unigenite, *es qui venturus es* ad passionem, et limbum inferni ? *An alium* C *exspectamus,* qui pro mundi salute passurus sit, et ad inferos descensurus ? Sic exponit Gregorius. Tanquam dicat Joannes : Quæro, an sicut nativitatem tuam præcucurri nascendo, et tuam baptizationem baptizando, sic tuum descensum ad inferos præcurram, nuntiando patribus in inferno te descensurum ad eos. Secundum Gregorium autem, Joannes quæsivit duo : primo, an Christus per se ipsum descenderet in infernum ; secundo, an mori dignaretur pro humana salute. Et secundum D Gregorium, hæc interrogavit Joannes de eis dubitando.

Sed hoc communiter non tenetur. Joan- (vers. 9.) nes enim fuit plus quam propheta, et re- (*Luc.* I, 15.) pletus Spiritu Sancto in utero matris, præ- (*Marc.* I, 2, 3.) cursor Christi, et judicis præco : ideo magis illuminatus fuit de Christo et ejus mysteriis, quam Prophetæ veteris Testamenti. Quod autem Christus per se pro hominum redemptione moreretur, Prophetæ sciverunt, et apertissime prædixerunt. Unde est illud Danielis : Post hebdomades (*Dan.* IX, 26.) sexaginta duas, occidetur Christus. Et Jeremias inquit : Ego quasi agnus mansue- (*Jer.* XI, 19.) tus qui portatur ad victimam. Isaias quoque ait : Ipse autem vulneratus est propter (*Is.* LIII, 5.) iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Imo in Psalmo qui incipit, Deus, Deus meus, respice in me, passio (*Ps.* XXI.) Christi tam clare prædicta est, ut potius videatur illic res gesta narrari, quam prænuntiari futura. Insuper, quod Christus per se ad infernum descenderet, per Zachariam prophetam prædictum est : Tu quo- (*Zach.* IX, 11.) que in sanguine testamenti tui, emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua. Ad quod pertinet illud Osee : Ero mors (*Osee* XIII, 14.) tua, o mors ; morsus tuus ero, inferne. Et illud in Psalmo : Ascendisti in altum, ce- (*Ps.* LXVII, 19.) pisti captivitatem.

Verumtamen cognoscendum, quod expositio Gregorii sumpta est ex verbis Hieronymi, vel saltem consonat eis. Sic namque exponit Hieronymus : Tu es qui venturus es, an alium exspectamus ? hoc est, manda mihi, quia ad inferna descensurus sum, utrum te et inferis debeam nuntiare, qui nuntiavi superis, an non conveniat Filio Dei ut gustet mortem, et alium ad sacramenta hæc missurus es. Hoc omnino est quod dicit Gregorius. Sed in hoc differunt, quia secundum Hieronymum, Joannes non quasi ignorans interrogat : et hoc melius sonat.

Et respondens Jesus discipulis Joannis, 4
ait illis : Euntes renuntiate, hoc est, pro
nuntio mihi ab eo facto respondete ; *Jo-*
anni quæ audistis et vidistis, id est verba
et opera mea, utpote doctrinam meam, et
quomodo verbis imperativis miracula fa-
cio. De quibus subjungitur : *Cæci,* hoc 5
est qui paulo ante cæci fuerunt, nunc *vi-*
dent miraculose illuminati a me; *claudi,*
id est qui vim progressivam penitus per-
diderunt, *ambulant* curati a me ; *leprosi*
mundantur a lepra ; *surdi audiunt, mor-*
tui resurgunt. Secundum Augustinum, in- (*Luc.* VII, 14, 15; *Matth.* IX, 25; *Joan.* XI, 43, 44.)
certum est quot mortuos suscitaverit Christus. Tres quippe legitur suscitasse ; sed

Joann. xx, 30; xxi, 25. multa alia fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta. Quod vero suscitaverit plures quam tres, videtur ex verbis istis apparentiam quamdam habere. Quum enim dixit hæc verba, nondum suscitaverat Lazarum, quamvis fortasse suscitaverit filiam archisynagogi, et filium viduæ. Si ergo Christus tempore hujus responsionis non suscitasset nisi hos duos, non dixisset forsitan tam absolute pluraliter, Mortui resurgunt, præsertim quum secundum Philosophum, morale sit in his quæ ad propriam commendationem pertinent, declinare ad minus, salva semper veritate. Sed et omnes tres Evangelistæ omiserunt describere suscitationem Lazari, quæ tamen solennissima exstitit. Unde probabile est, quod quorumdam aliorum suscitationes referre omiserunt.

Pauperes evangelizantur, hoc est, evangelica lege et gratia instruuntur, vel beati prædicantur, juxta illud : Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. (Matth. v, 3.) Unde per Isaiam prophetam ait Christus : Spiritus Domini super me, evangelizare pauperibus misit me. (Is. lxi, 1; Luc. iv, 18.) Et istud intelligi potest, tam de pauperibus spiritu, quam de pauperibus opibus qui contemnunt terrenas divitias. Sicque Christus ostendit se non esse acceptorem personarum, dum non præfert divites pauperibus, sed omnibus indifferenter evangelizat.

Prædictorum autem miraculorum multa fecit Jesus in præsentia discipulorum Joannis, secundum quod Lucas scribit, dicens : In ipsa hora curavit multos a languoribus, et plagis, et spiritibus malis, et cæcis multis donavit visum. (Luc. vii, 21.)

Quomodo vero Salvator ista miracula spiritualiter fecerit, facile est pensare. Spiritualiter etenim cæci vident, dum Christo desuper radiante, homines ab ignorantia, errore, vel infidelitate purgantur. Surdi audiunt, dum rebelles verbo Dei obediunt : spiritualiter namque duritia obstinatæ mentis, surditas appellatur. Leprosi mundantur, dum a vitiis gulæ atque luxuriæ homines expurgantur. Claudi ambulant, dum pigri et instabiles, ad divina efficiuntur ferventes. Claudicatio enim, obliquitas affectionis, acedia vel nutatio mentis accipitur, juxta illud Regum : Usquequo claudicatis in duas partes? (III Reg. xviii, 21.) Unde Apostolus admonet, dicens : Rectos facite gressus pedibus vestris, ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur. (Hebr. xii, 13.) Mortui quoque resurgunt, dum impii pœnitent. Sed et pauperes evangelizantur, dum infirma et abjecta mundi, et ea quæ non sunt, prædicantur a Deo electa, ut fortia et superba confundantur. (I Cor. i, 27, 28.)

Et beatus est nunc in spe, beatificandus tandem in re, *qui non fuerit scandalizatus,* hoc est ad ruinam peccati seu infidelitatis inductus, *in me,* id est ex verbis et factis meis, præsertim ex humilitate eorum quæ in me apparent, ut quod inter homines ambulo, manduco et bibo, et ex acerbitate eorum quæ patior et passurus sum, ut quod more aliorum fatigor, derideor, et morte turpissima occidendus sum. (Sap. ii, 20.) 6
Quemadmodum autem in Christo erat duplex natura, una altissima et divina, alia humilis et humana : sic in Christo fuerunt quædam altissima, utpote præmemorata miracula, et alia multa divinitatis insignia ; fuerunt quoque in eo quædam humillima et abjecta, ut quod esuriit, lassus fuit, irrisiones sustinuit, et tandem amarissimam pertulit mortem. Quidam ergo pensantes magnalia Christi, concesserunt quod esset verus Filius Dei, sed non hominis : et isti ex magnificentia Christi sunt scandalizati. Alii considerantes abjecta Christi, ut quod mortalis fuit, quod expavit, tristis fuit, et cruci affixus est, concesserunt quod esset filius hominis, sed non Dei : et isti ex humilitate Christi scandalum passi sunt. Sicque nunc loquitur Christus. Tanquam dicat : Beatus est, etc., hoc est, ille qui visis miraculis meis credit me esse Christum Filium Dei, et visis tormentis et tribulationibus meis, non discredit de mea majestate, sed stabilis manet in fide et caritate, beatus est. Talis tempore passionis fuit Maria, non Apostoli,

Matth. xxvi, 31. quibus dixit Salvator : Omnes vos scanda- A
lum patiemini in me nocte ista. Prædictis
verbis tetigit Christus Joannis discipulos,
qui scandalizati fuerunt in Christo.

Ex præinductis constat, quod Christus
non respondit directe ad verba interroga-
tionis S. Joannis ; sed opera sua jussit ei
referri, quatenus ex illis miraculosis effe-
ctibus Joannes demonstraret suis discipu-
lis Jesum esse Christum, quoniam talia
signa futura esse in Christi adventu Isaias
Is. xxxv, 5, 6. prædixerat, dicens : Tunc aperientur oculi
cæcorum, et aures surdorum patebunt ; B
tunc saliet claudus sicut cervus, et aperta
erit lingua mutorum.

Insuper Christus convertitur ad laudem
Joannis. Quoniam enim turbæ noverant
Joannem ante suam incarcerationem testi-
Joann i, 34. monium perhibuisse Jesu quod esset Chri-
stus, et nunc quæsivit, Tu es qui venturus
es ? poterant suspicari Joannem esse le-
vem, mollem, et mobilem. Ideo hoc ex-
cludens Salvator, laudat Joannem, non in
præsentia discipulorum suorum, ne illis
vel Joanni videatur adulari, quoniam cer- C
tum fuit quod discipuli Joannis referrent
ei quidquid a Christo audissent. Subditur
itaque :

7 *Illis autem abeuntibus,* hoc est, ad Jo-
annem redire incipientibus, *cœpit Jesus
dicere ad turbas de Joanne : Quid,* id est
qualem virum, *existis in desertum,* ubi
morabatur Joannes, *videre,* ante incarce-
rationem Joannis? *Arundinem vento agi-
tatam?* id est, an existis ad hoc ut vide-
retis hominem levem atque instabilem,
similem arundini seu calamo, quem ventus D
in omnem partem impellit, et faciliter mo-
vet, quasi Joannes ex animi levitate nunc
Marc. i, 7. dubitet de me, de quo dixit, Quia non
sum dignus ut procumbens solvam cor-
rigiam calceamentorum ejus? Hoc Christus
interrogat, et interrogando innuit talem
non esse Joannem. Quasi dicat : Joannes
vir justus et stabilis est, quem nulla cul-
pa vel passio a rectitudine dejicit. Quem-
admodum scriptum est, Homo sanctus in
Eccli. xxvii, 12. sapientia permanet ut sol, nam stultus
sicut luna mutatur. Et Salomon ait : Justus *Prov.* x, 25.
quasi fundamentum æternum. Tales sunt
omnes qui nec blandimentis nec minis,
nec amore nec odio, nec prosperis nec ad-
versis, a veritate et æquitate flectuntur. Sed
homines vani quum laudantur, extollun-
tur, quum vituperantur, irascuntur, quasi
propter aliorum laudem aut vituperatio-
nem ipsi meliores essent, vel deteriores.

Sed quid existis videre (secundum sen- 8
sum prætactum)? *Hominem mollibus,* hoc
est deliciosis indumentis, *vestitum?* id est,
an talem videre existis? Quod si fecistis,
errastis : quoniam Joannes talis non fuit,
sicut subjungitur : *Ecce qui mollibus ve-
stiuntur,* hoc est pretiosis et dulcibus ve-
stimentis, *in domibus regum sunt,* id est
in palatiis principum. Joannes autem non
in palatiis, sed in eremo habitavit ; non
mollia indumenta, sed vestem de pilis ca- *Matth.* iii, 4.
melorum portavit; cibusque ejus fuerunt
locustæ, et mel silvestre.

Sed quid existis videre? Prophetam? 9
hoc est, numquid egressi estis ad viden-
dum Prophetam? Hoc Christus quærit, sed
non negat, quin potius, auget et roborat.
Joannes enim propheta fuit, secundum il-
lud Lucæ, dicentis : Tu, puer, Propheta *Luc.* i, 76.
Altissimi vocaberis. *Etiam dico vobis, et
plus quam Prophetam* existis videre : id
est, exeundo ad videndum Joannem, egres-
si estis videre virum qui est plus quam
propheta, id est excellens propheta, et ma-
jori honore ac gratia, atque cognitione de
Christo decoratus, quam ceteri Propheta-
rum. Nam nondum natus, signo prophe- *Ibid.* 41.
tavit, et Spiritu Sancto præventus, usum *Ibid.* 44.
rationis accepit, et Christum agnovit; Chri- *Matth.* iii, 15, 16.
stum quoque baptizavit, ac digito demon- *Joann.* i, 29,
stravit; et per Prophetas prophetatus est, 30, 34, 36.
atque angelus appellatus ; eratque finis *Malach.* iii, 1.
legis ac Prophetarum, et novæ legis exor-
dium. Unde dici potest horizon, ligamen-
tum, ac cingulus novi et veteris Testa-
menti.

Hic est enim de quo scriptum est per 10
Malachiam prophetam : *Ecce ego* Deus Pa-
ter vel Trinitas, *mitto angelum meum,*

hoc est nuntium ; vel, Angelum meum, id A est hominem conversationis angelicæ. Vel Joannes dicitur angelus, quoniam filius sacerdotis, et per consequens sacerdos fuit, saltem secundum auctoritatem vel potestatem. Sacerdos autem angelus appellatur
Malach. II, 7. per Malachiam prophetam, dicentem : Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem ex ore ejus requirent, quoniam angelus Domini exercituum est. Quemadmodum enim Dionysius docet, infimum superioris ordinis, et supremum inferioris ordinis, magnam convenientiam habent in natura B et appellatione. In ecclesiastica vero hierarchia sacerdotes sortiuntur primatum, et summi censentur : idcirco nomen eorum qui in cœlesti hierarchia infimum ordinem sortiuntur, convenit eis, ita ut angeli nuncupentur, quia sic appellantur cœlestes spiritus de infimo ordine spirituum supernorum. Quidam hæretici dixerunt Joannem angelum incarnatum, ita quod angelus appelletur, non tantum ratione officii, sed et veritate ac societate naturæ.

Itaque, Mitto angelum meum : de quo C
Joann. I, 6. Joannes inquit, Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes ; *ante faciem tuam,* id est ante tuam apparitionem, vel, ante te, o Christe. Joannes enim orsus est prædicare ante Christum, et manifestationem Christi præcessit : imo ipse Christum manifestavit, quemadmodum apud Joan-
Ibid. 31. nem inquit : Ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans. *Qui præparabit viam tuam,* hoc est, fidem, doctrinam, et opera virtuosa, per quæ Christus ingreditur corda hominum, dispositi- D ve inducet in animas populi, *ante te,* id est, antequam tu, o Christe, venias ad prædicandum. Per hoc enim quod Joannes disposuit animas Judæorum ad recipiendum fidem doctrinamque Christi, et ad pœnitentiam peragendam, præparavit Christo ingressum ad corda audientium. Unde
Ibid. 7. scriptum est : Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per ipsum. Hoc plenius expositum est supra capitulo tertio, quo legitur : Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. *Matth.* III, 3.

Porro, Evangelista hoc loco sensum magis quam verba Malachiæ allegat. Sic namque continet nostra translatio : Ecce ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam. *Malach.* III, 1. Sed sententia una est, quia sicut Joannes disposuit homines ad notitiam Christi, sic et ad notitiam Patris.

Quod autem Joannes merito nuncupetur plus quam propheta, subjungitur. *Amen* 11
dico vobis, non surrexit, id est, ortus non est, nec ad virtutes ascendit, nec fuit, *inter natos mulierum,* id est inter eos qui ex feminis a viris imprægnatis geniti sunt, *major,* id est dignior aut sanctior, *Joanne Baptista.* Mulier enim hoc loco accipitur pro femina cognita a viro : sicque Christus natus de Virgine, et Virgo mater, quæ fuit inter natas, non inter natos, excipiuntur. Quamvis ergo nullus Prophetarum et Patriarcharum vel Sanctorum naturali ordine genitorum, præferatur Joanni, non tamen Joannes cunctis illis præfertur ; sed potest esse æqualis eis. Hoc testimonio de Joanne prolato, Christus ostendit se esse Deum ac judicem hominum : aliter non judicaret nullum prædictorum Joanne majorem, quoniam Salomone teste, spirituum ponderator est Dominus. *Prov.* XVI, 2. Propter quod stultum est disputare de comparatione Sanctorum, quis major sit alio, nisi quantum ex Scripturis elicitur.

Qui autem minor est in regno cœlorum, id est infimus Beatorum seu comprehensorum in patria, *major,* id est perfectior, *est illo,* puta Joanne Baptista : quoniam clarius videt et ardentius diligit Deum quilibet comprehensor, quam aliquis purus viator. Præmium quippe excedit meritum ; nec potest perfectio viæ æquari perfectioni patriæ, quia secundum Dionysium, supremum ordinis inferioris non attingit infimum ordinis superioris, quamvis ejus perfectioni multum propinquet. Verumtamen Joannes et multi viatores, in dispositione propinqua majores fuerunt multis Beatis, quoniam tanti meriti exstiterunt,

quod amplior eis felicitas debebatur, quam A multis Sanctis in patria.

Præterea advertendum, quod quum Christus verba hæc protulit, nullus hominum adhuc in regno cœlorum fuit, nisi ipse-
Joann. III, 13. met Christus, secundum quod ait : Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo. Quod igitur dicit Salvator, Qui minor est in regno cœlorum, non de hominibus, sed de angelis rite accipitur, et ita intelligi potest de dignitate naturali : ut sit sensus, Qui minor est in regno cœlorum, id est B infimus angelorum, major, id est dignioris naturæ seu speciei, est illo. Planum est enim quod natura angelica altior sit, quantum ad essentialia, natura humana. Sicque iis verbis Christus excludit errorem dicentium, quod Joannes sit angelus incarnatus. Unde Veritas, quæ Joannem appellavit angelum, volens hoc intelligi ratione officii, non naturæ, dicit minimum angelorum majorem Joanne. — Quocirca vitandus est error Eustachii Græci episcopi, qui in commentariis suis super librum Ethicorum asserit, nullum viatorem posse pertingere ad æqualitatem beatitudinis cujuscumque angelici spiritus : ita quod post Christum et Virginem benedictam, nemo quantumcumque perfectus perveniat ad aliquem ordinem angelorum, sed ex universitate hominum electorum, unus ac infimus ordo constituatur in cœlo.

Quidam exponunt prædicta hoc modo : Qui minor est in regno cœlorum, id est Christus, qui in Ecclesia militanti minor fuit Joanne, hominum reputatione, et nativitate posterior, atque humilitate profundior, major est illo : quemadmodum idem fatetur Baptista, Qui, inquiens, de *Joann.* III, 31.
cœlo venit, super omnes est; et rursus, Illum oportet crescere, me autem minui. *Ibid.* 30.

ARTICULUS XXII

PROSECUTIO EXPOSITIONIS PRÆSENTIS CAPITULI, AB EO LOCO QUO HABETUR : A DIEBUS AUTEM JOANNIS BAPTISTÆ.

12 A *DIEBUS autem Joannis Baptistæ usque nunc, regnum cœlorum vim patitur*. Quid est hoc? Quis enim vim inferat C regno cœlorum? Et si illud vim patitur, cur potius a diebus Joannis, quam ante? Vel quomodo a diebus Joannis usque nunc, id est hora qua Christus hæc dixit, quasi nec ante nec postea passum sit vim? Est igitur sensus : *A diebus autem,* id est ab exordio prædicationis, *Joannis Baptistæ, regnum cœlorum,* id est vita æterna, seu gloria patriæ, *vim patitur,* id est, per violentiam quamdam acquiri prædicatur. D Joannes enim primo sic legitur prædicas-
Matth. III, 2. se : Pœnitentiam agite, quia appropinquabit regnum cœlorum. Sed pœnitentiam agere, est sibi ipsi bonam violentiam facere, affligendo et reprimendo se ipsum. Non ergo sic intelligendum est, quasi ante Joannis prædicationem potuerit aliquis regnum cœlorum mereri sine vi tali seu pœnitentia, sed quia ante non docebatur aperte, quod regnum cœlorum taliter acquireretur. Per hoc quoque quod dicitur, Usque nunc, non datur intelligi, quod post verba hæc Christi non patiatur vim. Subditur enim : *et violenti,* id est superantes se ipsos, qui contra se ipsos et concupiscentias cunctaque vitia efficaciter pugnant, *rapiunt,* id est, cum labore et bona violentia capiunt, *illud,* pro præmio sui certaminis. Violenti sunt ergo, qui desiderio patriæ, se ipsos quotidie mortificant, carnem suam cum vitiis et concupi- *Galat.* V, 24.

scentiis crucifigentes : qui dicere possunt A
Ps. XVI, 4. cum Propheta, Propter verba labiorum tu-
orum ego custodivi vias duras ; et cum
II *Cor.* VII, 5. Apostolo : Nullam requiem habuit caro
nostra, sed omnem tribulationem passi
sumus ; foris pugnæ, intus timores.

Dicitur itaque regnum cœlorum vim pa-
ti, quoniam propter ipsum adipiscendum,
infert homo sibi ipsi vim bonam, et pati-
tur affligendo se ipsum : et ita est præ-
dicatio causalis, quum dicitur, Regnum
cœlorum vim patitur. Unde Lucas sic ha-
Luc. XVI, 16. bet : Omnis in illud vim facit. Vel dicitur B
vim pati, quia per modum patientis se ha-
bet, dum homo cum grandi labore illud
apprehendit. Secundum quem sensum Do-
Is. I, 14. minus ait : Laboravi sustinens ; et alio in
Malach. III, 8, 13. loco, Si affiget homo Deum, quia vos con-
figitis me, et invaluerunt super me verba
vestra ?

Insuper Christus aperit causam, cur di-
xit a diebus Joannis regnum cœlorum vim
13 pati. *Omnes enim Prophetæ, et lex* Moysis,
usque ad Joannem prophetaverunt, id est,
obscure et figurative de Christo et regno C
cœlesti annuntiaverunt, sub promissioni-
bus terrenorum bonorum intelligendo cœ-
lestia, atque per corporalia bona designan-
do spiritualia beneficia Christi. Joannes
Joann. I, 29, 30, 34, 36. vero de his apertissime nuntiavit, digito
Matth. III, 2. Christum demonstrans, regnumque cœle-
ste proprio nomine exprimens ac promit-
tens. Et quod iste sit sensus, patet per
Luc. XVI, 16. illud quod in Luca scriptum est : Lex et
Prophetæ usque ad Joannem ; ex eo re-
gnum Dei evangelizatur. S. Hieronymus
ita exponit : Omnes Prophetæ et lex usque D
ad Joannem prophetaverunt, hoc est, de
Christo vaticinati sunt, quem Joannes de-
monstravit, et ejus tempore fuit. Loquitur
ergo de Prophetis veteris Testamenti, et
per legem, significat Scripturam librorum
Moysis.

14 *Et si vultis recipere,* id est cognoscere,
Joannes *ipse est Elias,* non per essentiam,
sed per magnam assimilationem : secun-
Matth. XVI, 14. dum quem modum quidam dixerunt Chri-
stum esse Jeremiam, alii Eliam, et Christus
vocavit Judam diabolum ; *qui* Elias *ven-* *Joann.* VI, 71.
turus est in fine sæculi ad convertendos
Judæos, ut præcedat secundum Christi ad-
ventum, sicut Joannes primum, juxta illud
Malachiæ prophetæ : Ecce ego mittam vo- *Malach.* IV, 5.
bis Eliam Thesbiten, antequam veniat dies
Domini magnus et horribilis. Dicitur ergo
Joannes Elias, quia uterque eremita, uter-
que similibus vestibus utens, uterque præ-
cursor præcoque Judicis, uterque ardentis-
simus zelator justitiæ, rigorosus, strenuus
et imperterritus. Nam sicut Elias corripuit III *Reg.* XVIII, 18; XXI, 20-24.
Achab et Jezabel, sic Joannes Herodem ac
Herodiadem. Unde de Joanne prædixerat *Matth.* XIV, 4; *Luc.* III, 19.
angelus : Ipse præcedet ante illum in spi-
ritu et virtute Eliæ. *Luc.* I, 17.

Sed quia hæc verba, quibus dictum est
Joannem esse Eliam, prudentem intelle-
ctum requirunt, ideo Christus adjecit :
Qui habet aures audiendi, hoc est aures 15
cordis, videlicet intellectum advertentem
ac studiosum. De quibus auribus scriptum
est in Deuteronomio : Dixit Moyses ad fi- *Deut.* XXIX, 2, 4.
lios Israel : Non dedit vobis Dominus au-
res quæ possent audire, usque in præ-
sentem diem. *Audiat,* id est, sapienter
advertat quod dixi, Joannem esse Eliam,
ne incidat errorem hæreticorum, et quo-
rumdam Judæorum Platonem sequentium,
atque dicentium animas transcorporari, ut
qui nunc est in isto corpore, sit idem qui
olim fuit in alio corpore. Fideli igitur aure
omnia verba Dei advertenda sunt, juxta
illud Sapientis : Auris bona audiet cum *Eccli.* III, 31.
omni concupiscentia sapientiam.

Cui autem similem æstimabo, hoc est, 16
judicabo et pronuntiabo, *generationem is-
tam,* id est rebelles atque perversos Ju-
dæos ? Non de omnibus tunc præsentibus
dicit hoc Christus, sed de Scribis et Pha-
risæis, de quibus sequenti capitulo scribi-
tur : Generatio mala et adultera signum *Matth.* XII, 39.
quærit. Unde apud Lucam legitur : Omnis *Luc.* VII, 29, 30.
populus audiens (scilicet prædictas lau-
des Joannis) et publicani, justificaverunt
Deum, baptizati baptismo Joannis ; Pha-
risæi autem et legisperiti consilium Dei
spreverunt, non baptizati ab eo. De his

itaque Christus nunc loquitur. Quærit quo-
que, ut audientes ad diligentem adverten-
tiam excitet. Et respondet : *Similis est*
pueris sedentibus in foro, qui clamantes,
hoc est cantantes, *coæqualibus,* id est aliis
17 pueris sibi numero paribus, *dicunt* cum
exprobratione : *Cecinimus vobis,* id est,
carmen lætitiæ cantavimus, *et non salta-*
stis, id est, nobis congratulati non estis ;
lamentavimus, hoc est, carmen lugubre
vobis cecinimus, *et non planxistis,* id est,
ad compassionem moti non estis. Pueris
ergo qui nec gaudentibus congaudent, nec
dolentibus condolent, isti assimilantur.
Cujus ratio subditur.

18 *Venit enim Joannes* Baptista *neque man-*
ducans neque bibens, hoc est, socialiter
non conversans, nec consueto cibo potu-
que utens, et frequenter jejunans, sicut
Luc. I, 15. de eo prædictum est, Vinum et siceram
non bibet ; *et dicunt* homines hujus pes-
simæ generationis : *Dæmonium habet,* id
est, dæmoniacus est Joannes, et dæmonis
operatione sic abstinet, abstracteque vivit.
Possessi quippe et arrepticii multa agunt
et sustinent, quæ alii agere et pati non
19 valent. *Venit Filius hominis,* id est Chri-
stus, *manducans et bibens,* hoc est, socia-
liter vivens, cum hominibus vescens, et
filiis suis licentiam manducandi conce-
Matth. IX, 15. dens, dicendo, Numquid jejunare possunt
filii sponsi, quamdiu cum illis est spon-
sus ? *Et dicunt* de eo : *Ecce homo vorax,*
instar lupi seu canis famelici, quasi puta-
ret se non posse saturari, *et potator vini,*
tanquam lurco et deliciosus ; *publicano-*
rum, id est magnorum et manifestorum
prævaricatorum, *et peccatorum,* hoc est
aliorum minus malorum, *amicus,* quia
manducat cum eis, non solum amans eo-
rum naturam, sed etiam culpas. Erat uti-
que Christus eorum amicus, amando natu-
Joann. X, 15. ram, non vitia : nam et animam suam pro
talibus posuit. Et idcirco cum eis conver-
sari ac vesci dignatus est, ut sua pietate,
caritate ac mansuetudine, eos ad pœniten-
I *Tim.* II, 5. tiam provocaret. Quoniam enim mediator
erat Dei ac hominum, reconciliator pecca-
A torum, et medicus infirmorum ac misero-
rum, tales vitare non debuit, sed benignis-
sime reparare, conversando cum ipsis.

Prædictis itaque pueris assimilantur Scribæ et Pharisæi, quia nec Joanni abstinenti, nec Christo manducanti, se conformare vel credere voluerunt, sed utriusque vitam perverse interpretati sunt, et in sua obstinatione pertinaciter permanserunt.

Referunt quidam, quod Judæi volentes filios suos ad virtutes provehere, assuefe-
B cerunt eos ad ludos honestos : ita quod pueri convenerunt in forum, eisque in duas partes æquales divisis, una pars cecinit carmen jucundum, alia lugubre. Et quæ cecinit carmen lætitiæ, exprobravit alteri, cur sibi non congauderet ; similiter pars cantans canticum triste, exprobravit alteri parti, cur sibi non compateretur. Et ista fiebant ad insinuandam vanitatem lætitiæ, et defectum compassionis ac amicitiæ in hoc mundo. — Aliqui per pueros istos intelligunt prædicatores et discipulos
C Christi, de quibus per Isaiam Christus testatur : Ecce ego et pueri mei, quos dedit *Is.* VIII, 18.
mihi Dominus. Hi prædicaverunt Judæis canticum jucunditatis spiritualis, ut delectarentur in Deo ; canticum quoque doloris, ut pœniterent : Judæi vero nulli cantico consenserunt. Sed non videtur quod prædictis bonis sanctisque pueris, comparentur Scribæ et Pharisæi. Imo Christus, qui cecinit carmen consolationis et gratiæ, Joannes quoque, canens carmen comminationis ac pœnitentiæ, eis assimilantur.
D Scribæ autem et Pharisæi his assimilantur qui nec flent cum flentibus, nec gaudent *Rom.* XII, 15.
cum gaudentibus. Tales, proh dolor ! adhuc multi sunt, qui omnia facta aliorum interpretantur in partem deteriorem, facientes sibi de melle venenum, et bona quæ nequeunt imitari, malunt detrahendo et deridendo vituperare, quam humiliter venerari.

Et justificata, id est laudata et vera esse cognita, *est sapientia,* id est sapientialis Christi doctrina, vel ipsemet Christus, qui

est increata sapientia Patris, *a filiis suis,* A
id est ab amatoribus et studiosis auditori-
bus ejus, puta Apostolis, ceterisque Judæis
Luc. VII, 29. fidelibus, qui ut allegatum est, auditis præ-
dictis Christi sermonibus, justificaverunt
Deum, et Christi eloquia approbaverunt.
Prov. XVIII, 2. Stultus autem, ut Salomon dicit, non reci-
I Cor. II, 14. pit verba prudentiæ. Nec animalis homo
percipit ea quæ Dei sunt, teste Apostolo.
20 *Tunc* Jesus *cœpit exprobrare,* ex com-
passionis affectu vel zelo justitiæ, non ex
inordinato motivo, *civitatibus,* id est ur-
bium habitatoribus, *in quibus factæ sunt* B
plurimæ virtutes ejus, id est multa mira-
cula a Christo, et forte etiam ab Aposto-
lis, *quia non egissent pœnitentiam* stabi-
21 lem, visis tot signis. *Væ,* id est, æterna
damnatio manet, *tibi, Corozain, væ tibi,*
Bethsaida : quia si in Tyro et Sidone,
urbibus idololatriæ deditis, *factæ essent*
virtutes, id est miracula et efficacissimæ
prædicationes, *quæ factæ sunt in vobis ;*
olim in cilicio, illud induendo, *et cine-*
re, illum capitibus suis superponendo, vel
in cinerem se prosternendo, *pœnitentiam* C
Jonæ III, 4-8. *egissent,* quemadmodum Ninivitæ ad præ-
dicationem Jonæ. Quam verum sit hoc, con-
Act. XII, 20; XXI, 5. stat ex Actis Apostolorum, ubi fides atque
devotio Tyriorum describitur, qui credi-
derunt Apostolis, maxime Paulo. Huic te-
stimonio Christi omnino simile est quod
Ezech. III, 4-7. ad Ezechielem Dominus ait : Fili homi-
nis, non ad populum profundi sermonis et
ignotæ linguæ tu mitteris : et si ad illos
mittereris, ipsi audirent te ; domus autem
Israel, ad quam mitto te, nolunt audire
te, quia nolunt audire me. D
22 *Verumtamen dico vobis : Tyro et Sidoni,*
id est populo urbium harum in gentilitate
defuncto, *remissius erit,* id est minor dam-
natio, *in die judicii,* quoniam solam natu-
ralem legem transgressi sunt, *quam vobis,*
qui prævaricati estis legem naturalem ac
scriptam, et insuper signa documentaque
Christi parvi pendistis : propter quod tan-
to graviora sunt scelera vestra, quanto
majora beneficia contempsistis, et ingra-
tissimi exstitistis.

Et tu, Capharnaum, principalis urbs 23
Galilææ, *numquid usque in cœlum exal-*
taberis, sicut præsumis ? id est, numquid
ad tantam sublimitatem pertinges, sicut
elatio tua conatur ? Per talem enim modum
loquendi designatur magnitudo superbiæ,
ut est illud in Psalmo : Posuerunt in cœ- *Ps.* LXXII, 9.
lum os suum. *Usque in infernum descen-*
des, propter pompam et ingratitudinem
tuam : juxta illud, Si ascenderit usque ad *Job* XX, 6, 7.
cœlum superbia ejus, et caput ejus nubes
tetigerit, quasi sterquilinium in fine per-
detur. Simile est quod ait Abdias prophe-
ta : Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter *Abdiæ* 4.
sidera posueris nidum tuum, inde detra-
ham te, dicit Dominus. Porro, Capharna-
um, Corozain et Bethsaida, urbes Galilææ,
et sitæ in littore laci seu stagni vel maris
Genesareth, primo receperunt doctrinam
Christi, sed post redierunt ad vomitum : *Prov.* XXVI, 11.
ideo non pœnituerunt veraciter ac stabili-
ter, sicut supra capitulo quarto plenius pa- *Matth.* IV, 16.
tuit. *Quia si in Sodomis,* id est in Penta-
poli, propter peccatum contra naturam *Gen.* XIX, 24, 25.
submersa : illorum enim quinque urbium
principalis fuerat Sodoma ; *factæ fuissent*
virtutes quæ factæ sunt in te a me ipso,
forte permansissent usque in hanc diem,
id est, habitatores pœnituissent, nec essent
urbes illæ submersæ, vel potius combustæ
igne ac sulfure. Dicit autem, Forte, non
quasi dubitans, sed ut servet sobrietatem
sermonis, et libertatem voluntatis desi-
gnet. *Verumtamen dico vobis, quia terræ,* 24
id est habitatoribus olim, *Sodomorum, re-*
missius erit in die judicii quam tibi. Et
probabile est, quod absolute loquendo, mi-
nor erit damnatio Sodomorum quam isto-
rum, et quod minus graviter peccaverunt
quam isti, prout in præcedenti capitulo *Matth.* X, 15.
dictum est de non recipientibus ipsos Apo-
stolos.

Merito ait Psalmista : Venite et videte *Ps.* LXV, 5.
opera Dei, terribilis in consiliis super fi-
lios hominum ; et, Justitia tua sicut mon- *Ps.* XXXV, 7.
tes Dei, judicia tua abyssus multa. Quis
enim investiget vel explicet, cur justus at-
que omnipotens Deus coram illis miracula

fecit, et illis nuntios suos ac prædicatores
misit, quos noverat non credituros, et ho-
rum nullum fecit his quos noverat credi-
turos, si vidissent vel audissent quod isti?
Unde cum Apostolo exclamare oportet :
Rom. XI, 33. O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ
Dei! etc.

Præterea ipsemet Christus, quum ista
dixisset, in vocem confessionis, laudis ac
gratiarum actionis prorupit, sicut subjun-
25 gitur. *In illo tempore,* quum ista dixisset,
respondens, id est, ad prædicta proportio-
nate ac pertinenter adjiciens, *Jesus dixit : Confiteor tibi* confessione laudis et gratia-
rum actionis, hoc est, laudo te et gratias
ago, et ad manifestandum justitiam tuam,
dico ac fateor tibi, id est ad gloriam tu-
am, *Pater* mi naturalis, qui es aliorum
pater per gratiam adoptionis : qui in Psal-
Ps. CIX, 3. mo ais ad me, Ex utero ante luciferum ge-
Ps. II, 7. nui te; et, Ego hodie genui te; *Domine
cœli et terræ,* id est cœlestium atque ter-
restrium, visibilium et invisibilium domi-
Esther XIII, 9. nator : de quo Esther ait, Domine rex om-
nipotens, in ditione tua cuncta sunt posita.
Est ergo duplex confessio, scilicet: propriæ
Ps. XXXI, 5. culpæ, de qua David : Dixi, Confitebor ad-
versum me injustitiam meam Domino; et
Eccli. LI, 1. laudis divinæ, de qua Sapiens : Confitebor
tibi, Domine rex, et collaudabo te Deum
salvatorem meum.

Quia abscondisti hæc mysteria fidei et
sacramenta novæ legis et prædicationis
meæ notitiam, *a sapientibus et prudenti-
bus* in oculis suis : de qualibus asserit
Is. V, 21. Isaias, Væ (inquiens) qui sapientes estis in
oculis vestris, et coram vobismetipsis pru-
Ibid. XLVII, 10. dentes; itemque, Sapientia et scientia tua
decepit te. Qui tamen veraciter stulti sunt,
Jer. X, 14. quemadmodum Jeremias fatetur : Stultus
Sap. I, 4. factus est omnis homo a scientia sua. In
malevolam enim animam non introibit sa-
pientia. Quamvis autem per sapientes et
prudentes intelligi possint omnes litterati
hujus sæculi, philosophi et legisperiti, et
quos mundus reputat sapientes, tamen hoc
loco, per sapientes et prudentes præsertim
signantur Scribæ ac Pharisæi, qui se eru-

A ditos putabant, sequentes litteram occiden- II *Cor.* III, 6.
tem, non spiritum vivificantem. Dicuntur
autem sapientes, quantum ad notitiam di-
vinorum; prudentes, quoad humanarum
rerum notitiam.

Et revelasti ea, per illuminationem in-
ternam, *parvulis,* id est humilibus : de
quibus ait Psalmista, Declaratio sermonum *Ps.* CXVIII, 130.
tuorum illuminat, et intellectum dat par-
vulis; et Sapientia in Proverbiis, Si quis *Prov.* IX, 4.
est parvulus, veniat ad me. Ad hos enim,
quasi ad valles profundas, descendunt a
B Patre luminum et fonte, rivi bonitatis, ac *Jacob.* I, 17.
radii sapientiæ, quos corda pomposa ne-
queunt continere, juxta illud Psalmistæ :
Qui emittis fontes in convallibus, inter me- *Ps.* CIII, 10.
dium montium pertransibunt aquæ. Hinc
dicit Apostolus : Videte vocationem ve- I *Cor.* I, 26.
stram, fratres, quia non multi sapientes
secundum carnem sunt inter vos; et rur-
sus, Nonne stultam fecit Deus sapientiam *Ibid.* 20.
hujus mundi? Sapientes ergo et prudentes
in oculis proprii cordis, propter suam su-
perbiam divinæ veritatis illustratione pri-
C vati sunt. Parvuli vero, per humilitatem
meruerunt a Spiritu Sancto doceri, sicut
Apostoli, aliique credentes, de quibus jam
dicebatur : Justificata est sapientia a filiis
suis. Propter quod Salomon loquitur : Ubi *Prov.* XI, 2.
humilitas, ibi sapientia.

Ita, Pater, id est, sic vere est, et ita 26
contigit, o Pater æterne, *quoniam sic pla-
citum est ante te,* hoc est in conspectu tuo,
vel in corde ac luce sapientiæ tuæ. Tan-
quam dicat : Prima causa istius, quod qui-
dam præ aliis illuminati sunt, non est nisi
D ipsum beneplacitum voluntatis divinæ.
Quod enim unus præ alio humilitatem et
cetera quæ ad divinam illuminationem dis-
ponunt, habet, originaliter procedit ex
prædestinatione divina, quam nulla præ-
cedunt merita. Præterea, quamvis in com-
muni ratio assignetur, cur quidam electi,
quidam præsciti sint, utpote quatenus mi-
sericordia Dei refulgeat in electis, qui sunt
vasa pietatis in honorem et gloriam, et ju- *Rom.* IX, 23.
stitia Dei manifestetur in reprobis, qui
sunt vasa iræ in interitum; in speciali ta- *Ibid.* 22.

men causa dari non valet, cur potius iste quam ille electus sit, nisi voluntas divina. Propter quod ait Augustinus : Quem trahat, et quem non trahat, cur istum trahat, et illum non trahat, noli dijudicare, si non vis errare. Voluntas etenim Dei, quum sit prima omnium entium causa, causam non habet. Nec tamen irrationalis vel injusta esse potest, quum essentialiter sit ipsa sapientia atque justitia infinita. Quod igitur comprehendere non valemus, cum omni
Prov. xxv, 27. reverentia veneremur, quoniam scrutator majestatis opprimetur a gloria.

Prædictis Christi verbis consonat illud
Ps. XLIII, 4. Psalmistæ : Brachium eorum non salvavit eos, sed dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in eis; et quod in Exodo ait Deus
Exod. XXXIII, 19. sublimis et benedictus, Miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit. Ideo dicit Apostolus : Cujus vult
Rom. IX, 18. miseretur, et quem vult indurat.

27 *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo.* In Christo est duplex natura. Secundum ergo divinam naturam, omnia, id est tota divinitatis plenitudo et quidquid perfectionis in Patre est, tradita, hoc est, per modum naturalis emanationis data sunt Filio per generationem æternam, quemadmodum apud Joannem ipse protestatur :
Joann. XVI, 15. Omnia (inquiens) quæcumque habet Pater, mea sunt; et rursus ad Patrem, Omnia (in-
Ibid. XVII, 10. quit) mea tua sunt, et tua mea sunt. Ex quo innotescit, sic omnia hæc data Filio, ut in Patre permanserint, ita quod idem numero esse ac posse in utroque consistat. Et quamvis in Patre non sit diversitas, sed simplicissima unitas, Filius tamen pluraliter dicit, Omnia, quoniam divinitas Patris omnium perfectiones cum infinita plenitudine comprehendit. Unde et Paulus
Rom. I, 20. pluraliter dicit : Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta, cognoscuntur. Insuper, secundum humanam Christi naturam,
Ps. VIII, 8; *Hebr.* II, 8. omnia creata, data et subjecta sunt ei, quantum ad auctoritatem, ab exordio incarnationis. Nam eo ipso quo ejus humanitas unita est Verbo hypostatica unione,

A prælata est omni creaturæ. Propter quod ait : Pater diligit Filium, et omnia dedit *Joann.* III, 35.
in manu ejus. In resurrectione vero omnia data sunt Christo homini, quantum ad manifestationem, quia ex tunc cœpit innotescere et publice prædicari excellentia Christi. Ideo infra : Data est (ait) mihi om- *Matth.* XXVIII, 18.
nis potestas in cœlo et in terra. In die autem judicii, omnia ei subjicientur, quantum ad plenissimam exsecutionem. Loquendo autem de Christo secundum quod est mediator Dei ac hominum, sic omnia
B tradita sunt ei a Patre, id est omnia genera hominum salvandorum, seu omnes electi, qui per ipsum reducuntur ad Patrem. De quibus ait : Ego si exaltatus fuero a *Joann.* XII, 32.
terra, omnia traham ad me ipsum; et, Ne- *Ibid.* XIV, 6.
mo venit ad Patrem, nisi per me. Et item ad Patrem loquens : Dedisti (inquit) ei po- *Ibid.* XVII, 2.
testatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam.

Nemo, id est nullus seu nulla intellectualis persona, *novit Filium* secundum ejus divinitatem, notitia comprehensionis
C perfectæ, *nisi Pater* æternus, qui æqualis est Filio in essendo et cognoscendo. *Neque Patrem quis novit* notitia plenæ comprehensionis, *nisi Filius* Patri æqualis, *et cui voluerit Filius revelare* per fidem in via, vel per speciem in patria, ut sunt homines electi, et angeli sancti. Non quod isti ex revelatione Christi agnoscant Patrem aut Filium modo prædicto, videlicet comprehensione plenaria : imo omnis intellectus creatus in infinitum distat, id est, occumbit et deficit, ab hujuscemodi notitia
D Dei immensi seu summæ Trinitatis atque cujuslibet divinæ Personæ. Quoniam sicut Deus est infinitæ actualitatis ac perfectionis, sic est infinitæ cognoscibilitatis : non ergo comprehenditur plene, nisi ab intellectu virtutis et capacitatis immensæ. Denique, per hoc quod dictum est, Nemo novit Filium nisi Pater, nec Patrem nisi Filius, non excluditur quin Filius cognoscat se ipsum, et Pater similiter, nec excluditur Spiritus Sanctus a notitia Patris et Filii : quia in his quæ absolute dicuntur de Deo,

quod de una Persona affirmatur, de quali-
bet trium vere accipitur. Unde Apostolus,
I Cor. II, 11. dicens, Quæ Dei sunt, nullus novit nisi
Spiritus ejus, non negat quin Pater et Fi-
lius cognoscant quæ Dei sunt. Patet quo-
que ex his, quod nulla divina Persona nec
Trinitas cognita sit ex lumine naturali, sed
ex revelatione supernaturali per fidem.
Postremo, secundum principem theologo-
rum in libro Mysticæ theologiæ, imo secun-
dum theologos atque philosophos commu-
niter et concorditer, perfectissima cognitio
quæ haberi potest de Deo in via, est per
meram ac puram ablationem seu negatio-
nem : ita ut uniamur Deo tanquam enti
incomprehensibili et prorsus ignoto quan-
tum ad quid est.

Et quia Salvator dixit sibi omnia tradita
a Patre, et se Patrem perfecte cognoscere ;
ideo monet nos ut confidenter accedamus
ad ipsum, quemadmodum Salvator ipse te-
Joann. VI, 37. statur : Eum, inquiens, qui venit ad me,
28 non ejiciam foras. *Venite ad me* spirituali
accessu seu mentis conversione : juxta il-
Osee VI, 1. lud Prophetæ, Venite, et revertamur ad
Joel II, 12. Dominum ; et rursus, Convertimini ad me
in toto corde vestro. Unde et Jacobus di-
Jacob. IV, 8. cit : Appropinquate Deo, et appropinqua-
bit vobis. Hoc est : ab istis caducis, terrenis
et vanis, avertite corda vestra, et ad sum-
mum bonum dirigite ea, totumque affe-
ctum vestrum et cogitatum in Christo sta-
Ps. LXXII, 26. bilire satagite : sicut ait Psalmista, Deus
cordis mei, et pars mea Deus in æternum.
Omnes qui laboratis in via hujus exsilii.
Job V, 7. Homo enim ad laborem nascitur, et avis
ad volatum. Quidam enim laborant in ope-
ribus pœnitentiæ, quidam in opere ma-
nuum, quidam in diversis languoribus,
quidam in actibus vitiosis, prout apud Sa-
Sap. V, 7. pientem deplorant, dicentes : Lassati sumus
in via iniquitatis. Quocumque ergo labore
laboremus, accedamus ad Christum, malos
labores dimittendo, et bonos continuando,
vel in melius transferendo, eundo videli-
cet de labore actionis ad quietem contem-
plationis. *Et onerati estis* malis culpæ et
pœnæ, seu onere observantiarum legali-

A um, quod Petro teste, importabile fuit. Act. XV, 10.
Est autem onus quoddam grave, universis
commune, ex originali peccato secutum,
de quo in Ecclesiastico legitur : Occupatio Eccli. XL, 1.
magna creata est omnibus hominibus, et
jugum grave super omnes filios Adam, a
die exitus de ventre matris eorum, usque
in diem sepulturæ in matrem omnium.
Propter quod ait beatus Job : Homo natus Job XIV, 1.
de muliere, brevi vivens tempore, reple-
tur multis miseriis.

Et ego reficiam vos, id est, confortabo
B et consolabor vos, minuendo gravitatem
laboris, ut opera bona quæ cum difficulta-
te tædioque fecistis, cum fervore et gaudio
facere inchoetis : sicut ait Propheta, Viam Ps. CXVIII, 32.
mandatorum tuorum cucurri quum dila-
tasti cor meum. Hinc Salvator inquit : Qui Joann. VII, 37.
sitit, veniat ad me et bibat ; et in Apocaly-
psi, Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ Apoc. XXI, 6.
gratis. Sic refecta fuit Sponsa, quæ ait in
Canticis : Introduxit me rex in cellam vi- Cant. II, 4.
nariam. Hæc refectio inchoatur in via per
gratiam, et consummatur in regno per
C gloriam.

Tollite jugum meum super vos, id est, 29
præceptis meis subjicite vosmetipsos, et
evangelicam legem servate. Unde inobedi-
enti populo dicit Dominus per Jeremiam :
A sæculo, inquiens, confregisti jugum, ru- Jer. II, 20.
pisti vincula mea, et dixisti, Non serviam.
Et discite a me, non miracula facere, non
mundum creare, sed *quia mitis sum,* in-
ordinationem iræ et impatientiæ penitus
non habendo. Mititas quippe seu mansue-
tudo, proprie dicitur virtus moralis iram
D refrenans. Mitis utique, imo mitissimus
exstitit Christus, qui tanquam ovis ad oc- Is. LIII, 7.
cisionem ductus est, et quasi agnus coram
tondente obmutuit. *Et humilis corde :* quia
quidquid ago, ad gloriam Patris refero, et Joann. V, 30 ; VIII, 50.
ei omne bonum adscribo, nullum contem-
no, claritatem ab hominibus non accipio ; Ibid. V, 41.
in medio discipulorum fui sicut qui mini- Luc. XXII, 27.
strat, pedes eorum lavi, in omnibus me Joann. XIII, 5.
ipsum humilitatis exemplum præbui. *Et*
invenietis requiem animabus vestris, id
est, in me dulciter quiescetis, motibus iræ

atque superbiæ mitigatis. Qui enim mitis et humilis est, ad contemplationem et stabilitatem mentis aptissimus est, et delectatur in multitudine pacis. (Ps. xxxvi, 11.) Hinc Jeremias ait : Interrogate quæ sit via bona, et ambulate in ea, et invenietis requiem animabus vestris. (Jer. vi, 16.) Hæc requies perficietur et plena erit in patria. Non enim perfecte quietatur cor nostrum, nisi summo bono fuerit immediate seu fruitive conjunctum. Ideo dicit Psalmista : Convertere, anima mea, in requiem tuam. (Ps. cxiv, 7.)

30 *Jugum enim meum*, id est observatio præceptorum, *suave est* diligenti : quoniam nulla forma delectabilius vel facilius agit quam caritas. Ideo ait Scriptura : Judicia Domini (id est præcepta) vera, justificata in semetipsa ; desiderabilia super aurum, et dulciora super mel et favum : etenim servus tuus custodit ea. (Ps. xviii, 10-12.) *Et onus meum leve* est, scilicet observatio consiliorum, quæ sicut pigro et frigido exstat gravissima, sic fervido amatori levissima est atque dulcissima, ita ut dicat : Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ! (Ps. cxviii, 103.) et, Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam. (Rom. viii, 18.)

Quæritur, si jugum Christi suave est et onus ejus leve, quomodo ait, Intrate per angustam portam (Matth. vii, 13.); et, Arcta est via quæ ducit ad vitam (Ibid. 14.); itemque, Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. (vers. 12.) Et respondendum, quod unum et idem est angustum, laboriosum et grave, incipienti, imperfecto et spiritualem consolationem nondum experto ; quod tamen lætum, jucundum et leve est, exercitato, proficienti, perfecto et habituato in bonis. Denique mandata atque consilia Christi ex sua natura dulcia exstant et levia, quamvis per comparationem ad nostram fragilitatem et pronitatem in malum, difficulter in principio impleantur.

Quæritur etiam, an jugum Christi seu evangelica lex, gravior sit ad observandum, quam lex Mosaica. Et videtur quod imo : quia quo perfectio major, eo ad eam difficilius homo pertingit. Major est autem A perfectio novæ legis quam veteris. Item superius patuit, quomodo præceptis legis Christus sua majora præcepta adjecit, prohibens irasci, et dicere, Raca, aut, Fatue (Matth. v, 22.) : quod difficillimum est implere. Gregorius quoque aperte affirmat hoc ipsum. Sed, si ita est, non videtur quomodo jugum Christi sit suave, et onus ipsius leve. Et respondendum, quod in veteri lege erant præcepta triplicia, puta moralia, judicialia, ac cærimonialia. Si ergo loquamur de veteri lege quoad præcepta ejus cærimoni- B alia, constat quod difficilius fuit eam servare, quam novam legem. Unde in Actibus Petrus dicit : Quid tentatis imponere jugum super cervicem discipulorum, quod neque nos neque patres nostri portare potuimus ? (Act. xv, 10.) Quod intelligitur de cærimonialibus legis. Præcepta vero moralia utriusque legis sunt eadem : quæ tamen nunc facilius implentur quam tunc, propter magnitudinem gratiæ quæ confertur in nova lege per sacramenta Ecclesiæ. Consilia vero Christi difficiliora sunt quam præce- C pta moralia legis, per comparationem ad nostram infirmitatem ; sed per comparationem ad gratiam, quæ adjuvat nostram imbecillitatem (Rom. viii, 26.), etiam ipsa consilia facillime adimplentur. Hanc quæstionem non intendo hoc loco plenius prosequi, sed sic eam tetigisse sufficiat.

Hoc vero summe requiritur, et maxime admonendum est, ut discamus a Magistro nostro (in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi (Coloss. ii, 3.), imo qui est sapientia Patris (I Cor. i, 24.)) veram mansuetudinem, D et humilitatem sinceram, quoniam hæ duæ virtutes præcipue faciunt hominem tam Deo quam proximis suis amabilem, fratribus exemplarem, laudabilem, dulcem, solatiosumque omnibus. Scriptum est enim : Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (Jacob. iv, 6.); et iterum, Odibilis coram Deo et hominibus est superbia (Eccli. x, 7.); et rursus, In mansuetudine opera tua fac, et super omnem hominum gloriam diligeris. (Ibid. iii, 19.) Unde Leo Papa optime dicit : Tota christianæ sapientiæ disciplina, non in abundantia verbi,

non in astutia disputandi, non in appetitu A laudis et gloriæ, sed in vera et voluntaria humilitate consistit, quam Dominus Jesus ab utero matris usque ad supplicium crucis, pro omni fortitudine elegit et docuit. Et denuo : Tota, inquit, victoria Salvatoris, quæ et diabolum stravit et mundum, humilitate est concepta, humilitate confecta.

ARTICULUS XXIII

EXPLANATIO CAPITULI DUODECIMI : IN ILLO TEMPORE, ABIIT JESUS SABBATO PER SATA.

1 IN *illo tempore,* quum dicta et facta B
sunt præinducta, *abiit Jesus sabbato,* id
est septima die hebdomadæ, qui celebris
fuit apud Judæos, *per sata,* id est per fruges
seu segetes agri. *Discipuli autem ejus*
euntes secum per sata, *esurientes.* Sæpius
Marc. VI, 31. enim, ut Marcus testatur, non habebant
manducandi spatium, propter turbam concurrentem.
Interdum etiam voluit Christus
ut aliquam paterentur inopiam. *Cœperunt*
vellere, id est extrahere, *spicas, et manducare*
grana inclusa, spicis manibus confricatis.
2 *Pharisæi autem videntes* hoc, *dixerunt*
ei, videlicet Christo. Lucas refert, quod
Luc. VI, 2. Pharisæi dixerunt discipulis; sed non est
contrarietas. Poterant enim tam Christo
quam ejus discipulis, dicere quæ sequuntur.
Vel quidam eorum dixerunt hæc Christo,
alii ejus discipulis. Unde in Luca notanter
Ibidem. scriptum est, quod quidam Pharisæorum
dicebant discipulis ejus. Dixerunt
ergo Magistro, in quem culpam discipulorum
retorquere conati sunt. Dixerunt autem,
non zelo justitiæ, sed rancoris affectu.
Ecce discipuli tui faciunt quod non
licet eis facere sabbatis, scilicet spicas vellere
et confricare. Moyses enim præcepit
Exod. XVI, 23. in Exodo, ut filii Israel præpararent cibaria,
non in sabbato, sed in die præcedenti.
3 *At ille,* videlicet Christus, *dixit eis,* excusando
discipulos suos, et quodammodo
exponendo præceptum : *Non legistis* (primo
Regum) : quod utique legistis, vel legere
aut scire debuistis; *quid fecerit David,*
quando esuriit, fugiens a facie Saul,
et qui cum eo erant, hoc est, quid fecerint
viri, seu servi vel pueri ejus? *Quomodo* 4
intravit in domum Dei, id est tabernaculum
Domini, in Nobe urbe sacerdotum, *et*
panes propositionis, id est panes qui die *Lev.* XXIV, 5-9.
sabbati ponebantur calidi super mensam
in tabernaculo, pro usu sacerdotum, *comedit,*
tam ipse quam socii ejus necessitate
famis compulsi : quos dedit ei Achimelech I *Reg.* XXI, 6, 4.
pontifex, quoniam panes laicos non habebat
ad manum; *quos* panes *non licebat ei,*
C id est ipsi David, *edere,* extra necessitatis
articulum, seu aliis horis, *neque his qui*
cum eo erant, nisi solis sacerdotibus. Si
ergo David et sui ac pontifex excusantur a
transgressione legis propter famis necessitatem,
cur non simili ratione excusantur
discipuli mei? Præcepta enim illa intelligenda
non erant in articulo necessitatis,
sed dispensationem et expositionem admittebant.
Necessitas vero est mater dispensationis,
secundum quod ait ad Eugenium
Papam S. Bernardus : Non sum tam rudis,
D ut ignorem vos dispensatores esse positos,
sed in ædificationem, non in destructionem.
Ubi ergo urget necessitas, excusabilis
est dispensatio. Ubi utilitas provocat, laudabilis
est dispensatio : utilitas, inquam,
communis, non propria.

Denique Pharisæi non reprehendebant discipulos Christi, de hoc quod spicas vellebant et manducabant (quia hoc licuit eis, juxta illud quod in Deuteronomio scriptum est : Si intraveris segetem amici tui, *Deut.* XXIII, 25.

franges spicas, et manu conteres; falce au- A
tem non metes); sed quod fecerunt hoc sabbato.

Consequenter excusat Christus suos discipulos alia ratione, videlicet, quia de ejus licentia ista fecerunt : ipse autem vim
5 dispensandi se habere testatur. *Aut non legistis in lege,* videlicet in libris Moysis, *quia sabbatis,* hoc est diebus sabbatorum, *sacerdotes* legales *in templo sabbatum violant,* id est, sabbati celebrationem non servant, quantum ad verba præcepti, sed manualiter operantur, animalia Deo immo- B
lando et ea excoriando, hostiasque lavando, *et sine crimine sunt,* hoc est sine transgressione præcepti? quia non agunt contra intentionem præcepti, quoniam opera illa directe ordinabantur ad cultum divinum,
6 et Deo jubente fiebant in sabbato. *Dico autem vobis, quia templo major est hic* locus in quo ego sum (sic exponit Hieronymus) : quoniam locus continens Christum dignior fuit templo. Vel, Hic, id est ego Christus, major seu dignior sum templo, quum sim Dominus templi. Ideo mea C
auctoritate potest hic fieri a discipulis meis, quod fit in templo a sacerdotibus.
7 *Si autem sciretis,* hoc est, perfecte intelligeretis, *quid est,* id est, quid significet
Osee VI, 6. illud Osee prophetæ : *Misericordiam,* id est opera pietatis, et affectum compassionis, *volo* ego Dominus, *et non sacrificium,* hoc est plus quam legalem hostiam; *nunquam condemnassetis,* id est, præcepti prævaricatores judicassetis, *innocentes* discipulos meos; sed opera misericordiæ sacrificiis templi præponendo, condoluisse- D
tis discipulis meis necessitate famis spicas vellentibus, et excusassetis eosdem. Quod autem Christus potestatem habuerit dispensandi de observatione sabbati, decla-
8 ratur subdendo : *Dominus est enim Filius hominis,* scilicet Christus, qui propter humilitatem frequenter se nominat Filium hominis, raro Filium Dei, *etiam sabbati,* id est septimi diei, et per consequens aliorum dierum, totiusque temporis. Ex quo ostenditur, quod Christus sit verus Deus, cui proprium est temporibus præesse ac dominari. Unde in nova lege, Christi auctoritate celebritas sabbati cessavit, et prima feria facta est celebris. Eadem auctoritate discipuli spicas sabbato vellere poterant, eundo per sata seu blada.

Et quum inde, id est a campo seu agro 9
ubi hæc contigerunt, *transisset* Jesus, *venit in synagogam eorum,* videlicet Pharisæorum a quibus fuerat redargutus, vel
aliorum Judæorum. *Et ecce homo manum* 10
habens aridam, id est contractam, erat ibi in synagoga; *et interrogabant* Pharisæi *eum dicentes : Si,* id est an, *licet sabbatis curare,* id est infirmum sanare? *ut accusarent eum,* quomodocumque responderet aut faceret. Quoniam enim Christus discipulos suos excusavit, et misericordiam sacrificio prætulit, Pharisæi insidiari cœperunt Magistro, inquirentes an liceret sabbato sanare : ut si Christus diceret, Imo, arguerent eum de sabbati transgressione; si diceret, Non, arguerent eum de immisericordia seu crudelitate, vel etiam de impotentia, si non curaret. Scriptum est in Luca et Marco, quod Jesus interro- *Luc.* VI, 9;
gavit Pharisæos, An licet sabbato curare? *Marc.* III, 4.
Hic dicitur, quod illi interrogaverunt eum : et utrumque verum est. Ipsi namque primo interrogaverunt Jesum de hoc, dolose ac insidiose; deinde Christus jussit hominem illum in medio stare : quo stante, Christus quæstionem illorum repetiit, ut eis convenientius responderet.

Ipse autem dixit illis, propriæ quæstio- 11
ni respondendo, quoniam ipsi respondere non poterant, vel nolebant. Secundum Marcum, Jesus circumspexit eos cum ira, *Marc.* III, 5.
contristatus super cæcitate cordis eorum. Probat itaque Christus quod liceat sabbato hominem reparare et confortare, per locum a minori vel majori, eo quod liceat in die sabbati, bruto succurrere. *Quis erit ex vobis homo* rationabiliter judicans, rationemque sequens, *qui habeat ovem unam, et si ceciderit hæc sabbatis in foveam, nonne tenebit et levabit eam* de fovea sab-
bato? *Quanto magis melior est homo* sum- 12

mæ Trinitatis imagine insignitus, *ove*, et qualibet irrationali creatura? id est, quanto homo per naturam et gratiam, dignior est ove, tanto convenientius est hominem sabbato curare, quam ovem de lacu levare. *Itaque licet sabbatis benefacere,* id est opera pietatis et actus virtutum exercere. Judæi vero male intelligebant præceptum de sabbati celebratione, putantes quemlibet actum exteriorem illicitum sabbato, quum tamen Moyses notanter præceperit :
Lev. xxiii; *Num.* xxviii, xxix. Omne opus servile non facietis in eo. Et potest per opus servile intelligi quælibet operatio non habens bonitatem ex sua ratione in genere moris, ut arare, ædificare : tales actus illiciti erant in sabbato. Actus vero ex se boni in genere moris, liciti erant, ut sanare infirmum ex caritate et misericordia, et præsertim quando hoc fit miraculose. Hinc etiam licuit sabbato se defendere, et vim vi repellere. Quod
I *Mach.* ii, 36-38. ignorantes quidam Judæi, permiserunt se occidi a gentibus, ut legitur in libris Machabæorum.

13 *Tunc* Jesus *ait homini* contractam manum habenti : *Extende manum tuam* arefactam. *Et extendit* eam, non naturali, sed divina virtute, quia vis motiva impedita erat per defectionem spirituum ; *et restituta est sanitati* manus contracta, in illo momento quo dixerat Jesus, Extende manum tuam. In quo patet efficacia potestatis divinæ, in instanti agentis. Quamvis enim sæpe per naturam et artis operationem, contractus curetur, non tamen in instanti, vel solo imperio. Natura enim et ars operantur successive, non subito. Non autem potuit manus arida extendi, nisi prius sanaretur. Restituta est ergo sanitati, *sicut altera,* id est sinistra (quia secundum
Luc. vi, 6. Lucam, dextera fuit contracta) : non quod sinistra restituta sit sanitati ; sed dextera restituta est sanitati, id est, sana effecta est, sicut sinistra sana fuit. — Porro moraliter, per hominem habentem manum aridam, et hanc dexteram, intelligitur quilibet piger, acediosus, sive peccator, qui negligit operari quæ Dei sunt. Unde de negligente pastore scriptum est : Brachium ejus ariditate siccabitur. *Zach.* xi, 17. Huic præcipit Christus, ut surgat a culpa, per pœnitentiam ; stet in medio, per exemplarem conversationem; manum quoque extendat, per operum misericordiæ exhibitionem.

Exeuntes autem Pharisæi de synagoga, 14
consilium faciebant adversus eum, videlicet Jesum, *quomodo eum perderent,* id est, accusarent atque occiderent. Secundum Marcum, consilium fecerunt cum Herodia- *Marc.* iii, 6.
nis. In quo patet intolerabilis Pharisæorum perversitas, qui inde deteriorati sunt, unde emendari debebant. Firmaverunt enim *Ps.* lxiii, 6.
sibi sermonem nequam, et ex deliberatione, ex certa malitia, ex habitu malo, inique egerunt : propter quod insanabiles incorrigibilesque fuerunt, præcipue propter odium contra Christum, quod pervertit omne judicium. Unde de eis dici potest illud Jeremiæ prophetæ : Induraverunt fa- *Jer.* v, 3.
cies suas supra petram, et noluerunt reverti.

Jesus autem sciens machinationes eo- 15
rum, *recessit inde,* id est a synagoga ad *Marc.* iii, 7.
mare, ut Marcus habet : non ex timore mortis, sed cedens furori, et condolens cæcitati eorum, et quoniam nondum venit *Joann.* vii, 30.
hora ejus, et quia non capiebat perire Pro- *Luc.* xiii, 33.
phetam extra Jerusalem ; et item, ut daret exemplum fugiendi, pro loco, causa et tempore, sicut superius dixit : Quum per- *Matth.* x, 23.
secuti vos fuerint in una civitate, fugite in aliam. *Et secuti sunt eum,* cordis affectu, corporis gressu, *multi,* qui omiserant Jesum sequi propter timorem Pharisæorum ; *et curavit eos omnes* qui cura indigebant, et eam requirebant. Alios curavit spiritualiter, vel realiter, vel quantum in
se fuit. *Et præcepit eis ne manifestum* 16
eum facerent, miracula ejus aliis insinuando : in quo docuit nos humilitatem amplecti, et vanam gloriam abominari. Vel, Ne manifestum eum facerent, id est, ne adversariis suis ac Pharisæis manifestarent quo isset, ac ubi esset. Propter easdem enim causas voluit Christus latere, propter quas abiit.

17 *Ut adimpleretur quod dictum est per* A
Isaiam prophetam, dicentem in persona
18 Dei Patris : *Ecce puer meus,* id est Chri-
Act. IV, 27. stus : de quo in Actibus asseritur, Conve-
nerunt adversum sanctum puerum tuum
Jesum, Pontius Pilatus et Herodes ; et Isa-
Is. IX, 6. ias, Puer, inquit, natus est nobis. In veteri
Testamento, puer pro servo frequenter ac-
Ibid. XLII, 1. cipitur. Unde nostra translatio habet : Ecce
servus meus. Quod convenit Christo, ra-
tione naturæ assumptæ, secundum quam
Philipp. II, 7. Pater major est Filio, qui exinanivit se-
metipsum, formam servi accipiens. Si au-
tem puer pro filio accipiatur, sic Christus
secundum divinam naturam est puer na-
turalis. *Quem elegi,* non secundum divi-
nam naturam, sed secundum humanita-
tem assumptam. Electio enim ex libertate
procedit, et tendit ad bona gratiæ, dona-
que gloriæ. Christus vero, ut Verbum ac
Filius Dei, procedit a Patre per modum na-
turalis emanationis, et æternaliter essenti-
aliterque beatus est, imo eamdem numero
cum Patre ac Spiritu Sancto beatitudinem
habens. Electus ergo dicitur Christus, ut
homo. De quo Sponsa dicit in Canticis :
Cant. V, 10. Dilectus meus candidus et rubicundus,
Rom. I, 4. electus ex millibus ; et Apostolus, Qui
prædestinatus est, ait, Filius Dei in vir-
tute, secundum spiritum sanctificationis.

Dilectus meus, quem secundum divini-
tatem ipsius diligo amore simpliciter infi-
nito, tanquam æqualem mihi in bonitate.
Secundum humanitatem vero ejus Verbo
unitam, diligo eum magis quam totum
Joann. III, 35; V, 20. universum. Vere enim Pater diligit Fili-
um amore superdulcissimo, omni creaturæ
ignoto ac inexperto quantum ad plenitu-
dinem suam. Sancti tamen in patria gu-
stant eum pleno ore. *In quo bene com-
placuit animæ meæ,* hoc est cordi meo.
Tantam enim complacentiam habet Pater
in Filio, quantam et dilectionem. Nec ali-
quid inest Filio, quod oculos Patris offen-
Ibid. VIII, 29. dat. Propter quod ait : Ego quæ placita
sunt ei, facio semper. Et Christo baptizato
Luc. III, 22; *Matth.* XVII, 5. ac transfiguratio, audita est vox Patris, di-
cens : Hic est Filius meus dilectus, in quo
mihi complacuit*. Loquitur autem Deus *alias complacui
Pater affectu et more humano, quum ait,
In quo bene complacuit animæ meæ. Non
quod habeat animam, quum sit simplicis-
sima unitas, purissimaque natura ; sed ad
denotandum quod intime diligat Filium.
Secundum quod Sponsa ait in Canticis :
Indica mihi, quem diligit anima mea ; et, *Cant.* I, 6.
Inveni quem diligit anima mea. In veteri *Ibid.* III, 4.
tamen Testamento, frequenter dicitur Deus
animam habere, vel per animam suam ju-
rare, ut patet in Amos, quo legitur : Ju- *Amos* VI, 8.
B ravit Dominus in anima sua, Detestor ego
superbiam. Et Jeremias ait : In gente ini- *Jer.* V, 9, 29; IX, 9.
qua ulciscetur anima mea.

Ponam spiritum meum super eum, id
est, Spiritum Sanctum animæ ejus super-
copiose infundam : quia non ad mensu- *Joann.* III, 34.
ram dat Deus Spiritum homini Christo, ut
Joannes habet ; et in Luca scriptum est,
Jesus plenus Spiritu Sancto, regressus est *Luc.* IV, 1.
a Jordane. Denique conceptus est de Spi- *Ibid.* I, 35;
ritu Sancto ; et a primo illius conceptionis *Matth.* I, 20.
instanti tam plenus fuit Spiritu Sancto,
C quod nunquam in gratia, caritate, vel con-
templatione profecit. Propter quod Isaias :
Requiescet, inquit, super eum spiritus Do- *Is.* XI, 2.
mini, spiritus sapientiæ. *Et judicium* dis-
cretionis, id est distantiam inter bonum
et malum, futurum quoque judicium re-
munerationis ; vel, Judicium, id est divi-
num præceptum, quod Deus judicat esse
justum ; *gentibus nuntiabit,* per prædica-
tionem Apostolorum, quibus locutus est :
Euntes docete omnes gentes. Unde in Ge- *Matth.* XXVIII, 19.
nesi dicitur : Ipse erit exspectatio gen- *Gen.* XLIX, 10.
D tium ; et in Aggæo, Veniet Desideratus
cunctis gentibus. Unde per Isaiam loqui- *Agg.* II, 8.
tur Pater de Christo : Ecce testem populis *Is.* LV, 4.
dedi eum, ducem et præceptorem genti-
bus. Christus autem in propria persona,
non prædicavit nisi Judæis. In die quoque
novissimo Christus proprio ore pronuntia-
bit judicium, id est judicialem sententiam :
dicens iniquis, Ite, maledicti, in ignem *Matth.* XXV, 41.
æternum ; et justis, Venite, benedicti Pa- *Ibid.* 34.
tris mei.

Non contendet, contra adversarios suos 19

ex passione rixando, *neque clamabit,* alte A loquendo, propter desiderium laudis humanæ, vel affectu vindictæ, seu inordinate et impatienter loquendo. De quo cla- *Ephes.* IV, 31. more dicit Apostolus : Omnis amaritudo, et ira, et clamor tollatur a vobis. Unde in *Luc.* XXIII, 11. passione obmutuit in tantum, ut ab Herode *Matth.* XXVII, 14. illuderetur, atque Pilatus vehementer miraretur. Nihilo minus Christus in sua prædicatione frequenter clamavit ex caritatis *Luc.* VIII, 8. fervore, juxta illud : Jesus hæc dicens, clamavit, Qui habet aures, etc. ; et rursus, *Joann.* VII, 37. Clamabat Jesus, Si quis sitit, veniat ad me. B Apostolus quoque ad Hebræos dicit, quod *Hebr.* V, 7. cum clamore valido et lacrimis preces fudit. *Neque audiet aliquis in plateis vocem ejus.* Videtur contrarium, quod alibi Chri- *Joann.* XVIII, 20. stus ait : Ego palam locutus sum mundo, et in occulto locutus sum nihil. Insuper certum est, quod Christus eundo per vias et plateas, sæpe prædicavit discipulis suis *Matth.* XXI. et etiam aliis, sicut in die Palmarum, quum venit a Bethania in Jerusalem. Et respondendum, quod Christus dicitur non esse locutus in plateis, quoniam propter va- C nam ostentationem et gloriam nihil locutus est. Alii plateas spiritualiter sumunt *Ibid.* VII, 13. pro lata via quæ ducit ad mortem : in qua certum est Christum nunquam fuisse aut prædicasse.

20 *Arundinem quassatam,* hoc est calamum læsum, et pene destructum, *non confringet,* id est, non penitus relinquet, aut perdet. Per arundinem istam, signatur populus gentilis, diversis erroribus et peccatis attritus et laceratus. Quem Christus misericorditer reparavit, convertendo eum ad D fidem et gratiam, prout apud Joannem *Joann.* X, 16. protestatur : Alias, inquiens, oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere. *Et linum fumigans,* id est populum Judæorum, qui propter aliqualem legis et Christi notitiam, licet valde obscuram, lino fumiganti comparantur. *Ibid.* XII, 35. Quibus ait : Adhuc modicum lumen in vobis est. *Non exstinguet,* id est, penitus excæcari non desinet, sed quosdam illorum misericorditer illuminabit : quibus

et dixit, Quum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum. Reli- *Joann.* VIII, 28. *Rom.* XI, 5. quiæ equidem per electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Possumus autem per arundinem quassatam et linum fumigans, eamdem plebem, imo eamdem personam accipere : quæ dicitur arundo quassata, propter vitiorum corruptionem, et linum fumigans, propter intellectualis luminis parvitatem, cæcitati internæ propinquum. Sic omnis bonus prælatus, prædicator ac frater, non debet arundinem quassatam confringere, nec linum fumigans exstinguere, sed subdito seu confratri vitiis irretito, tentato, et pene excæcato, infatigabili caritate succurrere, sicut hortatur Apostolus : Fra- *Galat.* VI, 1. tres, inquiens, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis; et rursus, Corripite inquietos, con- I *Thess.* V, 14. solamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. Unde Hieronymus ait : Qui peccatori non porrigit manum, et non portat onus fratris sui, iste calamum quassatum confringit; et qui modicam scintillam fidei contemnit in parvulis, iste linum exstinguit fumigans. Sequamur ergo vestigia Christi, qui venit *Luc.* XIX, 10. quærere et salvum facere quod perierat.

Donec ejiciat ad victoriam judicium. Hoc intelligi potest, tam de judicio discretionis, quam extremæ remunerationis. Primo sic : Prædicta Christus non faciet, sed eorum opposita, *donec ejiciat,* id est, prosequatur, sive effundat ac perducat, *judicium* discretionis, id est separationem electorum a reprobis in præsenti per fidem et gratiam, *ad victoriam,* id est dejectionem diaboli, illum ab electorum cordibus excludendo. De hoc judicio dicit Salvator : Nunc judicium est mundi, *Joann.* XII, 31. nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. Cœpit quippe istud judicium maxime a prædicatione Christi et Apostolorum, quia ex tunc in toto mundo cœperunt quidam ad fidem et caritatem vocari, aliis derelictis, et ita tunc separabantur ab invicem, fide, voto, ac merito : quod ad

discretionis judicium pertinet, per quod A
Christus diabolum vicit, ejiciendo eum
foras, et tribuendo fidelibus potestatem
prævalendi contra eum. Secundo sic : *Do-
nec ejiciat ad victoriam judicium,* id est,
judicium ultimæ discussionis, seu extremæ
remunerationis, exerceat et perducat ad
victoriam, id est ad plenum sui ipsius tri-
umphum, quia tunc perfecte dejiciet om-
nes adversarios suos, secundum illud Isaiæ
prophetæ : Ad eum venient, et confun- *Is.* XLV, 25.
dentur omnes qui repugnant ei. Illo autem
judicio consummato, Christus non amplius
reparabit quassatam arundinem, nec illu-
minabit fumigans linum. [*Et in nomine* 21
ejus gentes sperabunt.]

ARTICULUS XXIV

PROSECUTIO EXPOSITIONIS PRÆSENTIS CAPITULI.

22 TUNC *oblatus est ei,* videlicet Christo B
ad sanandum, *dæmonium habens,* id
est homo obsessus a dæmone, *cæcus et
mutus,* non a natura vel ægritudine natu-
rali, sed a dæmonis operatione. Unde in
Luc. XI, 14. Luca scriptum est, Erat ejiciens dæmo-
nium, et illud erat mutum : non utique
formaliter, sed efficienter, id est mutifi-
cans hominem. *Et curavit eum* Jesus, dæ-
monem expellendo, *ita ut loqueretur et
videret,* qui paulo ante mutus fuit ac cæ-
cus. Sicque secundum Hieronymum, tria
signa in eodem peracta sunt. Nam obses- C
sus curatur, mutus loquelam, et cæcus vi-
sum recipit. Tamen duo ista consecuta
sunt naturali ordine primum signum, vide-
licet dæmonis ejectionem : quoniam enim
dæmon hominem cæcum ac mutum effe-
cit sua præsentia, ideo eo ejecto, homo
recepit facultatem linguæ ac oculorum.
23 *Et stupebant,* id est, vehementer mira-
bantur, *omnes turbæ* quæ aderant; *et di-
cebant,* quærendo ad invicem : *Nonne hic
est filius David,* hoc est Christus in lege
promissus, et prænuntiatus nasci de se- D
mine David? tanquam dicant : Quum hic
sit Christus, vel si est Christus, prout ver-
ba et opera ejus testantur, non debemus
in tantum mirari quod signa hæc opere-
tur, quum hoc sit prophetatum de eo.
24 *Pharisæi autem audientes* turbam tam re-
verenter de Jesu loquentem, *dixerunt,* ex
gravi invidia, quæ omnia etiam bona in-
terpretatur sinistre, et occasionem calum-
niandi confingit : *Hic non ejicit dæmones,
nisi in Beelzebub principe dæmoniorum,*
hoc est virtute summi ac pessimi dæmo-
nis, cum Jesu pactum et familiaritatem
habentis : cui dæmonum principi alii in-
feriores obediunt, egrediendo ab obsessis
ad verba Jesu, quatenus homines decipi-
antur, putando quod Jesus divina virtute
hæc agat, et Christus exsistat.
Jesus autem sciens certitudinaliter *cogi-* 25
tationes eorum : quod Deo est proprium,
ut propria potestate cogitationes cordium
intueatur, nec homo potest eas cognoscere,
nisi Deo revelante; *dixit eis.*

Antequam Christi responsionem eluci-
dem, commemorare oportet quid morali-
ter per dæmoniacum istum surdum ac mu-
tum signetur. Significatur autem per eum
quicumque habituatus in vitiis : quem
dæmon ducit quo vult, habens eum ca- II *Tim.* II,
ptivum ad suam voluntatem; qui verba 26.
Dei aure cordis non percipit, nec gratias
agit Deo. Hunc curat Christus, dæmonem
per gratiæ infusionem ejiciendo, ita ut
homo talis audiat quid loquatur Spiritus, *Ps.* LXXXIV,
et Domino confiteatur, sitque spiritualia 9.
loquens, et audiens sic loquentes.

Audiens itaque Jesus, pravitatem Phari-

sæorum redarguens, non ad verba, sed ad
cogitata eorum respondet, ut vel sic fate-
antur ejus majestatem, quem experiuntur
cordium secreta rimari. *Omne regnum di-
visum contra se,* hoc est intestinam dis-
cordiam habens et pugnam, ita quod una
pars contra aliam præliatur, *desolabitur,*
hoc est, cito destruetur, *et omnis civitas
vel domus divisa contra se, non stabit,*
hoc est, urbs et habitatio quarum habita-
26 tores contra se dimicant, destruentur. *Et
si Satanas Satanam ejicit,* hoc est, si ad-
jutorio superioris dæmonis, alii ab ho-
minibus expelluntur, *adversus se divisus
est,* id est, contra se pugnat, et proprium
regnum corrumpit, quum regnum ejus sit
hominibus prævalere. *Quomodo ergo sta-
bit regnum ejus?* hoc est, qualiter potestas
et dominatio principis dæmonum perse-
verabit, quam ad probationem electorum
stare oportet usque ad diem judicii? Sed
ad hoc poterant dicere Pharisæi, quod Sa-
tanas Satanam ejiciebat, ita quod ejectio
dæmonum fuit obedientia in principem
suum in Christo, quatenus homines ma-
joribus involverentur erroribus, æstiman-
do Jesum esse Filium Dei. Ad quod facile
est respondere. Nam Christus in omni-
bus ore et opere docuit ea quæ maxime
contrariantur diabolo, scilicet caritatem,
obedientiam, patientiam, pacem, humili-
tatem, paupertatem, mundi contemptum,
idololatriæ destructionem, perfectam men-
tis adhæsionem seu unionem cum Deo,
plenam abrenuntiationem diaboli : per
quæ potestas et regnum diaboli dejiciun-
tur. Si ergo diabolus sibi cooperabatur,
directe divisus erat contra se ipsum, nec
erat vera ejectio dæmonum, quam fece-
rat Christus, sed fraudulenta a vexatione
cessatio.

Interea ponit Salvator aliam rationem
27 ad idem. *Et si ego in Beelzebub ejicio dæ-
mones, filii vestri,* hoc est exorcistæ, qui
proferendo exorcismos seu adjurationes a
Salomone editos, expellebant dæmonia ;
vel, Filii vestri, id est Apostoli et alii
discipuli mei, de vestra stirpe exorti ; *in
quo,* hoc est cujus virtute, *ejiciunt* dæmo-
nes? *Ideo ipsi judices vestri erunt :* id
est, quum de illis dici non possit, quod
magica arte, seu dæmonis ope ejiciant dæ-
mones, sed virtute divina, ideo ipsi in
die judicii judicabunt vos, hoc est, dam-
natione dignos ostendent vos, qui eumdem
effectum, scilicet dæmonum ejectionem, in
me adscribitis principi dæmonum, quam
in eis adscribitis Deo. Itaque judices ve-
stri erunt, quoniam vobis non credenti-
bus, ipsi crediderunt. Si autem per filios
Judæorum intelligantur exorcistæ, illi ju-
dices erunt infidelium Judæorum, compa-
ratione, vel sententiæ approbatione, quem-
admodum regina Saba dicitur in die judicii vers. 42.
condemnatura Judæos incredulos. Si au-
tem per filios intelligantur Apostoli alii-
que discipuli viri perfecti, illi judices Judæ-
orum erunt per assessionem cum Christo,
juxta illud : Vos qui secuti estis me, *Matth.* XIX, 28.
sedebitis super sedes, judicantes duodecim
tribus Israel.

Si autem ego in spiritu Dei, hoc est 28
virtute et operatione Spiritus Sancti, *eji-
cio dæmones, igitur,* id est, ex hoc sequi-
tur, quod *pervenit in vos regnum Dei,* hoc
est virtus et dominatio, regimen seu gu-
bernatio Creatoris, qui per me operatur
inter vos dæmonum expulsionem, ita quod
ego sum Christus vobis promissus, et in-
ter vos regnaturus : sicut Isaias prædixit,
Super solium David sedebit, et multipli- *Is.* IX, 7.
cabitur ejus imperium ; et Jeremias, Re- *Jer.* XXIII, 5.
gnabit (ait) rex, et sapiens erit. Quod
angelus quoque locutus est Virgini bene-
dictæ : Regnabit, inquiens, in domo Jacob *Luc.* I, 32, 33.
in æternum, et regni ejus non erit finis.
Vel, Regnum Dei, id est vita æterna, quam
ego prædico et præparo vobis, dicendo,
Pœnitentiam agite, appropinquabit enim *Matth.* IV, 17.
regnum cœlorum, et moriendo pro salute
vestra. Pervenit ergo in vos regnum Dei,
id est, per me patefit vobis ingressus re-
gni cœlestis, qui a dæmonibus eripio vos,
et potestatem do vobis filios Dei fieri. *Joann.* I, 12.
Subditur tertia ratio ad idem. *Aut quo-* 29
modo potest quisquam intrare in domum

fortis, id est potentis habitatoris, *et vasa ejus diripere,* id est bona ejus auferre, *nisi prius alligaverit fortem,* ne possit resistere? Hoc generaliter sic est, quod nemo potest potentis domum manifeste intrare, ac deprædari, nisi prævaluerit contra potentem qui in domo præsens exsistit, et vinxerit eum, sive tenuerit. *Et tunc domus illius diripiet,* id est, spolia tollet, et domum vacuabit invito domino. Per hunc fortem Christus intelligit dæmonem : in quo naturalia integra permanserunt, secundum Dionysium, propter quod potens est valde, quum naturaliter sit nobilis immaterialisque spiritus. De quo inquit Job : (*Job* XLI, 24.) Non est potestas super terram, quæ comparetur ei, qui factus est ut nullum timeret. Domus istius fortis, est mundus, qui (I *Joann.* V, 19.) totus in maligno positus est, id est ecclesia malignantium, seu corda malorum. (*Ps.* XXV, 5.) (*Joann.* XIV, 30.) Unde ait Salvator : Venit ad me princeps mundi hujus. Vasa ejus, sunt omnes perversi vel obsessi, in quibus regnat ac demoratur. Christus ergo non potuisset domum diaboli introisse peccatoribus prædicando, et vasa ejus diripuisse obsessos a dæmone liberando, vel impios ad pœnitentiam convertendo et suo dominio subjiciendo, qui ante subdebantur diabolo et serviebant peccato, nisi alligasset diabolum, ei prævalendo tanquam adversario. Non ergo societatem habebat cum ipso, nec operabatur subsidio ejus. Quoniam ergo adversarius noster diabolus, Christi victoris ore fortis asseritur, non debemus esse securi, sed timorati atque solliciti, (I *Petr.* V, 8.) prout Petrus nos hortatur, dicens : Vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit.

30 Sequitur ratio quarta ad idem. *Qui non est mecum, contra me est,* hoc est, qui mihi concors non est, adversatur voluntati meæ ; *et qui non congregat mecum,* id est, homines non reducit a diversis erroribus, vitiis et dissentionibus, ad fidei unitatem, ad pacem et veri Dei unanimem cultum, quantum in se est, orando, exemplariter conversando sive docendo, *spar-* A *git,* id est, a Deo separat, et diversis erroribus implicat alios, quantum in se est. Quum ergo ego hoc prædicem, ut reducam homines ad unitatem, pacem et cultum divinum, diabolus vero laboret ad oppositum ; constat quod non sit mecum, sed contra me : ideo in nomine ejus non ago, nec dæmones ejicio.

31 *Ideo dico vobis : Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus.* Secundum Augustinum, locus iste ita difficilis est, ut vix in tota Scriptura canonica aliquid ita B difficile inveniatur. Verumtamen nunc tam evidenter a sanctis catholicisque doctoribus explanatus est, ut non oporteat diutius immorari. Est igitur sensus : *Omne peccatum et blasphemia,* præter illam blasphemiam de qua statim subjungitur, hoc est omne peccatum in proximum, et blasphemia contra Deum vel Sanctos procedens ex ignorantia (quæ dicitur blasphemia contra Filium, cui appropriatur sapientia), vel ex infirmitate seu fragilitate (quæ dicitur blasphemia contra Patrem, cui appro- C priatur potentia), *remittetur hominibus,* id est, remissibile peccatum est : quoniam licet in se grande peccatum sit, tamen ex aliqua parte et circumstantia excusabile est, sicque faciliter dimittitur pœnitenti. *Spiritus autem blasphemia,* hoc est blasphemia procedens ex certa malitia, ex impugnatione agnitæ veritatis, ex invidentia fraternæ gratiæ : quæ vocatur blasphemia contra Spiritum Sanctum, cui appropriatur bonitas, amor et liberalitas ; *non remittetur,* id est, ex se irremissibile cri- D men est, quoniam nullam habet excusationem, et obviat principio quo fit peccati remissio, scilicet bonitati, caritati seu pietati. Ideo dicitur irremissibile, non quasi nequaquam remissibile, sed quoniam difficulter et raro dimittitur, non ex immisericordia Dei, sed quoniam homines de tali peccato raro et difficillime pœnitent. Itaque, quum dicitur, Spiritus autem blasphemia, sensus est, Ipsius Spiritus Sancti blasphemia, seu blasphemia contra eum.

Porro, quum dicitur blasphemia contra A
Patrem et Filium remissibilis, blasphemia
vero contra Spiritum Sanctum irremissi-
bilis, non est sic intelligendum, quasi mi-
nus peccatum sit blasphemare Patrem vel
Filium, quam Spiritum Sanctum; sed quod
blasphemia dicitur contra Patrem et Fili-
um et Spiritum Sanctum, ex parte originis,
quia procedit ex infirmitate, ignorantia,
vel certa malitia, quæ pejor est et inexcu-
sabilior quam infirmitas vel ignorantia,
nisi sit ignorantia penitus volita, quæ ad
malitiam pertinet.

Hæc dicit Salvator ad demonstrandum
gravitatem criminis Pharisæorum, qui ope-
ra sua divinitus facta, dæmoni adscripse-
runt : peccabant enim ex certa malitia. Id-
32 eo subditur : *Et quicumque dixerit verbum*
contra Filium hominis, hoc est, blasphe-
maverit Christum quantum ad ejus huma-
nitatem, dicendo mala de ipso ex considera-
tione naturalis fragilitatis et defectuositatis
Matth. XIII, 55. suæ carnis, ut quod esset filius fabri, po-
Ibid. XI, 19. tator vini, homo vorax ; *remittetur ei,* id
est, tale peccatum aliquo modo excusabile C
et remissibile est, propter conditionem hu-
manæ naturæ, et pœnitenti faciliter dimit-
titur, quamvis sit magnum peccatum. *Qui*
autem dixerit contra Spiritum Sanctum,
id est, Christum blasphemaverit quantum
ad ejus divinitatem, ex pura malitia, di-
cendo quod in Beelzebub ejiciat dæmones,
et dæmoniacus sit, ceteraque opera deita-
tis adscribendo diabolo ; *non remittetur*
ei, neque in hoc sæculo neque in futuro,
id est nunquam, quia nec in præsenti, nec
postea. In inferno namque non est remis- D
sio, et talis in infernum demergitur, non
in purgatorio collocatur. Unde in Marco
Marc. III, 29. scriptum est, quod erit reus æterni delicti.
Ibid. 30. Cujus causam Marcus subjungit : quia (in-
quit) dicebant, Spiritum immundum ha-
bet : hoc est, ex consideratione miraculo-
rum Christi, stimulante invidia, moti sunt
ad dicendum quod spiritum diabolicum
haberet, per quem operaretur : quod fuit
peccatum in Spiritum Sanctum, videlicet
impugnatio apertissimæ veritatis. Nam in-
de excæcati ad blasphemiamque inducti
sunt, unde illuminari et Christi divinita-
tem agnoscere debuerunt.

Consequenter Salvator cogit adversarios
rationabili argumento, ut fateantur ipsum
operari in Deo, non in Beelzebub. *Aut fa-* 33
cite, id est, judicando affirmate, *arborem*
bonam, hoc est me operantem, seu meam
voluntatem, quæ est operationis principi-
um et arbori comparatur, esse rectam et
justam, *et fructum,* id est opus *ejus,* di-
cite esse *bonum; aut facite arborem ma-*
B *lam,* id est, me operantem dicite malum,
et fructum ejus, id est opus, judicate *ma-*
lum. Alterum enim istorum oportet vos
confiteri, *siquidem ex fructu arbor cogno-*
scitur, id est, ex operatione hominis patet
qualis exsistat. Operatio quippe arguit for-
mam. Per hæc verba, Christus innuit ta-
lem argumentationem : Quum hominem
dæmoniacum, cæcum ac mutum, liberare
a dæmone, aut cæcitate et impedimento
loquelæ, sit opus caritativum ac pium, ego
qui hæc feci, non debeo judicari in prin-
cipe dæmonum operari, sed potius bonus
atque deifice agens judicari. Per arborem
ergo intelligit voluntatem, seu hominem
operantem. Unde superius dicitur : Omnis Matth. III,
arbor quæ non facit fructum bonum, exci- 10.
detur. Facere quoque, accipitur hoc loco
communiter, pro actu quocumque : sicque
accipitur, ut legitur in Jacobo : Tu credis Jacob. II,
quoniam unus est Deus, bene facis; et 19.
dæmones credunt.

Progenies viperarum, id est, generatio 34
serpentina, dolosa ac invidiosa, *quomodo*
potestis bona loqui, hoc est veritatem de
me profiteri, et verba virtuosa bona inten-
tione proferre, *quum sitis mali,* id est vi-
tiosi, invidi et in vitiis habituati? Quam-
diu enim homo in malitia permanet, non
potest bona loqui bene, seu recta intentio-
ne, quemadmodum dictum est : Non po- Matth. XII,
test arbor bona fructus malos facere, nec 18.
arbor mala fructus bonos facere. Impius
tamen potest in animo pœnitere, et sic
bona proferre. Per hoc tamen quod dicit,
Quomodo potestis? potius designatur diffi-

cultas quam impossibilitas. Juxta quem
Jer. xiii, 23. sensum scriptum est : Si mutare potest
Æthiops pellem suam, aut pardus varieta-
tes suas, et vos poteritis benefacere, quum
didiceritis malum. *Ex abundantia enim*
cordis, id est cogitatione seu affectione
quæ magis abundat in mente, *os loquitur :*
Job iv, 2. prout [Eliphaz in] Job inquit, Conceptum
sermonem tenere quis poterit ? Propter
Ibid. xxxii, 18. quod Eliu ait : Plenus sum sermonibus,
35 et coarctat me spiritus uteri mei. *Bonus*
homo de bono thesauro cordis sui, hoc est
ex sapientia, caritate, bona meditatione
seu affectione, *profert bona* verba ac ope-
ra, *et malus homo de malo thesauro,* id
est interiori pravitate, *profert mala.* Unde
secundum Philosophum, Ea quæ sunt in
voce, sunt earum quæ sunt in anima pas-
sionum notæ, et verba oris, signa sunt in-
terioris conceptus.

Quam periculosum autem sit mala verba
proferre, maxime verba blasphemiæ, de-
36 claratur quum subinfertur : *Dico autem*
vobis, quoniam omne verbum otiosum, hoc
est, quod justa necessitate seu pia utilitate
caret, *quod locuti fuerint homines, red-*
dent, id est, dare exigentur, *rationem de*
eo in die judicii (nisi interim pœniteant).
Quod tamen non poterunt facere, quoniam
tale verbum non habet rationem, sed irra-
tionabiliter dicitur. Si enim rationem ha-
beret, otiosum non esset. Simili modo dicit
Rom. xiv, 12. Apostolus, Unusquisque rationem pro se
reddet : et tamen multi non poterunt ra-
tionem reddere Deo, ut patet de illo qui
Matth. xxii, 11, 12. non habuit vestem nuptialem, et interro-
gatus obmutuit. Sed, Unusquisque ratio-
nem pro se reddet, id est, reddere exige-
tur : quod si non poterit, damnabitur. Ex
quibus patet horrenda nimis districtio fu-
turi judicii. Si namque de omni ac mini-
mo verbo otioso ratio requiretur a Christo,
quid erit de verbis nocivis, mendosis, con-
tumeliosis, magnisque peccatis? Ideo monet
Ephes. iv, 29. Apostolus : Omnis sermo (inquiens) ma-
lus, ex ore vestro non procedat, sed qui
bonus est ad ædificationem. Et Ecclesia-
Eccle. xii, 14. stes ait : Cuncta quæ fiunt, adducet Deus
in judicium pro omni errato, sive bonum
sit, sive malum.

Ex verbis enim tuis, hoc est merito tui 37
sermonis, *justificaberis* nunc formaliter, et
in futuro judicialiter, id est, a Christo ju-
stus diceris, si fuerint verba tua justa :
quemadmodum in Proverbiis Salomonis
legitur, De fructu oris sui unusquisque re- *Prov.* xii, 14.
plebitur bonis; et in Ecclesiastico, Beatus *Eccli.* xiv, 1.
vir qui non est lapsus verbo. Propterea ait
Psalmista : Dixi, Custodiam vias meas, ut *Ps.* xxxviii, 2.
non delinquam in lingua mea. *Et ex ver-*
bis tuis condemnaberis, si fuerint prava.
Propter quod per Ecclesiasticum asseri-
tur : Multi ceciderunt in ore gladii; sed *Eccli.* xxviii, 22.
non sic sicut qui interierunt per linguam
suam. Et rursus : Qui custodit os suum, *Prov.* xiii, 3.
custodit animam suam; qui autem incon-
sideratus est ad loquendum, sentiet mala.
Denique, Jacobo contestante, Universitas *Jacob.* iii, 6.
iniquitatis lingua constituitur in membris
nostris. Secundum Hieronymum, Qui scur-
rilia replicat, et cachinnis ora dissolvit, et
aliquid profert turpitudinis, hic non otiosi
verbi, sed criminosi tenebitur reus.

Tunc responderunt ei quidam de Scribis 38
et Pharisæis, dicentes : Magister, volu-
mus a te signum videre. Quod dicunt, Ma-
gister, ad humilitatem pertinere videtur;
quod vero adjiciunt, Volumus, superbiam
sonat ; sed quod subdunt, Signum vide-
re, ex infidelitate et curiositate proce-
dit. Unde Lucas habet, quod dixerunt hoc
tentantes eum. Et jam multa signa vide- *Luc.* xi, 16.
runt : quid ergo quærunt adhuc signum,
id est miraculum per quod certitudinaliter
innotescat, quod ipse sit Christus, vel in
Deo operans? Dicendum, quod priora si-
gna quæ viderant, parvi penderunt, tan-
quam quæ fieri possent magica arte, seu
opere diaboli : ideo quærunt magnum et
penitus supernaturale prodigium. Scribi-
tur enim in Luca, quod quærebant signum *Ibidem.*
de cœlo, videlicet insolitam immutatio-
nem in corporibus cœlestibus, sicut fa-
ctum est tempore Josue, stantibus sole et *Josue* x, 13.
luna in medio cœli, et tempore Ezechiæ, IV *Reg.* xx, 11.
redeunte sole retrorsum; vel signum in

III *Reg.* XVIII, 38; IV *Reg.* I, 10, 12. cœlo aerio, scilicet descensum ignis, ut in A diebus Eliæ, vel aliud simile. Sed quoniam non humiliter neque fideliter petierunt, eumque magistrum appellaverunt magis timore turbæ, quam ex sinceritate, ideo exauditi non sunt. Propter quod subditur :

39 *Qui respondens, ait illis : Generatio mala,* id est vitiosa, *et adultera* spirituali adulterio, scilicet recedendo a Deo, de quo *Ps.* LXXII, 27. ait Psalmista, Perdidisti omnes qui fornicantur abs te; *Osee* IV, 12. et in Osee, Fornicati sunt a Deo suo. Quemadmodum enim corporale B adulterium est, quum alter conjugum alienæ corporaliter commiscetur; sic spirituale adulterium est, quum homo seu anima, Deo relicto, creaturis finaliter adhæret, sicut in Deuteronomio Dominus dixit ad *Deut.* XXXI, 16. Moysen : Populus iste fornicabitur post deos alienos. Hæc ergo generatio seu populus iste, *signum quærit ; et signum non dabitur ei,* hoc est, ego pro præsenti non dabo ei signum, quo sciat me esse Christum, *nisi signum Jonæ prophetæ,* id est, quod significatum est per signum seu mi- C raculum quod contigit in Jona.

40 *Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et* *Jonæ* I, 15; II, 1, 11. *tribus noctibus :* juxta illud Jonæ : Miserunt Jonam in mare ; et præparavit Dominus piscem grandem ut deglutiret Jonam, et erat in ventre piscis tribus diebus et tribus noctibus; et dixit Dominus pisci, et evomuit Jonam in aridam; *sic erit Filius hominis in corde terræ,* hoc est sub terra, videlicet in monumento, *tribus diebus et tribus noctibus.* Quemadmodum Christus dicitur fuisse in monumento vel D in limbo, per synecdochen, scilicet ratione suæ partis : nam fuit in tumulo per corpus, in limbo per animam; sic fuit ibi tribus diebus et totidem noctibus, per synecdochen, utpote per unum integrum diem et duorum dierum partes. Conclusio ergo Jonæ in pisce, fuit signum figurativum collocationis Christi in monumento : unde Christus dat Judæis signum resurrectionis. Et loquebatur tunc de signo rememorativo præteriti, non de signo prognostico futuri. De hujusmodi signo rememorativo loquitur Isaias Judæis sui temporis : Ecce, inquiens, virgo concipiet et pariet filium. *Is.* VII, 14. Tale namque signum non præcedit signatum, sed sequitur.

Viri Ninivitæ, qui habitaverunt in Ninive civitate magna, tempore Jonæ, 41 *surgent in judicio,* hoc est, in die judicii resuscitabuntur, *cum generatione ista,* id est, sicut et generatio hæc Scribarum et Pharisæorum incredula surrectura est; vel, Surgent, id est apparebunt, in judicio cum generatione ista in conspectu meo. *Et condemnabunt eam,* id est, suo facto præterito ostendent eam damnatione dignissimam ; *quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ,* dicentis : Adhuc quadraginta *Jonæ* III, 4. dies, et Ninive subvertetur. Quo audito rex *Ibid.* 6-8. Ninive surrexit de solio, indutoque sacco, sedit in cinere; similiter principes ejus et vulgus. Timendum est tamen, quod non diu permanserunt in opere pœnitentiali. *Et ecce plus quam Jonas hic :* id est, ego qui in præsentia vestra sum, et a vobis contemnor, major sum Jona, qui nec miracula fecit in Ninive : ideo Ninivitis estis pejores, duriores, et infideliores.

Regina austri, id est regina Saba : quæ 42 nuncupatur regina austri, quoniam regio ejus fuit in plaga australi, respectu Jerusalem; *surget in judicio cum generatione ista, et condemnabit eam :* secundum eumdem intellectum quo dictum est hoc de Ninivitis; *quia venit* cum grandi comitatu III *Reg.* X, 2. et aromatibus pretiosissimis, *a finibus terræ,* id est a remotis valde locis, in Jerusalem, *audire sapientiam Salomonis :* ut legitur in libris Regum. *Et ecce plus quam* *Ibid.* 1. *Salomon hic,* id est Salomone major et sapientior ego. Ille enim potens et sapiens, ego virtus et sapientia Patris; qui etiam I *Cor.* I, 24. quantum ad sapientiam creatam mihi infusam, incomparabiliter Salomonem excedo : et tamen a vobis derideor, dijudicor et contemnor. Ex his constat, quod viri perfecti interdum possunt proprias virtutes commemorare humiliter ad gloriam Dei, ædificationemque proximi. Unus ta-

men alteri se præferre non debet, sed hoc A
soli Christo præcipue licuit, tanquam infallibili judici.

43 *Quum autem immundus spiritus exierit ab homine.* Quod istud ad litteram dicatur de populo Judæorum, hinc constat, quod Christus finito hoc exemplo, mox addidit : Sic erit generationi huic pessimæ. Est igitur sensus : *Quum autem immundus spiritus exierit ab homine,* id est, quando diabolus ejectus est a populo Judæorum, tempore quo suscepit legem Dei per Moysen, et Deum colere cœpit secundum legis B
tenorem, *ambulat per loca arida,* id est, tunc circuivit congregationes seu corda gentilium, non habentium rorem gratiæ, vel aquam sapientiæ. Quando enim ab uno populo ejicitur dæmon, fortius nititur decipere alium. *Quærens requiem,* id est stabilem atque perpetuam habitationem in ipsis gentilibus, ut suo semper subdantur obsequio; *et non invenit* in eis requiem talem. Nam licet ad tempus in idololatria fuerint, tamen ad prædicationem Apostolorum conversi sunt. C

44 *Tunc dicit,* id est dæmon videns gentium conversionem, seque ab eis expelli,
Joann. XII, 31. quemadmodum Christus alibi dixit : Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. *Revertar in domum meam,* id est Synagogam incredulam, quæ nec Christo neque Apostolis credidit : de qua in Apocalypsi in-
Apoc. II, 9. ducitur, Dicunt se Judæos esse, et non sunt, sed sunt synagoga Satanæ; *unde exivi,* eo tempore quo Deo servivit. In isto sermone seu exemplo, non loquitur Christus de eisdem numero gentilibus et Ju- D
dæis, sed specie, sicut et Isaias frequenter loquitur de populo Synagogæ. *Et veniens invenit eam vacantem,* id est a fide atque virtutibus vacuam, otiosam, et suæ inhabitationi patentem, quoniam Deum habitatorem non habuit, prout Salvator præ-
Matth. XXIII, 38. dixit : Relinquetur vobis domus vestra
Jer. XII, 7. deserta. Et Jeremias : Reliqui, inquit, domum meam, dimisi hereditatem meam. *Scopis mundatam,* id est exterioribus observantiis legis seu traditionum Pharisæorum purgatam, non intus purificatam, *et ornatam,* quoad sanctitatis apparentiam, et corporalem compositionem, seu sanctum sæculare. Propter quod similes asserun- *Matth.*
tur sepulcris dealbatis, atque hypocritis. XXIII, 23-29.

Tunc vadit diabolus, *et assumit septem* 45
alios spiritus immundos *nequiores se,* id est copiam sociorum seu multitudinem tentatorum. Septenario namque universitas designatur. Unde Raphael dixit se esse unum de septem spiritibus stantibus ante *Tob.* XII, 15.
Deum. *Et intrantes habitant ibi,* id est, dæmones corda Judæorum jam usque ad finem sæculi possident multo copiosius quam antea unquam. Dicuntur autem hi alii septem spiritus nequiores primo, quoniam homo recidivans meretur pejoribus dæmonibus subjici ac impleri, quam ante, dum nondum recidivavit. Nam melius est II *Petr.* II,
viam veritatis nescire, quam post agnitio- 21, 22.
nem reverti ad vomitum. Ideo subditur : *et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus :* id est, gravius nunc peccant Judæi non credendo, sed blasphemando Christum (quem teste Hieronymo, quotidie in suis synagogis tribus vicibus blasphemant, et pro exstirpatione discipulorum Jesu Nazareni ac destructione Romani imperii jugiter orant), quam peccaverunt ante legis receptionem in Ægypto.

Sic erit et generationi huic pessimæ, id est, tantum malum eveniet istis incredulis. Ex quo elicitur, quod præsens exemplum de uno homine traditum, referatur ad infidelem populum Judæorum : quod tamen moraliter exponi potest de quolibet homine, de cujus corde dæmon expellitur in sacramento Pœnitentiæ vel Baptismi. Et tunc vadit per loca arida, id est, corda bonorum, vitantium fluxum luxuriæ, et corpora propria per abstinentiam maceran-
tium, circuit, quærens quem devoret : in I *Petr.* V, 8.
quibus non invenit requiem, quoniam viriliter tentationibus reluctantur. Tunc redit ad eum unde exivit, et si invenerit eum vacantem, id est negligentem, scopis mundatum et ornatum, id est solum exterius cultum, non interius reformatum,

tunc vadit, et assumit septem alios spiri-
tus, secundum sensum jam præinductum,
et ingressi habitant in homine tali : quia a
tot dæmonibus homo habitatur, quot mor-
Marc. XVI, 9. talibus vitiis implicatur. Unde de Maria
Magdalene ejecta dicuntur septem dæmo-
nia. Patet quoque ex his, quod septem
sunt vitia principalia et mortalia, et unum
simpliciter capitale, puta superbia, omni-
um vitiorum regina.
46 *Adhuc eo loquente ad turbas,* videlicet
præinducto sermone nondum finito, *ecce
mater ejus* virginea, gloriosa et superdi-
gnissima, altissimorum angelorum purita-
tem transcendens, *et fratres,* id est cognati
vel consobrini Christi, non filii Joseph de
alia conjuge, secundum Hieronymum. Est
autem consuetudo Scripturæ, idiomatisque
Hebræi, ut consobrini et consanguinei, fra-
tres vocentur. Unde Abraham dixit ad Lot:
Gen. XIII, 8. Fratres sumus. *Stabant foris,* non valentes
intrare præ turba : cujus tantus fuit con-
Marc. III, 20. cursus, quod non poterant manducare, ut
Marcus habet; *quærentes loqui ei.* Secun-
dum Chrysostomum, diabolus videns quod
Jesus ostendebat se Filium Dei, introduxit
parentes ejus carnales, ut per illorum præ-
sentiam divinitatem Christi obscuraret. Sed
non videtur bene sonare, ut Virgo sanctis-
sima dicatur intrasse aut aliquid peregisse
47 suggestione diaboli. *Dixit autem ei qui-
dam.* Secundum Hieronymum, iste fuit in-
sidiator, et dixit Christo de præsentia ma-
tris suæ, ac fratrum, volens experiri an
propter eos omitteret opus Dei seu prædi-
cationem : quod si faceret, argueret eum
de carnali affectu. Verumtamen Marcus
Ibid. 31. manifeste habet, quod mater et fratres ejus
miserunt quemdam ad eum. *Ecce mater
tua et fratres tui foris stant, quærentes te
alloqui.*
48 *At ipse respondens dicenti sibi, ait :
Quæ est mater mea, et qui sunt fratres
mei?* Hoc dicit, non aspernando vel ne-
gando matrem carnalem atque cognatos,
quasi phantasticum corpus habens, ut Mar-
cion et Manichæus mentiti sunt; sed ad
ostendendum quod non solum habeat ma-
trem et fratres carnales, sed etiam spiri-
tuales; itemque, ut doceat nos carnalem
affectum abjicere, et operi Dei nihil præ-
ferre. Ideo subditur :
Et extendens manum in discipulos suos, 49
dixit : Ecce mater mea et fratres mei sunt
hi. Quod tribus modis intelligi potest. Pri-
mo sic : Mater mea et fratres mei sunt, id
est tam dilecti ut mater et fratres diligun-
tur. Secundo sic : Tanto propinquiores sunt
mihi, quanto amplius intenti sunt rebus
divinis. Tertio sic : Mater mea sunt, id est,
per contemplationem internam spirituali-
ter me concipiunt, et per prædicationem
ac vitam exemplarem generant me in cor-
dibus aliorum : sicut Apostolus loquitur,
Filioli mei, quos iterum parturio, donec *Galat.* IV, 19.
formetur Christus in vobis. Sic ergo gene-
rant me, id est, esse et habitare me faciunt
in aliorum præcordiis : juxta illud Aposto-
li, Habitare Christum per fidem in cordi- *Ephes.* III, 17.
bus vestris. Et fratres mei sunt, non solum
quia ejusdem naturæ mecum, sed quia
opera Patris mei faciunt, mihique affectu
et opere similes sunt.
Quicumque enim fecerit perseveranter 50
voluntatem Patris mei qui in cœlis est, di-
vinis præceptis seu consiliis obediendo,
ipse meus frater et soror et mater est, se-
cundum eumdem sensum quo discipulos
meos dixi matrem meam et fratres. Imo
felicior est conceptio spiritualis quam car-
nalis, secundum quod libro de Virginitate
asserit Augustinus : Beatior fuit Maria pro-
fitendo fidem Christi, quam concipiendo
carnem Christi, quia nil ei materna pro-
fuisset propinquitas, nisi Christum felicius
gestasset corde quam ventre.

ARTICULUS XXV

EXPOSITIO CAPITULI TERTIIDECIMI : IN ILLO DIE EXIENS JESUS DE DOMO, SEDEBAT SECUS MARE.

1 *In illo die exiens Jesus de domo.* Si pru-
denter pensemus verba evangelistarum
Lucæ et Marci, compellimur hoc loco acci-
pere diem, non pro determinato die natu-
rali aut artificiali, sed pro tempore, sicut
et Prophetæ communiter diem accipiunt,
Rom. XIII, 12. Apostolus quoque, quum ait : Nox præces-
sit, dies autem appropinquavit. *In illo* ita-
que *die,* id est tempore quo dicta et facta
sunt in præcedenti capitulo recitata, *ex-
iens Jesus de domo* in qua prædicavit, nec
ab omnibus propter eorum multitudinem
audiri valebat, *sedebat secus mare,* videli-
2 cet in littore maris, forsitan Galilææ. *Et
congregatæ sunt ad eum turbæ multæ,*
propter diversas causas, ut dictum est, *ita
ut naviculam ascendens, sederet* in navi,
quatenus melius audiretur ab omnibus in
littore stantibus. *Et omnis turba stabat in
littore.*
3 *Et locutus est eis multa in parabolis,
dicens.* Multas ob causas loquitur Christus
in parabolis. Primo, ut veritas abscondatur
Matth. VII, 6. indignis, juxta illud : Nolite sanctum dare
canibus. Secundo, ut studiosis detur occa-
sio bonæ exercitationis seu diligentis in-
quisitionis. Tertio, ut discamus ex cor-
poralibus ac sensibilibus spiritualia atque
divina intelligere.
Exiit qui seminat, seminare. In exposi-
tione hujus parabolæ, non præstatur no-
bis libertas qualitercumque exponendi, vel
propriam rationem sequendi, sed Christi
summi magistri expositionem sequi debe-
mus. *Exiit qui seminat,* id est, Christus
seminans in mundo verbum evangelicæ
legis, exiit de cœlo in terram, juxta illud
Joann. XVI, 28. Joannis, Exivi a Patre, et veni in mun-
Ps. XVIII, 7. dum ; et in Psalmo, A summo cœlo egres-
A sio ejus. Vel, exiit de utero Virginis, appa-
rendo in mundo, secundum illud : Ipse Ps. XVIII, 6.
tanquam sponsus procedens de thalamo
suo. Exitus autem convenit Christo ratione
humanitatis assumptæ, imo et ex parte
divinæ naturæ, quia secundum Augusti-
num et Hilarium, eo ipso dicitur Filius a
Patre exire, quo generatur ab ipso. Pro-
pter quod Michæas inquit : Egressus ejus Mich. V, 2.
ab initio, a diebus æternitatis. Quantum
ad operationem quoque convenit Christo
ex parte divinæ naturæ, ut secundum quod
B Deus dicatur exire, id est in actum proce-
dere, non locum mutare. Exiit ergo *semi-
nare,* id est ad seminandum seu spargen-
dum in cordibus hominum verbum salutis
et gratiæ, prout apud Joannem testatur :
Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in Joann. XVIII, 37.
mundum, ut testimonium perhibeam ve-
ritati.
Et dum seminat, id est, doctrinam evan- 4
gelicam prædicavit Judæis, *alia,* id est
quædam semina seu verba prædicationis :
semen enim est verbum Dei, ut Lucas ha- Luc. VIII, 11.
C bet; *ceciderunt secus viam,* id est in corda
carnalium hominum, qui in terrenis ver-
santur, et vias sæculi latas perambulant,
vanitatibusque intendunt. De qualibus scri-
ptum est : Domine, recedentes a te in terra Jer. XVII, 13.
scribentur. *Et venerunt volucres cœli,* id
est aeriæ potestates, de quibus Paulus :
Non est nobis colluctatio adversus carnem Ephes. VI, 12.
et sanguinem, sed adversus principes et
potestates, contra spiritualia nequitiæ in
cœlestibus. Dicuntur autem diaboli volu-
cres cœli : primo, propter subtilitatem na-
D turæ ; secundo, propter habitationem eo-
rum in aere caliginoso ; tertio, ratione
inordinati ascensus eorum ad alta ex tu-

more superbiæ. Interdum tamen per vo- A
lucrem intelligitur Christus, ratione suæ
altissimæ contemplationis : ut quum Isaias
Is. XLVI, 11. ait, loquens de Deo, Vocans ab oriente
avem : quod Hieronymus ad litteram ex-
Job XXVIII, 7. ponit de Christo. Et in Job, Semitam igno-
ravit avis : ubi Gregorius per avem in-
telligit Christum. In parabolica quippe
locutione, interdum per eamdem rem si-
gnificantur diversa, secundum diversam
proprietatem rei : quemadmodum per leo-
nem, ratione fortitudinis, intelligitur Chri-
Apoc. V, 5. stus, ut in Apocalypsi patet, Ecce vicit leo B
de tribu Juda; per leonem quoque, ratio-
ne crudelitatis, signatur diabolus, ut Pe-
I *Petr.* V, 8. trus inquit : Adversarius vester diabolus
tanquam leo rugiens circuit. Hi itaque vo-
lucres *comederunt ea,* id est, suarum ten-
tationum suggestionibus abstulerunt ver-
ba Dei de cordibus prædictorum.
5 *Alia autem* semina, id est verba a Chri-
sto prolata, *ceciderunt in petrosa,* id est
in corda lapidea, dura, rebellia, rore gra-
tiæ destituta, *ubi non habebant terram*
multam, id est mentes capaces, fructife- C
ras, quæ instar profundæ terræ possint
fructificare in bono; *et continuo exorta*
sunt, id est, semina ista repente creverunt
in fructum compunctionis instabilem, non
firmum aut fixum, *quia non habebant al-*
titudinem terræ, id est fundamentum pro-
fundum, ita quod verba Dei non intro-
ierunt intima cordis eorum, nec radicem
fecundam habuerunt in corde. Videmus
quippe, quod corda dura et saxea sæpenu-
mero audito verbo Dei de horrore futuri
judicii ac tormentis inferni, compunctio- D
nem quamdam concipiunt, et aliquid boni
agere ordiuntur; sed non perseverant in
compunctione et opere bono. Ideo dicit
Eccli. III, 27, 29. Scriptura : Cor durum male habebit in
novissimo, et cor nequam gravabitur in
6 doloribus. *Sole autem orto,* id est igne tri-
bulationis ac tentationis exsurgente, *æstu-*
averunt, id est, semina ista infructuosa
effecta sunt, et tribulationis calore con-
sumpta. *Et quia non habebant radicem,*
id est firmum atque fecundum fundamen-
tum in corde, videlicet gratiam habitualem
et stabilem devotionem, *aruerunt,* id est,
a compunctione et opere bono defecerunt.
Unde Lucas ait, quod semen aruit, quia *Luc.* VIII, 6.
non habebat humorem, videlicet gratiæ ali-
mentum, quod mentem fecundat sicut ar-
borem humor aquarum.

Alia autem ceciderunt in spinas, id est, 7
in corda sollicitudinibus vitæ præsentis
amara, curis sæculi puncta, et divitiarum
angustiis lacerata. Istæ expositiones postea
tanguntur a Christo. *Et creverunt spinæ,*
id est, curæ superfluæ in anima ortæ sunt,
et suffocaverunt ea, id est, verba Dei amo-
verunt ab anima : quia dum tales de spiri-
tualibus meditari incipiunt, statim cogita-
tiones terrenæ et anxiæ se commiscent, et
bonas meditationes impediunt.

Alia vero semina cœlestis verbi, *cecide-* 8
runt in terram bonam, id est in cor fide-
le, docile atque tractabile; *et dabant fru-*
ctum, id est, in opus bonum creverunt, sed
diversimode secundum diversam dispositi-
onem cordium recipientium ea : ideo sub-
ditur, *aliud* semen, id est quoddam ver-
bum Dei, dedit fructum *centesimum,* id
est, habuit opus perfectum : sicut in spi-
ritualibus, divinis atque heroicis viris. Ta-
lis est fructus castitatis in virginibus. *Ali-*
ud semen protulit fructum *sexagesimum,*
id est, opus proficiens habuit : sicut in his
qui conantur quotidie tendere de virtute *Ps.* LXXXIII, 8.
in virtutem, et de statu proficientium ad
statum perfectorum pertingere. *Aliud* se-
men attulit fructum *tricesimum,* id est,
opus bonum habuit, sed imperfectum, in-
choativum, ac animale, ut in incipientibus.

Porro, quod dicitur de fructu centesimo, specialiter solet referri ad statum virginalem; et quod dicitur de fructu sexagesimo, ad statum vidualem; quod vero de fructu tricesimo dicitur, ad statum conjugalem. Non tamen simpliciter et universaliter referri potest ad personas statuum prædictorum, quum sæpe in statu inferiori inveniantur perfectiores homines, quam in statu superiori. Tamen, comparando statum ad statum, sic se habet castitas virginalis ad

vidualem, eam excedendo in merito, sicut A
centum ad sexaginta; et ita se habet castitas vidualis ad conjugalem, sicut sexaginta ad triginta. Nam finis ad quem ordinatur seminatio seminis hujus, id est prædicatio verbi divini, est homines a carnalibus ad spiritualia ducere : quod multo perfectius fit in continentia virginali, quam viduali, et in viduali, quam in conjugali. Unde di-
I *Cor.* vii, 34, 33. cit Apostolus : Virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu; quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro; et divisa est. B

Consequenter Christus admonet auditores ad diligentem ac mysticam intelligen-
9 tiam prædictorum. *Qui habet aures audiendi,* id est aures mentales, quibus verbum Dei salubriter percipitur, atque audiendo servatur et adimpletur, sicut alio in lo-
Joann. viii, 47. co ait : Qui ex Deo est, verba Dei audit; *audiat.*

10 *Et accedentes discipuli,* id est duodecim
Marc. iv, 10. Apostoli, ut Marcus refert. Accesserunt autem ad Jesum, non in naviculam, vel actu prædicationis durante, sed quum esset se- C
paratus et vacans a populo. Unde Marcus :
Ibidem. Quum esset (inquit) singularis, accesserunt ad eum. *Dixerunt ei : Quare in parabolis,* id est obscuris et metaphoricis sermonibus, *loqueris eis,* videlicet turbæ? Denique parabola est dissimilium rerum sub quadam similitudine facta comparatio.

11 *Qui respondens, ait illis : Quia vobis* Apostolis *datum est,* per gratiam specialem, *nosse,* id est, ut noscatis, et me docente intelligatis, *mysteria,* id est sacra secreta seu spirituales ac mysticos intel- D
* cœlorum lectus, *regni Dei* *, id est Ecclesiæ militantis, vel divinæ Scripturæ, in qua cœleste regnum nuntiatur, et spiritualium deliciarum epulæ continentur quasi in paradiso Dei, secundum Damascenum. *Illis autem,* id est turbis, *non est datum,* propter incapacitatem et culpam eorum, vel quia ad gratiam tantam prædestinati non sunt. Apostolis namque tanquam post Christum primis ac summis doctoribus, et quasi fundamentis Ecclesiæ, pandenda erant divina secreta, ut de sua plenitudine influerent aliis. De eis siquidem in Apocaly-
psi legitur : Murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim *Apoc.* xxi, 14.
nomina Apostolorum. *Qui enim habet* fi- 12
dem sinceram, bonam intentionem, vel humilitatem; vel, Qui habet, id est, qui Deo gratus est, recognoscendo omne bonum suum esse a Deo; *dabitur ei* gratia major, sapientia plenior, vita perfectior, *et abundabit* spiritualibus bonis, juxta il-
lud in Psalmo : Gloria et divitiæ in domo *Ps.* cxi, 3.
ejus. Ideo vobis discipulis meis fidelibus datur cognitio mysteriorum cœlestium. *Qui autem non habet,* id est, qui modicum habet, quod comparatione magnorum donorum pro nihilo reputatur. Vel, Qui non habet, id est, Deo datori ingratus est, non
attendens unde acceperit, sed sic glorians I *Cor.* iv, 7.
quasi non acceperit. Vel, Qui non habet fidem et humilitatem. *Et quod habet auferetur ab eo,* id est, cetera dona sibi divinitus præstita meretur amittere. Ideo increduli et perversi Judæi non meruerunt incrementum, sed detrimentum spiritualis intelligentiæ cœlestiumque bonorum.

Ideo in parabolis loquor eis, quia vi- 13
dentes oculo corporali, *non vident* sincere,
oculo intellectuali, quoniam excæcavit eos *Sap.* ii, 21.
malitia eorum. Vel : Videntes facta et conversationem atque miracula Christi, non vident, id est, non considerant ea esse a Deo, sed principi dæmonum deputant ea. Vel : Videntes, id est, Scripturas veteris Testamenti litteraliter et superficialiter intelligentes, non vident spiritualem et verum intellectum earum : propter quod
occiduntur a littera. *Et audientes* prædi- II *Cor.* iii, 6.
cationem meam, vel verba legis ac Prophetarum, auribus corporis, *non audiunt* ea auribus cordis, debite auscultando, *neque intelligunt* ea salubriter.

Ut adimpleatur in eis prophetia Isaiæ, 14
dicentis : Auditu corporali *audietis,* o in- *Is.* vi, 9, 10.
fideles Judæi, eloquia Christi parabolicosque sermones, *et non intelligetis* ea veraciter, scilicet parabolarum mysteria; *et videntes videbitis* opera humanitatemque

Christi, *et non videbitis* oculo interiori A operum qualitatem, et ejus divinitatem.

15 *Incrassatum est enim,* id est, obtusum et carnale factum est, *cor populi hujus,* terrenis ac sensibilibus inhærendo, prout in *Deut.* XXXII, 15. Deuteronomio scribitur : Incrassatus est dilectus, et recalcitravit; *et auribus graviter audierunt,* id est, ad audiendum verbum Dei aure mentali tardi fuerunt, *et oculos suos* interiores, videlicet intellectum, *clauserunt,* id est, influentiæ seu irradiationi lucis divinæ instructionisque Christi incapacem fecerunt, ponendo obi- B cem gratiæ Dei, videlicet contemptum et *Is.* LIX, 2. infidelitatem. Peccata enim separant mentem a Deo, et sunt velut murus seu janua intermedia inter mentem ac Deum. Propter *Jer.* V, 25. quod Jeremias fatetur : Peccata vestra prohibuerunt bonum a vobis. De talibus scri- *Job* XXI, 14. ptum est : Dicunt Deo, Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. *Nequando oculis* cordis *videant* veritatem, *et auribus* interioribus *audiant* salutarem doctrinam, *et corde intelligant,* id est, intus legant, atque subtiliter penetrent spi- C ritualem sensum divinorum verborum ; *et convertantur* ab errore ad veritatem, et a caducis rebus ad summum ac incommutabile bonum, *et sanem eos,* liberando intellectum a falsitate, voluntatem a pravitate, animam ab omni læsione peccati. De qua *Jer.* XVII, 14. sanitate Jeremias precatur : Sana me, Do- *Ps.* XL, 5. mine, et sanabor; et Psalmista, Sana animam meam, quia peccavi tibi.

16 *Vestri autem,* o discipuli mei, *beati* sunt jam in spe, *oculi* interiores, beatificandi in re per claram divinæ essentiæ visio- D nem, *quia vident,* id est, recte intelligunt, et fidei lumine illustrantur; *et aures vestræ,* de quibus jam dixi : Qui habet aures audiendi, audiat. Unde et Isaias inquit : *Is.* L, 5. Dominus Deus meus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico. Hæ itaque aures vestræ beatæ sunt, *quoniam audiunt* *Luc.* XI, 28. verba mea fideliter. Beati enim qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.

17 *Amen quippe dico vobis, quia multi Prophetæ et justi,* qui futuram Dei incarnationem spiritu prophetali, seu fide agnoverunt, *cupierunt videre,* id est, optaverunt, si fuisset possibile, videre, *quæ* vos *videtis,* videlicet Christum in carne, et conversationem ac signa ipsius; *et non viderunt* ea præsentialiter, corporali intuitu, sicut vos. Unde et Simeon justus pro suo desi- *Luc.* II, 25, 26. derio quo Christum videre optavit, responsum accepit a Spiritu Sancto non visurum se mortem, donec videret Christum Domini.

Sed quæritur, de quo visu dicat Salvator, Prophetas et justos voluisse videre quæ viderunt Apostoli, et non viderunt. Non enim videtur de spirituali visu posse intelligi, quia Prophetæ visione intellectuali et imaginaria viderunt omnia quæ de Christo prænuntiaverunt. Intelligentia *Dan.* X, 1. enim opus est in visione, ut Daniel ait. Unde quum Isaias Babylonis vastitatem prædiceret : Corrui, inquit, quum vide- *Is.* XXI, 3. rem. Multo magis vidit Christum in spiritu, quando dicebat de ejus incarnatione, Puer natus est nobis, et multa similia. Je- *Ibid.* IX, 6. remias quoque, quum dixit : Quare quasi *Jer.* XIV, 8. colonus venturus es in terra? Tunc enim imaginaria visione vidit Christum. Denique Salvator ipse inquit : Abraham pater *Joann.* VIII, 56. vester exsultavit ut videret diem meum; vidit, et gavisus est. Nec videtur posse intelligi de visu corporali, quia de illo non intelligitur quod Apostolis dictum est : Vestri beati oculi, quia vident. Sic enim Judas et reprobi Judæi viderunt. Puto ergo quod intelligendum sit verbum prædictum de visu interiori conjuncto visui exteriori. Utroque enim visu optaverunt videre quæ Apostoli utroque visu intuiti sunt. Si autem fiat vis in hoc quod ait, Multi Prophetæ et justi, et non, Omnes Prophetæ et justi ; dici posset, quod quamvis majores Sancti ac vates viderunt quæ viderunt Apostoli, non tamen alii omnes minores. Vel respondendum, quod licet Prophetæ ac justi viderunt quædam eorum quæ et Apostoli, non tamen tam multa, nec ita distincte ac circumstantionaliter. Et hoc maxime verum est, si hoc quod Christus

ait Apostolis, Quæ vos videtis, referatur
ad totum tempus quo Christus cum eis in
terra conversatus est, usque ad horam as-
censionis : et hoc modo, ut arbitror, intel-
ligendum est.

Voluerunt quoque *et audire* verba sa-
pientiæ ex ore meo, *quæ auditis,* qui me
ad libitum interrogatis, et responsionem
piam ac informationem recipitis; *et non*
audierunt, eo modo ut vos, nec ita per-
fecte. Multa tamen documentorum Christi
revelata fuerunt Prophetis.

18 *Vos ergo audite parabolam,* id est in-
terpretationem seu expositionem parabolæ
seminantis, id est Christi, qui per semi-
19 nantem designavit se ipsum. *Omnis* homo
qui audit corporali auditu *verbum regni,*
id est sermonem de regno cœlesti, *et non*
intelligit verbum hoc, id est, virtutem et
sensum verborum cordi suo non impri-
mit, nec sagaciter pensat; *venit malus,*
id est diabolus in malitia obstinatus, non
essentia, sed voluntate malignus. Venit au-
tem per tentationis congressum. *Et rapit,*
id est, aufert, seu infructuosum facit, et
oblivioni tradi procurat, *quod seminatum*
est in corde ejus, id est verbum prædica-
tionis infusum menti hominis talis. *Hic*
homo tam negligens, *est qui secus viam*
seminatus est, id est, quem supra figura-
vi per eum in quem cecidit semen verbi
cœlestis, secus viam sæculi hujus : juxta
sensum præhabitum. Et dicitur homo se-
minatus, id est semine tali perfusus, quem-
admodum terra dicitur corporaliter semi-
nata.

20 *Qui autem supra petrosa seminatus est,*
id est, in corde duro ac saxeo semen verbi
recepit, quem figuravi per eum in quem
semen cecidit supra petrosa, id est arida
duraque corda, *hic est qui verbum Dei*
audit, et continuo cum gaudio suscipit
illud in anima, tanquam sibi proficuum,
per cujus susceptionem evadat periculum.
21 *Non habet autem in se radicem,* id est
habitualem gratiæ fecunditatem, ac stabile
fidei fundamentum, seu firmum proposi-
tum; *sed est temporalis,* id est inconstans,

A ad modicum tempus perseverans in bo-
no, sicut arundo vento agitata, et pulvis Matth. xi, 7.
a vento projectus. *Facta autem,* id est sibi Ps. i, 4.
illata vel imminente, *tribulatione* ab in-
visibilibus hostibus, *et persecutione* a vi-
sibilibus inimicis, *propter verbum,* id est
ob id quod verbum Dei recepit, et implere
disponit; vel, Propter verbum exstinguen-
dum, id est, ut verbum Dei tollant de
corde ejus ; *continuo scandalizatur,* id
est, ex verbis seu factis illorum in peccata
prolabitur, non resistens viriliter, relin-
B quens viam justitiæ, ne patiatur adversa,
vel ut consequatur delectabilia.

Qui autem seminatus est in spinis, id 22
est, qui verbum Dei recepit in corde pun-
ctionibus temporalium curarum repleto,
hic est qui verbum Dei audit; et sollici-
tudo sæculi istius, id est superflua cura
acquirendi vel retinendi res mundanas,
videlicet honorem, famam, voluptatem, *et*
fallacia divitiarum, id est fallaces divi-
tiæ, quæ sufficientiam quamdam promit-
tunt, sed conferre non valent, suosque
C amatores æternis cruciatibus ingerunt :
imo quo plus crescunt, tanto majus de-
siderium in corde avari accendunt, et eum
quotidie insufficientiorem ac miserabilio-
rem efficiunt. Bene ergo vocantur fallaces.
Unde Sapiens inquit : Creaturæ factæ sunt Sap. xiv, 11.
in tentationem, et in muscipulam pedibus
insipientium. Vel, Fallacia divitiarum, id
est deceptoria affectio quam divitiæ tem-
porales causant in animo hominis. Blan-
diuntur enim, sed pungunt, quia cum
labore acquiruntur, cum timore amittendi
D possidentur, cum tristitia amittuntur. *Suf-*
focat verbum Dei, id est, memoriam au-
diti sermonis aufert ab anima, quæ tan-
to amplius obliviscitur divinorum, quanto
plus in terrenis occupatur, transitoriisque
inhæret : *et sine fructu* boni operis ac
spiritualis delectationis *efficitur* verbum
Dei in tali corde diffusum.

Qui vero in terram bonam seminatus 23
est, id est, qui significatur per eum qui
semen recepit in terra fecunda, seu ille
qui corde devoto verbum Dei audivit, *hic*

est qui audit verbum Dei aure corporali A atque mentali, *et intelligit* illud, *et fructum affert,* id est, opera bona producit verbum in tali anima seminatum, *et facit, aliud quidem centesimum,* id est, verbum in cordibus quorumdam facit fructum centesimum, *aliud autem* facit fructum *sexagesimum, aliud vero tricesimum :* sicut expositum est, utpote secundum diversam dispositionem ac diligentiam recipientium.

Posuit Christus hoc loco quatuor genera hominum audientium verbum Dei, et qua- B tuor differentias seminis : quorum quar-
Matth. xx, 16; xxii, 14. tum genus dumtaxat salvatur, nam pauci electi ; et quarta pars seminis solum fructificat. Verumtamen, quod hic dictum est de generibus audientium, ad litteram intelligitur de Judæis, quibus Christus in propria sermocinabatur persona, et paucos convertit ex eis. Mystice vero intelligi potest de ceteris gentibus.

Subinde Salvator comparat regnum cœlorum, id est militantem Ecclesiam, aliis
24-30 rebus. *Aliam parabolam proposuit* Chri- C stus *illis,* videlicet turbis in littore stantibus, eo exsistente in navi, *dicens : Simile factum est regnum cœlorum,* id est status militantis Ecclesiæ, *homini qui seminavit bonum semen in agro suo,* etc. Quum ipse unigenitus Filius Dei, sapientia Patris
vers. 37-43. æterni, post pauca proprio ore parabolam istam exponat, non debemus explanationem illius anticipando præcurrere. Differenda est ergo elucidatio præsentis parabolæ, usque ad locum ubi a Christo exponitur, et accedendum ad tertiæ para- D bolæ interpretationem.

31 *Aliam parabolam,* ordine tertiam, *proposuit eis,* scilicet turbis, *dicens : Simile est regnum cœlorum,* id est Ecclesia militans, maxime primitiva, quæ fuit parva quantitate seu numero, sed magna virtute : ideo subditur, *grano sinapis,* de quo sinapium exprimitur, *quod* granum sinapis *accipiens homo* agricola, *seminat in*
32 *agro suo. Quod* granum *minimum quidem est omnibus seminibus,* id est inter omnia semina valde permodicum, ut patet ad oculum ; *quum autem creverit* granum istud in agro, *majus est omnibus oleribus,* id est, in altius germen crescendo exsurgit, quam alia semina herbarum seu olerum, *et fit arbor,* id est, per modum arboris crescit in altum, *ita ut volucres cœli,* præsertim parvæ vel mediocres aves, *veniant et habitent in ramis ejus,* quiescendo sub illis. Quemadmodum ergo hoc granum quantitate permodicum crescit in altum, sic Ecclesia in principio sui contempta, et numero parva, crevit in populum infinitum, seu Ecclesiam toto orbe diffusam, quando in omnem terram *Ps.* xviii, 5.
exivit prædicatio Apostolorum, ita ut sub ramis ejus, id est sub documentis atque auxiliis Ecclesiæ, habitent volucres cœli, id est animæ contemplantes cœlestia, vel principes et magnates hujus sæculi ad fidem conversi. Sic ergo per hominem seminantem intelligitur Christus, vel prædicator ipsius ; per granum, Ecclesia primitiva ; per agrum, orbis terrarum, per quem longe ac late diffunduntur ac seminantur fideles, ita ut per Malachiam Dominus dicat : Ab ortu solis usque ad occasum, *Malach.* i, 11.
magnum est nomen meum in gentibus. Unde in Isaia scriptum est : Florebit et ger- *Is.* xxvii, 6.
minabit Israel, et implebunt faciem orbis semine.

Hieronymus, per regnum cœlorum intelligit Evangelii prædicationem, vel notitiam Scripturarum ; per hominem seminantem, Christum, vel quemlibet alium qui in agrum proprii cordis mittit verbum Dei, quod significari dicit per granum sinapis. Sicut igitur granum sinapis parvum crescit in altum, sic prædicatio Evangelii primo valde contempta, et omnibus scientiis magis derisa, crevit per omnes nationes, ita quod sub ramis, id est diversis dogmatibus ejus, prædicti volucres morentur et conquiescant, omnisque sæcularis scientia et philosophorum doctrina minorata est sub ea, eique subjecta.

Aliam, utpote quartam, *parabolam lo-* 33

cutus est eis : Simile est regnum cœlorum, A
id est Ecclesia militans, *fermento quod*
acceptum mulier faciens massam pro pa-
nibus conficiendis, *abscondit,* id est, loca-
vit ac miscuit, *in farinæ satis tribus,* id
est tribus mensuris farinæ aqua consper-
sæ, seu massæ, vel azymi. Satum autem,
secundum Hieronymum, est mensura Pa-
læstinæ, unum modium cum dimidio ca-
piens. *Donec fermentatum est totum,* id
est, tamdiu dimisit mulier fermentum in
massa, quousque tota fermento permixta
est, atque conveniens facta ut de ea fieret B
panis. Hoc ad litteram planum est.

Spiritualiter vero, per fermentum intel-
ligitur evangelicæ legis doctrina, per quam
corda hominum bonum sortiuntur sapo-
Ps. XXXIII, 9. rem, ut gustent quam dulcis est Dominus,
et recte de omnibus judicent, quemad-
modum massa ex commixtione fermenti
redditur apta ut de ea saporosi panes ef-
fici possint. Mulier vero, est Sapientia Dei
incarnata, vel ipsa Ecclesia ac prædicato-
rum diligentia. Tria sata significant di-
versa loca in quibus fideles conversi sunt; C
vel carnem, sensualitatem, et rationalem
animæ partem; vel partem intellectualem,
vim concupiscibilem, et irascibilem. His
tribus satis, hæc mulier infudit Evangelii
documenta, donec totum fermentaretur,
id est, tria hæc convenirent ac consenti-
rent in idem, Deo unanimiter serviendo,
ita ut caro et sensualitas rationi, et ratio
Deo obediant, sicque simul sint unum in
Christo, et mundus panis, sicut Apostolus
I *Cor.* x, 17. dicit : Unus panis, unum corpus multi
sumus. Quamvis autem doctrina evange- D
lica non sit subjective nisi in rationali
parte animæ, redundat tamen effectumque
habet in sensitiva parte et carne, et sic
in eis abscondi dicitur vel infundi. — Sed
quum dicat Apostolus, Epulemur, non in I *Cor.* v, 8.
fermento veteri, neque in fermento mali-
tiæ ac nequitiæ ; rursusque, Modicum fer- *Ibid.* 6.
mentum totam massam corrumpit : quæ-
ritur, quomodo regnum cœlorum, id est
status vel doctrina Ecclesiæ, assimiletur
fermento. Et respondendum, quod in fer-
mento sunt duo, videlicet quædam humo-
rum corruptio, et calor inclusus seu virtus
latens interius. Quantum ad primum, pro-
cedit comparatio Pauli ; quantum ad se-
cundum, comparatio Christi.

Hæc omnia locutus est Jesus in para- 34
bolis ad turbas, propter causas superius
assignatas. Et subditur jam alia ratio : *Et*
sine parabolis non loquebatur eis, hac vi-
ce, vel in isto sermone, *ut adimpleretur* 35
quod dictum est per Prophetam David vel
Asaph, *dicentem,* in psalmo qui incipit,
Attendite, popule meus, legem meam : *Ps.* LXXVII.
Aperiam in parabolis os meum, eructabo
abscondita a constitutione mundi. Ulti-
mam partem hujus versiculi, nostra trans-
latio habet sic : Loquar propositiones ab *Ibid.* 2.
initio. Patet ergo, quod duo primi versi-
culi psalmi illius in persona Christi di-
cantur, qui in parabolis nunc locutus de-
scribitur, et eructavit, id est, discipulis
suis manifestavit atque deprompsit, abs-
condita, id est parabolarum istarum in-
terpretationes, seu mysteria regni cœlo-
rum, quæ a constitutione mundi homines
latuerunt, sicut jam dixit quod multi Pro- vers. 17.
phetæ et justi voluerunt audire quæ ipsi
audierunt, nec audierunt.

ARTICULUS XXVI

PROSECUTIO EXPOSITIONIS PRÆSENTIS CAPITULI, AB EO LOCO QUO DICITUR : TUNC DIMISSIS TURBIS, VENIT IN DOMUM.

36 *TUNC,* videlicet præscripto sermone ad A
populum circa mare habito ac finito,
dimissis turbis, quæ dignæ non erant audire mysteria regni cœlestis, *venit* Jesus a navi *in domum. Et accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes : Edissere,* id est expone, *nobis parabolam zizaniorum agri,* id est in qua mentionem fecisti de zizaniis quæ nascuntur in agro. Quamvis Matthæus solum recitet discipulos quæsisse expositionem hujus parabolæ, creditur tamen quod aliarum quoque parabolarum
expositionem quærebant, secundum quod B
Marc. IV, 34. Marcus habet, quod seorsum discipulis suis
disserebat omnia.

Porro ad habendum intellectum expositionis parabolæ zizaniorum, necesse est
textum parabolæ supra omissum, hoc loco
24-30 repetere. Sic enim ait Salvator : *Simile factum est regnum cœlorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo. Quum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio tritici, et abiit. Quum autem crevisset herba, et fructum fecisset, tunc apparuerunt* C
et zizania. Accedentes autem servi patrisfamilias, dixerunt ei : Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? Et ait illis : Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei : Vis, imus, et colligimus ea? Et ait : Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul et triticum. Sinite utraque crescere usque ad messem; et in tempore messis dicam messoribus : Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congre- D
gate in horreum meum. Hucusque textus parabolæ. Quam Christus exponens, adjecit :

Qui seminat bonum semen, est Filius 37
hominis, hoc est, per hominem bonum semen serentem intelligitur Christus. *Ager* 38
autem, est mundus, id est terra hujus peregrinationis, in qua homines degunt, et exsules sunt. *Bonum vero semen,* quod Christus seminavit in mundo, *hi sunt filii regni,* hoc est homines electi, quos Christus mittit ac spargit per omnia climata mundi, quemadmodum semina mittuntur in agris. De hoc semine Christi seu spiritualibus filiis ejus, scriptum est : Si po- *Is.* LIII, 10.
suerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum. *Zizania autem, sunt filii nequam,* id est reprobi, præsertim
hæretici, et persecutores Ecclesiæ. *Inimi-* 39
cus autem qui seminavit ea, videlicet ista zizania, *est diabolus :* cujus suggestione et machinatione surrexerunt et perversa dogmata invenerunt hæretici; cujus etiam inspiratione alii reprobi se contra Ecclesiam erexerunt. Dicitur autem diabolus homo, non propter veritatem naturæ, sed propter similitudinem culpæ. Unde de semine ejus prædicto, Joannes : Qui peccat, I *Joann.* III, 8.
inquit, ex diabolo est; et iterum : Jam *Ibid.* II, 18, 19.
Antichristi multi nati sunt; ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Hinc de Judæis Christus testatur : Vos ex patre diabolo estis. *Joann.* VIII, 44.
Dicuntur autem homines mali seminari vel esse ex dæmone, non creatione, sed pravitatis imitatione, juxta illud Sapientis : Imitantur illum qui sunt ex *Sap.* II, 25.
parte illius. *Messis vero,* usque ad quam simul crescunt et vivunt in hoc mundo electi ac reprobi, *consummatio sæculi est,* id est finis mundi, vel dies judicii, in quo electi in palatio Dei ponentur velut in horreo. *Messores autem,* qui bonos ac ma-

los ad judicium deducent, et eos ab invi- A
cem separabunt, *angeli sunt,* non mali,
sed boni.
40 *Sicut ergo colliguntur* a messoribus *zi-
zania,* id est inutiles herbæ, seu folia, *et
igni comburuntur ; sic erit in consumma-*
41 *tione sæculi. Mittet Filius hominis ange-
los suos,* qui sibi subjecti sunt, etiam se-
cundum naturam assumptam, ut Verbo
unitam ; *et colligent,* hoc est auferent, *de
regno ejus,* id est de ecclesia electorum,
seu bonis fidelibus, *omnia scandala,* hoc
est persecutiones et tentationes, per quas B
boni frequenter scandalizantur ; vel, Om-
nia scandala, id est scandalizatores alio-
rum, qui generant scandala, qui tunc ab
electis loco et præmio separabuntur ; *et
eos qui faciunt iniquitatem,* id est ceteros
Job xxxvi, 13. operarios malos, hypocritas, simulatores
42 et callidos iram Dei provocantes. *Et mit-
tent eos in caminum ignis,* Christo dicen-
Matth. xxv, 41. te : Ite, maledicti, in ignem æternum. Tunc
enim angeli sancti exsecutores judicii, om-
nes reprobos, homines atque diabolos, in
infernalis ignis fornacem projicient. Unde C
Apoc. xii, 9. in Apocalypsi legitur : Projectus est draco
ille magnus, serpens antiquus. Et alio loco
Ibid. xiv, 10, 11. ait Joannes : Cruciabitur iniquus igne et
sulfure, et fumus tormentorum ejus as-
cendet in sæcula sæculorum. Ministerio
itaque sanctorum angelorum dispositive
agentium, fiet suscitatio mortuorum, quo-
rum cineres angeli colligent, et suscitatos
ad judicii locum perducent, reprobos ab
electis segregabunt, et damnatos in pœnas
retrudent. *Ibi erit fletus et stridor den-*
Matth. viii, 12. *tium.* Hoc supra expositum est, capitulo D
octavo.
43 *Tunc,* videlicet statim peracto vel du-
rante judicio, et illis in caminum ignis,
seu infernum, qui comparatur ardenti et
fumoso camino, projectis, *fulgebunt justi,*
in corpore per dotem claritatis, quæ tanto
copiosior erit in corporibus glorificatis,
quanto eorum animæ Deum clarius vide-
bunt, *sicut sol* iste sensibilis, non solum
sicut nunc lucet, sed sicut tunc lucebit,
Is. xxx, 26. quando lux solis erit septempliciter, sicut

lux septem dierum*. Estque probabile quod *[*In regno Patris eorum.*]
claritas corporis glorificati excedit clarita-
tem solarem, quoniam opera gratiæ exce-
dunt opera naturæ. Vel, Sicut sol spiritua-
lis, videlicet Christus, de quo in Malachia
Dominus perhibet : Orietur vobis, inqui- *Malach.* iv, 2.
ens, timentibus nomen meum, Sol justi-
tiæ. Corpora namque electorum assimila-
buntur claritati corporis Christi, prout
dicit Apostolus : Salvatorem exspectamus *Philipp.* iii, 20, 21.
Dominum Jesum, qui reformabit corpus
humilitatis nostræ, configuratum corpori
claritatis suæ. Denique, sicut corpora ele-
ctorum fulgida erunt ut sol, sic corpora
reproborum obscurissima erunt, secun-
dum quod animæ eorum omni lumine in-
teriori, quantum ad rectum usum, omnino
privantur.

His dictis, patet expositio hujus parabo-
læ, paucis exceptis, quæ tangenda sunt
breviter. *Quum autem dormirent homi-* 25-30
nes, id est, prælati Ecclesiæ et aliorum do-
ctores de hac vita migrarent, vel a dili-
genti custodia gregis sui cessarent, *venit
inimicus ejus,* id est diabolus, adversarius
Christi, *et superseminavit zizania,* hoc
est, hæreticos et perversos misit ac mi-
scuit, *in medio tritici,* id est inter electos
atque Catholicos ; *et abiit* alibi, facere ali-
quid mali, et cito reversurus est. *Quum
autem crevisset herba,* hoc est semen bo-
num seminatum a Christo, *et fructum* bo-
næ conversationis *fecisset,* quum filii re-
gni numero ac merito aucti fuissent in
sæculo isto ; *apparuerunt* inter eos *et zi-
zania,* id est prædicti injusti. *Accedentes
autem* spirituali accessu, *servi patrisfa-
milias,* hoc est famuli Christi, utpote an-
geli, secundum Hieronymum, vel devoti
prælati ac vicarii Christi ; *dixerunt ei :
Domine, nonne bonum semen seminasti
in agro tuo,* id est homines fide et opere
christianos in mundo ? *Unde ergo habet
zizania ? Et ait : Inimicus homo hoc fe-
cit,* id est diabolus. *Servi autem dixerunt :
Vis, imus, et colligimus ea ?* id est, visne
ut separemus et auferamus hæreticos et
perversos a societate fidelium, per excom-

municationem, vel tradendo eos potestati A
sæculari ad occidendum? *Et ait : Non, ne forte colligentes zizania* ista, *eradicetis,* id est, periculo vel occisioni exponatis, *et triticum,* id est electos fideles. *Sinite utraque crescere usque ad messem,* id est diem retributionis extremæ, seu judicii; *et in tempore messis dicam messoribus,* id est angelis : *Colligite primum zizania,* id est, antequam proferatur judicialis sententia, separate malos a bonis, *et alligate ea in fasciculos,* id est, per modum fasciculorum
adunate eos, *ad comburendum,* hoc est, ut B
in igne gehennæ succendantur, non con-
Prov. v,22. sumantur. Impius quippe funibus peccatorum suorum constringetur, ut Sapiens inquit. De hac impiorum colligatione scri-
Is. xxiv,21, 22. ptum est in Isaia : In die illa visitabit Dominus super militiam cœli in excelso, et super reges terræ; et congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, et claudentur ibi in carcere.

Circa hunc locum quæritur, an hæretici sint sustinendi. Et videtur quod imo, quum
Christus dicat : Sinite utraque simul cre- C
scere usque ad messem. Hieronymus quoque hic dicit : Monemur ne cito amputemus fratrem, quoniam fieri potest ut ille qui hodie noxio depravatus est dogmate, cras resipiscat. Oppositum videtur ex eo
I *Cor.* v, 13. quod ait Apostolus : Auferte malum de medio fratrum vestrorum. Et secundum
Tit. iii, 10. apostolica documenta, prohibemur hære-
I *Cor.* v, 11. ticos salutare, et cum quibusdam perversis cibum accipere.

2. 2. q. 11, art. 3. Ad hanc quæstionem respondet Thomas,
quod circa hæreticum duo pensantur, vi- D
delicet ejus iniquitas, et Ecclesiæ pietas. Quantum ad primum, meretur non solum excommunicari, sed occidi, quum multo gravius sit fidem corrumpere, quam falsare pecuniam : et tamen falsatores pecuniæ secundum jura occiduntur. Quantum ad secundum, non decet hæreticum statim damnare, sed ad veritatem pro posse reducere. Ideo Ecclesia non immediate et
Tit. iii, 10. subito, sed post primam et secundam correptionem damnat hæreticum, sicut ad Titum docet Apostolus. Si vero ex tunc in suo errore manserit pertinax, separat eum Ecclesia a se per excommunicationis sententiam, et relinquit eum sæculari judicio morti tradendum. Unde alio loco dicit Hieronymus : Secandæ sunt putridæ carnes, et scabiosa ovis a caula repellenda est, ne tota domus, massa, corpus et pecora, ardeant, corrumpantur, putrescant. Arius, in Alexandria una scintilla fuit; sed quoniam non statim oppressus est, totum orbem ejus flamma depopulata est. Itaque, quod Dominus ait, zizania non esse tollenda, sed sinenda ut crescant cum tritico, si per zizania intelligantur hæretici, tunc intelligendum est, in eo casu quando videlicet exstirpari non possunt sine eradicatione seu periculo tritici, quando videlicet non sunt aperti, vel satis noti, vel potentes habent defensores. Unde dicit Hieronymus : Monet Dominus ne ubi quid ambiguum, cito proferamus sententiam.

Sequitur quinta parabola. *Simile est* 44
regnum cœlorum, hoc est præmium Beatorum in patria, *thesauro abscondito in agro.* Nam sicut propter talem thesaurum possidendum omnia venduntur, sic propter adipiscendum regnum cœlorum omnia temporalia deseruntur. Ideo subditur : *quem* thesaurum *qui invenit homo, abscondit,* tanquam pretiosum clenodium, *et præ gaudio illius,* id est ex dilectione et amore thesauri inventi, *vadit, et vendit omnia quæ habet, et emit agrum illum,* ut habeat jus possidendi thesaurum ex integro. Olim enim thesauri in agro inventi, quamvis propter temporis longitudinem ignorabatur cujus fuissent, tamen propter communem hominum pacem pro media parte fuerunt dominorum agri. Ager ergo est vita activa, vel sacra Scriptura, in quibus thesaurus iste, videlicet beatitudo cœlestis, quodammodo latet et continetur ut merces in merito. Homo autem thesaurum reperiens, est quicumque devotus, qui cum
Apostolo omnia arbitratur ut stercora, ut *Philipp.* iii, 8.
Christum lucrifaciat. Vel, thesaurus est Christi divinitas; ager, caro ipsius.

45 *Iterum simile est regnum cœlorum,* id
est Ecclesia militans, *homini negotiatori,*
quærenti bonas margaritas, id est lapi-
46 des pretiosos. *Inventa autem una pretiosa*
margarita, id est gemma quadam dignis-
sima, qualis est jaspis, *abiit, et vendidit*
omnia quæ habuit, et emit eam, ut carius
venderet ipsam, vel tanquam prænobile
bonum possideret. Sic Ecclesia et quilibet
veraciter christianus, quærens pretiosas
margaritas, hoc est virtutes præclaras et
cardinales, et veteris Testamenti Scriptu-
ras, unam vero pretiosissimam inveniens,
scilicet christianæ legis doctrinam, vel con-
siliorum evangelicorum perfectionem, vel
increatam Dei sapientiam, Dominum Je-
sum, vendit vel vilipendit cuncta terrena,
ut margaritam istam obtineat, sicut testa-
Philipp. III, 8. tur Apostolus : Omnia arbitror detrimen-
tum, propter eminentem scientiam Domini
Prov. III, 15; VIII, 11. nostri Jesu Christi. Pretiosior nempe est
sapientia cunctis opibus ; et omnia quæ
desiderantur, huic non valent comparari.

Postremo, septima et ultima parabola
47 subditur. *Simile est regnum cœlorum,* id
est Ecclesia militans, in qua Deus per fi-
dem et gratiam regnat : quæ et ipsa regnat
in nomine Christi, sæculare ac spirituale
dominium atque judicium habens et faci-
I Petr. II, 9. ens ; de qua Petrus apostolus : Vos, inquit,
genus electum, regale sacerdotium ; quæ
in Apocalypsi fatetur, loquens ad Chri-
Apoc. V, 10. stum : Fecisti nos Deo nostro regnum et
sacerdotes, et regnabimus super terram.
De hoc regno dixit Archangelus de Christo
Luc. I, 32, 33. ad Virginem : Regnabit in domo Jacob in
æternum, et regni ejus non erit finis. Ita-
que regnum istud simile est *sagenæ,* seu
reti, *missæ* a piscatoribus *in mare,* ut ca-
piat pisces, *et ex omni genere piscium con-*
greganti, hoc est, bonos et malos pisces
capienti, vel quosdam de omni specie pi-
48 scium. *Quam* sagenam, *quum impleta es-*
set piscibus talibus, *educentes* piscatores,
et secus littus, hoc est juxta ripam aquæ,
sedentes, elegerunt ex sagena *bonos* pisces
in vasa sua, malos autem foras miserunt,
id est, penitus abjecerunt, et bestiis ac

A avibus ad devorandum dederunt. Sic mo-
do Ecclesia continet bonos et malos, et
quosdam de omni genere hominum. — My-
stice etiam per sagenam exprimitur præ-
dicatio Apostolorum et successorum ipso-
rum, qui ex verbis utriusque Testamenti
sermonem per modum retis texentes, mi-
serunt illum in mundum istum, qui ma-
gno procellosoque mari assimilatur, et con-
gregaverunt intra Ecclesiam quosdam de
omni natione, pluresque reprobos quam
electos. Unde in vocatione priorum Apo-
B stolorum dictum est : Venite post me, et *Matth.* IV, 19.
faciam vos fieri piscatores hominum.

Præterea ipsemet Christus declarat cur
Ecclesia comparetur tali sagenæ. *Sic erit* 49
in consummatione sæculi, quantum ad ho-
minum separationem ab invicem, quando
agni ponentur a dextris, et hœdi a sini- *Ibid.* XXV, 33.
stris, sicut nunc dictum est de piscium
separatione. Nam tunc *exibunt angeli* a
summo cœlo, *et* missi a Christo *separa-*
bunt malos de medio justorum, hoc est de
tota universitate electorum, *et mittent eos* 50
C *in caminum ignis. Ibi erit fletus et stri-*
dor dentium. Hoc totum jam evidenter ex-
positum est. Itaque Ecclesia per modum
sagenæ nunc natat et fluctuat in hoc mari *Ps.* CIII, 25.
magno ac spatioso ; et sæpe fluctibus tri-
bulationum et aquis tentationum ita affi-
citur atque torquetur, ut clamet cum san-
cto David : Salvum me fac, Deus, quoniam *Ps.* LXVIII, 2, 3.
intraverunt aquæ usque ad animam me-
am ; veni in altitudinem maris, et tempe-
stas demersit me. Nunc quoque nescitur
qui pisces sint electi, et qui reprobi. Por-
D ro, in fine sæculi, Christo ad judicium de-
scendente, sagena ista quasi ad littus tra-
hitur, quum omnes ante Christum in valle
Josaphat ducuntur ac præsentantur : tunc-
que boni manifeste secernentur a malis.

Intellexistis hæc omnia, scilicet parabo- 51
las istas et interpretationes earum ? Hoc
Apostolis dicitur : qui tamen apud Marcum *Marc.* IV, 13.
referuntur a Christo reprehensi, eo quod
primam parabolam non intellexerunt. *Di-*
cunt ei : Etiam. Ait illis : Ideo, hoc est, ex 52
quo ad vos, tanquam ad aliorum magi-

stros, spectat hæc omnia intelligere, pro- A
pterea *omnis scriba doctus in regno cœlo-
rum,* hoc est quilibet prædicator et præ-
latus, præsertim episcopus, in militanti
Ecclesia, *similis est homini patrifamilias
qui profert de thesauro suo nova et vete-
ra,* vestimenta, utensilia, alimenta, talen-
ta. Quemadmodum enim talis paterfamilias
unicuique de filiis ac familiis suis dat se-
cundum quod indiget, et capere potest,
vel dignus est; sic scriba doctus de quo
nunc sermo est, unumquemque de grege
suo pascit ac instruit, prout capere valet, B
I Cor. III, 1, 2. secundum quod Paulus lacte potasse se
dicit eos qui solidum non poterant capere
cibum. In divinis enim Scripturis inveni-
tur quod omni statui congruit. Hujusmodi
itaque scriba, profert de thesauro suo, hoc
est de plenitudine gratiæ, perfectionis, et
Prov. XXI, 20. scientiæ sibi divinitus distributæ (thesau-
rus enim desiderabilis in ore sapientis, se-
cundum Salomonem), nova et vetera, hoc
est utriusque Testamenti eloquia, sermo-
nem suum confirmans auctoritatibus no-
væ et veteris legis. Unde in Canticis ait C
Cant. VII, 13. Ecclesia : Omnia poma nova ac vetera, di-
lecte mi, servavi tibi. Debent ergo majores
prælati in utraque lege esse periti : imo,
secundum deiformem theologorum ducem
sacratissimum Dionysium, ad episcopos
pertinet ut sint adeo docti, quod difficil-
lima quæque et omnes subditorum dubi-
tationes solvere possint.
53 *Et factum est, quum consummasset,* hoc
est, perfecte terminasset, *Jesus parabolas
istas* septem, non solum eas, sed etiam ea-
rum mysteria seu interpretationes disse- D
rendo discipulis, *transiit inde,* recedendo
54 a domo in qua locutus est ista. *Et veniens
in patriam suam,* videlicet Galilæam, in
qua conceptus, nutritus, atque moratus
est, *docebat eos,* videlicet compatriotas et
concives suos in urbe Nazareth, secundum
Hieronymum, [*in synagogis eorum,*] *ita ut
mirarentur* Nazareni, *et dicerent : Unde
huic sapientia hæc et virtutes,* hoc est mi-
racula? quasi dicerent : Quis dedit ei tanta
dona? Noverant enim quod non habuit sa-
pientiam istam per studium, juxta illud
Joannis septimo : Unde hic scit litteras, Joann. VII, 15.
quum non didicerit? Virtutem quoque mi-
raculorum æstimabant sibi non esse col-
latam a Deo, propter ignobilitatem paren-
telæ. Unde subditur :
Nonne hic est fabri filius, scilicet ipsius 55
Joseph (qui fertur fuisse faber lignarius)?
Marci sexto ita habetur : Nonne hic est fa- Marc. VI, 3.
ber, filius Mariæ? Vocabant ergo Jesum
fabrum : vel despective, sicut communiter
fit quum filiis improperatur officium pa-
trum (vocantur nomine talis officii, ut si
filius fullonis promoveatur in episcopum,
invidi dicunt, Ille fullo); vel, quia Jesus
patrem suum putativum frequenter adju-
vit in suo officio : quod Nazarenos istos
non latuit. Nam usque ad tricesimum an-
num habitavit cum eis. *Nonne mater ejus
dicitur Maria, et fratres ejus* sunt *Jaco-
bus, et Joseph, et Simon, et Judas?* De is-
tis fratribus dictum est supra, quod fuerunt Matth. XII, 46.
consobrini Christi, et filii Mariæ uxoris
Cleophæ, sororis Virginis gloriosæ, ut dicit
Hieronymus in libro contra Helvidium hæ-
reticum. S. Thomas in uno loco ait, quod
illi qui in Evangelio appellantur fratres
Christi, fuerunt filii Joseph de alia conju-
ge. Alibi dicit, quod Joseph creditur virgo
fuisse : quod Beda et alii communiter as-
serunt; et sic fratres isti fuerunt Christi
nepotes. Quum enim in cruce commiserit Joann. XIX, 26, 27.
Matrem suam virginem virgini, quum es-
set adulta, probabile est quod juvenculam
non commiserit, nisi virgini sponso. *Et* 56
sorores ejus, id est cognatæ, *nonne apud
nos sunt,* hoc est inter nos habitando?
Et scandalizabantur in eo, id est, ex 57
consideratione humilis genealogiæ cogna-
tionisque Christi, in peccatum prolapsi
sunt, æstimantes quod sapientiam et vir-
tutes habuerit a diabolo potius quam a
Deo. In quo patet infinita eorum cæcitas
atque perversitas, quum multi Propheta-
rum illitterati et egeni exstiterint, et ta-
men prophetali sapientia Deo miserante
impleti sunt, ut Amos agricola vellicans Amos VII, 14.
sycomoros, Jeremias puer. Jer. I, 6.

Jesus autem dixit eis : Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua, et in domo, id est familia *sua :* non quod alibi ubique honoretur, vel ab omnibus suis compatriotis spernatur; sed quia communiter sic est, quod a suis magis contemnitur, quam ab aliis. Et hoc ex invidia oritur, vel superbia : quia homines male pati possunt, ut compares sui præferantur eis; et compatriotæ melius sciunt imperfectum alicujus quam alii, et frequenter convertunt oculum mentis ad considerationem
A ejus quod homo fuit tempore pueritiæ, vel
quum eis similis videbatur. *Et non fecit* 58
ibi virtutes multas, hoc est multa miracula, saltem hac vice, *propter incredulitatem illorum,* videlicet, quia indigni erant, et etiam ne faceret eos majori damnationi obnoxios. Fecit tamen ibi quædam miracula, ne excusationem suæ infidelitatis haberent. Unde Marcus habet : Et non poterat *Marc.* VI, 5. ibi virtutem ullam facere, scilicet potentia ordinata, quia non decuit, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit.

ARTICULUS XXVII

EXPOSITIO CAPITULI QUARTIDECIMI : IN ILLO TEMPORE, AUDIVIT HERODES TETRARCHA FAMAM JESU, ETC.

1 *In illo tempore, audivit Herodes* Antipas, filius Herodis Ascalonitæ, cujus
Matth. II, 16. tempore natus est Christus, qui et infantes occidit, *tetrarcha,* id est princeps quartæ partis regni. Nam patre ejus mortuo, divisum est regnum Judææ in quatuor partes : quarum duæ datæ sunt Archelao filio prædicti Herodis; tertia pars, Philippo; quarta, huic Herodi data est ab imperatore Romano. *Famam Jesu,* id est rumorem miraculorum, documentorum, et
2 operum Christi. *Et ait pueris,* id est satellitibus *suis* vel sibi familiariter junctis : *Hic* Jesus, de quo audio tanta, *est Joannes*
Marc. VI, 20. *Baptista.* Sciebat enim Herodes Joannem virum sanctum et justum fuisse, ut habet Marcus. Idcirco, audiens tanta de Christo, putavit quod ipse esset idem justus et sanctus, quasi Deus non haberet nisi unum excellentem ministrum in mundo. *Ipse* Joannes, quem ego decollavi, *surrexit a mortuis.* Ex hoc patet quod iste Herodes, sicut et pater ejus, legem Moysis acceptavit. *Et ideo virtutes,* hoc est præcedentia merita seu opera virtuosa Joannis, *operantur in eo,* id est, sunt causa quod tanta mirabilia
B agit. Quamvis enim Joannes ante mortem suam nullum fecerat signum, æstimavit tamen Herodes, quod post resurrectionem miracula faceret, quasi ad statum meliorem promotus. Et quia de morte Joannis jam tactum est, Evangelista describit causam, modum et ordinem suæ occisionis.

Herodes autem per servos suos *tenuit,* 3
hoc est, comprehendit ac cepit, *Joannem, et alligavit eum, et posuit in carcerem, propter Herodiadem uxorem fratris sui,* id est ad instantiam Herodiadis conjugis Phi-
C lippi, qui fuit frater Herodis : cujus legitimam conjugem nomine Herodiadem, abstulit iste Herodes, et secum in adulterio sedit. Vel, Propter Herodiadem, hoc est propter amorem carnalem quem habuit ad eam : quam tanto carnalitatis ardore amavit, quod increpationem de hoc ferre non potuit. Vel, Propter Herodiadem, id est, ad hunc finem, ut Joanne occiso, cum illa
quietius ac securius delectaretur. *Dicebat* 4
enim illi, puta Herodi, *Joannes : Non licet tibi,* qui legem Moysis recepisti, *habere eam*
D in conjugem : quia hoc prohibet lex, ne quis uxorem fratris, illo vivente accipiat. *Lev.* XVIII, 16; XX, 21.

5 *Et volens* Herodes *illum,* id est Joan- A
nem, *occidere, timuit populum,* ne insur-
geret contra ipsum, si Joannem occideret,
quia sicut prophetam eum habebant, id
est, Joannem reputavit populus communis
esse prophetam. Unde dictio illa, Sicut,
hoc loco dicit non tantum similitudinem,
sed etiam veritatem. Marcus habet, quod
Marc. vi, 20. Herodes metuebat Joannem, sciens eum vi-
rum sanctum et justum ; et custodiebat
eum, et audito eo, multa faciebat, et li-
benter eum audiebat. Quibus verbis Mar-
Ibid. 19. cus præmisit : Herodias autem insidiabatur B
Joanni, volens occidere eum, nec pote-
rat. Cujus impotentiæ causam Marcus as-
signans, dicit quæ allegata est : Herodes
enim metuebat Joannem. Ex quibus patet,
quod mulier ista nefaria, primo concepit
odium contra Joannem suæ concupiscen-
tiæ inimicum. Videns enim quod Herodes
Joannem libenter audivit, eoque audito
multa operabatur, cepit timere ne propter
prædicationem Joannis, Herodes eam ab-
jiceret, et primo redderet viro. Quod ergo
nunc dicitur, quod Herodes quærebat Jo- C
annem occidere, intelligendum est proces-
sisse ex Herodiadis suggestione. Effemina-
tus quippe Herodes in tantum victus est
luxuriosæ mulieris concupiscentia et amo-
re, quod contra legem et propriæ rationis
judicium acquievit mulieri, et insidiaba-
tur Joanni, quem ante libenter audivit ac
timuit.

6 *Die autem natalis,* id est anniversario
die nativitatis *Herodis, saltavit,* hoc est,
chorizando tripudiavit, *filia Herodiadis,*
ex alio viro, *in medio* aulæ seu alterius D
loci, vel in medio eorum qui aderant ; *et*
placuit Herodi saltans filia meretricis, et
7 saltatio ejus. *Unde,* id est ex qua vana
complacentia, *cum juramento pollicitus*
est, id est promisit, *ei dare quodcumque*
Ibid. 23. *postulasset ab eo,* quamvis mediam regni
8 partem. *At illa* puella *præmonita a ma-*
tre sua Herodiade, a qua petivit consili-
Ibid. 24. um, dicens : Quid petam ? Et illa : Caput
Joannis. *Da mihi, inquit* puella Herodi,
hic, hoc est in loco præsenti, *in disco,*
caput Joannis Baptistæ : quod fieri non
potuit, nisi decapitaretur. *Et contristatus* 9
est rex Herodes, quod tam inconsulte ju-
rasset ac promisisset, et quod illa tam
crudeliter postulasset. Quidam dicunt quod
Romani abstulerunt a Judæis nomen re-
gium. Et tamen hoc loco Herodes dominus
Judæorum, dicitur rex. *Propter juramen-*
tum autem quod fecit puellæ, ne videretur
perjurus, *et eos qui pariter recumbebant,*
id est, simul cum ipso manducabant. Fe- Marc. vi, 21.
cit enim cœnam principibus, et tribunis,
et primis Galilææ. Itaque, propter istos, ne
in tantorum virorum præsentia videretur
perjurus et mendax, vel ne ipsi turba-
rentur, quia fortassis consenserunt Hero-
diadi in mortem Joannis, *jussit dari* caput
Joannis puellæ nequissimæ.

Secundum Hieronymum, et alios plures,
Herodes cum Herodiade ordinavit quomo-
do posset Joannem occidere ; et invento
concordi consilio, fecit convivium, in quo
filia Herodiadis tripudiaret : qua saltan-
te, finxit se rex ultra modum delectatum
in saltatione illius, moxque jurando pro-
misit dare ei quod peteret. Qua caput Jo-
annis petente, simulavit se rex contrista-
ri, ut populus haberet eum excusatum de
morte Joannis, quum tamen corde gau-
deret. Et hoc alii probant : Primo, quia
ut scribitur hic, Herodes ante saltationem,
accubitum, et postulationem puellæ, vo-
luit Joannem occidere. Secundo, quoniam
nisi optasset mortem Joannis, non occi-
disset eum propter juramentum, quia sub
promissione hujusmodi non intelligitur
aliquod illicitum cadere. Tertio, quia non
est probabile quod propter saltationem
promitteret puellæ tantum donum.

Verumtamen Augustinus sentire vide-
tur, quod Herodes vere metuebat et li-
benter audiebat Joannem, et ex animo tri-
stis effectus est postulatione illa audita :
quod litteræ hujus capituli et verbis Marci
magis consonare apparet. Quod igitur di-
citur, Herodem voluisse occidere Joannem,
intelligi potest de voluntario permixto in-
voluntario, quomodo Pilatus voluit cruci-

figere Christum : quem utique voluntarie crucifixit, aliter non peccasset ; sed erat voluntarium illud involuntario mixtum. Prov. XIII, 4. Denique, sicut juxta Salomonem, vult et non vult piger, si talis vult et non vult, hoc quoque quod vult, efficit cum mœrore, quemadmodum negotiator cum tristitia projicit merces in mare. Habuit ergo displicentiam contra Joannem, propter increpationem ipsius, et inclinationem ad occidendum eum, propter Herodiadis preces ; sed non tantum, quod absolute decrevit vel optavit eum occidere, secundum Augustinum : ideo contristatus est audita petitione petulantis puellæ. — Ad secundum dici potest, quod reges, principes et superbi, volunt promissa ac juramenta sua implere, quamvis illicita, ne ab hominibus judicentur perjuri aut mentientes. Et quod opponitur : Si puella petisset caput patris et matris, Herodes non consensisset, ergo quod juravit puellæ dare quidquid peteret, insidiando fecit : hoc solveretur, dicendo quod intentio Herodis non erat absolute promittere, sed dummodo non esset penitus irrationabile et absurdum. Marc. VI, 23. Ideo enim dixit : Licet dimidium regni mei. Quasi diceret : Si aliquid majus petieris, non præstarem. — Ad tertium diceretur, quod reges quum vino calefacti sint, faciliter inclinantur ad promittendum, Esther V, 6. ut patet de Assuero, quomodo promiserat Esther. Quamvis autem caput Joannis dare saltanti, fuit maxime irrationabile, tamen Herodes non reputavit hoc tam irrationabile ut alia multa.

10 *Misitque* spiculatorem, *et decollavit* per
11 manum illius *Joannem in carcere. Et allatum est caput ejus in disco, et datum est puellæ, et tulit matri suæ* Herodiadi, ut viso capite increpatoris sui, gloriaretur de condigna vindicta. O qualia sunt judicia Dei ! Et quomodo permittit Deus justus et sanctus, electos suos in præsenti sæculo tribulari, a reprobis opprimi, multis injuriis affici ! Scit enim quam salubre et meritorium hoc eis exsistat. Ecce sanctissimum virum, consanguineum Christi, præconem, præcursorem, baptistam Salvatoris, quo inter natos mulierum major non fuit, (Matth. XI, 11.) permisit ad suggestionem adulteræ incarcerari, ad instantiam petulantis ac vilis puellæ occidi. Nemo ergo servorum Christi murmuret, contristetur, aut pusillanimis fiat, dum adversitatibus atque injuriis fatigatur. Multæ enim tribulationes justorum ; (Ps. XXXIII, 20.) et tanquam aurum in fornace probavit Deus electos. (Sap. III, 6.)

Et accedentes discipuli ejus, puta Joan- 12
nis, *tulerunt corpus ejus* de carcere, vel loco carceri propinquo, *et sepelierunt illud,* in urbe Sebaste, ut dicitur, quæ olim vocabatur Samaria. Nec dubium quin fecerint planctum magnum super tam dilectum et sanctum magistrum. *Et venientes nuntiaverunt Jesu* de occisione Joannis. Noverant enim Jesum esse cognatum et
amicum Joannis præcipuum. *Quod quum* 13
audisset Jesus : non quod tunc illud primo cognovit, quippe quum ipse omnia præterita, præsentia, et futura, a primo suæ conceptionis instanti agnoverit ; sed tunc ostendit se illud cognoscere, faciendo quod subditur, *secessit inde,* videlicet a patria sua seu Nazareth, *in navicula,* ut pauper et humilis, vili et humili vehiculo navigaret trans fretum seu mare Galilææ, ut patet in Joanne, (Joann. VI, 1.) *in locum desertum seorsum :* non quasi timens ab Herode occidi, quem poterat solo nutu destruere ; sed quasi cedens furori hostis, dansque exemplum vicissim declinandi persecutionem, et ut die divinitus præordinato pateretur in Jerusalem, sicut frequenter prædixit. *Et quum audissent turbæ* Jesum transisse ad locum hunc, *secutæ sunt eum pedestres de civitatibus,* nec dubium quin etiam de villis atque castellis. Causam quare secutæ sunt eum, Joannes refert, videlicet, quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur. (Ibid. 2.)

Et exiens Jesus, hoc est, desertum lo- 14
cum egrediens, et turbis quodammodo obvians, *vidit turbam multam, et misertus est eis,* quia erant sicut oves non habentes pastorem, secundum Marcum ; (Marc. VI, 34.) *et curavit*

languidos eorum, hoc est infirmos quos A turba adduxit, et docuit turbam. Per hoc mystice designatur, quod Christus ipsius vestigia sequentibus, ejusque gratiosam præsentiam quærentibus, protinus obviet,
Matth. VII, 8. et ultro se offerat, juxta illud : Omnis qui quærit, invenit. Vulnera vitiorum in eis curat, et lumen sapientiæ influit.

15 *Vespere autem facto, accesserunt ad eum disciPuli ejus, dicentes : Desertus est locus* in quo sumus, id est domos et cibos non habens, *et hora jam præteriit,* id est, tempus hujus diei ad occasum jam tendit : B idcirco *dimitte turbas,* dando eis licentiam vel consilium revertendi ad loca habitationis, *ut euntes in castella, emant sibi*
Marc. VI, 36. *escas.* Marcus sic habet : Ut euntes in villas et vicos. Unde per castella, alia quoque loca convenientia intelliguntur. In quo declaratur sollicitudo superflua, imperfectaque fides discipulorum, qui dabant consilium recedendi a Christo et spirituali alimento, propter corporeum cibum, et quasi fame periclitari possent quibus adfuit Christus.

16 *Jesus autem dixit eis : Non habent necesse ire* ad cibos emendos ; *date illis vos manducare.* Quæritur, cur hoc Christus dixit discipulis, quos noverat non habere cibaria tanta. Dicendum : primo, ad insi-
Matth. XVII, 19. nuandum quod si discipuli habuissent fidem sicut granum sinapis, certi fuissent se sola prece posse acquirere escas sufficientes turbæ a Deo ; secundo, intelligi potest per modum propheticæ prænuntiationis, ut Christus dicatur dixisse discipulis, Date illis manducare, quia scivit sic D esse futurum. Sciendum tamen, quod antequam Christus hæc dixit, interrogavit
Joann. VI, 5. Philippum : Unde ememus panes ut manducent hi ? ut habet Joannes. Quo respon-
Ibid. 7. dente, Ducentorum denariorum panes non
Marc. VI, 37. sufficiunt eis, dixit Salvator : Vos date illis manducare. Responderunt discipuli : Euntes emamus denariis ducentis panes, et
Ibid. 38. dabimus illis manducare. Qui dixit : Quot panes habetis ? ut in Marco habetur. Quid autem ad hoc responderint, subjungit Mat-
thæus. *Responderunt ei : Non habemus* 17
hic nisi quinque panes et duos pisces. Joannes sic habet : Respondet ei Andreas : Joann. VI, 8, 9.
Est puer hic unus, habens quinque panes hordeaceos et duos pisces. Itaque per synecdochen ponitur pars pro toto ; vel omnes respondisse dicuntur, quia Andreas respondit pro omnibus. *Qui ait eis : Af-* 18
ferte huc illos mihi panes et pisces.

Et quum jussisset turbam discumbere, 19
hoc est manducare, vel ad manducandum quiescere seu sedere, *super fœnum.* Erat Ibid. 10.
namque fœnum multum in loco illo, nec tabulas et sedilia habuerunt. *Acceptis quinque panibus et duobus piscibus, adspiciens in cœlum :* non quod per elevationem corporalium oculorum suorum, interiores oculi animæ suæ plus quam ante elevarentur ad Deum per contemplationem, quem indesinenter per speciem vidit. Sed adspexit in cœlum : Primo, ut daret nobis exemplum semper recurrendi ad Deum, juxta illud in Psalmo : Oculi mei semper Ps. XXIV, 15.
ad Dominum. Secundo, ad significandum C quod tota virtus et efficacia sua esset a Patre, quemadmodum ait apud Joannem : Non possum ego a me ipso facere quid- Joann. V, 30.
quam. *Benedixit :* in quo docuit ante comestionem benedicere cibos ; *et fregit, et dedit discipulis panes* jam fractos ; *discipuli autem* dederunt *turbis.* Denique, inter manus Christi et discipulorum multiplicati sunt panes et pisces, vel per creationem novorum panum et piscium, vel per solam eorum multiplicationem, sine alicujus materiæ conversione in panes piscesque, vel per augmentationem, convertendo aliquid in panes et pisces. De modo siquidem hujus multiplicationis, est longissima atque difficilis disputatio inter doctores.

Et manducaverunt omnes, et saturati 20
sunt omnes. *Et* discipuli *tulerunt,* hoc est, colligendo a manducantibus abstulerunt, *reliquias* ciborum remanentes, *duodecim cophinos fragmentorum plenos.* Ponit continens pro contento, hoc est fragmenta sportarum duodecim. Mystica horum ex-

planatio poni solet in Joannis evangelio. A
21 Unde ad locum illum hanc differo. *Man-*
ducantium autem numerus fuit quinque
millia virorum, exceptis mulieribus et
parvulis, quorum numerus forsitan nu-
merum virorum excessit. Quemadmodum
Num. I. vero in Numeris habetur, Viri vocantur,
qui vicesimum annum attigerunt, quasi
potentes ad bella procedere.
22 *Et statim jussit discipulos suos ascen-*
dere in naviculam, et præcedere eum trans
fretum, videlicet ultra mare Galilææ. Imo
Marc. VI, 45. coegit eos ad hoc, secundum Marcum : B
per quod patet, quod nec ad horam liben-
ter separabantur a tam dulci ac potenti
magistro. Nihilo minus statim obtempera-
verunt. *Donec dimitteret turbas* a se rece-
dere, et tunc sequeretur discipulos. Turbæ
enim noluerunt abire, nisi viso discipu-
23 lorum recessu. *Et dimissa turba, ascen-*
Joann. VI, 15. *dit,* imo secundum Joannem, fugit, *in*
montem solus orare. Ratio cur fecit di-
scipulos præcedere, et cur ipse fugit in
montem prædicti deserti, exprimitur in Jo-
anne, quo legitur : Sciens Jesus quia ven- C
turi erant, ut raperent et facerent eum
regem, viso scilicet tanto miraculo, fugit
in montem. In quo docuit honorem et glo-
riam mundi humiliter declinare. *Vespere*
autem facto, solus erat ibi, in vertice
montis. Porro, quod Christus turba dimis-
sa ascendit montem causa orandi, ostendit
quod aliorum præsentia frequenter impe-
dit orationis instantiam ac fervorem, et
quod locus sublimis seu opportunus oc-
casionaliter proficit ad excitandum mentis
fervorem in orando, laudando, contem- D
plandoque Deum; et item, quod prælatus,
prædicator ac doctor dominici gregis, sem-
per quum potest redire debet ad locum
quietum, in quo solus cum Domino oc-
cupetur, atque ab eo purgetur, illumine-
Ps. CXLIV, 7. tur ac perficiatur, ita ut rediens, memo-
riam abundantiæ suavitatis Dei gustatæ
suis eructuet, gratiamque perceptam aliis
administret.
24 *Navicula autem,* in qua erant discipuli,
in medio mari, id est stagno prædicto :
non enim fuit Magnum mare; *jactabatur*
fluctibus, orta tempestate in aqua. *Erat*
enim contrarius ventus navigationi eo-
rum, nec poterant facile remigare. Ex quo
figuratum est, quod carentes præsentia
Christi, variis periculis subjacent, ejusque
interna consolatione absente, diversæ af-
flictiones et tempestates tentationum ori-
untur in animo. Ideo sanctus Job : Pone *Job* XVII, 3.
me (inquit) juxta te, et cujusvis manus
pugnet contra me.
Quarta autem vigilia noctis, id est tri- 25
bus partibus noctis jam lapsis, et ultima
parte ejus instante vel inchoata. Solebant
enim milites tempore prælii exercitum
custodientes, dividere noctem in quatuor
partes, quatenus in qualibet parte una
pars militum vigilaret ad custodiendum
exercitum. *Venit* Jesus *ad eos, ambulans*
supra mare, per agilitatis dotem, secun-
dum Hugonem : quod tamen alii negant.
Secundum Marcum, Jesus stans in terra, vi- *Marc.* VI,
dit discipulos laborantes in remigando, et 47, 48.
tamen non statim, sed circa finem no-
ctis venit ad eos, qui tota nocte pericli-
tabantur : ad designandum, quod sæpe
permittit electos suos ad tempus affligi,
ut a venialibus purgentur, et Christi gra-
tiam atque præsentiam invocando, ampli-
ori gratia et gloria decorentur. *Et viden-* 26
tes eum supra mare ambulantem, turbati
sunt, propter rem prorsus insolitam, *di-*
centes : Quia phantasma est, id est ap-
parentia rei non exsistentis quod esse vi-
detur. Forsan timebant ne esset spiritus
malignus in specie Christi. *Et præ timore*
clamaverunt, divinam protectionem invo-
cando, quia timebant a dæmone illudi, et
nocumentum incurrere.
Statimque Jesus locutus est eis, dicens : 27
Ego sum sicut apparet, et cujus vocem
cognoscitis, et qui verum esse habeo, qui
olim dixi ad Moysen : Ego sum qui sum ; *Exod.* III,
hæc dices filiis Israel, Qui est misit me ad 14.
vos. *Habete fiduciam* in Deo, *nolite timere*
inordinato pavore, a negotio perambulante *Ps.* XC, 6.
in tenebris. In omnibus inveniuntur disci-
puli Christi usque ad Spiritus Sancti emis-

sionem vel ascensionem, satis imperfecti
ac rudes : propter quod Salvator apud Mar-
Marc. VI, 52. cum ait, quia obcæcatum fuit cor eorum.
28 *Respondens autem Petrus,* qui in om-
nibus invenitur ceteris in fide et caritate
ardentior, *dixit : Domine, si tu es.* Hoc
dixit, non amplius dubitando : alioqui non
commisisset se tanto periculo, ut propter
verbum ipsius inciperet ambulare supra
mare. Quod igitur ait, Domine, si tu es, ex
caritatis procedit ardore et fidei magnitu-
dine, qua credidit se per potentiam vel
meritum Christi posse supra aquas ince-
dere. *Jube me venire ad te super aquas,*
quoniam tibi obediendo, perire non valeo.
29 *At ipse* Jesus *ait : Veni. Et descendens Pe-
trus de navicula, ambulabat super aquam
ut veniret ad Jesum.* Noverat Petrus, quod
virtute Christi posset aqua sub pedibus
suis consolidari, vel corpus suum levifi-
cari. Et ad magnitudinem hujus miraculi
confert, quod tam Christus quam Petrus,
non supra tranquillum, sed turbulentum
mare deambulavit.
30 *Videns vero,* imo experiens, *ventum va-
lidum* se impellentem, *timuit. Et quum
cœpisset mergi,* propter timorem inordi-
natum ex fidei imperfectione descenden-
tem, *clamavit, dicens : Domine, salvum*
31 *me fac* ab isto submersionis periculo. *Et
continuo Jesus extendens manum, appre-
hendit eum.* Sic cunctis electis periclitan-
tibus spiritualiter facit Christus. Nam licet
ad tempus desinat eos adversitatibus agi-
tari, tamen quum prospicit quod mox pe-
rituri sint nisi ipse succurrat, porrigit
manum adjutricem. Propter quod ait Psal-
Ps. CXVII, 13. mista : Impulsus, eversus sum ut cade-
rem, et Dominus suscepit me ; itemque,
Ps. XXXVI, 24. Quum ceciderit, non collidetur, quia Do-
minus supponit manum suam. *Et ait illi*
Jesus : *Modicæ fidei,* id est tu, Petre, mo-
dicam habens fidem, vel potius fidei ac-
tum, quantum ad præsens. Modicam enim
fidem habere videtur, in quo passiones
partis sensitivæ fidei actum impediunt si-
ve obnubilant. *Quare dubitasti,* id est, in-
certus fuisti de mea custodia, et tua con-

A servatione? quasi mergi posset, qui me
jubente super aquas progreditur, quum
ego per Isaiam testatus sum : Quum trans- *Is.* XLIII, 2.
ieris per aquas, tecum ero, et flumina non
operient te. Nondum fuerat Petrus tantus
in fide, ut cum Psalmista dicere posset :
Nam et si ambulavero in medio umbræ *Ps.* XXII, 4.
mortis, non timebo mala, quoniam tu me-
cum es.
Et quum ascendisset Jesus cum Petro 32
in naviculam, cessavit ventus, haud du-
bium quin Christo jubente. Sic Christo
B per internam visitationem redeunte ad
cor quod ad tempus dispensative reliquit,
redit tranquillitas animi, delectaturque *Ps.* XXXVI, 11.
anima in multitudine pacis.
Qui autem in navicula erant, videlicet 33
alii discipuli, et ut dicit Hieronymus, ve-
ctores et nautæ, *venerunt, et* genibus fle-
xis, vel proni super asseres, *adoraverunt
eum.* Si crediderunt eum esse verum De-
um, adoraverunt eum adoratione latriæ.
Et certum est, quod nec Apostoli habue-
runt firmam et fixam fidem de hoc, usque
C post resurrectionem. Nondum enim scie-
bant minora de Christo, ut quod esset
passurus pro mundo, vel resurrecturus a *Luc.* XVIII, 31-34.
morte. *Dicentes : Vere Filius Dei es.* Si
adoraverunt eum ut verum Deum, voca-
bant eum Filium Dei naturalem et uni-
cum ; si autem adoraverunt eum adora-
tione duliæ, quasi hominem excellentem,
ut Joab David regem, vocabant eum Filium II *Reg.* XIV, 22.
Dei per gratiam singularem. Communiter
vero affirmant doctores, quod adoraverunt
eum adoratione latriæ, quasi Filium Dei
D naturalem, verumque Deum. Sed si in hac
fide stabiliti fuissent, non tam facile post-
ea dubitassent, sicut in sequenti dicetur
capitulo ; et præsertim tempore passionis,
quando verba credentium mulierum vide- *Luc.* XXIV, 11.
bantur eis deliramenta.
Et quum transfretassent, id est, ultra 34
mare istud navigassent Jesus et ejus disci-
puli, *venerunt in terram Genesar :* de qua
dictum est supra. *Et quum cognovissent* *Matth.* VIII, 28.
eum viri loci illius, vel ex solo rumore, 35
quia famosus erat, vel ex adspectu, vel,

quod potius tenendum est, quoniam Jesus A
jam semel fuit in regione illa, in qua libe-
Matth. VIII, 28-34. ravit duos a dæmonibus, qui ingressi in
porcos præcipitaverunt eos in mare : quod
factum omnibus terræ illius innotuit ; *mi-
serunt in universam regionem illam,* col-
ligendo et adducendo ad Jesum omnes in-
firmos, sicut subjungitur, *et obtulerunt ei
omnes male habentes.* Ex consideratione
enim prædicti miraculi, et aliorum signo-
rum quæ perceperunt facta a Christo, fir-
miter crediderunt quod posset quoscum-
36 que infirmos curare. *Et rogabant eum* B
infirmi, vel alii pro infirmis, *ut vel fim-
briam vestimenti ejus tangerent,* ut sana-
rentur, corporis sui sanctissimi tactu se
reputantes indignos, nec oportere illud
contingere, sed sufficere tactum extremæ
partis vestis ipsius, propter excellentiam
suæ sanctitatis. Quibus Christus libenter
assensit. *Et quicumque tetigerunt* fimbri-
am, *salvi facti sunt* ab incommodo seu
languore mentis et corporis. Virtus nempe *Luc.* VI, 19.
exivit de eo, et redundans in corpus se-
que diffundens per vestem, sanavit om-
nes, ut dictum est.

ARTICULUS XXVIII

DECLARATIO CAPITULI QUINTIDECIMI : TUNC ACCESSERUNT AD EUM AB JEROSOLYMIS SCRIBÆ ET PHARISÆI.

1 T*UNC accesserunt ad eum,* cujus vesti-
mentorum contactu sanabantur infir-
mi, *ab Jerosolymis Scribæ et Pharisæi,*
2 *dicentes : Quare discipuli tui transgre-
diuntur traditiones,* id est ordinationes
morales, *seniorum,* id est factas seu insti-
tutas a senioribus (qui præerant populo
Num. XI, 24, 25. Judæorum, et successerunt septuaginta se-
nibus electis a Moyse, de quibus in libro
Numerorum legitur)? Hi seniores ordina-
Marc. VII, 2. verunt ne Judæi comederent manibus com-
munibus, hoc est non lotis : quod disci-
puli Christi interdum non servaverunt. Nec
tenebantur ad hoc, quoniam sub summi D
dispensatoris magisterio erant, qui poterat
eos ab hac ordinatione absolvere : nam et
ipsemet Christus sæpe non lotis manibus
Luc. XI, 38. manducavit, ut Lucas habet. *Non enim
lavant manus suas quum panem mandu-
cant,* id est, quando ad mensam accessuri
sunt. Per panem autem designat Scriptura
quemlibet cibum.
3 *Ipse autem* Jesus *respondens, ait illis :
Quare et vos transgredimini mandatum
Dei, propter traditionem vestram,* id est,
ut observetis vestras institutiones? Non ex
C impatientia, sed zelo justitiæ taliter Chri-
stus respondet, innocentes excusando, et
invidos ac prævaricatores accusando : Pri-
mo, ad ostendendum quod indigni sunt
alios de parvis accusare, qui magnis sub-
jacent vitiis. Secundo, ut adimpleretur
quod per Isaiam de ipso prædictum est :
Judicabit in justitia pauperes, et arguet in *Is.* XI, 4.
æquitate pro mansuetis terræ ; et in Psal-
mo, Judicabit pauperes populi, et salvos *Ps.* LXXI, 4.
faciet filios pauperum, et humiliabit ca-
lumniatorem. Quomodo autem Scribæ ac
Pharisæi transgressi sunt divinum manda-
tum, subjungitur.

Nam Deus dixit, id est, per Moysen
jussit : *Honora patrem tuum et matrem* 4
carnales, non solum reverentiam exhiben- *Exod.* XX, 12; *Deut.* V, 16.
do tanquam principiis exsistentiæ tuæ,
sed etiam necessaria ministrando quum
indigent. Quamvis enim per se et secun-
dum communem cursum, non debeant filii *II Cor.* XII, 14.
parentibus thesaurizare, sed econtra, ut di-
cit Apostolus ; tamen per accidens, scilicet
in causa necessitatis et notabilis indigen-

tiæ, hoc oportet : imo in causa necessita- A
tis, magis succurrendum esset parentibus,
quam uxori aut filiis propriis, secundum
Exod. XXI, 17; *Lev.* XX, 9. Thomam. *Et, Qui maledixerit patri vel*
matri, verbo vel facto, vel aperta rebel-
lione, *morte moriatur,* id est, secundum
legem occidatur. Hæc erat pœna maledi-
centium suis parentibus. Unde in Eccle-
Eccli. III, 18. siastico scriptum est : Quam malæ famæ
est, qui relinquit patrem ! et est maledi-
ctus a Deo, qui exasperat matrem.

5 *Vos autem dicitis,* hoc est, prædictum
præceptum false exponendo, alios vestra B
traditione ita instruitis : *Quicumque* filius
dixerit patri, vel matri indigenti, *Munus*
quodcumque est ex me, id est, quidquid
ego obtulero Deo, seu omne munus quod
ex mea devotione Deo offertur vel conse-
cratur, *tibi proderit,* id est, tibi utilius
erit, quam si illud tibi præstarem, quia
proficiet ad spiritualem salutem, quæ me-
lior est quam corporalis nutritio. Ad hu-
jus intellectum, sciendum quod sacerdo-
tes, Scribæ ac Pharisæi avaritiæ dediti, ut
majores oblationes acquirerent, impieta- C
tem suam quadam religione palliabant,
dicentes, quod melius esset Deo offerre
quæ parentibus danda erant, quam con-
ferre ea parentibus : primo, quoniam Deus
esset pater summus ac principalis, de quo
Is. LXIII, 16. Isaias ait, Tu, Domine, pater noster ; se-
cundo, quia hoc magis prodesset saluti pa-
rentum. Dixerunt ergo, quod quando filii
dicerent parentibus egenis, Munus quod-
cumque est ex me, vel a me Deo promis-
sum, oblatum, vel consecratum, vobis pro-
derit magis, quam si illud in usus vestros D
expenderetis ; tunc filii non tenerentur
parentibus victualia ministrare, quamvis
indigerent. Et hoc etiam idcirco dixerunt
Scribæ et Pharisæi, ut parentes sic esse
putantes, non auderent bona filiorum Deo
oblata contingere, ne sacrilegii crimen in-
currerent. Sed ista Scribarum assertio fal-
sa est : non enim vult Deus sibi offerri ea
quæ aliis debentur. Parentibus autem te-
nentur filii ministrare necessaria vitæ in
casu prædicto.

Porro, quod subditur, *et non honorifi-* 6
cabit patrem suum aut matrem suam, du-
pliciter intelligi potest : Primo, Et non
honorificabit, id est, filius ista dicendo
parentibus, vel bona sua Deo vovendo, non
tenetur nec debet honorificare seu neces-
saria ministrare patri aut matri. Secundo
sic : Et non honorificabit, id est, quicum-
que filius vestram traditionem sequitur,
non honorificabit veraciter suos parentes,
dando eis victum atque vestitum dum in-
digent, sicut lex præcepit, sicque trans-
greditur divinum præceptum, sequendo
vestrum errorem. Ideo subditur : *et irri-*
tum, id est vacuum et false intellectum ac
prævaricatum, *fecistis mandatum Dei* de
honoratione parentum, *propter traditio-*
nem vestram jam dictam, quia per illam
inducitis aliquos ad falsum intellectum at-
que crudelem transgressionem divini præ-
cepti, evacuatisque illud : et ita agitis con-
tra præceptum Moysis in Deuteronomio,
ubi ait, Non adjicietis ad verbum quod *Deut.* IV, 2.
ego loquor, nec auferetis ex eo ; et fecistis
homines potius obedire vobis quam Deo.

Hypocritæ, qui aliud estis, et aliud si- 7
mulatis, *bene prophetavit de vobis Isaias,*
dicens : Populus hic, a foris religiosus, 8
sed intus vitiosus, *labiis me honorat,* ore *Is.* XXIX, 13.
laudando Deum ac prædicando divina, *cor*
autem eorum longe est a me, non locali
distantia, quum ego ubique sim et omnia
penetrem, sed dissimilitudine, quia pec- *Ibid.* LIX, 2.
cata eorum dividunt inter me et eos. Unde
Sapiens inquit : Longe est Dominus ab *Prov.* XV, 29.
impiis ; et Osee, Dereliquerunt (ait) Domi- *Osee* IV, 10.
num in non custodiendo. *Sine causa au-* 9
tem, id est inaniter, *colunt me* exteriori
obsequio solum, quia non est meritorium
opus hujusmodi, nec perducit ad ultimum
finem, qui est vita æterna, *docentes doctri-*
nas, id est exhortationes, *et mandata ho-*
minum, humano spiritu, non Spiritu San-
cto loquentium, id est traditiones seniorum
suorum divino mandato contrarias.

Et convocatis ad se turbis, dixit eis 10
Jesus : *Audite, et intelligite,* id est, dili-
genter advertite quæ dico : *Non quod in-* 11

trat in os, id est cibus corporalis, qui ore A
accipitur, *coinquinat hominem* inquina-
tione peccati, quantum est ex natura cibi,
I *Tim.* IV, 4, 5. quoniam omnis creatura Dei bona est, et
nihil rejiciendum quod cum gratiarum ac-
tione sumitur, sanctificatur enim per ver-
bum Dei. Nihilo minus cibus potest esse
materia vel occasio spiritualis immundi-
tiæ, ratione prohibitionis vel immoderan-
tiæ ; sed tunc origo et radix inquinationis
Lev. XI, passim. est ab anima, non a cibo. Sicque multi
cibi erant in lege prohibiti. Apostolus quo-
I *Cor.* VIII, 13. que vetat idolothyta, seu idolis immolata, B
comedere, ne alii scandalizentur. *Sed quod
procedit ex ore,* videlicet verbum inordi-
natum, seu superstitiosa traditio, *hoc co-
inquinat hominem* intus in anima. Unde
Jacob. III, 6. Jacobus inquit : Universitas iniquitatis lin-
gua constituitur in membris nostris ; et
I *Cor.* XV, 33. Paulus, Corrumpunt (inquit) mores bonos
colloquia prava.

12 *Tunc accedentes discipuli ejus, dixe-
runt ei.* Discipuli adhuc tenebantur hu-
mano timore, idcirco ne Christus gravius
offenderet Scribas ac Pharisæos, vel con- C
tra se eos provocaret, accesserunt ad Je-
sum, dicentes : *Scis quia Pharisæi audito
hoc verbo,* Non quod intrat in os coinqui-
nat hominem, etc., *scandalizati sunt,* id
est ad ruinam culpæ inducti, videlicet in-
dignati et seditionem movere optantes in
turba contra Christum, quasi infringeret
legem, quæ aliquos cibos vocat immun-
dos ? Christus autem non scandalizavit eos
directe, quoniam scandalum activum est
dictum vel factum minus rectum præbens
alteri occasionem ruinæ ; sed illi ex sua D
perversitate scandalizati sunt, non volen-
tes acquiescere sanæ doctrinæ.

13 *At ille respondens* discipulis suis, *ait :
Omnis plantatio,* id est generatio planta-
ta, vel doctrina humanitus adinventa atque
erronea, *quam non plantavit,* id est, per
gratiam prædestinationis non fundavit, vel
per lumen sapientiæ non inspiravit nec
stabilivit, *Pater meus cœlestis, eradicabi-
tur,* id est, reprobabitur atque damnabi-
Is. XLI, 16. tur, sicut per Isaiam prædictum est : Tur-
babis eos, et ventus tollet, et aura disperget
eos ; et iterum, Et quidem neque satus, *Is.* XL, 24.
neque radicatus in terra truncus eorum,
repente flavit in eos, et aruerunt. Unde
Ecclesiastes : Quasi umbra (inquit) præ- *Eccle.* VIII, 13.
tereant, qui non timent faciem Domini.

Sed quæritur, si omnis plantatio non
plantata a Deo eradicatur, et plantata ab
eo non eradicatur, quomodo ad Synagogam
Dominus dicat per Jeremiam : Ego te plan- *Jer.* II, 21.
tavi vineam electam, et conversa es in
amaritudinem vitis alienæ. Et in Psalmo :
Vineam de Ægypto transtulisti, ejecisti *Ps.* LXXIX, 9.
gentes, et plantasti eam. Et post pauca :
Ut quid destruxisti maceriam ejus, et vin- *Ibid.* 13, 14.
demiant eam omnes qui prætergrediuntur
viam ? Exterminavit eam aper de silva.
Denique Apostolus Corinthiis scribens :
Ego, inquit, plantavi. Numquid et illa plan- I *Cor.* III, 6.
tatio eradicata est ? Insuper, quidquid es-
sentiæ vel exsistentiæ est in rebus, a Deo
Patre profluxit. Ergo omnis plantatio ab
eo plantata est : præsertim quum Jere-
mias de impiis dicat, Plantasti eos, et pro- *Jer.* XII, 2.
ficiunt. — Et respondendum, quod Sy-
nagoga a Deo plantata fuit, quantum ad
receptionem temporalium bonorum, et ha-
bitationem in terra promissionis ; multi-
que Judæorum, quantum ad bona gratiæ,
plantati fuerunt divinitus. Unde quod de
plantatione et destructione Synagogæ al-
legatum est, non oportet accipere de eis-
dem numero, sed specie. Apostolus quoque
plantavit instrumentaliter, Deus principa-
liter. Propter quod ait : Dei cooperatores I *Cor.* III, 9.
sumus. Interea omne exsistens potest di-
ci plantatum a Deo, quantum ad esse na-
turale, quod recepit a primo universorum
fontali principio. Nunc autem fit sermo de
plantatione seu interiori fundatione men-
tis a Deo per gratiam, sine qua nemo fi-
naliter stabilitur. Ad quod pertinet quod
ait Salvator : Nemo potest venire ad me, *Joann.* VI, 66.
nisi fuerit ei datum a Patre meo ; et de-
nuo, Nemo (inquit) venit ad me, nisi Pa- *Ibid.* 44.
ter meus traxerit eum. Alii eradicantur,
juxta illud : Tollatur impius, ne videat *Is.* XXVI, 10, juxta LXX.
gloriam Dei. Separantur enim a consortio

electorum, et regione viventium. Hinc scri-
Sap. IV, 3. ptum est : Adulterinæ plantationes non
dabunt radices altas.
14 *Sinite illos,* hoc est, dimittite Scribas ac
Pharisæos incorrigibiles scandalizari, er-
Apoc. XXII, 11. rare, turbari, quatenus qui in sordibus
Eccli. III, 29. est sordescat adhuc, et peccator adjiciat
ad peccandum. Non enim propter scanda-
lum aliorum vitandum, omittenda est ve-
ritas vitæ, justitiæ vel doctrinæ, secundum
Hieronymum. Unde ait Gregorius : Quum
de veritate scandalum oritur, rectius na-
sci permittitur quam veritas deseratur.
Verumtamen scandalum pusillorum vitan-
dum est magis quam Pharisæorum, sicut
infra dicetur. *Cæci sunt* corde, id est lu-
mine veræ sapientiæ, et rectæ intelligen-
Sap. II, 21. tiæ Scripturarum privati : excæcavit enim
Ibid. I, 4. eos rancor eorum, quia in malevolam ani-
mam non introibit sapientia. *Duces cæco-
rum,* hoc est doctores, magistri et præla-
ti carnalium, litteralium atque errantium
Judæorum. Unde convenit eis illud Isaiæ :
Is. LVI, 10, 11. Speculatores ejus cæci omnes, videntes
vana ; ipsi pastores ignoraverunt intelli-
gentiam. *Cæcus autem* prælatus seu doctor
non illuminatus a Spiritu Sancto, *si cæco*
gregi vel subdito ignoranti, *ducatum præ-
stet,* inducendo eum ad ambulandum per
vias suas, seu ad sequendum opera et
judicia sua, *ambo in foveam cadunt,* id
est, in vitia præcipitantur, et tandem in
locum gehennæ labuntur, quemadmodum
Eccli. X, 2. scriptum est : Secundum judicem popu-
li, sic et ministri ejus. Hinc Jeremias in-
Jer. X, 21. quit : Quia stulte egerunt pastores, ideo
omnis grex eorum dissipatus est. Maximum
ergo beneficium Dei est, habere doctum
ac virtuosum prælatum, quia ut contesta-
tur Gregorius, Quum pastor per abrupta
graditur, necesse est ut grex in præcipi-
tium ducatur. Utinam tales dicerent illud
Is. III, 7. Isaiæ : Non sum medicus, et in domo mea
non est panis ; nolite me constituere prin-
cipem populi.
15 *Respondens autem Petrus, dixit ei,* vi-
delicet Christo : *Edissere,* hoc est expone,
nobis parabolam istam, qua dixisti : Non
A quod intrat in os coinquinat hominem,
etc. Quod tamen non fuit parabola, sed
manifesta sententia. Sed Petrus, quoniam
rudis fuit sicut et socii ejus, et quoniam
Christus solitus fuit parabolice loqui, pu-
tavit istud per parabolam dictum, quæ-
ritque mysticum intellectum in sermone
perspicuo. Ideo meretur audire : *Adhuc et* 16
vos, Apostoli, *sine intellectu,* id est actu
intellectus, videlicet sine debita conside-
ratione, *estis?* Solus Petrus interrogavit ;
sed quia de consilio et in persona condis-
B cipulorum sciscitatus est, idcirco omnibus
increpatorie dicitur, Adhuc et vos sine in-
tellectu estis? Pro quo in Marco scriptum
est : Adhuc et vos imprudentes estis? *Marc.* VII, 18.
Non intelligitis, quod merito intellige- 17
retis, quasi rem planam, *quia omne* ali-
mentum *quod in os intrat,* id est, a co-
medente ori imponitur ad alendum, *in
ventrem vadit,* qui est locus ciborum, sic-
ut mare aquarum, *et in secessum emitti-
tur?* non totum, sed quantum ad partes
impuras atque superfluas ; purior tamen
C pars alimenti post completam digestionem
in corpus convertitur comedentis. Hanc
auctoritatem allegant pro se Magister et
Petrus Comestor, cum aliis : qui dicunt
nihil de alimento converti in veritatem
substantiæ aliti, ita quod in primis paren-
tibus fuit, secundum eos, tota substantia
carnis posterorum. Præterea ponderandum
quod hoc loco asserit S. Hieronymus : Om-
nia, inquit, Evangeliorum loca, apud hæ-
reticos et perversos scandalis plena sunt.
Ex hac nempe sententia, quidam perver-
D sissimi homines dixerunt Jesum fuisse
idiotam, et physicæ ignarum, ex eo quod
dicat, Omne quod intrat in os, in ventrem
vadit, etc., quasi acceptæ escæ non dif-
funderentur per medullas, venas, nervos
ac artus. Sed isti, dum sapientiam Dei
ignaram fuisse comprobare nituntur, pro-
priam manifestant præsumptionem atque
insaniam. Nonne in tota Scriptura canoni-
ca, imo et in communi usu locutionis, fre-
quens et celebris est modus loquendi per
synecdochen? Et illa Christus jam utitur.

18 *Quæ autem procedunt de ore,* videlicet
verba illicita, *de corde exeunt,* id est, ab
intellectu et voluntate causantur : quia
ut ait Plato, ad hoc datus est nobis ser-
mo, ut mutuæ voluntatis fiant indicia; *et
ea coinquinant hominem,* inferendo ma-
19 culam culpæ. *De corde enim exeunt co-
gitationes malæ,* quæ sunt verba menta-
lia, et exprimuntur per verba vocalia :
sicque cogitationes procedunt de ore per
verba vocalia, quæ sunt cogitationum in-
dicia; *homicidia, adulteria, fornicationes,*
et ceteri vitiosi concubitus, *furta, falsa
testimonia, blasphemiæ :* quæ etiam di-
cuntur de ore procedere, in quantum ali-
quis per verba inducitur ad ista peccata.
20 *Hæc* vitia *sunt quæ coinquinant,* id est,
interius maculant, *hominem,* ita ut anima
ejus dæmonibus similis sit. [*Non lotis au-
tem manibus manducare non coinquinat
hominem.*]

Ex his infert Hieronymus : Ergo prin-
cipale animæ, non secundum Platonem, in
cerebro, sed secundum Christum, in cor-
de est. Sed hoc facile solveretur ab aliis.
Nam Christus hic accipit cor pro mente,
*Ps.*ix,2;cx,1; cxxxvii,1. quemadmodum et Psalmista, dicendo : Con-
fitebor tibi, Domine, in toto corde meo. Sic
Matth. v,8. enim et alibi adstruit : Beati mundo cor-
de. Plato vero accipit cor pro parte cor-
poris, sicut et Aristoteles, dicens, quod
cor est primum vivens et ultimum mo-
riens. Insuper dicit Hieronymus : Arguen-
di sunt hi qui cogitationes malas dicunt
immitti a dæmone, et non propria nasci
voluntate. Diabolus enim adjutor et incen-
sor cogitationum malarum esse potest, non
actor. Si autem in insidiis positus, levem
cogitationum nostrarum scintillam suis fo-
mitibus inflammaverit, non debemus opi-
nari eum cordis quoque occulta rimari,
sed ex corporis habitu et gestibus æsti-
mare quid versemus intrinsecus. Verbi
gratia : si pulchram mulierem viderit nos
crebro respicere, intelligit cor nostrum
amoris jaculo vulneratum.
21 *Et egressus inde,* videlicet a terra Gene-
sar, et a conventiculis Scribarum ac Phari-
A sæorum, *Jesus secessit* cum discipulis suis
in partes Tyri et Sidonis, quæ erant ur-
bes famosæ, antiquæ, magnæ et opulentæ.
Et ecce mulier Chananæa genere, id est 22
de stirpe Chananæorum progenita : nam
prædictæ urbes ad terram Chanaan perti-
nebant; *a finibus,* id est locis seu termi-
nis, *illis egressa* corpore et anima : cor-
pore, quoniam domum suam exivit ut
quæreret Jesum; anima, quoniam Chana-
næorum incredulitatem ac impietatem de-
seruit, credens in Christum; *clamavit :*
B quia ex vehementi affectu in verba erupit,
et propter magnitudinem necessitatis suæ
oblita est femineæ verecundiæ, clamans si-
ne rubore : nam excessivus amor rationem
non pensat. *Dicens ei : Miserere mei, Do-
mine, fili David.* Percepit mulier ista mi-
racula Christi, audivitque eum appellari
filium David. *Filia mea male,* id est gra-
viter, *a dæmonio vexatur. Qui non re-* 23
spondit ei verbum, non ex superbia vel
contemptu : sed ratione mysterii, ut desi-
gnaret se primo ac principaliter advenisse
C ad loquendum ac subveniendum populo
Israel; et quia jam ante præcepit discipu-
lis, In viam gentium ne abieritis. Hæc au- *Matth.* x,5.
tem mulier gentilis erat, genere Syrophœ- *Marc.* vii, 26.
nissa, hoc est de Syria Phœnicis. Ideo
etiam non respondit, ut illa instantius pe-
teret, et ardentius postulando copiosius
exaudiretur.

*Et accedentes discipuli ejus, dixerunt
ei* : Dimitte eam,* id est, exaudiendo age **rogabant eum dicentes*
quod rogat, ut revertatur, *quia clamat post
nos,* sequens vestigia nostra. Ex quo patet,
D quod ista contigerunt in via. Sed quæstio
tunc occurrit : nam Marcus inquit, quod
mulier ista venit et procidit coram Christo *Ibid.* 25.
in domo. Respondetur, quod primo venit
in domum, et quum ibi exaudita non es-
set, secuta est Christum in via. Porro di-
scipuli orant pro ea, vel clamore ejus at-
tædiati, vel necessitati ejus compassi, vel
fide ejus devotioneque moti. Mulier ista
non clamavit nisi ad Jesum, et tamen di-
scipuli dicunt, Clamat post nos. Jam enim
reputaverunt se unum cum Christo in Deo.

24 *Ipse autem respondens* discipulis, *ait :* A
Non sum missus primo ac principaliter,
et ad prædicandum ac operandum prodi-
gia in propria persona, *nisi ad oves quæ*
perierunt domus Israel, id est ad oves
familiæ Israeliticæ perditas per peccatum
originale et actuale, videlicet ad populum
Judæorum, quibus Christus primo per se
ipsum usque ad diem passionis, deinde
diu per Apostolos prædicavit, donec illis
penitus obstinatis et inexcusabiliter indu-
ratis, justa facta est ad gentes transmigra-
tio. Unde Christus in propria persona pa- B
rum prædicasse gentibus legitur. Interdum
tamen parum prædicavit et signa fecit in
gentibus, ex superabundanti, et ad figu-
randum quod postea prædicandum esset
eis Evangelium regni.

25 *At illa venit, et adoravit eum.* Non
est probabile quod putaverit eum verum
Deum, quum nec discipuli hoc putaverint,
sicut ostendi, et Beda fatetur, sed Prophe-
tam et hominem sanctum, vel etiam Mes-
siam. Adoravit itaque eum eo modo quo
II *Reg.* XIV, 4. mulier Thecuitis David regem, *dicens : Do-* C
mine, adjuva me. Mulier ista filiam suam
petit juvari atque sanari : et tamen ait,
Adjuva me : primo, quoniam calamitatem
propriæ filiæ reputavit ut suam ; secundo,
quoniam scivit filiam suam non posse sa-
nari principaliter, nisi a Deo, ideo orat ut
per Jesum impetret quod per se impetrare
a Deo non potuit. Sic nempe et Martha lo-
Joann. XI, 22. cuta est : Domine, scio quia quæcumque
poposceris a Deo, dabit tibi Deus.

26 *Qui respondens ait,* difficultatem quam-
dam monstrando : *Non est bonum sumere* D
panem filiorum, et mittere canibus. Hoc
ad litteram ita est, et tamen iste non est
sensus litteralis seu principaliter intentus,
nec mulier ita intellexit. Spiritualiter ergo
exponendum est : *Non est bonum,* id est
justum ac ordinatum, *sumere panem filio-*
rum, id est spiritualia alimenta seu bene-
ficia Dei, videlicet gratiam doctrinæ, et
opera miraculorum Judæis promissa ac
impendenda, qui filii nominantur, propter
cultum et fidem unius Dei ; *et mittere ca-*
nibus, id est dona ista impertiri gentili-
bus, qui propter idololatriæ insaniam et
sanguinis atque cadaverum immolatorum
esum, canibus comparantur. Hinc de po-
pulo Israel Dominus ait : Puer Israel, et *Osee* XI, 1.
dilexi eum. In Jeremia quoque : Ephraim, *Jer.* XXXI, 9.
inquit, primogenitus meus. Verum, per fi-
lios hoc loco præsertim significantur ele-
cti Judæi, quales fuerunt discipuli. Non
enim reputantur in semine Abrahæ, nisi *Rom.* IV, 12, 13.
qui credunt, secundum Apostolum. *At illa* 27
dixit : Etiam, Domine, ita est ut dicis, et
etiam fieri decet quod postulo ; *nam et ca-*
telli, id est parvi catuli seu caniculi, *edunt*
de micis, id est fragmentis, *quæ cadunt*
de mensa dominorum suorum. Hoc litte-
raliter ita est ; sed sicut Christus metapho-
rice loquitur, sic et mulier metaphorice,
subtiliterque, et valde pertinenter respon-
dit. Ut sit sensus : Sicut parvuli canes
sustentantur fragmentis cibi dominorum
suorum, sic decet me gentilem catello si-
milem, aliquid gratiæ Judæorum sortiri,
ut ad instantiam meam filia mea sanetur
a te.

Tunc respondens Jesus, ait illi : O mu- 28
lier, magna est fides tua, id est firma et
integra, bonis operibus ceterisque virtu-
tibus adornata, quoniam toties repulsa, et
quasi vilipensa a me, quia canibus compa-
rata, non cessas fideliter, humiliter, pru-
denter, ac patientissime postulare : dignum
est ergo ut tibi aperiam januam pietatis.
Fiat tibi sicut vis, id est, sicut petisti, sic
impleatur. Hunc Christi sermonem mox
effectus secutus est : nam sequitur : *Et*
sanata est filia ejus, id est a dæmonio li-
berata, *ex illa hora,* hoc est, statim quum
Christus locutus est, Fiat tibi sicut vis.

Denique, quo Christus videbatur huic
mulieri asperior foris in verbis et gesti-
bus, eo fuit ei benignior intus per opera-
tionem occultam, per inspirationem ac il-
lustrationem internam. Alioqui, quomodo
mulier ista tantam fidem, humilitatem,
patientiam atque prudentiam habuisset ?
— Sed quæritur, si verum est quod dixit
Salvator, Non est bonum sumere panem

filiorum et mittere canibus : ergo ipse fa-
ciendo oppositum, videtur fecisse non be-
ne. Et respondendum, quod verbum Chri-
sti intelligendum erat in generali, tamen
in casu bonum fuit oppositum : sicut et
Deut. XXIII, 3. Moyses jussit ne Ammonitæ et Moabitæ in-
trarent in ecclesiam Dei. Nihilo minus
Ruth I, 16; III, 10, 11; IV, 10-13; Ruth Moabites et Achior Ammonites, pro-
pter virtutes suas et devotionem ad Deum
Judith XIV, 6. Israel, statim admissi sunt ad ritum Judæ-
orum : et sic et mulier ista ex singulari
devotione obtinet quod communiter aliis
condonandum non fuit.

Mystice, per mulierem hanc figuratur
Ecclesia, quæ gentilitate relicta, incedit et
clamat ad Christum pro sanatione filiæ
suæ, hoc est animarum, seu particularium
Ecclesiarum, pro qua Apostoli ac ceteri
Sancti intercedunt ad Dominum. Et consi-
Ps. LXXVI, 11. deranda est hic mutatio dexteræ Excelsi :
quomodo Judæi, qui filii dicebantur, nunc
canes vocantur (sicut de eis ait Christus
Ps. XXI, 17. in Psalmo, Quoniam circumdederunt me
Philipp. III, 2. canes multi; et Apostolus, Videte canes,
videte malos operarios, videte concisio-
nem); gentiles vero, qui canes erant, jam
filii nuncupantur.

29 *Et quum transisset inde Jesus,* hoc est
a partibus Tyri et Sidonis ad Judæam re-
vertendo, *venit secus mare Galilææ ; et
ascendens in montem, sedebat ibi,* quate-
nus ab omnibus videretur, audiretur, fa-
ciliusque posset ad ipsum esse accessus.
Per quod figuratum est, quod prædicator
et custos dominici gregis, omnisque vica-
rius Christi, ascendere debet arcem con-
templationis, apicemque spiritualis con-
30 versationis. *Et accesserunt ad eum turbæ
multæ, habentes secum mutos, claudos, cæ-
cos, debiles.* Si per debiles intelligerentur
communiter omnes alii a prædictis ægro-
tis, adjectum non esset, *et alios multos,*
videlicet languidos. Sicut ergo per claudos
intelliguntur qui uno claudicant pede, sic
per debiles, qui unam manum habent inva-
lidam. Ecce ponit hoc loco velut sub com-
pendio Evangelista multa miracula Chri-
sti, quæ si sigillatim recitarentur, facerent

A magnum volumen : et simile ponit fre-
quenter. Ex quo patet majestas et gloria
Salvatoris, qui tam innumerabilia opera-
tus est signa, ut nemo in veteri Testamento
queat ei æquari. Pensemus Eliæ et Elisei
miracula, et sciemus quam minora ac ra-
riora sint signa eorum prodigiis Christi.
Sed et modus agendi incomparabiliter dif-
fert in eis. *Et projecerunt eos ad pedes
ejus, et curavit eos* solum imperio, *ita ut* 31
turbæ mirarentur, videntes, id est audi-
entes, *mutos,* hoc est, qui muti fuerunt,
B *loqui.* Visus in Scripturis, pro quocumque
sensu accipitur. Videntes etiam *claudos
ambulantes, cæcos videntes. Et magnifica-
bant,* id est, magnum ac omnipotentem
esse professi sunt, *Deum Israel,* qui tanta
ac talia operabatur per Jesum.

Ipse autem Jesus, *convocatis discipulis* 32
suis, quibus tanquam familiaribus et ami-
cis secreta sua pandebat, *dixit : Misereor
super turbam,* hoc est, indigentiæ populi
hujus condoleo, caritatis ac pietatis affe-
ctu, *quia jam triduo perseverant mecum,*
C id est, per tres dies mecum manserunt in
solitudine et sub dio. In quo declaratur
amor eorum ad Christum, et devotio ad
doctrinam atque miracula ejus. *Et non
habent quod manducent,* ideo dignum est
ut eis provideam, tanquam pastor bonus :
de quo Dominus prædixit per Ezechielem,
dicens, Suscitabo super gregem meum pa- *Ezech.*
storem unum, qui pascat eum, David ser- XXXIV, 23.
vum meum, id est Christum, ut omnes
exponunt. *Et dimittere eos jejunos nolo,
ne deficiant,* id est fame periclitentur, *in*
D *via,* redeundo ad propria. Quidam enim *Marc.* VIII,
ex eis de longe venerunt, ut Marcus habet. 3.

Et dicunt ei discipuli : Unde ergo nobis 33
in deserto panes tanti, id est, ex quo vis
populum istum reficere, qualiter acquire-
mus in eremo hac escam ad hoc sufficien-
tem, *ut saturemus turbam tantam?* quasi
dicant : Hoc nobis impossibile est. Disci-
puli tanquam magistro suo familiarissimi,
pluraliter responderunt. Christus quippe
singulariter dixit, Dimittere eos jejunos no-
lo; discipuli vero in persona sua ac Chri-

sti responderunt, Unde nobis, id est tibi A
et discipulis tuis? In quo patet eorum im-
perfectio, quia non consideraverunt poten-
Matth. xiv, 20, 21. tiam Christi, qui paulo ante de quinque
panibus piscibusque duobus, quinque mil-
34 lia hominum saturavit. *Et ait illis Jesus : Quot panes habetis?* Non quasi ignorans interrogat, sed ut ex discipulorum responsione, futuri miraculi magnificentia pateat, et ipse in faciendo miraculo ordinate procedat. *At illi dixerunt : Septem, et paucos* numero *pisciculos.*
35 *Et præcepit turbæ ut discumberent super* B
36 *terram. Et accipiens* Jesus *septem panes et pisces,* quantitate permodicos, *et gratias agens* secundum assumptam humanitatem, Deo Patri, seu toti supergloriosissimæ Trinitati omnium bonorum liberalissimo fonti, *fregit,* et frangendo multiplicavit, secundum quod Deus potestate immensa, sicut superius dictum est de quinque panum benedictione, fractione et multiplicatione; *et dedit discipulis suis,* qui acceperunt de manibus ejus, seu loco ubi reposuit panes, non jam septem panes dumtaxat, sed tot C quot suffecerunt populo tanto. *Et disci-*
37 *puli dederunt populo. Et comederunt omnes, et saturati sunt,* id est sufficienter, non gulose refecti. *Et quod superfuit de fragmentis,* videlicet reliquias panum ac pisciculorum, *tulerunt,* id est, collegerunt discipuli, *septem sportas plenas,* hoc est ma-
38 teriam septem sportas implentem. *Erant autem qui manducaverunt, quatuor millia hominum, extra parvulos,* hoc est præter eos qui erant sub anno vicesimo, *et mulieres.* In quo utique signo ostensa est D omnipotentia Christi.

Porro hujus miraculi, sicut et superioris de quinque panibus, aliqualis fuit figura, quod in libro Regum de Eliseo recolitur, qui de panibus primitiarum centum viros cibavit, et superabundavit. (IV Reg. iv, 42-44.)

Mystice, per hanc corporalem refectionem quatuor millium de septem panibus et paucis pisciculis, designatur spiritualis refectio populi christiani, doctrinam quatuor Evangeliorum tenentis, et quatuor virtutes cardinales habentis : qui septem panibus, id est septiformi gratia seu septem donis Spiritus Sancti reficitur; et paucis pisciculis, id est ceteris donis gratis datis, quæ comparatione dictorum bonorum minima sunt, quum possint haberi a malis, et tamen conferuntur a Spiritu Sancto, sicut testatur Apostolus : Alii per Spiritum Sanctum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ; alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum. (I Cor. xii, 8-10.) Hæc autem sunt pauca numero. Hos autem cibos obtulit Christus hominibus per sanctos Apostolos, per quorum manuum impositionem dabatur Spiritus Sanctus, et quorum prædicatione illuminatæ ac Spiritu Sancto repletæ sunt gentes. (Act. viii, 17; xix, 6.)

Denique, quod Christus dixit se misereri turbæ ipsum triduo imitanti, hoc significat, quod Christus omnibus vere pœnitentibus et contritis, omnibus mundi hujus delicias fugientibus, crucem suam portantibus, secretum locum petentibus causa contemplationis, lacrimationis ac austerioris conversationis (qui dicere possunt cum Psalmista, Similis factus sum pelecano solitudinis; itemque, Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine) : his, inquam, Christus miseretur, peccata indulgendo, gratiarum opulentiam influendo, intus loquendo et consolando, quemadmodum ait per Osee: Ecce, inquiens, ego lactabo eam, et ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus. (Ps. ci, 7. Ps. liv, 8. Osee ii, 14.) Propter quod ait Apostolus : Sicut pro Christo abundant tribulationes nostræ, ita per Christum abundat consolatio nostra. (II Cor. i, 5.) Oportet ergo Christum in solitudinem sequi, fugiendo, tacendo et quiescendo, cum eo stabiliter die et nocte perseverare, carnales atque humanas consolationes vitando : et tunc Christus conspiciens quia a nobis ipsis non habemus quod manducemus, hoc est, quo spiritualiter confortemur, non dimittet nos jejunos, sed alet nos ad satietatem, ita ut totum capere nequeamus, nec ultra deficiamus in via peregrinationis hujus exsilii, sed cœlesti confortati viatico perducamur ad patriam.

ARTICULUS XXIX

EXPOSITIO CAPITULI SEXTIDECIMI : ET DIMISSA TURBA, ASCENDIT IN NAVICULAM.

39 (cap. xv.) ET *dimissa turba,* quam in fine præce- A
dentis capituli legitur refecisse, quæ
refecta remeavit ad propria, *ascendit* Jesus
in naviculam cum discipulis suis. Raro
legitur Christus Dominus majestatis ascen-
disse in navim, sed in naviculam, ut sicut
in aliis, ita in hoc quoque humilitatis ex-
emplum præberet. *Et venit in fines,* id
est loca, *Magedan,* ubi ut in libris Regum
IV *Reg.* XXIII, 29; II *Par.* XXXV, 23. habetur, Josias rex Juda occurrit Nechao
Pharaoni regi Ægypti, a cujus sagittariis
letaliter læsus est. Sed huic videtur con-
Marc. VIII, 10. trarium, quod in Marco asseritur : Statim B
ascendens navim, venit in partes Dalma-
nutha. Et respondendum, quod eadem ter-
ra est, habens nomina duo, ut aliqui di-
cunt; alii dicunt quod sint loca contigua, et
ergo Christus exsistens in confinio horum
locorum, in utroque fuisse describitur.

1 *Et accesserunt ad eum Pharisæi et Sad-*
ducæi tentantes Christum, id est, experi-
mentum sumere cupientes, an ipse esset
Christus, vel quærentes reprehendere eum
in aliquo verbo vel facto. *Et rogaverunt*
eum insidiose ac perfida mente, *ut signum* C
de cœlo, id est aliquam supernaturalem mu-
tationem in corporibus superioribus, vel
apparitionem angelicam, *ostenderet eis,* per
quod scire possent, quod Messias venisset,
et quod ipse esset Messias.

2 *At ille respondens, ait eis : Facto vespe-*
re, id est de sero, *dicitis* interdum : *Sere-*
num erit, id est, cras erit aura pulchra,
rubicundum est enim cœlum, id est, ru-
beus quidam color apparet in cœlo, ex
incidentia lucis solaris permodicæ super
vapores elevatos in aere, in quibus est ru- D
bor prædictus, non in cœlestibus corpori-
bus. Talis autem dispositio signum est fu-
turæ serenitatis, quia vapores subtiles ac
modici sunt, qui non resolvuntur in plu-
vias. Interdum tamen contingit oppositum
ex causa superveniente. *Et mane* dicitis 3
sæpe : *Hodie tempestas erit,* id est aura
turbulenta seu pluviosa, *rutilat enim,* id
est, coruscationibus fulget, vel rubore quo-
dam coloratur, *triste cœlum,* id est nubi-
bus obductum. Et dicitur cœlum rutilum
ac rubeum, quia in nubibus est quali-
tas ista fulgoris sive ruboris : et dicitur
cœlum triste, quia talibus qualitatibus in
aere exsistentibus, ex adspectu cœli gene-
ratur tristitia quædam in anima; sicut op-
posito modo dicitur lætum, quum adest
serenitas aeris. Hæ itaque dispositiones
apparentes in cœlo, sunt signa tempestatis
instantis.

Faciem ergo cœli, id est prædictas dis- 4
positiones apparentes in cœlo : quæ facies
cœli vocantur, quoniam per modum vul-
tus in superficie apparent, et primo inge-
runt se oculis intuentis; *dijudicare,* id est
ab invicem distinguere, et ex eis futura
quædam conjicere, *nostis ; signa autem*
temporum, id est argumenta atque indi-
cia quibus pateat tempus primi adventus
Christi jam esse impletum, meque esse
Christum, *non potestis* dijudicare et *scire?*
Hoc ait Salvator increpando et exprobran-
do, quasi dicat : Merito attenderetis signa
prophetiæ prænuntiata de Christi adventu
jam esse completa in me. In Danielis et-
enim prophetia, tempus adventus Christi
et passionis ejus prætaxatum fuit, Gabriele
dicente : Post hebdomades sexaginta duas *Dan.* IX, 26.
occidetur Christus. Similiter in Genesi, per
ablationem sceptri a Juda : quod Herodis
tempore erat completum. Sic nempe præ-
dixit patriarcha Jacob : Non auferetur sce- *Gen.* XLIX, 10.
ptrum de Juda, et dux de femore ejus, do-

nec veniat qui mittendus est. Item quod A
Is. xxxv, 5, 6. Isaias prædixit : Tunc aperientur oculi cæ-
corum, et aures surdorum patebunt; tunc
Joann. I, 19-34. saliet claudus sicut cervus, etc. Testimo-
Is. xl, 3-5; nium quoque Joannis, de quo Isaias et Ma-
Malach. III, 1. lachias vaticinati fuerunt, fuit manifestum
signum adventus Christi : similiter, trium
Matth. II, 11. Magorum oblatio, Innocentium occisio, at-
Ibid. 16. que miracula Christi, de quibus ait Salva-
Joann. x, 25. tor : Opera quæ ego facio in nomine Patris
mei, testimonium perhibent de me; et rur-
Ibid. 37, 38. sus : Si non facio opera Dei, nolite credere
mihi; si autem facio, et si mihi non vultis B
credere, operibus credite. Increpat ergo
Judæos, quod ex omnibus his non consi-
deraverunt eum esse Messiam. *Generatio
mala et adultera signum quærit; et si-
gnum non dabitur ei, nisi signum Jonæ
Matth. XII, 39, 40. *prophetæ.* Hoc supra habitum atque expo-
situm est.

Et relictis illis incredulis, divino signo
Marc. VIII, 13. indignis, *abiit* Jesus, ingrediens navim cum
discipulis suis, et transfretans, ut Marcus
habet.

5 *Et quum venissent discipuli ejus,* et C
etiam ipse, *trans fretum, obliti sunt pa-
nes accipere,* hoc est, tunc adverterunt se
ex oblivione non sumpsisse panes ante-
quam transfretare inciperent. Forte tam
occupati fuerunt circa cibum animæ, quod
corporalem cibum secum ferre obliti sunt.
Ibid. 14. Habuerunt tamen unum panem, secundum
Marcum. Et quæri potest, ubi dimiserint
septem illos cophinos, fragmentis ciborum
impletos, de quibus in fine præcedentis
capituli dictum est. Dici potest, quod ci-
bos illos dederunt egenis ad propria red- D
euntibus, ut haberent escas in via, quia
Ibid. 3. nonnulli eorum de longe (teste Marco) ve-
nerunt.

6 *Qui* Christus *dixit : Intuemini,* hoc est,
prudenter discernite, *et cavete a fermento
Pharisæorum et Sadducæorum.* Quomodo
autem intelligendum sit hoc, Christus post
pauca exponit; nec decet ejus expositio-
Ibid. 15. nem anticipare. Marcus addit, dicens : Et
7 a fermento Herodis. *At illi cogitabant,* et
ex prævia cogitatione loquebantur, *inter
se dicentes : Quia panes non accepimus :*
hoc est, quoniam panem materialem non
sumpsimus nobiscum, ideo admonet nos,
ne emamus vel accipiamus panem fermen-
tatum a Pharisæis et Sadducæis. Rudes
namque discipuli æstimabant magistrum
loqui de pane materiali, et de provisione
solita corporei cibi. Ideo increpantur, sicut
subjungitur.

Sciens autem Jesus cogitationes et verba 8
eorum : quæ inter se susurrando dixerunt
voce submissa, ne audirentur ab eo; sed
eum nil latuit, et cogitationes eorum pro-
dendo divinitatem suam ostendit, et *dixit*
eis : *Quid cogitatis inter vos, modicæ fi-
dei,* id est, qui modicam fidem habetis,
quoniam æstimatis quod monuerim vos de
corporalis alimenti provisione, quasi non
possem vobis supernaturaliter providere?
Quid ergo cogitatis me loqui de corporali
fermento vitando? *Quia panes non habe-
tis,* ideoque putatis me vos exhortari de
pane materiali. *Non* intelligitis* signa quæ 9
vidistis, per quæ omnipotentiam meam * *Nondum*
merito cognosceretis? *Neque recordamini
quinque panum* multiplicatorum et expo-
sitorum per manus vestras, *in quinque
millia hominum,* præter pueros et muli-
eres ? *et* non recordamini *quot cophinos
sumpsistis,* id est, quot sportas de fra-
gmentis implestis? *Neque* recordamini *sep-* 10
*tem panum in quatuor millia hominum,
et quot sportas sumpsistis?* Tanquam di-
cat : Si ista sagaciter pensaretis, sciretis
utique quia non de materiali fermento lo-
cutus sum. Ideo subditur : *Quare non in-* 11
telligitis, quod merito intelligeretis, in quo
apparet imperfectio vel negligentia vestra,
quia non de pane corporeo *dixi vobis* is-
tud : *Cavete a fermento Pharisæorum et
Sadducæorum? Tunc intellexerunt disci-* 12
puli, quia non dixerit Christus, esse *ca-
vendum a fermento panum,* id est pane
fermentato, seu fermento corporeo, *sed a
doctrina Pharisæorum et Sadducæorum.*

Ecce hic ponitur expositio metaphoricæ
locutionis Christi. Itaque per fermentum,
propter suam corruptionem, designatur in-

fecta et falsa doctrina istorum, a qua Chri- A
stus admonet esse cavendum. Quandoque
etiam per fermentum notatur simulatio
Luc. xii, 1. sanctitatis : ut quum ait Salvator, Cavete
a fermento Pharisæorum, quod est hypo-
crisis.

13 *Venit autem Jesus in partes,* id est ad
loca vicina, *Cæsareæ Philippi,* id est civi-
tatis quam Philippus frater Herodis Anti-
pæ qui decollavit Joannem, vocavit Cæsa-
ream, ad honorem Tiberii Cæsaris, a quo
recepit quartam partem regni patris sui
Herodis Ascalonitæ, videlicet unam tetrar- B
chiam. Hæc urbs olim (ut fertur) vocaba-
tur Lais : quam, sicut in libro Judicum
Judic. xviii, 27-29. recitatur, filii Dan destruxerunt, repara-
tamque vocaverunt nomine patris sui Dan.
Quam Philippus iste amplificans et emen-
dans, vocavit Cæsaream; et postea dicta
est Paneas. Fuit quoque secundum histo-
Act. x, 1. rias, alia Cæsarea Palæstinæ, in qua Cor-
nelius centurio mansisse narratur. *Et in-
terrogabat discipulos,* non velut ignorans,
sed ut discipulorum fidem corroboraret, et
ex eorum responsione convenientia docu- C
menta inferret. *Quem dicunt homines esse
Filium hominis,* scilicet me? Secundum
quosdam, Christus non dicit, Quem dicunt
me esse? sed, Quem dicunt Filium homi-
nis? ne de se jactanter interrogare videre-
tur. Sed quum aliquid tale a quocumque
doctore catholico dicitur, cujus oppositum
in Scriptura canonica invenitur, ingenti
cautela uti oportet, magisque sequi oportet
Scripturam quam verba doctoris. Sic in
præsenti. Nam in Marco legitur Christum
Marc. viii, 27. quæsisse : Quem me dicunt homines esse? D
Luc. ix, 18. Et in Luca : Quem me dicunt turbæ?

14 *At illi dixerunt : Alii* dicunt Filium
hominis, seu te, esse *Joannem Baptistam:*
Marc. vi, 16, 14. sicut Herodes, qui dixit : Quem ego decol-
lavi Joannem, ipse surrexit a mortuis, et
ideo virtutes operantur in eo. Ista fuit ru-
dis opinio. Nam tempore decollationis Jo-
annis, Christus habuit triginta circiter an-
Matth. xiv, 2. nos. De hoc dictum est supra. *Alii autem*
dicunt te esse *Eliam.* Quemadmodum enim
sacerdotes suspicati sunt Joannem Bapti-
stam esse Eliam, dicentes, Elias es tu? Joann. i, 21.
propter solitariæ vitæ austeritatem, et ve-
stium parilitatem; sic aliqui putaverunt
Jesum esse Eliam : primo, quia Elias cre-
ditur rediturus ad populum Judæorum,
juxta illud Malachiæ prophetæ, Ecce ego Malach. iv, 5.
mittam vobis Eliam; secundo, propter mi-
raculorum eminentiam; tertio, propter ve-
ritatis atque justitiæ insuperabilem ze-
lum. *Alii vero Jeremiam :* vel propter vitæ
sanctitatem, quoniam Jeremias sanctifica- Jer. i, 5.
tus fuit in utero; vel propter eximiam
caritatem ad populum, sicut de Jeremia
scriptum est, Hic est fratrum amator; II Mach. xv, 14.
vel propter patientiam inconcussam. *Aut
unum ex Prophetis,* videlicet Isaiam, vel
aliquem talem, propter eloquentiam. Pu-
tabant enim aliquem Prophetarum sur-
rexisse a mortuis, juxta illud Lucæ : Quia Luc. ix, 8, 19.
Propheta unus de prioribus surrexit.

Dicit illis Jesus : Vos autem, quorum 15
non est circa communia languere, qui non
tam homines quam dii estis, et documen-
ta mea ac opera melius aliis nostis, *quem
me esse dicitis?* id est, quid sentitis et af-
firmatis de me? *Respondens Simon Pe-* 16
trus, dixit ei. Petrus tanquam principa-
lis, pro omnibus dat responsum. *Tu es
Christus, Filius Dei vivi.* Christus est no-
men personæ in duabus naturis subsisten-
tis, in divina videlicet et humana. Itaque,
Tu es Christus, id est rex Messias, mun-
di Salvator, oleo exsultationis, plenitudine Hebr. i, 9.
gratiæ, chrismate spirituali excellentissi-
me unctus; *Filius Dei* unicus, unigeni-
tus, naturalis, non adoptivus; Dei *vivi,* id
est, vere viventis vita beata : quod addi-
tur ad differentiam hominum mortuorum,
qui a gentibus colebantur ut dii, ut Jupi-
ter, Apollo, Minerva, Diana : qui quantum
ad corpus omnino defuncti sunt; quan-
tum vero ad animam mortui sunt morte
culpæ ac pœnæ, quæ est mors secunda. Apoc. xx, 14; xxi, 8.

Respondens autem Jesus, dixit ei : Bea- 17
tus es beatitudine viæ, beatitudine incho-
ata, beatitudine spei et gratiæ, *Simon :*
quod interpretatur obediens; *Bar Jona,* id
est filius Joannis. Sic enim dictus est pater

Joann. xxi, 15-17. ejus. Unde in Joanne Salvator ait : Simon Joannis, diligis me ? Vel, Bar Jona, id est filius columbæ, videlicet Spiritus Sancti, qui per columbam significatur. *Quia caro et sanguis,* id est Judæi, de quorum sanguine natus es ; vel, Caro et sanguis *non revelavit tibi,* id est, a te ipso non invenisti quod professus es, dicens quod sim Christus, Filius Dei vivi. Simili modo Galat. i, 16. Paulus testatur : Non acquievi carni et sanguini. *Sed Pater meus, qui in cœlis* Jacob. i, 17. *est,* a quo est omne datum optimum, et Matth. xi, 27. omne donum perfectum. Nemo enim novit Filium, nisi Pater, et cui revelaverit Pater.

18 *Et ego dico tibi,* hoc est, tuæ confessioni qua mihi dixisti, Tu es Christus, vicissitudinem et præmium reddo, et dico, dicendoque facio, quoniam meum dixisse fecisse est : *Quia tu es Petrus,* id est principalis, et in fide firmus; vel, Petrus, id est veræ Petræ, qui es Christi dignus confessor. Sic ergo imponitur ei novum nomen, propter fidei suæ confessionem, et dicitur Petrus, qui Simon vocabatur. *Et super hanc petram,* hoc est fidei hujus firmitatem et fundamentum ; vel, Super hanc petram quam confessus es, hoc est Is. xxviii, 16; Ephes. ii, 20. super me ipsum, lapidem angularem, montem altissimum : de quo ait Apostolus, I Cor. iii, 11. Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. *Ædificabo,* hoc est, spiritualiter collocabo ac confirmabo, *Ecclesiam meam,* id est congregationem fidelium, corda eorum per fidem, caritatem et gratiam, mihi inseparabiliter connectendo, ita ut omnes sint unum corpus mysticum, unaque domus : juxta illud Pauli apostoli, I Tim. iii, 15. Scias quomodo oporteat te conversari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et fundamentum veritatis. In hac igitur fide, quod Jesus est Christus, Filius Dei vivi, fundatur atque salvatur Ecclesia, præsertim quum in nomine Christi, tota superbeatissima Trinitas intelligatur, videlicet Pater ungens, Filius unctus, Spiritus Sanctus unctio. Hinc Joannes in Canonica : I Joann. v, 1. Omnis, inquit, qui credit quoniam A Jesus est Christus, ex Deo natus est ; et rursus, Quis est qui vincit mundum, nisi I Joann. v, 5. qui credit quoniam Jesus est Christus ?

Et portæ inferi, hoc est ea quæ ducunt ad pœnas inferni, videlicet tentationes diaboli, doctrinæ fallaces, et vitia ; vel ea quæ propter suam pœnalitatem comparantur portis vel pœnis inferni, videlicet tribulationes adversariorum, persecutiones tyrannorum, et reliqua præsentis vitæ incommoda ; *non prævalebunt adversus eam,* id est contra totam Ecclesiam supra præ- B dictam petram spiritualiter ædificatam. Non enim poterunt eam a fide avertere, a Deo abstrahere, dæmonum servituti subjicere, quoad se totam, hoc est quantum ad electos, in quibus præsertim consistit Ecclesia. De quibus Joannes : Omnis, inquit, Ibid. 18. qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conservat illum. In eadem quoque epistola ait Joannes : Qui Ibid. iii, 9. natus est ex Deo non peccat (finaliter scilicet), quoniam semen ejus manet in eo. Talibus quippe Christus promisit : Ecce Matth. xxviii, 20. C ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. Hanc potestatem habet Ecclesia, non a se per naturam, sed per gratiam Christi, de quo profitetur Apostolus : Omnia possum in eo Philipp. iv, 13. qui me confortat.

Et tibi dabo claves regni cœlorum. Huic 19 loco paulisper immorari oportet. Primo ergo pensandum, quod sicut in corporalibus, clavis vocatur instrumentum quo janua regulariter aperitur, ita in spiritualibus seu sacramento Pœnitentiæ, clavis D appellatur potestas qua obstaculum ingrediendi regnum cœleste aufertur. Hoc autem obstaculum duplex est, scilicet macula, et reatus seu obligatio ad pœnam. Clavis ergo, ut nunc sumitur, est potestas ligandi et solvendi, qua ecclesiasticus judex indignos excludit a regno, et dignos ad illud admittit. Quæ potestas est in Deo Trinitate per auctoritatem, in Christo homine per excellentiam, in ministris Ecclesiæ per instrumentalem administrationem.

Quidam vero dixerunt, quod sint duæ

claves realiter condistinctæ, videlicet scientia infusa seu acquisita, per quam sacerdos judicat quis dignus, et quis indignus consistat, et potestas admittendi ad regnum vel excludendi a regno : sic tamen, ut scientia dicatur clavis minus principalis, et in ordine ad aliam clavem, sine qua nec clavis esset. Et hæc videtur fuisse opinio Magistri in libro quarto. Alii probabilius dicunt, quod et communius jam tenetur, quod non ipsa scientia, sed auctoritas utendi scientia ad discernendum inter bonum et malum, sit clavis : quæ potest esse sine scientia, et econtra, quemadmodum in sæcularibus judiciis quidam habent auctoritatem judicandi, non habentes juris scientiam, et quidam vice versa habent scientiam juris, non autem auctoritatem exercendi judicium. Et clarum est, quod scientia necessario exigitur ad debitum usum clavis istius.

Porro, Hieronymus ait hoc loco, quod sicut in veteri Testamento jubebantur leprosi ostendere se sacerdotibus, ut si lepram haberent, a sacerdote immundi fierent, non quod sacerdotes legales leprosos faciant, et immundos, sed quod habeant notitiam leprosi et non leprosi, possintque discernere quis mundus vel immundus sit : quomodo ergo ibi sacerdos leprosum facit immundum, sic in novo Testamento ligat vel solvit episcopus vel sacerdos, non eos qui insontes seu innocentes sunt, vel qui noxii ; sed pro officio suo, quum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, vel qui solvendus. Verum, juxta hanc assertionem, non videretur sacerdos novæ legis (ut quidam objiciunt) majorem habere efficaciam atque virtutem quam sacerdos legalis, nec sacramenta novæ legis facerent (ut videtur) quod significant. *Lev.* XIII, 2 *et seq.*

Considerandum ergo, quod secundum Magistrum, quarto libro Sententiarum, sacerdotibus novæ legis commissa est auctoritas remittendi peccata, vel retinendi, non ut propria auctoritate hoc faciant, sed Dei operationem vitia remittentis ostendant, quasi ipsius ministri. Hæc autem ostensio tribus modis efficitur : Primo, ostendendo eam, non ut præsentem, sed promittendo tanquam futuram, sine hoc quod aliquid operentur ad eam : sicque sacramenta veteris legis ostendebant Dei operationem, et significabant eam. Unde sacerdos legalis ostendebat dumtaxat, nil operabatur ad culpæ remissionem. Secundo, fit ostensio ut sacerdotes significent operationem Dei tanquam præsentem, et nil operentur ad eam. Et ita aliqui asserunt, sacramenta novæ legis solum ostendere infusionem gratiæ quam Deus confert in sacramentorum dispensatione : sicque potestas clavium tantum ostenderet collationem gratiæ seu remissionem culpæ factam in sacramento Pœnitentiæ. Tertio, fit ut sacerdotes significent præsentem operationem Dei in remissionem culpæ, aliquid operando ad eam instrumentaliter et dispositive, quantum in ipsis est, licet interdum culpa sit ante remissa. Et istud communius nunc tenetur, quod scilicet virtute clavium minister Ecclesiæ cooperetur hoc modo ad remissionem peccati : quod etiam verbis Christi magis consonare videtur, quibus ait apud Joannem, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt. Unde nunc quoque subjungitur : *Joann.* XX, 23.

Et quodcumque ligaveris super terram, id est, quemcumque a regno excluseris, excommunicaveris, inabsolutum dimiseris, servato recto processu seu debito clavium usu. Ait nempe Theologus ultimo Ecclesiasticæ hierarchiæ capitulo, quod sacerdotes uti debent virtutibus hierarchiæ sibi collatis, secundum quod Divinitas moverit eos, quoniam agens instrumentale non sortitur efficaciam, nisi prout a principali agente movetur. Propter quod dicit Apostolus : Secundum potestatem quæ data est mihi in ædificationem, non in destructionem. *Erit ligatum et in cœlis*, id est, ratum et approbatum erit coram Deo. *Et quodcumque solveris super terram*, id est, quemcumque in Ecclesia militanti absol- II *Cor.* XIII, 10.

veris, ad regnum admiseris, *erit solutum*
et in cœlis, id est, a Deo dimissum erit
et ratum, servato, ut tactum est, ordinato
processu, ut vere pœnitens et contritus
absolvatur, non is qui in voluntate manet
peccati. Hanc autem potestatem Christus
dedit Apostolis omnibus, ut aliqui dicunt,
Joann. xx, quando post resurrectionem insufflavit in
22, 23. eos, et dixit : Accipite Spiritum Sanctum,
quorum remiseritis peccata, etc.

Denique secundum Thomam, et alios
multos, duæ præfatæ claves non differunt
secundum essentiam, sed per comparati-
onem ad actum, ita ut duæ dicantur, pro-
pter actus diversos. Imo secundum Tho-
mam, potestas ista, seu clavis, realiter
idem est quod character, seu ordo sacer-
dotalis vel virtus conficiendi : et secun-
dum hoc Christus dedit hanc potestatem
Apostolis in Cœna, quando ordinavit, id
Luc. xxii, est fecit eos sacerdotes, dicendo : Hoc fa-
19. cite in meam commemorationem.

20 *Tunc* Jesus *præcepit discipulis suis, ut*
nemini dicerent quia ipse esset Christus.
Mirum videtur, cur Christus istud præce-
pit. Si enim noluit prædicari se esse Chri-
stum, cur misit et permisit Joannem Ba-
ptistam prædicare ejus adventum? Et cur
ipsemet interdum respondit se esse Chri-
Joann. v, stum? dicendo : Ego veni in nomine Patris
43. *Ibid.* xi, 26. mei, et non recepistis me; et, Qui credit
Ibid. x, 30. in me, non morietur in æternum; et, Ego
et Pater unum sumus. Supra quoque ca-
Matth. x, 5. pitulo decimo legitur, quod misit Apo-
stolos prædicare suum adventum. Ad quod
Hieronymus, Ambrosius, aliique exposi-
tores diversimode responderunt, et satis
obscure. Videtur autem hoc modo posse
responderi, quod Christus noluit suum ad-
ventum penitus publicari, ne sua passio
I Cor. ii, 8. impediretur : quia si cognovissent, nun-
quam Dominum gloriæ crucifixissent. No-
luit etiam suum adventum penitus taceri
et occultari, ne Judæi excusationem ha-
berent. Ideo per Annam prophetissam, per
Simeonem justum, per Magos, per Præ-
cursorem, per discipulos, per propria ver-
ba atque miracula, interdum insinuavit

A se esse Christum, secundum congruenti-
am causæ, loci et temporis. Unde inter-
dum præcepit miracula sua taceri, aliquan-
do manifestari. Nunc ergo jussit taceri se
esse Christum, ne Judæi audientes quod
esset Filius Dei, et postea videntes eum
occidi, scandalizarentur. Idcirco jam sub-
ditur :

Exinde, id est statim post hæc verba, 21
in quibus ostendit se verum Christum, Dei
Filium, verumque Deum, habentem po-
tentiam dandi claves regni cœlorum, *cœ-*
B *pit Jesus ostendere,* per Scripturas Prophe-
tarum, vel aliis modis, *discipulis suis, quia*
oporteret eum ire, tempore præordinato
atque præfixo a Patre, *Jerosolymam.* Hoc
autem oportuit non necessitate coactionis,
sed ut impleretur præordinatio Dei, qui
per Christi passionem proposuit mundum
redimere. Oportuit ergo necessitate con-
ditionata, necessitate consequentiæ, et ne-
cessitate finis. *Et multa pati,* id est verba
blasphema ac dira supplicia, *a senioribus*
Judæorum, *et Scribis,* et Pharisæis, qui
C erant clerici Judæorum, *et principibus sa-*
cerdotum Anna et Caipha, *et occidi,* ut
implerentur Scripturæ, et nostra delicta
solverentur, non propter propriam cul-
pam : sicut in Psalmo testatur, Quæ non *Ps.* lxviii, 5.
rapui, tunc exsolvebam ; *et tertia die re-*
surgere. Hoc ad consolationem discipulo-
rum adjecit, ne propter passionis ejus
auditum inconsolabiliter tristarentur.

Et assumens eum Petrus seorsum, ne 22
magistrum in præsentia discipulorum ar-
guere videretur, quia non debet subditus
D superiorem suum publice increpare. Vel
ideo sumpsit eum seorsum, ut ei familia-
rius atque audacius seu fiducialius loque-
retur, sicut moris est amicorum in secreto
securius colloqui. *Cœpit increpare,* non
quasi de culpa, sed increpare, id est ver-
bis reprimere per modum dissuadentis,
illum suum prædilectum magistrum, a
quo tam dulcia verba immediate audivit,
Beatus es, Simon Bar Jona; *dicens : Absit*
a te, Domine, ut tanta patiaris, qui cul-
pam non habes, quum et pœna culpæ

debeatur ; *non erit hoc* malum pœnæ *tibi* A innocenti. Ex quo patet, quod Petrus nondum agnovit ex Scripturis, quod Christus pro mundi salute fuerit occidendus.

23 *Qui conversus,* id est, vultum suum ad Petrum convertens, ut eum districtius increparet, et adspectu suo terrifico perterreret : nam per tristitiam vultus corrigitur (*Eccle.* VII, 4.) animus delinquentis ; *dixit Petro : Vade post me,* id est, sensum tuum relinque, et sequere me, voluntatemque tuam conforma præordinationi divinæ, *satana,* id est, adversator meus, imo omnium inimice, B quantum ad hoc quod passionem meam, ex qua mundi salus dependet, niteris impedire, et meo sermoni conaris resistere ; *scandalum es mihi,* id est, quantum in te est, suggeris mihi malum culpæ, et occasionem ruinæ, ut non obediam Deo Patri, qui decrevit mea passione mundum salvare ; *quia non sapis ea quæ Dei sunt,* id est, divina nondum intelligis, nec secundum Deum afficeris, habendo cognitionem formatam ac sapidam, affectionesque spirituales secundum influentiam Spiritus C Sancti. (I *Cor.* II, 14.) Sic quoque ait Apostolus : Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. *Sed ea quæ hominum,* hoc est, humanum sensum et naturalem affectum sectaris, optando ne patiar. Ex naturali ergo amore, et quadam pia compassione, Petrus hæc dixit ; nec peccavit mortaliter.

Præterea constat ex his, quod sicut Jesus blandus erat in commendando quæ bona sunt, sic terribilis erat in increpando illicita. Quod secundum congruen- D tiam loci, causæ, ac temporis, imitari debet prælatus, et omnis Christi vicarius. Veritas enim neminem palpat. Unde ad (*Tit.* I, 13.) Titum dicit Apostolus : Dure increpa illos. Non tamen semper hoc expedit. Propter (II *Tim.* II, 24, 25.) quod dicit Apostolus : Servum Domini non oportet litigare, sed docibilem esse ad omnes, patientem, cum modestia corripientem.

24 *Tunc Jesus dixit discipulis suis,* et etiam (*Luc.* IX, 23.) aliis. Unde Lucas ait : Dixit autem ad omnes. Et Marcus : Convocata, inquit, turba (*Marc.* VIII, 34.) cum discipulis suis, dixit ad eos. *Si quis vult post me venire,* hoc est mea vestigia sequi, meis virtutibus conformari, ad perfectionem pertingere, ad patriam cœlestem post me intrare, *abneget semetipsum,* id est, propriam voluntatem relinquat, Deo obediat, concupiscentias vincat. Hoc est, secundum Apostolum, deponere veterem (*Ephes.* IV, 22, 24; *Coloss.* III, 9, 10.) hominem cum actibus suis, et induere novum, qui secundum Deum creatus est in sanctitate et justitia. *Et tollat crucem suam,* hoc est, tribulationes, adversitates, tentationes, æquanimiter atque viriliter perferat, se ipsum quotidie per opera pœnitentiæ mortificet, et omne genus martyrii pro fide et æquitate pati paratus sit, quemadmodum scriptum est : Quoniam (*Ps.* XLIII, 22.) propter te mortificamur tota die. Propter quod Paulus : Semper, inquit, mortificationem (II *Cor.* IV, 10, 11.) Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali. Hoc agit qui sapienter pensat illud Apostoli : Non sunt condignæ (*Rom.* VIII, 18.) passiones hujus temporis ad futuram gloriam ; et, Omnes qui volunt pie vivere in (II *Tim.* III, 12.) Christo, persecutionem patientur. *Et sequatur me,* perseverando in bonis usque in finem. Istud ad omnes pertinet : quoniam teste Joanne, Qui se dicit in Christo (I *Joann.* II, 6.) manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. Si vero quod dictum est, Abneget semetipsum, intelligatur sic, ut propriam voluntatem prorsus abjiciat, obedientiam promittendo homini superiori propter Deum, tunc erit consilium.

25 *Qui enim voluerit* voluntate perfecta et efficaci, quæ procedit in opus dum potest, *animam suam salvam facere,* hoc est a damnatione æterna eripere, atque ad veram felicitatem perducere, *perdet eam,* id est, in præsenti vita eam vitaliter salubriterque occidet, privatum amorem exstirpando, delectabilia hujus vitæ spernendo, et animam propriam propter Christum in omnibus affligendo, vel morti corporali eam exponendo propter justitiam, ita ut cum Apostolo dicere possit : Vivo autem, (*Galat.* II, 20.)

jam non ego, vivit vero in me Christus, id A
est, nil ago secundum privatum amorem,
sed omnia secundum caritatem divinam,
propter vitam æternam. Porro quod iste
sit verus ac proprius intellectus hujus
scripturæ, innotescit ex eo quod subditur :
Qui autem perdiderit animam suam, hoc
modo eam despiciendo et affligendo quasi
non esset sua, *propter me,* id est amore
mei, et ad hoc ut præmium consequatur
a me, *inveniet eam,* id est, in futuro sæ-
culo ipsam salvam habebit, ac feliciter
II *Mach.* possidebit, juxta illud : E cœlo ista pos- B
VII, 11. sideo, sed propter Deum nunc ista despi-
cio, quia in futuro ea recipere spero. Ad
Joann. XII, hoc pertinet quod alibi ait Salvator : Qui
25. odit animam suam in hoc mundo, in vi-
tam æternam custodit eam. Sic ergo debet
homo animam suam salubriter perdere
propter sui ipsius salutem. Cujus ratio
assignatur :
26 *Quid enim prodest homini, si mundum*
universum lucretur, omnia temporalia ac-
quirendo, deliciis affluendo, alios sibi sub-
jiciendo, vel etiam aliis prædicando ac C
proficiendo, *animæ vero suæ detrimen-*
tum, id est damnationem, casum seu no-
cumentum in spiritualibus, *patiatur* per
negligentiam propriam, non faciendo quæ
docui? Hoc non solum non proficit, sed
plurimum deficit, perdendo bonum spiri-
tuale propter corporale, felicitatem æter-
nam propter rem temporalem. Ordo er-
go caritatis requirit, ut unusquisque post
Deum primo ac maxime amet se ipsum in
Deo, et propriæ satagat providere saluti,
Galat. VI, 5. sciens quoniam unusquisque onus suum D
Rom. XIV, 12. portabit, et pro se ipso redditurus est ra-
Matth. tionem. Verumtamen multi sunt qui do-
XXIII, 3. cent, et non faciunt, qui aliorum magis
quam proprios observant, ponderant, in-
crepantque defectus, qui totum mundum
volunt salvare, et tamen palpant se ipsos.
Rom. II, 21, Talibus clamat Apostolus : Qui alium do-
23. ces, te ipsum non doces ; qui gloriaris in
lege, per prævaricationem legis Deum in-
honoras. *Aut quam dabit,* hoc est, dare
poterit, *homo commutationem,* id est re-
demptionem seu pretium, *pro anima sua,*
si contigerit eam damnari? Nullam utique.
Ideo nil proficit, si totum mundum lu-
cretur, et eam neglexerit. Propter quod
ait Psalmista : Non dabit Deo placationem *Ps.* XLVIII,
suam, et pretium redemptionis animæ 8, 9.
suæ. Job quoque ait : Non credet impius *Job* XV, 31.
frustra, quod aliquo pretio redimendus
sit. Exteriorum vero rerum damna potest
homo aliqua commutatione recompensare
ac recuperare.

Quod autem homo non possit aliquam
commutationem dare pro anima sua, os-
tenditur ex districtione divini judicii. *Fi-* 27
lius enim hominis venturus est in die no-
vissimo ad judicium, *in gloria Patris sui,*
id est in majestate et potestate quam habet
a Patre, *cum angelis suis,* qui tunc visibi-
liter apparebunt, secundum Gregorium; *et*
tunc reddet unicuique secundum opera
ejus, id est secundum exigentiam merito-
rum suorum : per operationem, actum
interiorem et exteriorem intelligendo, vi-
delicet cogitationes, affectiones, locutiones
et operationes, imo et operum debitorum
omissiones, quia et arbor quæ non facit *Matth.* III,
opera bona, excidetur et in ignem mitte- 10.
tur. Multi tamen salvabuntur sine operi-
bus propriis, scilicet pueri baptizati ante
discretionis annos defuncti. Loquitur ergo
Salvator de adultis et ratione utentibus.
Hinc scriptum est in Job : Absit a Deo im- *Job* XXXIV,
pietas ; opus enim hominis reddet ei, et 10, 11.
juxta vias singulorum restituet.

Sed quoniam dura erant quæ de Chri-
sti passione ejusque imitatione prædicta
sunt, et discipuli eis auditis, tremefacti ac
desolati fuerunt, idcirco subditur conso-
latio pia, qua ipsis promittitur visio ejus
in præsenti sæculo quod in futuro visuri
sunt. *Amen dico vobis, sunt quidam de* 28
hic stantibus, id est quidam discipulorum
meorum, *qui non gustabunt mortem,* hoc
est, morituri non sunt, *donec videant Fi-*
lium hominis venientem in regno suo, id
est, ascendentem ad regnum cœleste : quod
omnes Apostoli in die ascensionis vide-
runt. Vel, Venientem in regno suo, id est

in Ecclesia militanti, in qua Christus spiritualiter venit per gratiosam inhabitationem et piam subventionem, quando post
Act. v, 14. resurrectionem numerus credentium quotidie mirabiliter augebatur. Adhuc namque viventibus Apostolis, prædicata atque recepta fuit fides per omnes principales partes mundi. Vel, Venientem in regno suo, hoc A est, apparentem in tali claritate qualem habebit in regno cœlesti. Talem quippe viderunt eum Petrus, Jacobus et Joannes in transfiguratione. Vel, In regno suo, id est in corpore glorificato, in quo semper regnabit. In illo enim viderunt eum discipuli post resurrectionem, quamvis non apparuerit eis in forma gloriosa.

ARTICULUS XXX

EXPLANATIO CAPITULI SEPTIMIDECIMI : ET POST DIES SEX, ASSUMPSIT JESUS PETRUM, ET JACOBUM, ET JOANNEM FRATREM EJUS.

QUI id quod in fine præcedentis capituli Christus promisit de visione sui in regno suo, exponunt de visione Christi in forma gloriosa, dicunt quod in hujus capituli exordio ostenditur Christus illam
1 promissionem implesse. *Et post dies sex* a promissione et sermocinatione in præcedenti capitulo factis, *assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus,* tanquam familiariores et cariores :
Marc. v, 37. Matth. xxvi, 37. qui et resuscitationi puellæ interfuerunt, et nocte passionis a Christo assumpti atque seorsum ducti fuerunt. Quidam sentire videntur, quod Jacobus qui transfigurationi interfuit, fuerit Jacobus primus Jerosolymitarum episcopus, scilicet Jacobus Minor, filius Alphæi. Sed quia hoc loco aperte asseritur quod fuerat Jacobus frater Joannis, simpliciter dicendum quod
Act. xii, 2. fuit Jacobus Major, filius Zebedæi, ab Herode occisus. Quandocumque autem doctores catholici aliud asserunt cujus contrarium manifeste habetur in Scriptura canonica, certum est quod dicant hoc, non recolentes nec attendentes quemadmodum Scriptura sacra contineat. Et si eam attendissent, nequaquam sic affirmassent. Unde in talibus non oportet deliberare quid respondeatur.

Quæritur, quomodo dicat Matthæus, Post B dies sex, assumpsit Jesus, etc., quum Lucas dicat, Post dies fere octo. Respondendum, quod Lucas commemorat diem prædictæ promissionis et diem impletionis, Matthæus vero et Marcus dies intermedios computant. — Ideo tres assumpsit, ut in ore trium testium staret hujus transfigurationis testimonium, et propter sanctæ Trinitatis mysterium designandum, et propter ternarii numeri perfectionem. Omnia namque super tria ponimus, secundum Philosophum. (Luc. ix, 28. Marc. ix, 1. Deut. xix, 15.)

C *Et duxit illos in montem excelsum,* videlicet in montem Thabor, *seorsum* ab
aliis discipulis ; *et transfiguratus,* hoc est 2
in splendidiorem formam seu gloriosiorem figuram ac qualitatem mutatus, *est ante eos,* videlicet in conspectu eorum, quibus ostendere voluit gloriam quam ipse post resurrectionem fuerat habiturus, et quam dabit in resurrectione futura suis electis. In hac transfiguratione Christi, nec substantia suæ humanitatis, nec quantitas sui corporis est mutata ; sed qualitas di- D gnior seu claritas admiranda superinducta est corpori.

Et resplenduit facies ejus sicut sol. Si illa claritas tanta fuit, quanta post resurrectionem erit, dubium nullum est quin facies ejus incomparabiliter clarior fuerit

sole, præsertim quum de ceteris scriptum A
Matth. xiii, 43. sit, quia fulgebunt sicut sol in regno Patris sui. Denique, secundum commune dictum doctorum, in resurrectione futura dotes corporum glorificatorum erunt ex redundantia beatitudinis animarum in corpora : quod intelligendum videtur per modum causæ meritoriæ, non effective ex parte animarum. Anima autem Christi in primo instanti suæ creationis ac unionis cum Verbo, erat vere ac fruitive beata. Idcirco, nisi ex divinæ dispensationis moderamine retracta atque dilata fuisset re- B dundantia beatitudinis animæ ejus in sacratissimum corpus ipsius, omnes quatuor dotes corporis gloriosi fuissent in corpore Christi a primo suæ formationis instanti ; sed fuit dispensative dilata. Aliquando tamen fuit permissa, scilicet in transfiguratione. Porro, secundum Hugonem, Christus ante passionem successive seu diversis temporibus assumpsit quatuor corporis dotes, videlicet : subtilitatem in nativitate, egrediendo de clauso dulcissimæ Virginis utero ; agilitatem, ambulando super aqua- C rum fluenta ; claritatem, in transfiguratione ; impassibilitatem, in consecratione seu porrectione corporis sui in Cœna. Alii tamen communiter tenent oppositum, maxime quantum ad dotem impassibilitatis tempore Cœnæ. Tale enim corpus dedit Apostolis, quale tunc habuit. Et quum de ratione dotis sit, ut habeatur et insit per modum qualitatis fixæ ac permanentis, non transeuntis ; propterea claritas ista, licet secundum essentiam fuerit ejusdem rationis cum claritate quæ ponitur dos, D tamen non habuit ibi modum rationemque dotis, quia non inerat permanenter.

Vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. De modo hujus albefactionis dubitatio est. Augustinus enim videtur asserere, quod claritas seu albedo apparens in vestibus, non erat subjective in eis, sed ex illustratione aeris candidæ apparebant ac albæ, quemadmodum ea pars cœli cui sol est vicinior. Verumtamen satis probabile est, quod ad declarandam futuram glorificationem corporum electorum in se et in mansionibus suis, etiam vestimenta Christi fuerunt veraciter immutata et clarificata : quod et Scripturis magis consonare censetur. Scribitur namque in Marco sic : Vestimenta ejus facta sunt splendentia *Marc.* ix, 2. et candida nimis velut nix, qualia fullo super terram non potest candida facere. Et Lucas : Vestitus (inquit) ejus factus est *Luc.* ix, 29. albus refulgens. Hoc quoque sentit Hieronymus, si verba ejus bene pensentur. Ait enim, quod in transfiguratione non est substantia mutata, sed splendor vultui additus. Quod probat eo quod substantia vestium non sit mutata, quæ tamen splendidæ factæ fuerunt. Clarum est autem, quod argumentatio ista nulla esset, nisi et vestes vere clarificatæ fuissent. Hoc quoque sciendum, quod licet Lucas dicat quod species vultus Christi facta sit altera, non *Ibidem.* tamen sic intelligendum est, quasi sola facies sit clarificata, sed tota caro, quemadmodum in resurrectione futurum est.

Et ecce, res valde notabilis, nam *appa-* 3
ruerunt eis, videlicet Petro, Jacobo et Joanni, *Moyses et Elias.* Hi præ ceteris cum Christo adfuerunt : Primo, ut per Moysen vere defunctum et Eliam nondum mortuum, ostenderetur Christus judex ac Do- *Act.* x, 42. minus vivorum et mortuorum. Secundo, propter specialem conformitatem eorum cum Christo : nam sicut Moyses veteris, sic Christus novæ legis est collator, et Elias secundum ejus præcurret adventum. *Malach.* iv, 5. Tertio, ad designandum Christi perfectionem. Per Moysen nempe, qui mansuetus *Num.* xii, 3. erat præ omnibus hominibus habitantibus super terram, et Eliam rigorosissimum, qui surrexit velut ignis, et maximus di- *Eccli.* xlviii, 1. vini honoris ac legis exstitit æmulator, si- III *Reg.* xix, 10 ; I *Mach.* ii, 58. gnificatur quod Christus simul mitissimus atque justissimus fuit, et in tantum zelatus est pro Patris honore, ut transgressores constantissime increparet, et propter Patrem glorificandum pro hominum salute vitam suam exponeret morti. Quarto, propter eminentiam dignitatis ac miraculorum et sanctitatis Moysis et Eliæ. Quin-

to, ut ostendatur Christus non esse legis solutor, sed impletor, et Prophetarum verificator : cujus oppositum imposuerunt ei Judæi.

Insuper Moyses et Elias vere et personaliter aderant, non secundum similitudinem quamdam, vel angeli in forma eorum, ut aliqui dicunt. De Moyse enim aliqui dicunt, quod surrexit ad horam, apparens in proprio corpore : quod videtur esse de mente Hieronymi, qui ait quod Moyses resurrexit ab inferis. Alii probabiliter dicunt, quod apparuit in corpore assumpto et sibi adaptato, eo modo quo angeli. De Elia vero certum est, quod divina virtute, forsan angelico ministerio, adductus sit de paradiso terrestri sicut subsistit, in anima et corpore. Tamen uterque eorum apparuit tunc in magna claritate, et ampliori quam Elias ante vel postea habuit. Unde
Luc. IX, 31. Lucas ait, quod apparuerunt cum Christo in majestate.

Cum eo loquentes. Sermocinationis illius
Ibidem. materiam exprimit Lucas : Et dicebant excessum quem completurus erat in Jerusalem : id est, de Christi passione loquebantur, cum Christo gratias referendo, et pro mundi salute orando, de Judæorum quoque perversitate dolendo ac admirando. Dicitur autem passio Christi excessus, propter ejus excessivum dolorem, et quia ex amore excessivo ad nos pati dignatus est, vel propter excessivam impietatem Judæorum in eum.

4 *Respondens autem Petrus,* qui verba Moysis et Eliæ audivit de Christi passione, ut aliqui dicunt. Tamen Lucas habet, quod
Ibid. 32. Petrus et qui cum eo erant, somno erant gravati : et antequam Lucas describit evigilationem eorum, recitat de collocutione Christi, Moysis atque Eliæ. Unde certum non habeo, an colloquentium verba audierit : quæ tamen postea eum cognovisse ex revelatione certissimum est. *Dixit ad Jesum : Domine, bonum,* id est delectabile et honestum, *est nos* sex, videlicet te, Moysen, Eliam, et nos tuos discipulos, *hic esse,* videlicet in monte, ut videamus te in tanta majestate et gloria, Moysen quoque et Eliam excellentissimos viros in tanto decore. *Si vis.* Reverenter et sobrie loquitur Petrus, quantum ad hoc quod defert Domino suo, non absolute, sed conditionaliter loquens, quia inferior suam semper debet voluntatem subjicere beneplacito domini sui in licitis et honestis. Unde et Christus in passione oravit : Pater, si vis (inquiens) transfer calicem istum a me. *Luc.* XXII, 42.

Faciamus hic tria tabernacula, id est habitacula in quibus stabiliter perseveremus. Forte talia tabernacula voluit facere, qualia habebantur in veteri Testamento, videlicet de frondibus atque tentoriis, quæ facile fiunt. *Lev.* XXIII, 40. *Tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum.* Quare non dixit, Faciamus hic sex tabernacula? Forte ideo, quia putavit in illis tribus tabernaculis se et duos condiscipulos suos recipi posse ac commorari : sic tamen, ut ipse esset in tabernaculo sui magistri carissimi. Secundum Lucam et Marcum, Petrus hæc dixit, nesciens quid diceret : quia præ excessiva dilectione, dulcedine et devotione in Christum, loquebatur quasi in ecstasi, et sine consideratione considerandorum. *Luc.* IX, 33; *Marc.* IX, 5. Nihilo minus, secundum Marcum, causa hujus nescientiæ, fuit nimius timor ex insolito visu. Timor autem immoderatus impedit valde usum rationis et linguæ, juxta illud Job : Auferat Dominus a me virgam suam, et pavor ejus non me terreat; neque enim possum metuens respondere. *Job* IX, 34, 35. Nihilo minus ordinata tristitia, vel non multum excessiva, confert ad veritatis contemplationem, in quantum dissolutionem, vanitatem, et inconsideratam libertatem aufert. Propter quod Isaias inquit : Domine, in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis. *Is.* XXVI, 16.

Secundum Hieronymum, Petrus hæc dicens erravit. Primo enim errasse videtur, quod in contemplatione humanitatis Christi voluit contentari sive quiescere, quum tamen beatitudo in divinitatis suæ contemplatione essentialiter sita sit, quam tunc

Petrus non vidit. Secundo, quod in terra A
et non potius in cœlo, locum mansionis
quæsivit, quum tamen dicat Apostolus :
Hebr. XIII, 14. Non habemus hic manentem civitatem,
sed futuram inquirimus. Tertio, quod aliorum
discipulorum oblivisci videbatur, et
de præsentium contentari salute. Sed utique,
si Petrus voluit ibi ad tempus cum
Christo sic transfigurato commorari, non
penitus errasse dicendus est.

5 *Adhuc eo,* videlicet Petro, *loquente* verba
prædicta, *ecce nubes lucida,* id est pulchra
et clara, non ex grossis vaporibus B
Act. I, 9. causata, sed talis, qualis recepit Jesum in
hora ascensionis ab oculis discipulorum,
ut in Actibus legitur; *obumbravit,* id est,
temperanter operuit *eos*. Difficile forte apparet
ad quos referendum sit hoc. Immediate
enim de Christo, Moyse et Elia
facta est mentio, sicque videtur obumbratio
ista referenda ad eos. Verumtamen,
si ea quæ Lucas scribit diligenter pensemus,
invenimus Moysen et Eliam ante
nubis apparitionem recessisse : nam ibi
Luc. IX, 33. habetur, quod quum Moyses et Elias discederent, C
Petrus dixit : Bonum est nos hic
esse. Nubes ergo obumbravit eos, id est
Petrum, Jacobum et Joannem, ne oculi
eorum claritate corporis Christi omnino
repercuterentur et obtunderentur. *Et ecce
vox* Patris *de nube* sonuit, *dicens : Hic est
Filius meus dilectus, in quo mihi bene
Matth.* III, 17. *complacui.* Hoc ipsum supra scriptum ac
diligenter expositum est. *Ipsum audite* auribus
cordis et corporis, quoniam ipse est
veritas infallibilis, sapientia increata, magister
perfectus, doctor salvificus, qui ait : D
Joann. V, 24. Qui audit verba mea, et credit ei qui misit
me, habet vitam æternam. Hunc magistrum
esse audiendum, prænuntiavit Moyses
Deut. XVIII, 15, 18; *Act.* III, 22, 23. ses in Deuteronomio : Prophetam, inquiens,
suscitabit vobis Dominus tanquam
me ; ipsum audietis ; et erit, omnis qui
non audierit verba Prophetæ illius, exterminabitur
de populo suo.

Denique similis apparitio et testificatio
Matth. III, 16, 17. factæ sunt in Christi baptismo ac transfiguratione.
Utrobique namque ostensa est
Trinitas superbenedicta, videlicet : Pater,
in voce, quæ angelico ministerio creditur
formata ; Filius, in humanitate ; Spiritus
Sanctus, ibi in specie columbæ, hic autem
in nube. Quemadmodum enim Spiritus
Sanctus per columbam designatur propter
simplicitatem et innocentiam ceterasque
bonas proprietates columbæ; sic figuratur
per nubem : quia, ut nubes refrigerat et
defendit a solis calore, sic Spiritus Sanctus
ab igne concupiscentiæ et omnium tentationum
fervore. Propter quod in Isaia
per nubem exprimitur gratia Spiritus Sancti,
quum dicitur : Creabit Dominus super *Is.* IV, 5.
omnem locum montis Sion, et ubi invocatus
est, nubem per diem. Quum ergo
Christus sit nobis causa gratiæ in præsenti,
et gloriæ in futuro, idcirco in ejus
baptismo et transfiguratione apparuit Trinitas.
Et Pater de Filio testimonium protulit,
quia baptismus Christi fuit figura et
causa nostræ regenerationis, qua in præsenti
renascimur gratiam acquirendo, ejusque
transfiguratio figura fuit nostræ glorificationis
in futuro. Unde per nubem
lucidam hic apparentem, intelligi potest
claritas visionis divinæ, qua electi ab omni
adversitate tutantur, juxta illud Apocalypsis
et Isaiæ : Non esurient neque si- *Apoc.* VII,
tient amplius, et non percutiet eos æstus 16; *Is.* XLIX, 10.
et sol.

Et audientes discipuli vocem qua Deus 6
majestatis de nube intonuit, *ceciderunt
in faciem suam;* more Prophetarum, qui
frequenter corruisse leguntur, auditis ser- *Is.* XXI, 3;
monibus revelationis divinæ ; *et timue- Ezech.* II, 1; *Dan.* VIII,
runt valde : quia hoc naturale est, ut 17.
homo propter suæ naturæ fragilitatem terreatur,
auditis divinæ majestatis sermonibus.
Hinc in Exodo filii Israel dicunt ad
Moysen : Loquere tu nobis, et audiemus; *Exod.* XX,
non loquatur nobis Dominus, ne forte mo- 19.
riamur. Et in Deuteronomio habetur : Quid *Deut.* V, 26.
est omnis caro, ut audiat vocem Domini
Dei viventis? *Et accessit Jesus, et tetigit* 7
eos, Moyse et Elia jam ad loca sua unde
adducti erant reversis; *dixitque eis : Surgite,*
non solum a terra, sed et a pristina

imperfectione, *et nolite timere,* inordinato A
pavore propter vocem cœlestem, sed potius de vestræ fidei certificatione, et mea
dignitate vobis jam revelata, gaudete: sicut
Daniel et Ezechiel tactu angelico se levatos et confortatos fuisse testantur. (*Dan.* VIII, 18; *Ezech.* II, 1, 2.) *Levan-*
8 *tes autem oculos suos* Apostoli, *neminem
viderunt, nisi solum Jesum.* Abierunt etenim Moyses et Elias ante prædicta, ne vel
ab eis vel ad aliquem eorum crederetur
vox facta de nube.

9 *Et descendentibus illis de monte, præcepit eis Jesus, dicens : Nemini dixeritis* B
visionem, id est id quod jam in monte
vidistis, *donec Filius hominis a mortuis
resurgat.* Hoc Christus præcepit : primo,
ut doceat nos occultare propriam excellentiam, quousque in præsenti vivimus
sæculo; secundo, ne res illa propter suam
magnitudinem putaretur incredibilis; tertio, ne tempore passionis graviter scandalizarentur, qui ante ædificari poterant ex
transfigurationis revelatione.

10 *Et interrogaverunt eum discipuli, dicentes : Quid ergo Scribæ dicunt, quod* C
Eliam oportet primum venire? id est : Si
transfiguratio ista glorificatio tua est, quomodo dicunt doctores Judæorum, quod Elias venturus est primum, id est, antequam
appareas in gloria? Noverant Scribæ ex testimonio Malachiæ, quod Elias præcedet (*Malach.* IV, 5.)
secundum Christi adventum, seu diem judicii, in quo Christus gloriosus omnibus
monstrabitur. Quoniam ergo prædicti tres
Apostoli transfigurationem Christi quam
viderant, putabant esse gloriam in qua ad
judicandum venturus est, ita quod transfi- D
guratio illa esset indicium consummationis
mundi atque extremi judicii de proximo
imminentis, ideo sciscitabantur Christum
qualiter intelligenda esset Scribarum assertio de adventu Eliæ ante diem judicii.
Viderant quippe Eliam, sed mirabantur
quod tam subito abiit, quem Scribæ testantur manifeste venturum et prædicaturum
Judæis. Interrogatio igitur Apostolorum
ex quodam errore procedit, quia putabant
instare diem judicii, finemque sæculi. Christus tamen clementer instruit eos, sicut
subjungitur.

At ille respondens, ait illis, videlicet 11
Petro, Jacobo et Joanni : *Elias quidem
venturus est,* quemadmodum Scribæ affirmant, quia secundum meum præcurret adventum, sicut Joannes primum, *et restituet
omnia,* id est, totum genus Judæorum reducet ad Deum, convertendo eos ad Christum. Aperiet namque Antichristi mendacia : quo facto Judæi fidem recipient. Unde
in Malachia legitur : Convertet cor patrum (*Malach.* IV, 6.)
ad filios, et cor filiorum ad patres. Sic ergo ait Salvator, Elias restituet omnia, quomodo alibi de se profitetur, Si exaltatus (*Joann.* XII, 32.)
fuero, omnia traham ad me ipsum. Elias
autem minister erit restitutionis illius, non
actor principalis, sed instrumentalis. *Dico* 12
autem vobis, quia Elias jam venit, non
personaliter, sed æquivalenter, videlicet
alius in virtute et spiritu ejus, *et non cognoverunt eum* Judæi increduli, scilicet
Scribæ, sacerdotes ac Pharisæi, dicentes de
Joanne, quia dæmonium habet. Et quamvis (*Matth.* XI, 18.)
Herodes et alii quidam maligni aliqualiter
Joannem noverunt (sciebat enim Herodes, (*Marc.* VI, 20.)
quod esset vir justus et sanctus), dicuntur
tamen eum non cognovisse : primo, quoniam nescierunt quod esset Christi præcursor ; secundo, quoniam documenta et
opera ejus finaliter reprobaverunt. *Sed fecerunt in eum quæcumque voluerunt,* id
est, multipliciter persecuti sunt ipsum.
Nam et Herodes de consensu, et forsan
consilio, Scribarum, Pharisæorum ac sacerdotum, Joannem incarceravit et decollavit. *Sic et Filius hominis passurus est
ab eis* supplicium crucis : quia in passione
idem Herodes sprevit Christum, albaque (*Luc.* XXIII, 11.)
veste illusum reddidit voluntati Pilati, qui
tandem procurantibus Judæis crucifixit (*Ibid.* 23-25, 33.)
Christum. Denique Christus loquitur de
diversis injustis generaliter, quasi de eisdem, secundum quod una ponitur generatio omnium reproborum, cui ait Salvator : Venient hæc omnia, scilicet omnis (*Matth.* XXIII, 36.)
sanguis innocenter effusus, super generationem istam.

13 *Tunc intellexerunt discipuli* tres præ- A
dicti, *quia de Joanne Baptista dixisset eis*
illa quæ de præterito Eliæ adventu narra-
vit, per Eliam intelligendo ac designando
Joannem, propter proprietatum similitudi-
nem, non propter personæ unitatem. Nam
et Joannes a Judæis interrogatus, Elias es *Joann.* I, 21.
tu? respondit, Non.

ARTICULUS XXXI

EXPLANATIO RESIDUÆ PARTIS HUJUS CAPITULI, AB EO LOCO QUO DICITUR : ET QUUM VENISSET JESUS AD TURBAM.

14 Et *quum venisset* Jesus *ad turbam*, id B
est die sequenti a transfiguratione
prædicta, *accessit ad eum homo genibus
provolutus*, id est genua flectens, *ante eum,
dicens : Domine, miserere filio meo*, libe-
rando eum a sua miseria, *quia lunaticus
est*, id est, secundum lunationes seu tem-
pore noviluniorum furit tanquam arrepti-
cius; *et male patitur*, id est, dire vexatur
a dæmone. Cur autem aliquis nuncupetur
Matth. IV, 24. lunaticus, plenius dictum est supra. *Nam
sæpe cadit in ignem, et crebro in aquam*,
id est, a diabolo ipsum apprehendente in C
ignem et aquam projicitur, ut occidatur.
Marc. IX, 17. Unde Marcus clarius dicit : Ubicumque
apprehenderit eum spiritus, allidit eum,
et spumat, et stridet dentibus, et arescit.
15 *Et obtuli eum discipulis tuis*, non tamen
Petro, Jacobo et Joanni, sed eis qui trans-
figurationi non interfuerunt; *et non po-
tuerunt curare eum* a prædictis incommo-
dis et a dæmonio. Hujus impotentiæ causa
fuit, tam incredulitas patris quam disci-
pulorum, sicut dicetur.
16 *Respondens autem Jesus, ait : O gene-* D
ratio incredula et perversa, id est, infide-
les et iniqui. Hoc dicit ad patrem lunatici
et ad similes ei. *Quousque ero vobiscum*,
inter vos corporaliter conversando? *usque-
quo patiar vos*, id est incredulitatem per-
versitatemque vestram? quasi dicat, Non
diu. Vel hoc dicit, significans se desidera-
re reverti ad Patrem, et ut malos digne
redarguat, ac suæ justitiæ zelum ostendat,
seque de hominum pravitate monstret do-
lere. Non autem dicit hæc quasi impatiens
et tædio victus, vel quasi ante tempus di-
vinitus præordinatum mori desiderans, sed
potius loquitur affectu ac more prudentis-
simi medici, qui contrariantibus suæ artis
remediis durius loquitur. *Afferte huc il-
lum* lunaticum *ad me*. Ut curatio et mo-
dus suæ curationis omnibus innotescat,
ideo fecit eum Christus adduci ad se, quem
utique poterat curare absentem. *Et incre-* 17
pavit illum Jesus, vel puerum, eo quod
aliquid forte commisit, propter quod dia-
bolus in eum potestatem accepit, vel (quod
verius est) dæmonem. Unde Marcus ait :
Comminatus est spiritui immundo; et Lu- *Marc.* IX, 24.
cas, Increpavit (inquit) spiritum immun- *Luc.* IX, 43.
dum. *Et exiit ab eo dæmonium* : quod
secundum Marcum, erat surdum et mu-
tum, quoniam fecit puerum surdum et ad *Marc.* IX, 24.
loquendum impotentem ; *et curatus est
puer* a dæmonio, a surditate et mutitate,
ex illa hora, qua Jesus dæmoni jussit ex-
ire a puero.
Tunc accesserunt discipuli ad Jesum 18
*secreto, et dixerunt : Quare nos non po-
tuimus ejicere illum* dæmonem a puero
isto? Superius dictum est, quod Jesus de- *Matth.* X, 1, 8.
dit discipulis potestatem super omnia dæ-
monia; imo super omnem virtutem inimi- *Luc.* X, 19.
ci, secundum Lucam : quomodo ergo nunc
dicitur, quod non potuerunt dæmonem is-
tum expellere? Et respondendum, quod
illa potestatis collatio intelligenda erat, ni-
si discipuli ponerent obicem.
Dicit illis Jesus : Propter incredulita- 19

tem vestram : non quod simpliciter infi-
deles fuerint, sed quia in fidei perfectione
defecerunt. Quemadmodum enim ex con-
sequentibus innotescit, ceteri discipuli vi-
dentes quod Jesus Petrum, Jacobum et
Joannem specialiter duxit seorsum in mon-
tem, humanum aliquid passi sunt, videli-
cet motum invidiæ atque superbiæ, do-
lentes illos sibi præferri ; ob hoc quoque
meruerunt incurrere quamdam hæsitatio-
nem in fide. Porro, quod propter incredu-
litatem suam non potuerint ejicere dæmo-
nem, declarat Salvator. *Amen quippe dico*
vobis, si habueritis fidem sicut granum
sinapis, id est, quæ tali grano comparare-
Matth. XIII, 31, 32. tur (cui superius comparatum est regnum
cœlorum), quatenus sicut hujusmodi gra-
num parvum est quantitate, maximumque
virtute, sic fides vestra in se vigorosa, fe-
cunda ac fortis consistat, *dicetis monti*
huic, Transi hinc, id est, de loco isto trans-
feraris virtute divina ; *et transibit,* quo
jusseritis. Per hoc exemplum innuit Chri-
stus, quod fidei nihil impossibile sit. Et
quamvis tale quid raro factum legatur, ta-
men verum est quod ait Salvator. Nam si
ratio id exigeret, Deus montem transferret
ad instantiam verbi in fide perfecti. Majo-
ra quoque fecerunt discipuli quam esset
montis translatio, mortuos suscitando, a
nativitate claudos et cæcos sanando, arca-
na cordium reserando. Quidam per mon-
tem, ratione elationis, intelligunt dæmo-
nem, quem viri perfecti solo verbo transire
et fugere cogunt. Unde de impio legitur
Jer. LI, 25. apud Jeremiam : Ecce ego ad te, mons
pestifer, ait Dominus, qui corrumpis uni-
versam terram.

20 *Hoc autem genus* dæmonum *non ejici-*
tur ab obsessis, *nisi per orationem et je-*
junium, id est virtute et merito orationis
et abstinentiæ, quæ sunt effectus fidei tam
perfectæ, ut grano sinapis merito compa-
retur. Diversorum etenim dæmonum varia
est potestas, et diversi de diversis vitiis
tentant homines. Unde quidam dicuntur
spiritus fornicationis, alii spiritus invidiæ,
alii spiritus superbiæ. Genus itaque dæ-
A monum ad quod pertinebat dæmon iste,
fortiter imprimit se hominibus quos obsi-
det. Et aliqui dicunt, quod tentet de vitio
carnis : propter quod non ejicitur, nisi
oratione atque jejunio, quibus carnales
concupiscentiæ refrenantur. Insuper, per
orationem, quæ est elevatio mentis in
Deum, et per jejunium, quod est castiga-
tio corporis, datur intelligi quod hoc dæ-
monum genus non ejiciatur, nisi ab ho-
minibus notabiliter virtuosis, mente et
corpore depuratis. Hinc beatissimi ana-
B choretæ testati sunt, unumquemque faci-
le illi posse dominari dæmonio, qui vice-
rit passionem et culpam de qua dæmon
hujusmodi tentat.

Conversantibus autem eis, videlicet Jesu 21
et ejus discipulis, *in Galilæa, dixit illis*
Jesus : Filius hominis tradendus est in
manus hominum, et occident eum, et ter- 22
tia die resurget. Adversis ac tristibus læta
permiscet, ut mœrorem lætitia temperet.
Ideo de sua passione prædicens, de glo-
ria resurrectionis mox addidit. Frequenter
C quoque prænuntiat se passurum, ne in-
opinate captus putetur, et jacula prævisa
minus feriant, ipsique discipuli, quum vi-
derint verificata quæ prædixit, constabili-
antur in fide. *Et contristati sunt vehemen-*
ter : et tanto vehementius, quanto in ejus
amore magis fervebant, et quanto invitius
separabantur a tam dulci magistro, a tam
pio patrono atque fidelissimo defensore ac
provisore, et quia agnoverant sanctitatem
ac innocentiam ejus. Et quoniam nondum
spirituales erant perfecte, nec resurrectio-
D nis gloriam diligenter pensabant, idcirco
tanto magis de Christi occisione dolebant,
quanto illam in se ipsa sub ratione pœnæ
ac mali et nocumenti, non sub ratione re-
medii et salutis, pensabant. Nec tamen au-
debant suadere oppositum, scientes quid
Petrus oppositum consulens, paulo ante
audisset, videlicet, Vade post me, satana, *Matth.* XVI, 23.
quia non sapis quæ Dei sunt.

Et quum venissent Capharnaum Jesus 23
ejusque discipuli, *accesserunt qui didrach-*
ma accipiebant, ad Petrum, id est exa-

ctores tributi quod vocabatur didrachma, A
hoc est duplex drachma. Drachma vero
(ut dicitur) est octava pars unciæ, valens
sex obolos. Exactores ergo seu collectores
tributorum ex parte imperatoris commo-
rantes in urbe præcipua Galilææ, puta Ca-
pharnaum, non accedunt ad Jesum, propter
reverentiam ejus, quem noverant tanta
operari miracula, et tantum honorari a
populo, sed ad Petrum, tanquam princi-
palem inter discipulos. *Et dixerunt ei :*
Magister vester, hic Jesus, *non solvit di-*
drachma ? id est, soletne dare tributum, B
24 sicut ordinaverunt Romani ? *Ait* Petrus :
Etiam.

Et quum intrasset Petrus *in domum,* ut
diceret Christo verba exactorum, *prævenit*
eum Jesus, ut ostenderet se omnia scire,
dicens : Quid tibi videtur, Simon ? Quæ-
rit, non ignorans quid responsurus sit Pe-
trus, sed ut ex ejus responsione conveni-
entius instruat eum, et optima proferat
documenta. *Reges terræ a quibus accipi-*
unt tributum vel censum? a filiis suis, an
25 *ab alienis* ceteris sibi subjectis ? *Et ille* C
dixit : Ab alienis. Dixit illi Jesus : Ergo
liberi a persolutione tributi ac census *sunt*
filii regum. Per hoc Christus intendebat
concludere se liberum esse a dando tribu-
ta, tanquam Filium Regis regum, nulli le-
gi humanæ de necessitate subjectum : de
Ps. LXXI, 2. quo fertur in Psalmo : Deus, judicium tu-
um regi da, et justitiam tuam filio regis.
Denique advertendum, quod libertas est
duplex : Una spiritualis : sicque omnes
Christiani facti sunt liberi, quia per Chri-
sti passionem sunt a potestate diaboli et D
jugo peccati erepti. Propter quod ait Sal-
Joann. VIII, 36. vator : Si filius vos liberaverit, vere liberi
eritis. Alia corporalis : et ita fideles tenen-
tur ad tributa, quemadmodum dicit Apo-
Rom. XIII, 7. stolus : Cui tributum, tributum ; cui vecti-
gal, vectigal. Unde Christus alibi : Reddite, *Matth.* XXII, 21.
inquit, quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ
sunt Dei Deo.

Ut autem non scandalizemus, id est, ad 26
ruinam peccati occasionaliter inducamus,
eos qui didrachma requirunt : qui putas-
sent Christum imperatori repugnantem, et
sæculare jus violantem, nisi solvisset di-
drachma. Præterea Christus magis vitavit
scandalum istorum quam Scribarum ac
Pharisæorum, quia istorum scandalum or-
tum fuisset ex ignorantia qua ignorabant
Jesum esse naturalem ac verum Filium
Dei : ad quam notitiam non tenebantur
explicite, præsertim quum essent Romani
gentiles. Scandalum vero Scribarum ac
Pharisæorum processit ex mera malitia.
Christus quoque, sicut peccare non po-
tuit, ita nec aliquem potuit scandalizare
directe, sed occasionaliter tantum. *Vade*
ad mare, supra quod sita fuit urbs ista
Capharnaum, *et mitte hamum,* videlicet
instrumentum quo pisces capiuntur, in
aquam ; *et eum piscem qui primus ascen-*
derit, id est, hamo captus inhæserit, leva-
tusque fuerit, *tolle, et aperto ore ejus, inve-*
nies staterem valentem duplex didrachma,
et per consequens pro duobus sufficien-
tem : ideo subditur, *illum* staterem *su-*
mens, da eis pro me et te. Christus tanquam
veraciter liberalis atque largissimus, plus
dedit quam illi exigebant. In hoc autem
quod eo operante inventus, et secundum
Hieronymum, creatus est in ore piscis
stater, ostenditur omnipotentia ejus ; in
eo quod de inventione piscis ac stateris
tam certe prædixit, monstratur omnisci-
entia ejus, atque in utroque ejus divinitas
declaratur. In eo quoque quod humanis se
legibus subdidit, quum esset liberrimus
Filius Regis æterni, ejus humilitas summa
et vera humanitas agnoscuntur.

ARTICULUS XXXII

EXPLANATIO CAPITULI OCTAVIDECIMI : IN ILLA HORA ACCESSERUNT DISCIPULI AD JESUM.

IN superioribus dictum est quemadmodum Christus specialiter dixerit Petro, Tibi dabo claves regni cœlorum ; quomodo etiam primus fuit inter tres quos Jesus assumpsit, ut transfigurationi suæ interessent ; et qualiter pro se atque pro Petro solvit tributum. Ex his atque similibus, disciepuli moti sunt ad suspicandum quod Petrus omnibus eis esset præferendus : de quo minus bene contentabantur, nondum enim humilitatis apicem attigerunt. Idcirco,

(Matth. xvi, 19. — Ibid. xvii, 1. — Ibid. 26.)

1 *In illa hora* qua facta sunt quæ in fine B præcedentis capituli scripta sunt, in Capharnaum, de persolutione tributi, *accesserunt discipuli,* præsertim Apostoli, *ad Jesum, dicentes : Quis, putas, major est in regno cœlorum ?* id est, quis amplioris gratiæ et meriti est in Ecclesia militanti ? et quis plenioris gloriæ et præmii est in Ecclesia triumphanti? Hoc quæsierunt, quatenus talis eis præficeretur, qui dignioris esset gratiæ in præsenti et gloriæ in futuro. Sed his obviare videtur quod apud Marcum inducitur, quemadmodum quum C venissent domum, Jesus interrogavit discipulos : Quid in via tractabatis ? At illi obticuerunt, videlicet præ verecundia, siquidem in via disputaverant, quis eorum esset major. Quomodo ergo nunc dicuntur accessisse et Jesum interrogasse ? Respondeti potest : Primo, quod videntes se a Christo deprehensos, ad tempus præ rubore silebant; post modicum temporis resumpta fiducia, sciscitati sunt Dominum. Secundo, quod aliqui tacuerunt, et alii interrogaverunt. Tertio, quod tacuerunt de D sua ambitiosa disputatione, sed locuti sunt de utili quæstione.

(Marc. ix, 32, 33.)

2 *Et advocans Jesus parvulum, statuit,* id A est collocavit, *eum in medio eorum,* videlicet discipulorum, *et dixit.* Humilis magi- 3
ster, non solum verbis, sed et factis humilitatem commendans, ambitionem funditus eradicavit. *Amen dico vobis, nisi conversi fueritis,* id est corde salubriter immutati, videlicet a contentione, elatione et omni ambitione, ad pacem, humilitatem, obedientiam, *et efficiamini sicut parvuli,* id est, parvulis assimilati fueritis, quantum ad bonas proprietates eorum, amplectendo innocentiam, puritatem et humilitatem eorum, quos constat de prælatione non occupari, nec invicem invidere, *non intrabitis in regnum cœlorum,* quod humilibus atque pacificis est paratum. Hoc in persona Apostolorum omnibus dicitur Christianis. Sed quoniam nemo excluditur a regno cœlorum, nisi pro peccato mortali, videntur Apostoli peccasse mortaliter, quibus nunc dicitur : Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, etc. Si autem dicantur non peccasse mortaliter in prædictis, tunc illud quod dicitur, Nisi conversi fueritis, intelligendum erit conditionaliter, ut sit sensus : Nisi conversi fueritis, id est, si magni fueritis in oculis propriis, elati et ambitiosi, non poteritis salvari, nisi conversi fueritis modo præfato. Unde per Jeremiam dicitur : Nolite elevari, sed date gloriam Domino Deo. Et apostolus Petrus : Deponentes, inquit, omnem malitiam et dolum et simulationem et detractionem, quasi modo geniti infantes, lac concupiscite. Denique in parvulo considerari potest minoratio sensus, et indisciplinatio morum : et sic non debemus fieri sicut parvuli, juxta illud Apostoli, Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote. Verumtamen nomen parvuli

(Jer. xiii, 15, 16. — I Petr. ii, 1, 2. — I Cor. xiv, 20.)

in Scripturis interdum in malo accipitur:
Prov. I, 32. ut quum Salomon ait, Aversio parvulorum
Job V, 2. interficiet eos; et Job, Parvulum (ait) occidit invidia.

Quidam per parvulum istum quem Jesus statuit inter discipulos, intelligunt ipsummet Christum. Sed hoc ad litteram stare non potest, quum de parvulo isto
Marc. IX, 35. scriptum sit apud Marcum : Quem quum amplexus esset Jesus. Certum autem est, quod non amplexabatur se ipsum.

4 *Quicumque ergo humiliaverit se* coram Deo et hominibus *sicut parvulus iste,* id est, omnem motum superbiæ prorsus abjecerit, et tam alienus fuerit ab elatione ut puer, consideratione divinæ majestatis, atque intuitu propriæ defectuositatis, *hic major est in regno cœlorum,* quam alii minus humiles. Humilitas namque directe disponit ad profectum gratiæ in præsenti, et exaltationem incrementumque gloriæ
Jacob. IV, 6; I Petr. V, 5. in futuro, prout scriptum est : Deus superbis resistit, humilibus autem dat gra-
Eccli. III, 20. tiam; et iterum, Humilia valde spiritum tuum, et invenies gratiam coram Deo et hominibus. Hinc in Proverbiis legitur :
Prov. XV, 33; XXIX, 23. Humilitas præcedit gloriam, et humilem spiritu suscipiet gloria. Quanto itaque quis se magis humiliaverit pure propter Deum ex caritate, tanto sublimior erit in patria. Non quod præmium essentiale correspondeat humilitati directe, sed dispositive ac fundamentaliter, et quia majori humilitati major adest caritas.

5 *Et qui susceperit* in visceribus caritatis, seu domo ad hospitandum ac reficiendum, *unum parvulum talem,* videlicet innocentem ac humilem, de quo in Pro-
Ibid. IX, 4. verbiis æterna Sapientia inquit : Si quis est parvulus, veniat ad me ; *in nomine meo,* id est ideo quia fidelis est, vel propter me atque ad gloriam nominis mei ; *me suscipit* in membro meo mystico, quamvis non in memetipso. Itaque, Suscipit me, id est, mihi fieri judico quod fit illi, et tam gratum est mihi, ac si mihi in propria persona exhiberetur. Ecclesia nempe est mysticum corpus Christi, et ipse est caput

A ipsius : quod ergo fit membris, fit capiti. In tantum quoque diligit Christus parvulos et egenos, ut sibi fieri arbitretur quod impenditur illis. Unde Paulo ait : Quid me Act. IX, 4.
persequeris? Et per Zachariam : Qui te- Zach. II, 8.
tigerit (inquit) vos, tanget pupillam oculi mei.

Qui autem scandalizaverit, id est, verbo 6
vel facto suo inordinato ad peccandum induxerit, *unum,* id est aliquem, *de pusillis istis qui in me credunt,* id est de fidelibus adhuc imperfectis incipientibus,
B vel etiam proficientibus nondum perfectis; *expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus.* Per molam asinariam, quam equi vel asini trahunt cum rota in molendinis, intelligitur quodcumque grande saxum seu lapis gravissimus. *Et demergatur in profundum maris.* Utilius enim sibi est juste occidi, quam impie vivere : utilius est enim corporalem perpeti mortem, quam alium ad animæ mortem inducere. Utilius ei est in vita hac puniri, quam æternaliter condemnari. Istud po-
C tissimum verum est de scandalizatione activa et passiva prout sunt peccata mortalia. Tunc enim scandalum activum mortale est, quando verbum vel factum scandalizantis est in se mortale, videlicet caritati vel justitiæ contrarium ; vel quando est in se veniale, et tamen homo per illud intendit aut nititur alium ad peccatum mortale inducere, parvi pendens ejus salutem, per hoc quod non vult sibi placentia omittere propter fratris salutem. Quod quam sit iniquum, patet ex verbis
D Pauli dicentis : Sic autem in fratres pec- I Cor. VIII, 12.
cantes et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis ; et rursus, Hoc (inquit) judicate, ne ponatis Rom. XIV, 13.
fratribus offendiculum vel scandalum. Denique melius esset occidi quam scandalizare alium, quamvis scandalizantis et scandalizati peccatum esset veniale. Peccatum namque est infinitæ fugibilitatis, magisque debet homo eligere mortem pati, quam venialiter peccare.

Et bene ait Salvator, Qui scandalizave-

rit unum ex pusillis istis : quia ut ait A
Hieronymus, qui scandalizatur parvulus
est; majores enim scandala non recipiunt.
Unde perfectorum non est scandalizare
aut scandalizari, quia tam fortiter cum
Deo uniti sunt, ut tam magnum malum
non operentur, unde merito aliquis debeat
scandalizari, quamvis sæpe venialiter peccent.
Hoc enim humanæ indulgendum est
fragilitati. Similiter ex verbis et factis
aliorum inordinatis non scandalizantur,
sed compatiuntur, et cautiores redduntur,
imo et feliciores, juxta illud : Felix quem B
faciunt aliena pericula cautum. Hinc ait
Ps. cxviii, 165. Psalmista : Pax multa diligentibus legem
tuam, et non est illis scandalum; et Apo-
Rom. viii, 35. stolus, Quis nos separabit a caritate Dei?
7 *Væ mundo,* id est mundanis et intimoratis
hominibus, *a scandalis,* id est propter
scandala quæ invicem inferunt et patiuntur,
in quibus æternam pœnam merentur.
Et merito, Væ mundo a scandalis,
quum non possit evadere, *necesse est enim
ut veniant,* id est oriantur, *scandala* activa
et passiva, videlicet offendicula culpæ C
ex quibus procedunt nocumenta animæ.
Hoc necesse est, non absolute, sed ex suppositione,
quia videlicet homines nolunt
peccata sua relinquere : ideo necessario
concomitatur scandalum aliorum, maxime
pusillorum et impiorum. Sic ergo necesse
est ut veniant scandala, quomodo ait
I *Cor.* xi, 19. Apostolus : Necesse est ut veniant hæreses,
ut qui probati sunt, manifesti fiant.
Unde quod dictum est, Necesse est ut
veniant scandala, quidam exponunt sic :
Expediens est ad exercitationem et proba- D
tionem aliorum. *Verumtamen væ,* id est,
æterna damnatio imminet ac debetur, *homini
illi per quem,* id est a quo, *scandalum
venit,* id est, qui alium scandalizat
mortaliter. Ex hoc concluditur quod scandala
evenire, non sit absolute necessarium,
quia tunc quilibet excusaretur a vitio
scandali. Radix namque peccati in libertate
fundatur.

8 *Si autem manus tua vel pes tuus scandalizat,*
id est, ad culpam inducit *te,* per
tactum seu operationem quamcumque, vel
per gressum ac cursum illicitum, *abscinde
eum,* videlicet pedem ac manum, non membra
abscindendo, sed inordinatum usum
membrorum vitando : juxta quem sensum
dicit Apostolus, Mortificate membra ve- *Coloss.* iii, 5.
stra quæ sunt super terram ; *et projice
abs te,* id est, spiritualiter separa te a vitiosis
actibus membrorum istorum. Sic
enim ait Apostolus : Vos autem in carne *Rom.* viii, 9.
non estis, sed in spiritu ; et, Qui in carne *Ibid.* 8.
sunt, Deo placere non possunt. *Bonum est
tibi ad vitam ingredi,* id est, melius est
tibi salvari, *debilem vel claudum,* id est
ordinatis, delectabilibus et solitis actibus
manuum et pedum carentem, *quam duas
manus vel duos pedes habentem,* id est,
vitiosis ac placitis actibus membrorum istorum
utentem, *mitti in ignem æternum.*
Quemadmodum ergo castratus propter re- *Matth.* xix, 12.
gnum cœlorum vocatur, qui amore felicitatis
futuræ ab omni concubitu abstinet, non
qui membra generationis abscindit ; sic
Christus docet manum ac pedem abscindere,
et sic claudus ac debilis nuncupatur,
qui membra ista ab actibus malis restringit.

Et si oculus tuus scandalizat te, per 9
immoderatum, incautum, impudicum aut
vanum adspectum, *erue eum,* quantum ad
usum hujusmodi, *et projice abs te,* sicut
de manibus dictum est. Unde in Ecclesi-
astico legitur : Averte oculos tuos a mu- *Eccli.* ix, 8.
liere compta. Et Propheta : Averte oculos *Ps.* cxviii, 37.
meos, ne videant vanitatem. Maxime necessaria
est ista projectio sive erutio oculorum.
Oculo enim quid nequius creatum *Eccli.* xxxi, 15.
est? Et in libro Numerorum Dominus jus-
sit filiis Israel, ne sequerentur oculos suos *Num.* xv, 39.
per res varias fornicantes. Custodiendus
ergo et diligentissime refrenandus est oculus,
maxime tempore orationis, contemplationis,
divinique cultus, et in ecclesia,
ac coram aliis. A visu enim suo cogno- *Eccli.* xix, 26.
scitur vir, et ab occursu faciei, sensatus
prudens. *Bonum,* id est melius, *est tibi
cum uno oculo,* id est cum moderato usu
oculorum et refrenatione eorum, *ad vitam*

ingredi, quam duos oculos habentem, id est, oculis ad libitum tuum utentem et undique circumspicientem, *mitti in gehennam ignis.*

Porro præhabita alio modo exponi possunt; eritque sensus : *Si manus tua vel pes tuus,* id est aliquis tibi tam carus, propinquus, aut auxiliativus, ut propria manus vel pes, *scandalizat te,* pertrahendo te in peccata, vel quia carnales affectiones habes exsistendo cum ipso, *abscinde eum,* id est, segrega te ab ipso mente et corpore, sed non caritate, si fieri potest. *Bonum est tibi ad vitam ingredi debilem vel claudum,* id est talium amicitia atque subsidio destitutum, *quam duas manus vel duos pedes habentem,* id est talium auxilio et amore vallatum, damnari. Simili modo intelligendum de oculo est. — Quidam obtusi ista superficialiter intelligentes, putabant licitam esse mutilationem membrorum propter vitanda peccata, quum simili ratione liceret se ipsum occidere. Talis quoque mutilatio concupiscentiam non auferret, et multa virtuosa opera impediret.

10 *Videte ne contemnatis unum,* id est aliquem quantumcumque vilem ac modicum, *ex his pusillis,* id est imperfectis fidelibus ministrantibus mihi. Per hoc Salvator excludit causam ac fomitem scandalizationis. Multi namque idcirco non curant nec metuunt alios scandalizare, quoniam parvi pendunt eorum personam, nec attendunt dignitatem naturæ ad Dei imaginem factæ, ac pretium sanguinis Christi pro illis effusi. Consideremus ergo nobilitatem animæ rationalis, et beatitudinem ad quam condita est, et quanta pro ejus salute tota Trinitas fecit, quanta Christus sustinuit, quanta beneficia contulit, inter quæ est superdignissimum corporis et sanguinis sui Sacramentum; et sic fiet ut neminem aspernemur, sed cum Apostolo dicemus : Quis scandalizatur, et ego non uror? Itemque : Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum. Præterea, quam vitiosum sit contemnere quempiam, patet ex eo quod in Isaia scriptum est : Væ qui spernis, nonne et ipse sperneris? Quum fatigatus desieris contemnere, contemneris. Et Malachias inquit : Numquid non pater unus omnium nostrum? numquid non Deus unus creavit nos? Quare ergo unusquisque nostrum despicit fratrem suum?

(II Cor. xi, 29. — I Cor. viii, 13. — Is. xxxiii, 1. — Malach. ii, 10.)

Cur autem non sint pusilli spernendi, subjungitur. *Dico enim vobis, quia angeli eorum,* id est custodes animarum ipsorum exsistentes, ut in pluribus, *in cœlis,* id est in cœlo empyreo, quod est locus et mansio Beatorum, *semper,* id est indesinenter atque in ævo omne tempus comprehendente, *vident* clare et immediate per speciem, oculo intellectuali, *faciem Patris mei,* id est essentiam Dei Patris præsentialiter et luculenter eis objectam, *qui in cœlis est.* Quum ergo sit tanta dignitas hominum, ut custodiantur a spiritibus angelicis Deum clare videntibus, non sunt spernendi. — Porro, secundum Dionysium, ecclesiastica hierarchia ab angelica gubernatur : ideo angeli infimi ordinis immediate custodiunt homines, bona suggerendo, a malis plurimis retrahendo, a diversis periculis defendendo, pro ipsis orando, gratiam impetrando, dæmonum potestatem et impetum coercendo. Et secundum doctores, quilibet homo sortitus est angelum specialem : imo secundum Thomam et alios quosdam, etiam pueri nondum nati, in utero matrum habent custodientes se angelos, propter pericula quæ possunt ante partum et in partu occurrere.

At vero alia ratio subditur, cur nemo quamvis pusillus spernendus sit. *Venit* 11
enim, per incarnationem, *Filius hominis salvare,* id est sua passione redimere, *quod perierat,* id est perditum genus hominum. Quum ergo tantæ æstimationis coram Deo pusilli sint, ut Christus dignum duceret mori pro ipsis, non sunt parvi pendendi, nec salus eorum negligenda est. Quod autem Christus venit ad salvandum quod periit, probat per simile.

Quid vobis videtur? Si fuerint alicui 12

centum oves, id est, centum oves habuerit, A
et si *erraverit,* id est, si perdita fuerit,
*una ex illis, nonne relinquit nonaginta
novem* oves *in montibus* in quibus pa-
scuntur, *et vadit quærere eam quæ erravit?*
13 *Et si contigerit ut inveniat eam, amen
dico vobis, quia gaudet super eam,* id est
de ea et ejus inventione, *magis quam su-
per nonaginta novem* oves *quæ non er-
raverunt.* Non quod simpliciter plus amet
illam unam quam ceteras omnes, sed quia
speciali atque recenti quadam lætitia pro-
pter eam afficitur. Quod accidit propter B
duo : primo, quoniam eam magis conside-
rat quam alias oves; secundo, quoniam pro-
pter præcedentem de perditione ovis tri-
stitiam, magis sentit oppositum gaudium.
Hoc totum ad litteram sic est. — Mystice
vero, homo iste est Christus, qui habuit
centum oves, id est perfectum numerum
electorum. Quumque una errasset, id est,
humanum genus peccando perisset, reli-
quit nonaginta novem, id est novem ordi-
nes angelorum, in montibus, id est in
Ps. CXX, 1. cœlis, de quibus legitur, Levavi oculos C
meos in montes; et venit in mundum,
quærens et salvans genus humanum. Ma-
gis autem lætatur Christus, et etiam ange-
li, de una ove perdita reperta, quam super
nonaginta novem; vel, ut Lucas refert :
Luc. XV, 7, 10. Gaudium est angelis Dei super uno pecca-
tore pœnitentiam agente, quam super no-
naginta novem justis qui non indigent
pœnitentia. Non quod absolute loquendo,
peccator pœnitens melior aut magis dile-
ctus sit, quam multi justi perseverantes in
bono; imo comparando statum statui, me- D
liores sunt innocentes quam pœnitentes.
Sed hæc ideo dicta sunt, quia de peccatore
pœnitente habet Christus quoddam spe-
Ps. CIII, 31. ciale gaudium. Lætatur enim Dominus in
operibus suis. Et in Nehemia habetur :
II *Esdr.* VIII, 10. Gaudium Domini est fortitudo vestra. Et
quia in his frequenter abundant fervor et
gratia, in quibus abundavit malitia, sic-
que amabiliores redduntur.
14 *Sic non est voluntas ante Patrem ve-
strum qui in cœlis est,* id est in Patre cœ-
lesti, *ut pereat,* id est damnetur, *unus de
pusillis istis.* Quamvis enim divina volun-
tas sit causa salutis prædestinatorum, non
tamen est causa damnationis reproborum;
nec ipse vult eos damnari voluntate ante-
cedente vel voluntate signi, sed voluntate
consequente, considerata culpa eorum.

Sed posset aliquis dicere : Si non est
voluntas Dei ut pereat unus ex pusillis,
ergo voluntas Dei est ut omnes pusilli sal-
ventur. Quod etiam sacra Scriptura te-
statur. Dicit enim Apostolus, loquens de
Deo : Qui, inquiens, vult omnes homines I *Tim.* II, 4.
salvos fieri, et ad veritatis agnitionem ve-
nire. Et Petrus : Patienter, inquiens, agit II *Petr.* III, 9.
Dominus, nolens aliquem perire, sed om-
nes ad pœnitentiam converti. Unde per
Ezechielem Dominus loquitur : Numquid *Ezech.* XVIII, 23.
voluntatis meæ est mors impii, dicit Do-
minus, et non ut convertatur et vivat? Et
denuo : Nolo, inquit, mortem morientis. *Ibid.* 32.
Sed si ita est, videtur sequi quod omnes
salvabuntur. Nam teste Apostolo : Volun- *Rom.* IX, 19.
tati ejus quis resistit? In Isaia quoque
perhibet Dominus : Consilium, inquiens, *Is.* XLVI, 10.
meum stabit, et omnis voluntas mea fiet.
Denique omnia quæcumque voluit Domi- *Ps.* CXXXIV, 6.
nus fecit in cœlo et in terra.

Hæc atque similia concordando respondet
Damascenus, quod Dominus vult omnes
salvari voluntate antecedente, non conse-
quente : quæ duplex voluntas in Deo sola
ratione distinguitur. Dicitur namque vo-
luntas antecedens, qua quis aliquid vult
secundum communem et absolutam consi-
derationem ipsius. Hac voluntate vult prin-
ceps omnes subditos suos permanere in
vita, in quantum sunt subditi sui. Voluntas
vero consequens dicitur, qua quis aliquid
vult, pensatis particularibus circumstan-
tiis ejus. Hac voluntate vult princeps mul-
tos subditorum suorum occidi, in quantum
sunt latrones, aut fures, vel rei publicæ
adversantes. Itaque voluntas dicitur ante-
cedens, quia secundum ordinem rationis
præcedit distinctam considerationem rei,
seu conditionem ipsius; consequens vero,
quia consequitur eam. Sic ergo et Deus

vult omnes salvari voluntate antecedente, A considerando eos in quantum sunt creaturæ ad Dei imaginem factæ, beatitudinis susceptivæ; non autem voluntate consequente, videlicet in quantum sunt impii. Et quia voluntas fertur in rem sicut in se est, ideo voluntas antecedens, non est voluntas simpliciter, sed secundum quid; voluntas vero consequens est voluntas simpliciter. Ideo quidquid hac voluntate vult Deus, impletur. Et de ea loquuntur auctoritates quibus ostenditur adimpleri quidquid voluerit Deus. Potest etiam dici, quod B non est voluntas ante Deum ut pereat aliquis, quoniam Deus vult omnes salvari, quantum in se est, ita quod ex parte ipsius non est defectus, nullumque ad se venientem repellit, quoniam singulis gratiam suam infundere est paratus, si fecerint quod in ipsis est. De hac materia plenius dixi super epistolas Pauli.

Superius docuit Christus ut neminem scandalizemus; nunc præcipit ut proximos ex caritate ædificemus, vitia eorum or-
15 dinate, pie et caritative increpando. *Si* C
autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Per fratrem intelligitur quilibet proximus. Quod autem dicitur, In te, intelligi potest tripliciter : Primo, secundum Augustinum, In te, id est te sciente : quia qui alio sciente peccat, quantum in se est illum scandalizat; sicque scientia culpæ læsiva est, sicut cognitio boni est ad melius provocativa. Secundo, juxta Hieronymum, In te, id est contra te directe, non contra Deum directe. Si enim fieret blasphemia vel im- D pugnatio fidei, non oporteret servare ordinem subsequentem. Tertio, In te, id est, te solum læserit. Si enim alios læderet, vel coram aliis peccaret, non servaretur modus subscriptus. *Vade,* mentis prompto affectu, vel si opus est, etiam corporis gressu, *et corripe eum inter te et ipsum solum,* videlicet in secreto, ne confundatur, exasperetur, aut diffametur, et diffamatus de cetero non retrahatur a vitiis
Jer. III, 3. timore diffamiæ, sed fiat ei frons meretricis, et peccet sine rubore. *Si te audierit* aure mentali, id est, tuæ increpationi humiliter acquieverit, *lucratus es fratrem tuum,* id est, perditum recuperasti, et de jugo peccati ac damnatione diaboli eripuisti.

Si autem te non audierit, hoc est, verba 16
tua contempserit, vel se excusaverit, vel id quod fecit, bonum esse affirmaverit, non peccatum, *adhibe tecum unum* testem *vel duos,* id est, in præsentia unius vel duorum testium corripe eum, ne cito coram omnibus diffametur, sed paulatim peccatum ejus deducatur in publicum, *ut in ore,* id est sermone, *duorum testium vel trium,* videlicet duorum quos adduxisti, et tui qui primo culpam novisti, *stet,* id est, probetur atque credatur, *omne verbum* quod delinquenti objicitur, scili-
cet accusatio. *Quod si non audierit eos,* 17
qui simul tecum corripiunt eum, *dic Ecclesiæ,* id est prælato seu judici vel congregationi communiter, quid ille fecerit vel omiserit impie, et quomodo correptionem secretam ac testium adhibitionem abjecit, manens in sua duritia. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus,* id est gentilis, *et publicanus,* qui manifeste et quasi incorrigibiliter peccat, ut usurarii : id est, tunc omnino recedas, et retrahas te ab eo, quasi ab eo qui per excommunicationem ecclesiasticamque censuram separari meretur a communione fidelium.

Porro, quod Apostolorum et successorum eorum, videlicet prælatorum, excommunicatio et sententia vim habeant, et divino judicio approbentur, atque a Deo efficientiam sortiantur, ostendit Salvator sub-
dendo : *Amen dico vobis* Apostolis, et in 18
persona vestra successoribus vestris, *quæcumque* facta vel genera hominum *alligaveritis,* per excommunicationem, reprobationem, vel condemnationem, *super terram, erunt ligata et in cœlo,* id est, a Deo ligata reputabuntur, si tamen ordinate procedatur; *et quæcumque solveritis,* id est, dimiseritis seu relaxaveritis, *super*

Matth. XVI, 19. *terram, erunt soluta et in cœlo.* Hoc superius dictum est Petro, illicque diligentius expositum est.

Denique, quum præsens materia sit practica, utilis et quotidiana, oportet paulisper plenius loqui de correptione fraterna, de testium inductione, et publica denuntiatione. Primo ergo sciendum, quod vitium delinquentis consideratur dupliciter : Primo, in quantum nocet peccanti. Et sic peccantem arguere, actus est caritatis, ad quem omnes tenemur, quemadmodum et ad caritatem, quum ista correptio non sit nisi remedium contra peccatum. Unde in Ecclesiastico scriptum est : Unicuique mandavit Deus de proximo suo. (*Eccli.* XVII, 12.) Secundo, consideratur peccatum prout est aliorum scandalizativum, vel boni communis læsivum ac turbativum, aut divinæ majestatis inhonorativum. Sicque peccantem arguere, est actus justitiæ, pertinens ad prælatos ac judices potius quam ad alios ; quoniam talis correptio ordinatur præcipue ad debitam punitionem peccantis propter conservationem justitiæ, et non semper ad correctionem peccantis, quia interdum occiditur, ut vel sic alii terreantur, reprimantur a similibus malis.

Insuper, quum præceptum de correptione fraterna sit affirmativum, obligat semper, sed non ad semper. Propterea correptio ista exercenda est cum debitis circumstantiis actus virtuosi, videlicet pro loco, causa, et tempore, secundum quod utile est ad emendationem alterius. Unde fraterna correptio tribus modis omittitur : Primo, meritorie et ex caritate, quando videlicet congruum tempus exspectatur, vel de ampliori induratione peccantis probabiliter formidatur. Teste enim Scriptura, Qui derisorem instruit, ipse sibi injuriam facit; (*Prov.* IX, 7.) et, Non amat pestilens eum qui se corripit. (*Ibid.* XV, 12.) Secundo, omittitur vitiose, et cum mortali peccato, ut dum ex cupiditate, vel timore corporalis pœnæ seu damni temporalis, vel simili causa quæ non est caritati præferenda, omittitur. Tertio, cum veniali peccato, ut dum causæ prædictæ correptionem fraternam retardant, non tamen omnino impediunt.

Denique subditi prælatos suos corripere debent in vitiis manifestis vel correptione dignis, servatis tamen debitis circumstantiis, scilicet congruo loco, non in conventu, debito tempore, et debita forma, non proterve et dure, sed reverenter et mansuete. Unde Apostolus Colossenses hortatur, ut episcopum suum, scilicet Archippum, filium Philemonis, cui Paulus brevem ac specialem scripsit epistolam, admoneant, dicens : Archippo dicite : Vide ministerium tuum quod accepisti in Domino, ut illud impleas. (*Coloss.* IV, 17.) Unde et Moyses qui quotidie angelico perfruebatur colloquio, documento ac magisterio, dedignatus non est viri gentilis Jethro increpationem et informationem recipere. (*Exod.* XVIII, 14-26.) Imo quo prælatus pluribus occupatur atque distrahitur, eo amplius indiget admonitione frequenti ac diligenti, nisi esset vehementer perfectus : quod non debet de se ipso sentire. Sed debet filiorum suorum humilem correptionem ac caritativam exhortationem dignanter et affectuose recipere. Ait enim Salomon in Proverbiis : Argue (inquiens) sapientem, et diliget te; da sapienti occasionem, et addetur ei sapientia; doce justum, et festinabit accipere. (*Prov.* IX, 8, 9.)

Præterea, fraterna correptio, ut est actus justitiæ pertinens ad prælatos, non est omittenda ob id ne correptus fiat deterior, quoniam talis correptio habet potestatem cogendi. Et ergo per pœnam compellendus est peccans, ut cesset a malo, si aliter nolit desistere. Ex tali quoque correptione utilitas oritur communitati, dum ordo justitiæ observatur, et alii exemplo puniti terrentur, ne agant similia. Propter quod scriptum est : Pestilente flagellato, stultus sapientior erit. (*Ibid.* XIX, 25.)

Oportet insuper scire, quod quædam peccata sunt publica : et in talibus providere oportet, non solum peccanti, sed etiam aliis, ne scandalizentur. Talia itaque mox publice redarguenda sunt, prout Timotheo jubet Apostolus : Peccantem, in- (I *Tim.* V, 20.)

quiens, coram omnibus argue, ut ceteri timorem habeant. Quædam vero peccata contrariantur fidei, vel bono communi : et in talibus, quamvis occulta sint, statim procedendum est ad publicationem, ut si quis machinetur civitatem incendere, vel fidem aliorum corrumpere. Si tamen verisimiliter æstimet quis, quod taliter peccantem possit per secretam increpationem corrigere, potest primo occulte corripere. Quædam autem sunt peccata occulta soli peccanti nociva, et ei in quem peccat, qui ex ipsa peccati notitia læditur, quantum est ex parte peccantis : et in istis servandus est ordo correptionis quem hoc loco docet Salvator. Unde de necessitate præcepti est, ut publicam denuntiationem præcedat secreta correptio, et inter extrema hæc mediare debet testium inductio, sicut ostensum est. Peccatum namque occultandum non est, ne putrescat in corde. Hinc Augustinus : Si neglexeris (inquit) corrigere, pejor eo qui peccavit efficieris ; et iterum : Nescientes quis ad numerum prædestinatorum, et quis ad sortem reproborum pertineat, sic affici debemus caritatis affectu, ut omnes velimus salvari ; et ideo omnibus fraternæ correptionis debemus affectum impendere sub spe divini auxilii.

Testium quoque inductio intelligi potest tripliciter : primo, ut per eos ostendatur peccanti id esse peccatum quod fecit, si forte hoc ignoret aut neget ; secundo, ad convincendum peccantem, si denuo peccet ; tertio, ad probandum quod correptor fecit id quod ad se pertinebat.

Sed his obviare videtur, quod in capitulis religiosorum fiunt proclamationes sine admonitione prævia. Augustinus etiam ait in regula, peccatum primo denuntiandum prælato quam testes inducantur. Unde nonnulli prælati subditis suis præcipere solent, ut si emendatione dignum quid noverint, sibi revelent : et tamen ad prælatum publica denuntiatio pertinet. — Et respondendum, quod proclamationes prædictæ, non sunt nisi de levibus culpis, quæ non

A derogant famæ, et sunt potius oblitarum commemorationes culparum, quam accusationes vel denuntiationes. Si vero aliquis gravia mala et famæ contraria, alteri in proclamando objiceret, ageret contra præceptum Salvatoris, cujus præceptorum transgressio mortale peccatum censetur. Præterea verbum Augustini intelligendum est de prælato, in quantum est singularis persona, non in quantum est judex et loco Ecclesiæ. Et simili modo de præcepto prælatorum jubentium sibi insinuari occulta

B peccata subditorum, dicendum est. Vehementer timeo, quod multi præscriptum ordinem correptionis fraternæ male observent, qui de peccato mortali indigent pertimescere.

Postremo, quam virtuosum sit correptionem patienter, gratanter et amorose recipere, quam item vitiosum sit eam abjicere, constat ex his quæ in Proverbiis sapientissimus Salomon loquitur : Viro qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus superveniet interitus ; et rursus : *Prov.* xxix, 1.

C Egestas et ignominia ei qui deserit disciplinam ; qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis. Ideo ait Psalmista : Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me. Et in Ecclesiastico scriptum est : Quam bonum est correptum ostendere pœnitentiam ! sic enim effugies peccatum. Hinc Seneca notabiliter fatur : Moneberis libenter, et reprehenderis patienter. Si merito objurgavit te aliquis, scito quia profuit ; si immerito, scito quia prodesse voluit. Non acerba, sed blan- *Ibid.* xiii, 18 ; xv, 32. *Ps.* cxl, 5. *Eccli.* xx, 4.

D da timeas verba.

Quoniam vero in superioribus plura induxit et docuit Christus, ut nos ad caritatem et mutuam pacem provocaret, idcirco subdit quam utile sit concordiam possidere cum aliis, quatenus incitemur ad pacem sanctissimam. *Iterum dico vobis : Si* 19
duo, et multo fortius si plures, *ex vobis,* hoc est de numero servorum meorum in caritate viventium, *consenserint,* id est, concorde animo idem senserint vel optaverint, *super terram,* id est in præsenti

peregrinatione atque exsilio, ubi est locus merendi ac demerendi, opportunitasque orandi, *de omni re quamcumque petierint,* id est de quocumque bono eis salubri, *fiet illis,* id est exaudientur, *a Patre meo qui in cœlis est.* Oportet enim ut petant quod decet et expedit, orentque perseveranter. Quum autem orat quis pro se, pie ac perseveranter, indubitanter exauditur a Deo. Ex quibus patet, quod spiritualis amicitia societasque fraterna ad interiorem profectum relata, fructuosa et ad gratiæ magnæ
(*Prov.* xviii, 19.) adeptionem proficua est. Frater enim qui juvatur a fratre, quasi urbs munita. Et quanto major est multitudo orantium, tanto deprecatio exaudibilior redditur, ceteris paribus.

20 *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo,* id est in me, videlicet in caritate et gratia, vel secundum voluntatem meam, seu ad honorem et gloriam nominis mei, ut sint corporaliter spiritualiterque uniti, *ibi sum in medio eorum,* id est, inter eos atque in cordibus singulorum, per Spiritus Sancti directionem, piam gubernationem, et precum illorum gratiosam exauditionem. Tales ergo Christus custodit, protegit et illustrat : qui in
(*Ibid.* viii, 31.) Proverbiis testatus est, delicias suas esse cum filiis hominum. Unde per Moysen
(*Exod.* xxv, 8; xxix, 45; *Num.* xxxv, 34.) sæpe prædixit : Ego sum qui habito in medio filiorum Israel. Hinc ergo credendum generales synodos atque concilia, a Spiritu Sancto regi, et in medio totius conventus Deum laudantis, Christum clementer adsistere.

21 *Tunc accedens Petrus ad eum, dixit.* Quoniam Petrus audivit Christum docentem, quod peccans in aliquem caritative monendus sit, quod fieri nequit, nisi peccatum ei ex corde dimittatur, saltem quantum ad culpam ; ideo quærit : *Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei ?* id est, quot vicibus proximo meo in me peccanti indulgebo ? An *usque septies,* id est septem vicibus ? Quoniam Petrus novit Judæos ad talionem proclives, idcirco putavit se multum dicere,
A quum paratum se offerret ad ignoscendum
septies. *Dicit illi Jesus : Non dico tibi,* et 22
sub persona tua omni fideli, *Usque septies* tantum esse dimittendum ; *sed, Usque septuagies septies,* id est toties quoties te offendit. Ponitur enim numerus determinatus pro numero indeterminato. Nam toties oportet proximo in nos peccanti remittere, quoties volumus nobis peccantibus a Deo ignosci (a quo utique volumus nobis indesinenter ignosci, quotiescumque peccamus) : aliter non possemus jugiter
B dicere, Dimitte nobis debita nostra, sicut (*Matth.* vi, 12.) et nos dimittimus debitoribus nostris. Non ergo vincamur a malo, nec fatigemur be- (*Rom.* xii, 21.) ne agendo, sed incessanter parcamus peccantibus, culpam dimittendo. Pœna tamen dimittenda non est, si ex remissione pœnæ peccator ad peccandum fiat proclivior, vel alii scandalizentur, vel disciplina et ordo justitiæ periclitetur : imo tunc pertinet ad magnam caritatem infligere pœnam secundum juris processum. Propter quod dicit Augustinus : Peccat
C semel, ignovi ; peccat secundo, ignovi ; peccat tertio, vapulet.

Denique Christus proponit similitudinem valde terribilem, qua monstratur quam necesse sit proximo in se peccanti semper ignoscere, si quis velit divinam clemen-
tiam impetrare. *Ideo,* id est ex quo toties 23
dimittendum est delinquenti, *assimilatum est regnum cœlorum,* id est status et regimen Ecclesiæ militantis, cujus conver- (*Philipp.* iii, 20.) satio est in cœlis, *homini regi qui voluit rationem ponere,* id est computationem et
D justam exactionem seu inquisitionem fa-
cere, *cum servis suis. Et quum cœpisset* 24
rationem ponere, oblatus est ei unus qui debebat ei decem millia talenta. Juxta litteram non est aliqua difficultas in ista parabola.

Porro juxta mysticum intellectum, dominus iste, est Christus Rex regum et (*Apoc.* xvii, 14; xix, 16.) Dominus universorum : qui licet in die extremi judicii, vel in hora mortis ac particularis judicii nullum peccatum relinquat inultum, nec tempus pœnitentiæ tri-

buat, tamen quotidie ponit rationem cum
fidelibus per vicarios suos prælatos, per
Scripturarum admonitiones, et per inspi-
rationes internas. Per illum autem qui
debuit decem millia talenta, intelligitur
quicumque magnis multisque peccatis ob-
noxius.

25 *Quum autem* talis transgressor *non ha-
beret unde redderet,* id est opera virtuosa
ac satisfactoria quibus Deum placaret, et
suæ justitiæ condignam recompensationem
honoris pro illata injuria exhiberet, *jus-
sit eum dominus venundari,* id est pœ-
nis immergi, seu dæmonibus tradi, ut
pro nummo culpæ, et pro peccatore eis
tradito, solverent Deo nummum vindictæ,
subserviendo divinæ justitiæ in punitio-
ne damnati. Ista facit Christus quotidie
per communicationem et pronuntiationem
Scripturæ prælatorum Ecclesiæ. *Et uxo-
rem ejus, et filios,* id est sensualitatem seu
insipientiam et opera mala, *et omnia quæ
habebat,* quia omnia ista obligata sunt ad
pœnam propter peccata, *et reddi,* id est
divinæ justitiæ satisfieri pro peccatis il-
26 lius. *Procidens autem,* id est se proster-
nens, *servus ille,* id est peccator Deo per
pœnitentiam se humilians, *rogabat eum,
dicens : Patientiam habe in me,* id est,
emendationem et satisfactionem meam cle-
menter exspecta, nec statim me damnes,
sed æterna supplicia in temporalem pœ-
nam commuta, *et omnia reddam tibi,* id
est, pro universis peccatis pœnitentiam et
emendationem efficiam, et sicut te inho-
noravi male agendo, sic te honorabo bene
27 vivendo. *Misertus autem dominus* Jesus
*servi illius, dimisit eum, et debitum di-
misit ei :* quia quacumque hora peccator (Ezech. XVIII,21,22.)
ingemiscit pro peccatis suis, omnia ei do-
nantur, et larga Dei pietas veniam non
dimidiat, sed omnia mortalia simul di-
mittit.

28 *Egressus autem,* id est mente aversus,
servus ille, liber a debito, sed servus pecca- (Joann. VIII, 34.)
ti : egressus ergo, id est, Deum relinquens
per recidivum peccati, *invenit unum de
conservis suis, qui debebat ei centum de-*
A *narios,* id est modicum comparatione de-
biti sui ad Deum. Secundum Augustinum,
omnis homo debitor est Dei, a quo multa
bona sortitus est, et quem multum mul-
tisque modis offendit ; et debitorem habet
proximum suum qui in se peccavit, vel
aliquid ei alio modo tenetur. Sed debitum
quo proximus nobis obligatur, minimum
est comparatione debiti quo Deo adstricti
sumus, in quem tanto gravius est pecca-
re, quanto major est dignitas ejus præ
cunctis. Quod insinuatur in libro Regum,
B quo legitur : Si peccaverit vir in virum, (I Reg. II,25.)
placari ei potest Deus ; si autem in Do-
minum peccaverit, quis orabit pro eo? *Et
tenens suffocabat,* id est strangulabat *eum,*
vitalem spiritum includendo, ne respira-
ret, *dicens : Redde* mihi *quod debes.* Hoc
agunt crudeles, qui persolutionem et sa-
tisfactionem vindictæ a proximis suis vio-
lenter vel ultra vires eorum requirunt. *Et* 29
*procidens conservus ejus, rogabat eum, di-
cens : Patientiam habe in me, et omnia
reddam tibi,* id est, solvam totum quod
C debeo, et satisfaciam tibi. *Ille autem no-* 30
luit acquiescere deprecanti, *sed abiit,* id
est, cum conservo suo a se tento et com-
prehenso recessit, *et misit eum in carce-
rem, donec redderet debitum :* in quo pa-
tet ejus sæva nimis crudelitas.

Videntes autem conservi ejus quæ fiebant 31
inter hos duos, *contristati sunt valde :*
quia sicut ad caritatem pertinet de bono
proximi exsultare, ita spectat ad eam de
malo ejus tristari ; *et venerunt, et narra-
verunt domino suo omnia quæ facta fue-*
D *rant* inter servos præfatos. Servi isti intelli-
gi possunt angeli, qui sunt administratorii (Hebr. I, 14.)
spiritus : quorum unus ait Joanni in Apo-
calypsi, Conservus tuus sum, et fratrum (Apoc. XXII, 9.)
tuorum. Hi tanquam diligentes custodes
considerant facta nostra ; et sicut de no-
stro profectu vere lætantur, ita de nostris
peccatis et afflictionibus metaphorice con-
tristari dicuntur, quia per modum dolen-
tis se habent, dum displicet eis quod im-
pie agimus. Hi narrant Christo, non quasi
ignoranti, sed ut judicanti opera nostra,

verba, etc., sicut Tobiæ angelus loquitur : A
Tob. xii, 12. Ego obtuli orationem tuam Domino. Secundo, per conservos intelligi possunt homines justi, prælati ac judices zelo æquitatis succensi : qui videntes quomodo unus opprimat alium, coram Deo cor suum effundunt, et divinam ultricem justitiam invocant, non zelo vindictæ, sed amore justitiæ, et ut in præsenti corrigatur crudelis, ne postea gravius judicetur.

32 *Tunc,* istis perceptis, vel circiter et cito
post hæc, *vocavit illum* suffocatorem cru-
delemque servum *dominus suus,* videlicet B
Christus, qui quotidie quosdam per mor-
tem ad se vocat; *et ait illi : Serve nequam,*
id est nocivus in proximum, et domino in-
fidelis, *omne debitum,* id est omnia pec-
cata tua, *dimisi tibi, quoniam rogasti me*
pro dilatione, et feci plusquam rogasti,
33 omnia relaxando; *nonne ergo oportuit et*
te, qui dominum tuum imitari debueras,
et ad misericordiam naturali præcepto te-
Matth. vii, 12. neris, ut facias alteri quod tibi vis fieri
(oportuit ergo debito condecentiæ ac præ-
cepti, necessitateque finis, id est ad obti- C
nendam salutem, necessarium fuit), *mise-*
reri conservi tui, sicut et ego tui misertus
sum dimittens te liberum?
34 *Et iratus dominus ejus,* videlicet Chri-
stus, qui nunc irascitur, non per passionis
commotionem inordinatam, sed justitiæ
exsecutionem, *tradidit eum tortoribus,* pu-
ta dæmonibus, qui sunt infatigabiles im-
piorum punitores, saltem usque ad diem
judicii, post quam omnes reprobi simul
cruciabuntur a pœnis inferni, non a se
invicem, ut aliqui dicunt ; *quoadusque*
redderet universum debitum, id est in
æternum, quoniam in inferno exsistentes
nunquam salubriter pœnitent, unde nec
debitum solvunt satisfaciendo pro culpis.
Sic et Pater meus cœlestis, qui est Pater 35
meus per veram generationem, et naturæ
identitatem, *faciet vobis,* mancipando vos
pœnis æternis, *si non remiseritis unus-*
quisque fratri suo, hoc est proximo, *de*
cordibus vestris, cordialiter diligendo in-
juriantem vel peccantem, et culpam peni-
tus dimittendo, ita ut nil amaritudinis, iræ
vel impatientiæ, inhæreat animæ vestræ.

Videtur autem hoc loco quodammodo insinuari, quod peccata semel dimissa, redeant eadem et vindicentur, quia de servo illo prædictum est, quod dominus tradidit eum tortoribus, quousque solveret debitum universum, et subditur : Sic Pater faciet vobis. Sed ut communiter jam tenetur, peccata dimissa non redeunt eadem, nec quoad culpam nec quoad pœnam, directe et integre; sed indirecte et aliquo modo redire dicuntur, in quantum sequentia vitia graviora et damnabiliora sunt propter ingratitudinem indultæ pietatis, et propter recidivum in eadem mala, sicut et periculosius est, eamdem corporis partem vulnerari quæ læsa est semel.

ARTICULUS XXXIII

ELUCIDATIO CAPITULI NONIDECIMI : ET FACTUM EST, QUUM CONSUMMASSET JESUS SERMONES ISTOS, ETC.

1 E*T factum est, quum consummasset,* id D
est implesset, *Jesus sermones istos,* in
præcedenti capitulo recitatos, *migravit a*
Galilæa, et venit in fines Judææ trans
Jordanem, videlicet in partes seu terram
duarum tribuum ac mediæ, scilicet Ru-
ben, Gad, et Manasse. *Et secutæ sunt eum* 2
turbæ multæ, propter diversas causas, ut
dictum est sæpius; *et curavit eos ibi,* eos
utique qui indigebant, non totam turbam.

In quo tangit Evangelista diversa sanita-
tum miracula esse peracta ad præceden-
tis confirmationem doctrinæ : quæ pro-
pter prolixitatem vitandam non recitat
sigillatim. Nec solum curavit eos ab in-
firmitatibus corporis, sed et a languoribus
animæ.

3 *Et accesserunt ad eum Pharisæi, ten-
tantes eum,* id est, experiri volentes an
possent eum reprehendere in sermone seu
responsione, *et dicentes : Si,* id est utrum,
licet homini dimittere uxorem suam om-
nino, non solum quoad cohabitationem et
copulam, sed etiam quantum ad vinculum,
ut accipiat aliam, *quacumque ex causa,* id
est ex qualibet causa indifferenter, vel ex
levi causa, videlicet propter deformitatem,
fœditatem, seu odium ? Hoc dolose quære-
bant, volentes redarguere Christum, quid-
quid responderet. Si enim diceret non li-
cere, arguerent eum blasphemiæ, quasi
contradicentem sacræ Scripturæ, quoniam
Deut. xxiv, 1. in Deuteronomio Moyses ait : Si acceperit
homo uxorem, et non invenerit gratiam
ante oculos ejus propter aliquam fœdita-
tem, scribet libellum repudii. Et Malachias
Malach. ii, 16. propheta : Quum odio (inquit) habueris,
eam dimitte. Si autem responderet quod
liceret, arguerent eum libidinis licentiato-
Prov. i, 17. rem. Sed si, Salomone testante, frustra ja-
citur rete ante oculos pennatorum, multo
amplius inaniter expanduntur laquei ante
oculos cuncta cernentis ac infallibilis Chri-
sti. Ideo ipse tanquam sapientia Dei, re-
sponsionem suam testimonio Scripturæ sic
munivit, ut pro nulla parte valeat repre-
hendi.

4 *Qui respondens, ait eis : Non legistis,*
vos Pharisæi, qui ceteris religiosiores esse
videmini? quasi dicat : Utique legistis, sed
forte non sane intellexistis. *Quia qui fecit
hominem ab initio,* id est Deus, qui pro-
toplastos parentes creavit circa principi-
Gen. i, 27. um mundi, sexto videlicet die, *masculum
et feminam creavit eos,* id est, unum eo-
rum fecit marem, et aliam feminam in ad-
jutorium viri ad prolem procreandam. *Et
dixit* Deus per Adam, seu ipse Adam Deo
A inspirante : *Propter hoc,* id est ob id quod 5
vir et mulier conditi sunt in adjutorium Gen. ii, 24.
mutuum gratia generandi, *dimittet homo
patrem et matrem.* Ista dimissio intelligi
potest dupliciter : Primo, quoad cohabi-
tationis separationem. Videmus namque,
quod sponsus et sponsa parentum suorum
domos relinquunt, et separatim cohabi-
tant. Secundo, quoad exclusionem matri-
monialis contractus, quia parentes non
sunt personæ legitimæ ad contrahendum
matrimonium. Relinquet ergo homo pa-
B trem et matrem, id est, filius non ducet
matrem, nec filia patrem. Hoc enim sem-
per fuit illicitum propter naturalem reve-
rentiam quæ debetur parentibus. *Et ad-
hærebit uxori suæ,* et illa suo viro, per
amorem, cohabitationem atque perpetuum
vinculum ; *et erunt duo* supposita, utpote
maritus et conjux, *in carne una,* id est in
uno carnali commercio, ita quod quilibet
eorum potestatem habebit corporis alteri-
us, et nullus proprii corporis.

Hæc scripta sunt in Genesi. Quum enim
C immisisset Dominus soporem supernæ Ibid. ii, 21-24.
contemplationis, seu ecstasim mentis, in
Adam, tulissetque unam costarum ejus,
et inde fecisset Evam, ille evigilans, vel
potius ad se rediens, et quod factum erat
ex revelatione agnoscens, locutus est : Hoc
nunc os ex ossibus meis, et caro de carne
mea ; propter hoc relinquet patrem, etc.,
sicut nunc allegatum est.

Ex quibus concludit Salvator : *Itaque* 6
jam, post copulam matrimonialem, *non
sunt,* vir ejusque uxor, *duo* separabilia ab
D invicem, *sed una caro,* id est, tam indis-
solubiliter juncti sunt, ac si essent penitus
una caro. Et quodammodo sunt una caro,
quoniam caro unius est in potestate alte-
rius, et econtra, quemadmodum ait Apo-
stolus : Vir sui corporis non habet pote- I Cor. vii, 4.
statem, sed mulier ; similiter mulier sui
corporis potestatem non habet, sed vir.
Ex his infert responsionem firmissimam.
Quod ergo Deus conjunxit, hoc est virum
et feminam, quos Deus tam inseparabili-
ter counivit, *homo non separet* auctoritate

humana et propria voluntate, ex qualibet
causa. Possunt tamen separari quoad co-
habitationem et debiti solvendi obligatio-
nem, de communi eorum consensu, aucto-
ritate Ecclesiæ, propter cultum divinum,
dum alter eorum vel uterque ingredi vult
religionem. Verumtamen quomodocumque
separentur, vinculum matrimonii perma-
net altero vivente, quemadmodum ait Apo-
I *Cor.* VII, 39. stolus : Mulier alligata est legi, quamdiu
vivit vir ejus.

7 *Dicunt illi,* videlicet Pharisæi Christo,
objiciendo ejus responsioni : *Quid ergo,* id
est, si ita est ut asseris, cur *Moyses,* ex
Deut. XXIV, 1. parte Dei, *mandavit* viris *dare libellum*
repudii, id est scripturam continentem
causam divortii, *et dimittere?* Quando enim
maritus voluit uxorem dimittere, redegit
in scriptis causam separationis, et dedit
uxori, vel præsentavit eam superiori.

8 *Ait illis* Jesus : *Quoniam Moyses ad,* id
est propter, *duritiam cordis vestri permi-*
sit, non jussit, *vobis dimittere uxores ve-*
stras : non quasi dimissio illa sit in se
bona ac licita, sed propter deterius malum
vitandum, videlicet, ne eas occideretis,
quia crudeles, duri et invidi semper fui-
Ibid. XXIII, 19, 20. stis. Simili ratione permisit usuram ad ex-
traneos. *Ab initio autem* mundi, videlicet
tempore legis naturalis, *non fuit sic :* quia
non licuit ante tempora Moysis dare libel-
lum repudii, eo quod indivisibilitas sit de
ratione matrimonii, quod sic definitur : Ma-
trimonium est conjunctio maris et feminæ
inter legitimas personas, individuam vitæ
9 consuetudinem retinens. *Dico autem vo-*
bis, quia quicumque dimiserit uxorem su-
am, nisi ob fornicationem, id est adulte-
rium : propter quod dimittenda est, si
perseveret in eo, ne maritus videatur ejus
malitiæ consentire, et quia ex adulterio
sequeretur incertitudo de prole cujus es-
set, ut patris ; *et aliam duxerit,* illa viven-
te, *mœchatur,* adulterium committendo.
Nam vinculum manet, ut dictum est. *Et*
qui dimissam feminam *duxerit* atque co-
gnoverit, priori viro vivente, *mœchatur.*
Ipsa quoque sic ducta, mœchatur, sicut
Apostolus ait : Si fuerit cum alio viro, vo- *Rom.* VII, 3.
cabitur adultera.

Dicunt ei discipuli ejus, non objicien- 10
do, ut Pharisæi, sed ut instruantur et cer-
tificentur a summo magistro : *Si ita est*
causa, id est negotium, *hominis cum uxo-*
re, videlicet, quod insolubile vinculum
permanet inter eos, nec separari possunt
nisi ob fornicationem, secundum sensum
prætactum, *non expedit nubere :* non so-
lum ob hoc quod status matrimonialis mi-
nus meritorius est quam status virginalis,
sed etiam propter servitutem, et incom-
moda vitæ præsentis, ut si mulier fuerit
litigiosa, gulosa, inverecunda, vel gravem
seu incurabilem morbum incurrat. Unde
in Ecclesiastico habetur : Omnis plaga tri- *Eccli.* XXV, 17.
stitia cordis, et omnis malitia nequitia mu-
lieris ; rursusque, Commorari leoni et dra- *Ibid.* 23.
coni placebit, quam cum muliere nequam.
Hinc dicit Apostolus : Beatior erit, si sic I *Cor.* VII, 40.
permanserit secundum meum consilium ;
et item, Tribulationem carnis habebunt *Ibid.* 28.
hujusmodi.

Qui dixit illis suis discipulis : *Non om-* 11
nes capiunt, per acceptationem et saporem,
verbum istud, videlicet, quod non expedit
nubere : id est, omnibus non apparet hoc,
nec sic sentiunt, neque virginalem conti-
nentiam apprehendunt propter suam per-
fectionem ; *sed quibus datum est,* id est,
quibus Dominus per gratiam dat sic sen-
tire et operari. Nemo enim potest esse *Sap.* VIII, 21.
continens, nisi Deus det, ut Sapiens inquit.

Denique ad hoc ostendendum, ponit Sal-
vator triplicem continentiam : quarum ter-
tia habetur per gratiam, et est virtuosa ;
aliæ duæ sunt naturales vel necessariæ.
Sunt enim eunuchi qui de matris utero 12
sic nati sunt, hoc est naturaliter frigidi,
voluptatem non appetentes, seu genitali-
bus membris privati. *Et sunt eunuchi qui*
facti sunt ab hominibus, id est, castrati,
quorum secantur genitalia. Isti sunt cor-
porales eunuchi, quorum continentia in se
meritoria non est : si tamen sponte ac-
ceptetur, potest esse laudabilis. *Et sunt*
eunuchi qui se ipsos castraverunt, hoc est,

usum genitalium sibi voluntarie subtra- A
xerunt, omnino caste vivendo, *propter re-*
gnum cœlorum, id est amore felicitatis
cœlestis, ut eam copiosius adipiscantur,
per hoc quod nunc continenter vivunt, ut
spirituali dilectione fortius accendantur,
divinorumque contemplationi liberius, pu-
rius, atque stabilius vacent, imo angelicam
I *Cor.* VII, 32, 33. vitam ducant in carne. Qui enim sine uxo-
re est, teste Apostolo, sollicitus est quæ
sunt Domini, quomodo placeat Deo; qui
autem cum uxore est, sollicitus est quæ
sunt mundi, quomodo placeat uxori, et B
divisus est. Horum continentia sancta ac
meritoria est, et tanto virtuosior quanto
laboriosior. Ideo subdit : *Qui potest cape-*
re, id est verba hæc perfectæ continentiæ
digne intelligere, efficaciterque implere,
capiat ea hoc modo. Nec enim oportet.
Quoniam tam sublimis perfectio superero-
gationis est, non præcepti, hoc ait Salvator
hortando, suosque pugiles ad pudicitiæ
præmia excitando.
13 *Tunc oblati sunt ei parvuli,* forte a
parentibus, *ut manus eis imponeret,* bene- C
dicendo eos hoc modo, *et oraret* pro eis.
Judæi namque scientes Patriarchas bene-
dixisse filiis suis per manuum impositi-
onem, et orationem, videntesque Christi
sanctitatem et efficaciam, ex devotione
obtulerunt ei parvulos suos.
Discipuli autem increpabant eos, videli-
cet offerentes, non parvulos oblatos. Vide-
runt enim discipuli magistrum suum mul-
tis laboribus itineris ac sermonis lassatum.
Propter quod putabant eum offerentium
importunitate et oblatorum benedictione D
posse gravari. Chrysostomus reprehendit
in hoc facto discipulos. Nam paulo ante,
Matth. XVIII, 2, 3. vocato ad se parvulo, eoque in medio con-
stituto, hortatus fuit discipulos ad parvu-
lorum similitudinem ac imitationem, di-
cendo : Nisi conversi fueritis, et efficiamini
sicut parvuli, non intrabitis in regnum
14 cœlorum. *Jesus autem ait eis,* puta disci-
pulis : *Sinite parvulos* istos, ætate et cor-
pore parvos, *et nolite eos prohibere ad me*
venire, ut benedicantur. Nemo ergo quan-
tumcumque sublimis aut sapiens, pusillos
contemnat et tangere dedignetur, quum
videat Christum Dominum universorum,
et sapientiæ fontem, parvulos tam dignan-
ter ac dulciter recepisse, tetigisse, ac be-
nedixisse. *Talium est enim regnum cœlo-*
rum. Non dicit, Istorum ; sed, Talium,
utpote humilium, obedientium, simplicium
et castorum, qui figurantur per parvulos,
et spiritualiter atque salubriter parvuli
appellantur. Nihilo minus, parvulorum
qui remedium contra originale peccatum
sortiti sunt, est regnum cœlorum, secun-
dum id quod jam sunt, et secundum præ-
sentem justitiam, quamvis interdum cre-
scendo pejorentur ac pereant.
Et quum imposuisset illis manus suas 15
superdignissimas, divinæ virtutis sacratis-
sima instrumenta, parvulis benedicendo,
et pro eis orando. Unde in Marco scriptum
est : Complexans eos et imponens ma- *Marc.* X, 16.
nus super illos, benedicebat eos. *Abiit*
inde.
Et ecce unus accedens, ait illi. Iste unus 16
secundum Matthæum, fuit adolescens; et vers. 20, 22.
secundum Lucam, fuit princeps, videlicet *Luc.* XVIII, 18.
nobilis, dives et potens, habens subjectos.
Magister bone, id est, juste et sapiens, qui
agis quod doces. Non enim sola doctrina,
sed vita cum documentis bonum facit ma-
gistrum. Unde superius dictum est : Qui *Matth.* V, 19.
fecerit et docuerit, magnus vocabitur. Se-
cundum quosdam, adolescens iste super-
bus fuit, et non voto discentis, hoc est in-
tentione discendi, sed tentantis, interrogat.
Sed obviare videtur quod apud Marcum de
adolescente isto narratur, videlicet quod
præcucurrit, et genu flexo coram Jesu, *Marc.* X, 17.
dixit quæ subjunguntur; et post pauca,
quum adolescens dixisset se omnia præ-
cepta a juventute servasse, subditur : In- *Ibid.* 21.
tuitus eum Jesus, dilexit eum. Ex quo
evidenter monstratur, quod verum dixit,
justusque fuit, et bona intentione quæsi-
vit. Et hoc etiam asserit Beda, et innote-
scit ex subditis. Itaque, Magister bone,
quid boni faciam, id est, quid meritori-
um operabor, quoniam fides sine operibus *Jacob.* II, 17, 20, 26.

mortua est, *ut habeam vitam æternam* pro mercede post vitam hanc temporalem?

17 *Qui dixit ei : Quid me interrogas de bono?* id est, cur interrogando appellas me bonum? *Unus est bonus, Deus,* id est, Dominus dumtaxat bonus est. Unde in Marco
Marc. x, 18. apertius legitur : Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus.

Sed cur Christus arguit adolescentem, quum ipse profecto bonus sit, tanquam verus Deus, et se ipsum bonum appellet
Joann. x, 11, 14. apud Joannem : Ego, inquiens, sum pastor
Matth. xx, 15. bonus; et alibi, An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Et respondetur, quod Jesus respondit ad mentem, non ad verba quærentis. Adolescens enim putavit eum hominem purum, idcirco vocavit eum bonum per bonitatis participationem dumtaxat. Jesus vero ostendere volens, quod qui sic de se ipso sentit, non debeat ipsum dicere bonum, loquendo de bono secundum perfectam rationem ipsius, dixit : Quid me interrogas de bono? Est ergo pensandum, quod res dicitur bona dupliciter. Primo, per essentiam, universaliter et perfecte : cui videlicet convenit plenitudo bonitatis quomodolibet atque simpliciter, ita quod bonitas ejus est omniformiter seu in omni nobilitate et beatitudine penitus infinita. Et ita nullus est bonus, nisi Deus verus, quemadmodum nullus dicitur esse vel justus aut sapiens, nisi Deus. Secundo, dicitur aliquid bonum per participationem et in genere : sicque creatura dicitur bona. Vidit enim Deus cuncta
Gen. I, 31. quæ fecit, et erant valde bona. Et juxta
I *Tim.* IV, 4. Apostolum : Omnis creatura Dei bona est. Utroque autem modo fuit et est Dominus Jesus excellentissime bonus : quia secundum naturam divinam, est bonus primo modo, et eadem numero bonitas cum Pa-
Joann. x, 30. tre, quemadmodum ait : Ego et Pater unum sumus. Secundum naturam vero humanam, est bonus secundo modo : et sic major est bonitas ejus quam totius universi, non quod ejus humanitas dignior sit humanitate aliorum dignitate naturæ, sed gratiæ. Porro in hac auctoritate Christi qua

A ait, Nemo bonus, nisi Deus, videtur se fundasse beatissimus theologorum dux, S. Dionysius, asserendo quod bonum sit primum atque potissimum nomen Dei.

Deinde respondet Salvator ad verba adolescentis, qui præinductam responsionem patienter sustinuit. *Si vis ad vitam* gloriæ *ingredi,* id est æternam beatitudinem adipisci, *serva mandata* Decalogi. Tanquam dicat : Hoc requiritur et sufficit ad salutem. Unde in Proverbiis habetur : Serva *Prov.* VII, 2, 3.
mandata et legem, quasi pupillam oculi
B tui; liga eam in digitis tuis, et in tabulis cordis scribe. Et in Ecclesiastico : Si vo- *Eccli.* xv, 16.
lueris mandata custodire, conservabunt te.

Dicit ei adolescens : *Quæ,* scilicet man- 18
data servabo, ut vitam ingrediar? Hoc quærit, quoniam legis præcepta erant triplicia, utpote moralia, judicialia, cærimonialia. *Jesus autem dixit,* nominando quædam præcepta moralia secundæ tabulæ, quæ ordinant hominem ad proximum : *Non ho-* *Exod.* xx, 13.
micidium facies, prætermisso ordine juris ; alias licitum erat, secundum quod
C Moyses dixit : Maleficos non patieris vive- *Ibid.* XXII, 18.
re. Secundum Joannem, Omnis qui odit I *Joann.* III, 15.
fratrem suum, homicida est. Ambrosius quoque : Pasce, inquit, fame periclitantem; si non paveris, occidisti. Judæi autem occiderunt Christum lingua, consilio et consensu. Cain vero occidit Abel propria manu. Omnia ergo homicidia ista prohibita sunt. *Non adulterabis; non facies* *Exod.* xx, 14-16.
furtum; non falsum testimonium dices;
honora patrem et matrem; et diliges pro- 19
ximum tuum sicut te ipsum. Qui enim *Ibid.* 12. *Lev.* XIX, 18.
D diligit proximum, legem implevit. *Rom.* XIII, 8.

Dicit illi adolescens : Omnia hæc custo- 20
divi [*a juventute mea*], et per consequens alia præcepta moralia hic non expressa. Non enim diligitur proximus, nisi diligatur et Deus. *Quid adhuc mihi deest,* ut
sim perfectus ac tuus discipulus? *Ait illi* 21
Jesus : Si vis perfectus esse, opera supererogationis faciendo atque evangelica consilia amplectendo, *vade,* id est, a temporalium rerum affectu recede, et corporaliter perge ad emptores, si opus est, *et vende*

omnia quæ habes, videlicet mobilia et immobilia, *et da pauperibus* pretia eorum. Majus enim est omnia simul pro Christo relinquere, quam ea paulatim indigentibus communicare, ut sit homo penitus liber et expeditus a cura, affectu et onere temporalium divitiarum, totusque intendat spiritualibus bonis. *Et habebis thesaurum,* id est copiosam et supereffluentem remunerationem ac possessionem, multo pleniorem quam qui sola præcepta custodiunt, *in cœlo* empyreo, quod est mansio Beatorum. *Et veni* corporis gressu, mentisque sincero affectu, *et sequere me,* pauperem vitam ducendo, et perfectionis opera exercendo.

22 *Quum audisset autem adolescens verbum hoc* de venditione prædicta, *abiit tristis,* vel quia doluit se interrogasse, vel quia vidit viam perfectionis esse difficilem, vel quia debebat* facere quod audivit. *Erat enim habens multas possessiones,* hoc est divitias. Ex quo patet, quod licet fuerit justus servando præcepta, caritatem Dei temporalibus omnibus præferendo, non tamen erat perfectus, qui temporalibus aliqualiter inordinate adhæsit, nec tam fervens erat in divino amore, quod pro Deo vellet cuncta relinquere. Tales sunt multi. Nam plures sunt cum custodia præceptorum contenti, nec statum superiorem volunt arripere : quos certum est in ampliori esse periculo.

* *alias* tædebat

23 *Jesus autem dixit discipulis suis : Amen dico vobis, quia dives,* id est in temporalibus bonis abundans, *difficile,* id est difficulter, *intrabit in regnum cœlorum,* quod est pauperum, ita ut transeat de divitiis ad divitias. [*Matth.* v, 3.] Difficile ergo est, non impossibile, divitem salvari, quoniam difficillimum est in temporalibus abundare, et ea non inordinate amare, esse in divitiis, et non uti deliciis, ab aliis propter divitias honorari, et non extolli, nec mundi vanitates sectari. Ad insinuandum enim quam rarum atque difficile sit locupletem esse justum, non cupidum, dicitur in Ecclesiastico : [*Eccli.* xxxi, 8, 9.] Beatus dives qui inventus est sine macula, qui post aurum non abiit, nec speravit in pecuniæ thesauris. Quis est hic? et laudabimus eum. Fecit enim mirabilia in vita sua. Verumtamen multi fuerunt ditissimi, et tamen non cupidi, ut Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Booz. Talis fuit et David, qui cunctis divitibus saluberrimum dedit consilium, dicens : Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. [*Ps.* lxi, 11.] Et iterum ait : Ego sum vir pauper et tenuis. [I *Reg.* xviii, 23.] Dives ergo difficulter salvatur, quia divitiæ sunt spinæ ac tribuli suffocantes verbum Dei. [*Matth.* xiii, 22.] Nec solum dives, sed et divitias appetens, quum tamen facilius sit divitias nondum adeptas quam jam possessas non immoderate amare. Dicit namque Apostolus : Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli. [I *Tim.* vi, 9.] Difficile quoque est diviti implere illud Joannis Baptistæ : Qui habet duas tunicas, id est superfluas, det non habenti; et qui habet escas, similiter faciat. [*Luc.* iii, 11.]

24 *Et iterum dico vobis : Facilius est camelum per foramen acus transire :* quod naturaliter impossibile est, non tamen omnipotentiæ Dei, quæ posset modicum quid in camelum transsubstantiare, atque per foramen acus transducere; *quam divitem intrare in regnum cœlorum.* Si acceperimus divitem hoc loco sicut in verbo immediate prædicto, oportet fateri quod his verbis non denotatur nisi maxima difficultas salvationis divitis : ita quod dives naturali virtute salvari non valeat, sicut nec camelus per foramen acus transire, et Deus sua omnipotentia mirabilius ac vigorosius utatur salvando divitem, quam ducendo camelum per acus foramen. Sic namque, secundum Augustinum, majus est impium justificare quam mundum creare : cujus creatio non est minoris admirationis, incomprehensibilitatis atque potentiæ, quam transductio cameli per acum. Communiter vero expositores hoc loco accipiunt divitem pro inordinato et cupido divitiarum amatore, qui majorem fiduciam et amorem habet in eis quam in Deo. Talem autem salvari impossibile est,

loquendo de potentia Dei ordinata. Huic A
expositioni favere potest, quod prædictis
verbis Christus præmittit apud Marcum :
Marc. x, 24. Filioli, inquiens, quam difficile est confi-
dentem in divitiis introire in regnum cœ-
lorum ! Unde Apostolus ait ad Timothe-
I *Tim* vi, 17. um : Divitibus hujus sæculi præcipe non
sublime sapere, nec sperare in incerto di-
vitiarum. Talis fuit dives et sanctus Job,
Job xxxi, 24, 25. qui ait : Si putavi aurum robur meum, et
obryzo dixi, Fiducia mea; si lætatus sum
super divitiis meis.

25 *Auditis autem his* verbis, omni diviti B
vehementissime metuendis, *discipuli mi-
rabantur valde,* propter novitatem et ar-
duitatem hujus doctrinæ toti sæculo prius
inauditæ. Novam nempe et supernatura-
lem doctrinam cœlestis magister advexit
atque deprompsit. *Dicentes* ad invicem :
Quis ergo poterit salvus esse, si tam ar-
duum est iter ad regnum cœleste ? Quasi
dicant : Pene nullus, quum multa sint vi-
tia graviora quam amor divitiarum super-
26 fluus. *Adspiciens autem Jesus* pavorem
angustiamque ipsorum, *dixit illis : Apud* C
homines hoc impossibile est, id est, huma-
na et naturali potestate fieri nequit ut di-
ves salvetur, vel camelus per foramen acus
ducatur; *apud Deum autem,* id est omni-
potentiæ Dei, *omnia possibilia sunt* qui-
bus non repugnat ratio entis, videlicet quæ
contradictionem non implicant. Ideo Deus
potest hominem in temporalibus abundan-
tem præservare a culpa, potest quoque
divitem vitiosum per gratiam immutare,
Rom. vi, 23. ut bene utatur divitiis et salvetur : gratia
enim Dei vita æterna. Mentitur ergo Pela- D
gius, dicens hominem sine gratia posse
justificari.

27 *Tunc,* videlicet audita commendatione
voluntariæ paupertatis, *respondens Petrus*
in persona omnium Apostolorum, tanquam
præcipuus inter eos, *dixit ei : Ecce :* quæ
dictio signum est quod magnum atque no-
tabile sit quod narratur ; *nos* duodecim
quos in Apostolos elegisti, *reliquimus om-
nia* ista terrena, *et secuti sumus te* corporis
gressu et cordis affectu, assimilationeque
vitæ. Hoc tamen de Juda proditore sumi
non potest, nisi forte pro certo tempore.
Quamvis autem Petrus fuerit pauper, qui-
dam tamen Apostolorum, in quorum per-
sona loquebatur, divites erant, puta Mat-
thæus, Bartholomæus, etc. Ideo congrue
ait, Reliquimus omnia. Denique, sicut vi-
dua mittens duo minuta, plus omnibus *Marc.* xii, 42, 43.
misit in gazophylacium ; sic Petrus pauca
relinquens, plus multis reliquit qui pon-
dera auri relinquunt, et tamen aliud sibi
reservant, vel non tam prompte et affec-
tuose hoc agunt ut Petrus. Omnia quoque
dimisit, qui nihil retinuit sibi, nec sola ha-
bita, sed et habenda abjecit pro Christo, ip-
sum affectum divitiarum eradicando. *Quid
ergo erit nobis* mercedis, et quid reddStu-
rus es nobis? Nondum videtur Petrus fuis-
se perfectus. Perfectus namque amator, de
præmio non requirit, sed de dilecto.

Jesus autem dixit eis, non solum Petro, 28
sed ceteris quoque, in quorum persona
loquebatur : *Amen dico vobis, quod vos qui
secuti estis me,* et omnes vestra vestigia
sectaturi, omnes videlicet perfecti evan-
gelica observantes consilia, qui figurantur
ac designantur per vos. Itaque, Qui secuti
estis me, modo prædicto, in paupertate ac
ceteris bonis, *in regeneratione.* Hoc S. Hi-
larius nectit prædictis, ut sit sensus : Qui
secuti estis me, accipiendo Baptismum,
qui est spiritualis regeneratio ex aqua et *Joann.* iii, 5.
Spiritu Sancto. Hieronymus vero conve-
nientius nectit hoc verbis sequentibus.
Eritque sensus : *Qui secuti estis me,* mo-
do præfato, hanc mercedem habebitis :
nam *in regeneratione,* id est in futura
corporum resuscitatione, resurrectione, seu
reformatione, quæ terminatur ad esse sub-
stantiale secundo collatum restitutumque
corpori, propter quod regeneratio nuncu-
patur, *quum sederit Filius hominis in se-
de majestatis suæ,* id est, exercere cœperit
manifeste et universaliter suam judicia-
riam potestatem, dando singulis in anima
et corpore quod meruerunt. Sedes hoc lo-
co, corporale solium non designat, sed
judiciariam potestatem et usum ipsius,

quamvis accipi possit pro loco in quo Christus in die judicii corporaliter erit vel
Joel III, 12. residebit in aere, prout Joel dicit : Consurgant et ascendant gentes in vallem Josaphat, quia ibi sedebit ut judicet omnes gentes in circuitu. *Sedebitis et vos super sedes duodecim,* id est, in duodenis principalibus thronis, locis, seu soliis, assidebitis, *judicantes,* judicio assessoriæ dignitatis, atque præcipuæ approbationis, *duodecim tribus Israel,* quæ vobis credentibus, pro majori parte in incredulitate manserunt, sicque damnabitis eas. Unde superius dixit Salvator Judæis, de Apo-
Matth. XII, 27. stolis loquens : Ipsi judices vestri erunt.

Quum inter duodecim Apostolos fuerit
Ibid. X, 4. Judas proditor unus, quomodo ait Christus, Sedebitis super sedes duodecim, quasi duodecim essent sessuri cum Christo, quorum unum constat esse damnatum? Et respondendum, quod promissio ista quantum ad Judam fuerat conditionalis, videlicet, si perseveraret in bono. Denique per sedes duodecim, significantur solia omnium perfectorum et apostolicorum virorum, qui in die judicii judicabunt cum Christo. Similiter per duodecim tribus Israel, judicandorum universitas declaratur. Præterea advertendum, quod Christus in die judicii, secundum suam divinam naturam, seu Trinitas Deus, judicabit per auctoritatem ; Christus vero ut homo, per
Joann. V, 22. exsecutionem (unde ait : Pater non judicat quemquam, sed judicium omne dedit Filio); Apostoli et viri perfecti, per assessoriam dignitatem, tanquam amici et consiliarii Judicis ; ceteri electi, imo omnes boni, per approbationem; minus mali, per
Matth. XII, 41; X, 15; XII, 42. comparationem, quemadmodum Ninivitæ, Sodomitæ et regina Saba incredulos Judæos judicaturi dicuntur.

29 *Et omnis qui reliquerit* ordinate *domum,* dando eam vel pretium ejus pro Deo. Etenim in pium usum convertenda sunt temporalia quæ relinquuntur, non penitus conterenda aut destructioni exponenda. *Vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem.* Parentes tamen relinquendi non sunt a filiis aut filiabus si inopes aut debiles sint, nisi eis provideatur de necessariis. *Aut filios,* vel uxores, aut filias, quæ licet jam non exprimantur, tamen sub prædictis intelliguntur : nam apud Lucam exponitur uxor ; *aut agros,* *Luc.* XVIII, 29.
propter nomen meum, id est finaliter propter me, ut me in æternum conspiciat atque possideat, et ad gloriam meam, ut me in præsenti sæculo perfectius veneretur, contemplando, amando ac serviendo in omnibus. *Centuplum accipiet,* id est, spiritualibus bonis in præsenti dotabitur, videlicet gratia gratum faciente, caritate divina, consolatione interna, donis Spiritus Sancti : quæ omnia incomparabiliter præstantiora sunt cunctis bonis terrenis. Talis quoque efficitur spiritualis filius, imo et frater, omnium Sanctorum viatorum et comprehensorum, quibus caritate et mystica unitate connectitur. Omnia quoque temporalia ei subduntur, sicut ait Apostolus : Quasi nihil habentes, et omnia *II Cor.* VI, 10.
possidentes. *Et vitam æternam,* de qua ait apud Joannem Salvator : Hæc est vita *Joann.* XVII, 3.
æterna, ut cognoscant te solum Deum, et quem misisti Jesum Christum ; *possidebit* in patria, quando videbit facie ad faciem, *I Cor.* XIII, 12.
id est clare et immediate per speciem.

Ecce triplex præmium voluntariorum pauperum, videlicet centupla receptio in præsenti, assessoria judicandi potestas in die novissimo, itemque possessio vitæ æternæ in patria.

Multi autem erunt primi novissimi, id 30
est, multi eorum qui modo magnæ sunt reputationis, dignitatis et abundantiæ, erunt in die extremo infimi et abjecti. Multi quoque qui nunc ante alios bona incipiunt, paulatim torpent et deficiunt ; et qui tardius inchoant, ferventiores redduntur. Similiter et Judæi, qui erant primi vocatione, ultimi facti sunt salvatione, juxta illud Apostoli : Quum plenitudo gentium *Rom.* XI, 25, 26.
intraverit, tunc omnis Israel salvus fiet. *Et novissimi primi,* id est, qui jam dignitate, potestate vel tempore posteriores sunt, et opprimuntur ac tribulantur a primis

seu majoribus hujus sæculi, tunc erunt A
Job XXII, 29. primi honore et gloria apud Deum. Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria. Et
I *Cor.* I, 27, 28. abjecta, infirma ac infima mundi elegit Deus, ut alta, fortia et pomposa condemnet.
Ps. CXII, 7, 8. Propter quod fertur in Psalmo : Suscitans a terra inopem, et de stercore elevans pauperem, ut collocet eum cum principibus populi sui. Ad quod pertinere po-
Eccli. X, 17. test illud Ecclesiastici : Sedes ducum superborum destruxit Deus, et sedere fecit mites pro eis. Hinc quoque Virgo Christifera : Deposuit (inquit) potentes de sede, *Luc.* I, 52.
et exaltavit humiles. Nemo ergo de præsenti sua glorietur in se aut præsumat justitia, vel se aliis præferat, aut quemquam contemnat, quia ab his superari potest in præsenti per gratiam, et in futuro per gloriam, quibus nunc videtur multo perfectior.

ARTICULUS XXXIV

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI : SIMILE EST REGNUM CŒLORUM HOMINI PATRIFAMILIAS QUI EXIIT PRIMO MANE.

STATUM Ecclesiæ militantis comparat B Christus rebus diversis, nobis notis ac corporalibus, quatenus per similitudinem sensibilium et notitiam manifestorum, ad cognitionem mysteriorum Ecclesiæ perducamur, gratiamque ac judicium dispositionis divinæ sciamus. Hinc ergo nunc ait :

1 *Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias.* Origenes, per regnum cœlorum intelligit Christum : quem si hoc loco per regnum cœlorum intellexerimus, plana erit parabola. Quemadmodum enim paterfamilias aliquis diversis horis diei egredi- C tur, ut conducat operarios qui vineam suam operentur seu colant ; sic Christus secundum quod Deus, a principio mundi per omnes ætates sæculi hujus exiit, per suæ potentiæ operationem, per suæ veritatis manifestationem, per angelorum missionem, per Patriarcharum ac Prophetarum legationem, ut vocaret quosdam ad ecclesiasticam unitatem, ad fidem et gratiam, ad operandum in domo Dei, quæ est vinea atque Ecclesia Christi.

Verumtamen expositores communiter in- D telligunt hic per regnum cœlorum, Ecclesiam militantem, ut sit sensus : *Simile est regnum cœlorum,* id est status seu negotium Ecclesiæ militantis, vel ipsa Ecclesia, ratione sui capitis, scilicet Christi, *homini patrifamilias,* id est operi seu negotio vel personæ hominis cujuscumque habentis familiam, *qui exiit primo mane,* id est diluculo, *conducere operarios in vineam suam,* hoc est ad hoc, quod vitem suam putarent atque excolerent. Sic autem exponendo, quod hic scribitur de patrefamilias difficultatem non habet : sed per patremfamilias spiritualiter figuratur ac designatur Deus Trinitas, seu quælibet divina Persona ; per vineam vero, Ecclesia. Sicque in processu exponenda est littera, ita ut Ecclesia comparetur vineæ, quoniam sicut se habet paterfamilias ad vineam suam, sic Deus ad Ecclesiam. De Deo ergo per patremfamilias significato exponentur sequentia. Dicitur autem Deus paterfamilias, tanquam creator et dispensator universorum : de cujus domo scriptum est in Baruch, O Israel, quam magna *Baruch* III, 24.
est domus Dei et ingens locus possessionis ejus ! Cujus familia, est congregatio omnium fidelium servientium ei.

Qui exiit, non locum mutando, sed aliquid de novo operando, suamque gratiam effundendo, et suos nuntios emittendo, *pri-*

mo mane, id est in prima mundi ætate, A
quæ duravit ab Adam usque ad Noe, vi-
delicet ad ingressum in arcam, seu ortum
diluvii, *conducere,* id est per mercedis
pollicitationem vocare, *operarios,* id est
homines ad operandum potentes, qui non
erant operarii meritorie agendo, antequam
vocarentur et ejus gratia prævenirentur,
in vineam suam, hoc est ad societatem
seu incorporationem Ecclesiæ, quemadmo-
Galat. I, 4; dum ait Apostolus : Eripuit nos de præ-
Coloss. I, 13. senti sæculo nequam, et transtulit in re-
gnum Filii dilectionis suæ. A principio B
etenim mundi vocavit Deus quosdam ad
fidem et caritatem, per quam facti sunt
membra Ecclesiæ, et vinea Dei, producen-
do opera sancta, tanquam optimas uvas.
Congregatio ergo fidelium dicitur vinea,
Is. v, 7. sicut per Isaiam asseritur : Vinea Domini
Osee x, 1. Sabaoth, domus Israel est; et per Osee, Vi-
tis frondosa domus Israel. Per hos autem
operarios conductos, quidam specialiter
intelligunt aliorum doctores, prælatos ac
superiores, quos Deus misit in vineam,
scilicet Ecclesiam, propter aliorum conver- C
sionem seu informationem : quales a prin-
cipio mundi fuerunt, Adam, Seth, Enoch,
Mathusalem.
2 *Conventione autem facta,* id est pro-
missione completa, seu pacto inito, *cum
operariis* jam præfatis, *ex denario diur-
no,* id est de felicitate æterna eis pro suo
labore reddenda. Conventio itaque hæc, est
vitæ æternæ promissio, de qua per Jere-
Jer. XXXI, 16. miam Dominus ait : Quiescat vox tua a
ploratu, et oculi tui a lacrimis, quia est
merces operi tuo. Porro beatitudo seu vi- D
ta æterna appellatur denarius, quia est
præmium bene agentis. Dicitur quoque di-
urnus, quoniam propter eum quotidie la-
boratur, et quotidie ingredientibus regnum
cœleste confertur, eumque meremur in die
gratiæ, et accipiemus in die gloriæ. *Misit
eos in vineam suam,* id est ad Ecclesiam
instruendam, vel ad bene vivendum in ea.
3 *Et egressus* (secundum modum prædi-
ctum) Deus *circa horam tertiam,* id est
statim post diluvium, vel a tempore Noe
usque ad Abraham, *invenit* alios stantes* * vidit
in foro, id est in sæculo isto negotiatio-
nibus temporalium rerum repleto, *otiosos,*
id est a bonis operibus vacantes. *Et dixit* 4
illis, per inspirationem internam, angeli-
cam revelationem, vel alio modo : *Ite et
vos in vineam meam,* hoc est ad fidelium
sortem seu congregationem, dimittendo Rom. XIII,
opera tenebrarum et faciendo fructus ju- 12.
stitiæ ; *et quod justum fuerit dabo vobis,*
videlicet justam mercedem pro opere vir-
tuoso, qui do unicuique quod meretur. Jer. XVII,
Illi autem abierunt in vineam Domini, 10. 5
obedientes locutioni divinæ. Tales fuerunt
Noe, Sem, Japhet, Heber. *Iterum autem
exiit circa sextam,* hoc est a tempore Abra-
hæ usque ad Moysen, *et nonam horam,* id
est a tempore Moysis usque ad Christum;
et fecit similiter, otiosos faciendo opera-
rios, seu quosdam mittendo in vineam su-
am, utpote Moysen, Aaron, Josue, judices
et Prophetas, aliosque innumerabiles per-
ducendo ad statum salutis in illis duabus
ætatibus.
Circa undecimam vero horam, id est ab 6
adventu Christi, *exiit,* mittendo Unigeni- Rom. VIII, 3.
tum suum in similitudinem carnis pecca-
ti, et Apostolos ad gentiles. Tunc quoque Matth.
Verbum Dei verus Deus exiit, nostram na- XXVIII, 19.
turam assumendo, et personaliter homi-
nibus apparendo, loquendo et bene agen-
do, quemadmodum apud Joannem ipse
testatur : Exivi a Patre, et veni in mun- Joann. XVI,
dum. *Et invenit alios stantes,* id est, rebus 28.
temporalibus inhærentes, spiritualiter non
proficientes : per quos præcipue intelli-
guntur gentiles, quorum aliquibus, tamen
paucis et parum, Christus in propria præ-
dicavit persona, ceteris per Apostolos, eo-
rumque discipulos et successores. *Et dicit
illis : Quid hic,* id est in isto exsilio, in
hac peregrinatione ubi non habemus ci- Hebr. XIII,
vitatem manentem, *statis tota die,* id est 14.
toto tempore vitæ vestræ, *otiosi,* non fe-
stinantes ad patriam? Gentiles namque fi-
de caruerunt, nil meritorium operabantur :
idcirco toto tempore vitæ suæ vacabant a
bonis, præsertim quum dicat Apostolus :

Rom. xiv, 23. Quidquid non est ex fide, peccatum est. A
7 *Dicunt ei : Quia nemo nos conduxit,* id est, nullus ad bene agendum nos invitavit, promittendo nobis regnum cœleste pro præmio : nullus quippe Propheta aut Act. xvii, 30. doctor missus est nobis. Prioris enim ignorantiæ tempora despexit Deus, ut ait Paulus. Verumtamen quibusdam gentilibus dati sunt viri sancti, videlicet Job Melchisedech; sed tempore Christi, et diu ante, in toto mundo regnavit idololatria, exceptis Judæis. *Dicit illis : Ite et vos in vineam meam.* Hoc Deus dixit gentilibus B per prædicationem Apostolorum, ut converterentur ad Christum, fieretque ex eis et populo Judæorum electo una Ecclesia.

Denique S. Hieronymus exponit parabolam hanc de vocatis ad gratiam secundum diversas hominum ætates : ut illi dicantur primo mane conducti, et in vineam missi, qui in pueritia ad Dei obsequium perducuntur : quales potissimum fuerunt sanctificati in utero, ut Joannes et Jeremias, et alii qui mox usum rationis sortiti, cœperunt Domino famulari, ut Sa- C muel. Tertia vero hora conducti vocantur, qui in juventute convertuntur seu adolescentia, quæ interdum pro eodem su- Eccle. xi, 9. muntur, juxta illud Ecclesiastæ : Lætare, juvenis, in adolescentia tua. Sexta, qui in ætate virili ; nona, qui in senectute ; undecima, qui in ætate decrepita.

8 *Quum sero autem factum esset.* Secundum Augustinum, Gregorium, et alios expositores communiter, per sero intelligitur finis mundi, seu dies judicii. Sed hoc quidam nititur improbare, quia de recipien- D tibus mercedem sero dicitur, quod quidam eorum murmuraverunt, quibus sub persona unius eorum dicitur : An oculus tuus nequam est ? Qui autem in fine mundi remunerationem felicem, de qua jam agitur, sortientur, nec murmurabunt nec nequam erunt. Sed quam facile hoc solvatur, patebit dum ad horum verborum explanationem pervenero. Rursus, quam extorta sit expositio ejus qui per sero intelligit tempus gratiæ seu præsentem statum Ecclesiæ, patet litteram intuenti. Jam enim dictum est, quod per horam undecimam intelligatur tempus gratiæ, quod a Christi adventu incepit : oportet ergo per sero intelligi terminum temporis seu horæ istius. Iterum præsens tempus non est tempus præmiorum, sed meritorum. Præterea clarum est, quod Christus per sero intelligat horam in qua finiuntur labores pro quibus redditur merces : quæ non est nisi in die judicii. Est igitur sensus :

Quum sero autem factum esset, id est, quum finis mundi advenerit, *dicit dominus vineæ,* id est, tunc Deus Pater seu Trinitas, summus princeps Ecclesiæ, dicet *procuratori suo,* id est Christo secundum quod homo est, quem Pater constituit do- Ps. civ, 21. minum domus suæ et principem omnis possessionis suæ : *Voca operarios,* id est eos qui in Ecclesia laboraverunt, a morte eos resuscitando, et ad judicium convocando. Hæc vocatio est, de qua inquit Apostolus : Quoniam ipse Dominus in jussu I Thess. iv, 15. et in voce Archangeli, et in tuba Dei, descendet de cœlo. Et Christus : Veniet (in- Joann. v, 28. quit) hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus. *Et redde illis mercedem,* videlicet vitam æternam, de qua Salvator in Apocalypsi profitetur : Ecce venio cito, et merces mea mecum Apoc. xxii, 12. est. Hæc merces est clara visio divinitatis Christi, prout apud Joannem ipse ait : Qui Joann. xiv, 21. diligit me, manifestabo ei me ipsum. Unde Pater ait in Psalmo, Ostendam illi sa- Ps. xc, 16. lutare meum, videlicet Christum. *Incipiens dare mercedem a novissimis,* qui hora undecima vocati sunt, progrediendo ab illis *usque ad primos,* qui primo mane vocati sunt, per intermedios. Hi vocati sunt vel hora nona, vel sexta, vel tertia. In fine mundi omnes electi simul remunerabuntur a Christo, videlicet in momento, in ictu oculi : quomodo ergo novissimi dicuntur primo remunerari? Dicendum, quod ista prioritas non est referenda ad intervalla divinæ remunerationis, quæ instantanea erit, sed ad ordinem vocatorum, ita quod licet omnes simul præmium conse-

quantur quoad tempus, tamen primo præ- A
miari perhibentur, qui minus diu præsto-
lati sunt præmium, et qui ultimo finierunt
laborem. Sic enim communiter dicimus,
illos prius aliquid adipisci, qui minorem
dilationem passi sunt, quam eos qui diu
exspectaverunt, quamvis insimul præmi-
entur.
9 *Quum venissent ergo* ad judicium *qui
circa undecimam horam,* id est in ultima
mundi ætate, *venerant* ad vineam Christi,
seu vitam bonam, *acceperunt* a Christo
pro mercede, *singulos denarios,* id est qui- B
libet proportionatum præmium, seu vitam
10 æternam in cœlis. *Venientes autem et pri-
mi* ad tribunal Christi, *arbitrati sunt,* id
est, æstimabant in die judicii, *quod plus,*
id est majus præmium, *essent accepturi*
a Christo, quam novissimi, quia diutius
et gravius laboraverunt in ætatibus. Nem-
pe his qui Christi adventum præcesserunt
minor fuit gratia et longior vita, ideo diu-
tius et durius laboraverunt quam fideles
tempore gratiæ, quibus merito Salvatoris
Matth. xi, 30. et gratiæ ejus affluentia, suave est jugum C
Dei et onus ejus leve. *Acceperunt autem
et ipsi singulos denarios,* id est tantum
ut primi, videlicet unusquisque suum de-
narium seu proprium præmium. Non enim
respicit Deus principaliter ad laborem ex-
teriorem, seu temporis diuturnitatem, sed
ad interiorem fervorem, et rectam inten-
tionem, cordisque munditiam, per quam
Ibid. v, 8. fit homo capax visionis divinæ essentiæ.
11 *Et accipientes* primi singulos (ut dictum
est) denarios, *murmurabant adversus pa-
12 tremfamilias,* scilicet Deum, *dicentes : Hi* D
novissimi una hora fecerunt, id est, mo-
dico tempore in Ecclesia laboraverunt; *et
pares* in præmio *illos nobis fecisti,* qui per
procuratorem tuum illis et nobis idem
præmium contulisti, *qui portavimus pon-
dus diei,* id est, graves temporis labores
et laboriosos actus justitiæ sustinuimus,
et æstus tentationum, id est vehementes
tentationes et anxietates. Murmuratio ista
Sanctorum, non est murmuratio turbati-
onis, rancoris vel impatientiæ, sed vehe-
mens replicatio propriæ causæ, seu admi-
rationis eruptio procedens ex zelo justitiæ,
quemadmodum et inter angelos sanctos,
secundum Gregorium, Thomam, et alios
multos, dicitur esse resistentia, dicente
Gabriele ad Danielem, Princeps Persarum Dan. x, 13, 20.
restitit mihi : quod prædicti exponunt de
bono angelo Persarum custode ac princi-
pe. Dicuntur itaque murmurasse, vel quia
dilationem dolenter sustinuerunt, secun-
dum Gregorium, vel quia de magnitudine
liberalitatis pietatisque divinæ, tantum de
præmio dantis novissimis ut eis, vehemen-
ter mirabantur. Nihilo minus unusquis-
que Beatorum de sua felicitate plenissime
contentatur. Sed quæritur, quomodo pri-
ores Sancti in die judicii æstimabunt se
plus recepturos, quum tamen errare non
possint. Et respondendum, quod illa æs-
timatio non est assertionis, sed opinatio-
nis. Sancti autem in patria non præno-
scunt determinate, quantum beatitudinis
quilibet hominum electorum finaliter ob-
tinebit, nisi ex speciali causa eis divinitus
revelетur.
At ille paterfamilias *respondens uni eo-* 13
rum murmurantium, *dixit.* Et quod uni,
hoc omnibus dixit ; potestque per hunc
unum intelligi Protoplastus. *Amice, non
facio tibi,* nec aliis primis, *injuriam,* ali-
quid tibi injuste subtrahendo, ob hoc quod
alium ultra condignum glorifico, et tibi
in mercede parem facio. *Nonne ex dena-
rio,* hoc est pro certo præmio tibi præ-
stando, *convenisti mecum?* id est, acqui-
evisti et concors factus es mihi, eundo in
vineam meam, ut denarium diurnum re-
ciperes. Advertendum, quod sicut dena-
rius diurnus unus est secundum suam
formam et rationem specificam, multipli-
catur autem ex parte materiæ et recipien-
tium, et est æqualis quantum ad omnes ;
sic vita seu beatitudo æterna, per dena-
rium figurata, una est ex parte objecti,
videlicet Dei, multiplicatur vero ex parte
recipientium atque fruentium, est quoque
æqualis omnibus quantum ad durationem,
nam omnes æternaliter eam possidebunt,

tamen in perfectione magna distantia est,
secundum exigentiam meritorum. Unde,
Joann. XIV, 2. in domo Patris mansiones multæ sunt, hoc
est diversi gradus præmiorum.
14 *Tolle quod tuum est,* id est denarium
seu præmium tibi debitum ac promissum,
Matth. XXV, 21, 23. *et vade* in gaudium Domini tui. *Volo au-*
tem et huic novissimo dare sicut et tibi, id
est tantum de præmio, quantum tibi lar-
gitus sum, propter fervorem caritatis suæ,
et meritum Christi, aliasque rationes jam
tactas. Quemadmodum de primis locutus
est singulariter, uni pro omnibus respon-
dendo ; sic nunc de novissimis singulari-
ter loquitur, dicens, Volo huic novissimo
15 dare, per unum omnes intelligens. *Aut*
non licet mihi quod volo facere? quasi
dicat, Utique : quia voluntas Dei quum
sit essentialiter idem quod sapientia et
justitia ejus, nec injusta, nec irrationalis
esse valet; sed eo ipso quod Deus aliquid
vult, justum ac licitum est. Unde in libro
Sap. XII, 16. Sapientiæ legitur : Virtus tua, Domine, ju-
stitiæ initium est. *An oculus tuus,* id est
æstimatio seu consideratio tua, *nequam*
est, id est erronea, *quia ego bonus sum*
essentialiter (quemadmodum dictum est,
Marc. X, 18. Nemo bonus nisi Deus), hoc est, an bo-
nitas mea, liberalitas, seu misericordia, est
tibi occasio murmurationis, eo quod tan-
tum tribuo novissimis sicut primis? Lo-
quitur ergo de nequitia inconsiderationis,
et non culpæ : quod probatur per hoc
quia jam loquitur de operariis vineæ Dei,
qui omnes salvantur.
16 Ex quibus concludit Salvator : *Sic erunt*
novissimi primi, et primi novissimi. Hoc
idem in fine præcedentis capituli dictum
atque expositum est. *Multi enim sunt vo-*
cati, hoc est ad fidem et gratiam per præ-
dicationem invitati atque perducti, quem-
Ps. XXXIX, 6. admodum Christus ait in Psalmo : An-
nuntiavi et locutus sum, multiplicati sunt
super numerum. *Pauci vero electi,* hoc
est prædestinati seu gloriam adepturi. Sed
videtur contrarium quod de electis can-
Ps. CXXXVIII, 18. tatur : Dinumerabo eos, et super arenam
multiplicabuntur ; et in Apocalypsi, Vidi

A turbam magnam, quam dinumerare ne- Apoc. VII, 9.
mo poterat. Et respondendum, quod pauci
sunt comparative seu relative ad repro-
bos, multi autem simpliciter. Imo secundum
Gregorium, tantus est numerus hominum
electorum, quantus angelorum sanctorum.
Probabile quoque est, quod numerus ho-
minum reproborum excedat numerum an-
gelorum ac dæmonum et hominum ele-
ctorum. Quum ergo ignoremus an electi
simus, et an digni simus amore, non de- Eccle. IX, 1.
bemus inaniter gloriari, securi esse aut
B elevari, nec alios, quamvis impii videan-
tur, aspernari seu desperare. Nam quales
futuri sint, nescimus ; et forte in brevi
præcedent nos in omni virtute.
Et ascendens Jesus Jerosolymam, assum- 17
psit duodecim discipulos, puta Apostolos,
secreto, ut eis tanquam familiaribus suam
passionem prænuntiaret, ne eam viden-
tes, scandalizarentur, nec putarent magi-
strum suum præventum, vel improvise ca-
ptum, aut invite occisum. Secreta ergo non
omnibus, sed familiaribus, sunt panden-
C da, et mystica majoribus revelanda sunt.
Et ait illis : Ecce ascendimus Jerosoly- 18
mam, et Filius hominis tradetur a Deo
Patre, a se ipso, a Juda proditore, a dia-
bolo, sed diversimode, *principibus sacer-*
dotum et Scribis in lege peritis, *et condem-*
nabunt eum morte, hoc est, reum mortis Matth.
eum esse judicabunt. Sic enim dixerunt XXVI, 66; Marc. XIV,
coram Pilato : Nos legem habemus, et se- 64.
cundum legem debet mori, quia Filium Joann. XIX,
Dei se fecit. *Et tradent eum* principes 7. 19
sacerdotum et Scribæ, *gentibus,* scilicet
D Pilato et ejus militibus, *ad illudendum.*
Induerunt enim eum veste purpurea, et Marc. XV,
arundinem posuerunt in dextera ejus, spi- 17-19; Matth.
neamque coronam in capite, et genu flexo XXVII, 28, 29.
adorabant eum dicentes : Ave, rex Judæo-
rum. *Et flagellandum, et crucifigendum.*
Ista prædixit Christus discipulis suis fre-
quenter, ut firmiter recordarentur eorum.
Et tertia die resurget. Hoc adjecit ad con-
solationem mœrentium.
Tunc accessit ad eum mater filiorum 20
Zebedæi cum filiis suis Jacobo et Joanne,

adorans eum, vel adoratione latriæ, si credidit eum esse Deum verum, vel adoratione duliæ seu magnæ reverentiæ, prosternens se coram eo; *et petens aliquid ab eo :* quod non statim expressit, sed adorando insinuavit se aliquid desiderare. In
Marc. x, 35. Marco scribitur, quod ipsi filii accesserunt ad Jesum dicentes : Magister, volumus ut quodcumque petierimus facias nobis. Verumtamen mater formavit atque proposuit petitionem; sed hoc filii fecisse scribuntur, quoniam matrem suam ad hoc induxerunt, quam putabant a Christo honorandam et exaudiendam quasi materteram ejus, et quoniam viro suo (ut videtur) relicto, Christum erat secuta.

21 *Dixit ei Jesus : Quid vis?* Non ex ignorantia quærit, sed ut ad ejus verba congruenter respondeat, errantesque instruat. *Ait illi : Dic,* id est, dicendo concede et fac : tuum enim dixisse, fecisse est. Quamvis mulier ista nondum intellexit profunditatem verbi hujus, Dic ; tamen quoad hoc subtiliter dixit, Dic : ipse enim cui
Ps. xxxii, 9; cxlviii, 5. hoc dixit, est de quo scriptum est, Ipse dixit, et facta sunt. *Ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et alius ad sinistram,* id est, tibi collaterales et singulariter assidentes, ceterisque majores consistant, *in regno tuo.*

Quidam dicunt, quod mulier ista et filii ejus petierunt cum Christo regnare in sæculo isto, putantes Christum post resurrectionem statim in hoc mundo et in Jeru-
II *Reg.* v, 5; III *Reg.* xi, 42. salem regnaturum, quemadmodum David et Salomon illic regnasse leguntur. Hæc namque, ut dicunt, fuit Judæorum opinio, quod Christus temporaliter regnaret in Jerusalem, omnia regna subjiciendo Judæis. Sed huic assertioni obviare videtur, quod Christus respondendo subjungit : Sedere ad dexteram meam et sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo. Ex quo patet, quod electis a Deo Patre paratum sit sedere ad dexteram Christi et sinistram, non utique in regno terreno, sed cœlesti. Per regnum ergo Christi, intellexerunt mater et filii regnum cœlorum : de quo et latro dixit in cruce : Domine, memento mei, dum veneris in *Luc.* xxiii, 42.
regnum tuum. Nam ex quotidiana Christi prædicatione, sciverunt quod non terrenum, sed cœleste regnum promisit fidelibus. Sic quippe exorsus est prædicare : Pœnitentiam agite, appropinquabit enim *Matth.* iv, 17.
regnum cœlorum. In quo isti duo inordinate exaltari quærebant. Quia enim filii audierunt futuram Christi resurrectionem, credebant quod statim post resurrectionem regnaret : et hoc matri suæ intimaverunt, quod tamen a Christo in secreto audierunt.

Respondens autem Jesus, dixit, non ma- 22
tri, sed filiis : per quod ostenditur, quod mater petivit, inducta a filiis. *Nescitis quid petatis,* id est, quid vel quomodo petere debeatis. Petitio siquidem ista fuit multipliciter inordinata : Primo, quoniam petierunt coronam ante victoriam. Secundo, quia de carnali propinquitate confidebant. Tertio, quia ex quadam præsumptione et elatione petiisse videntur, optantes coapostolis anteferri, et volentes summi esse in gloria, qui nondum prioribus Sanctis similes erant in merito. Quantum ad hoc tenebant typum eorum qui a magnis prælatis ad ecclesiasticas dignitates postulant propter consanguinitatis lineam promoveri. *Potestis bibere calicem,* id est sustinere cruciatum, *quem ego bibiturus sum?* De quo in passione habetur : Si non potest hic calix *Ibid.* xxvi, 42.
transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua. *Dicunt ei : Possumus* calicem istum potare, hoc est, pro fide, pro justitia, pro te mori parati sumus. Hoc dixerunt potius ex aviditate obtinendi quod postulaverunt, quam ex vera circumspectione : imo incaute responderunt, quia in Christi passione, instante periculo, fugerunt. Itaque *Ibid.* 56.
dicendo tam absolute, Possumus, propriam fragilitatem non pensaverunt : sicut nec Petrus dicendo, Paratus sum tecum in mor- *Luc.* xxii, 33.
tem et in carcerem ire. Non enim sumus II *Cor.* iii, 5.
sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis. Si autem dixissent, Possumus per gratiam tuam, tute dixissent : quomo-

Philipp. IV, 13. do dixerat Paulus, Omnia possum in eo A
qui me confortat.
23 *Ait illis : Calicem quidem meum bibetis,* id est, passionem meæ passioni aliqualiter similem, et propter me infligendam, gustabitis. Joannes enim affectu sustinuit mortem pro Christo, ferventis olei dolium ingrediendo, pessimumque venenum potando : a quorum utroque mansit illæsus. Quotidianum quoque martyrium passus
Apoc. I, 9. est, præsertim in exsilio insulæ Patmos. Jacobus vero ab Herode Agrippa decollatus
Act. XII, 1, 2. est, ut in Actibus Apostolorum legitur. B
Sedere autem ad dexteram meam et sinistram, id est mihi collateralem et proximum esse in cœlo, *non est meum,* hoc est, non spectat ad me justum judicem, qui personam non accipio, sed secundum merita reddo, *dare vobis, sed* illis *quibus paratum est a Patre meo.* Et utique a Patre paratum fuit Jacobo et Joanni præmium istud, præsertim quum regnum cœlorum ab origine mundi paratum est præ-
Matth. XXV, 34. destinatis, juxta illud : Venite, benedicti
Patris mei, etc. Quomodo ergo non fuit C
Christi dare Jacobo et Joanni sessionem prædictam? Et respondendum, quod non fuit Christi dare eam illis, eo modo quo ipsam petebant, videlicet ratione consanguinitatis, et secundum statum in quo tunc fuerunt, quando adhuc carnales et ambitiosi fuerunt. Puto tamen, quod erant in statu salutis, quia non quilibet motus elationis est peccatum mortale; sed non erant tantæ perfectionis, ut digni essent sedere tam proxime Christo. Ideo subditur : Sed
quibus paratum est a Patre meo, hoc est D
perfectis vere humilibus, quibus Pater decrevit gloriam esse præstandam : illis, inquam, est meum dare, ut sedeant ad dexteram meam et sinistram in regno, id est in circuitu meo, in præmio essentiali et accidentali.
24 *Et audientes decem* Apostoli quid isti duo petissent, *indignati sunt de duobus fratribus,* hoc est, contra eos commoti sunt, quod sibi præferri rogassent, et tam immoderate petissent. Unde patet, quod decem quoque discipuli adhuc similes erant istis duobus in imperfectionibus multis : non enim zelo justitiæ, sed cujusdam livoris, indignati fuerunt, more ambitiosorum qui irascuntur dum cernunt socios suos sibi velle præponi, quum tamen in regno cœlorum promotio unius non noceat alteri, nec ejus exaltationem impediat.
Jesus autem, tanquam pius sapiensque 25
magister et sobrius reprehensor, *vocavit eos,* videlicet omnes Apostolos pariter, *ad se,* ut vitium elationis ab eorum cordibus propulsaret, et errorem corrigeret; *et ait : Scitis quia principes gentium dominantur eorum,* id est, majores seu domini hominum mundanorum, cum imperio et tumore præsident subditis suis, *et qui majores sunt,* videlicet dominatores subditorum, *potestatem exercent in eos,* id est, per violentiam quandoque opprimunt ipsos,
et sua potestate inordinate utuntur. *Non* 26
ita erit inter vos tumor elationis, violentia, sive ambitio. *Sed quicumque voluerit inter vos major fieri,* id est ampliorem gratiam et gloriam adipisci, *sit vester minister,* id est, præ ceteris se humiliet, atque in actibus humilitatis se ipsum indesinenter exerceat. Quanto enim aliquis se sub alio dejicit, tanto Deus eum exaltat.
Et qui voluerit inter vos primus esse, id 27
est aliis præfici, et a me sublimius promoveri, *erit vester servus.* Hoc, ut arbitror, intelligi potest dupliciter : primo, quod ambitiosus ceteris supponetur et subjicietur ; secundo, quod is qui licet prælationem non cupiat, tamen cupit esse talis ut dignus sit aliis præsidere, oportet ut primo discat subesse, studeatque sociis suis servire.
Et quia exempla plus movent quam verba, Salvator qui cœpit facere et docere, *Act.* I, 1.
proponit se in exemplum. *Sicut Filius ho-* 28
minis non venit ministrari, hoc est ad hoc, quod servos haberet qui ei famularentur in corporalibus et humanis obsequiis, ad instar sæcularium dominorum, *sed ministrare.* Nam et discipulis suis frequenter
ministravit, juxta illud : Ego in medio ve- *Luc.* XXII, 27.

strum sum sicut qui ministrat. Patri quoque indesinenter servivit cum incomparabili humilitate, quemadmodum ait in
Joann. XIV, 31. Evangelio : Sicut mandatum dedit mihi
Luc. II, 42, 51. Pater, sic facio. Et quum duodecim esset annorum, descendens cum Virgine Matre et Joseph, fuit subditus illis. Nec dubium quin quotidie ministraverit ipsis, tanquam vere humillimus, licet esset Altissimus, cui angelorum exercitus cum ingenti reverentia et tremore adsistit. *Et dare animam suam,* id est vitam corporalem ac animalem, seu ipsam animam suam, *redemptionem,* id est pretium liberativum, *pro multis* homi-
Is. LIII, 12. nibus, non pro dæmonibus. Tradidit enim in mortem animam suam, et ipse peccata multorum tulit, ut Isaias ait. Imo se ipsum
Hebr. IX, 14. dedit pro nobis, sponte se offerens. Pro-
Joann. X, 18. pter quod ait ore proprio : Nemo tollit animam meam a me; et Apostolus, Qui di-
Galat. II, 20. lexit me, et tradidit semetipsum pro me.

Sed quare non ait, Dare animam suam redemptionem pro omnibus, quum alibi
Joann. XII, 32. dicat, Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum ? Ipse equidem est uni-
I Cor. XV, 22. versorum salvator, dicente Apostolo : Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. Et respondendum, quod Christus dedit animam suam redemptionem pro omnibus sufficienter, pro solis autem electis efficienter seu efficaciter. Quoniam ergo non omnes, sed multi, fructum dominicæ passionis consequuntur, ideo ait, Pro multis. — Denique, licet Christus dicatur pro nobis dedisse animam suam, et etiam vitam corporalem, hoc tamen est differenter. Nam animam dedit per hoc quod eam tormentis exposuit, non quod ipsa exstincta sit. Vitam vero suam corporalem sic dedit, quod eam pro nostro spirituali vivificatione exstingui permisit : quæ tamen vita, seu vitalis actio, erat incomparabilis dignitatis ac pretii, propter unionem cum Verbo.

29 *Et egredientibus illis,* videlicet Jesu ejusque discipulis, *ab Jericho,* civitate famosa, *secutæ sunt eum turbæ multæ,* propter causas diversas, ut dictum est sæpius; et etiam quia desertum quod erat inter Jericho et Jerusalem, per quod Jesus pergebat, erat latronibus plenum : propter quod homines illuc tendere non audebant, nisi cœtu collecto.

Et ecce duo cæci sedentes secus viam, ut 30
a pergentibus eleemosynas peterent tanquam mendici, *audierunt quia Jesus transiret.* Audientes enim tumultum, interrogaverunt quid hoc esset : quibus responsum est, quod Jesus illic cum suis perambularet. *Et clamaverunt,* ex magnitudine desiderii in altam vocem prorumpentes. Clamabant ergo, corde ferventer optando, et ore alte sonando. *Domine, miserere nostri, o fili David.* Credebant cæci isti verum esse, quod a populo interdum audierunt, videlicet, quod Jesus esset rex Messias in lege promissus, et de semine David nasciturus prænuntiatus : ideo nominabant eum Dominum, tanquam regem Israel. Et aliqui dicunt, quod ejus divinitatem agnoverant : quod non est multum probabile.
Turba autem increpabat eos ut tacerent, 31
vel quia multum importune clamabant, vel quia Jesum offendi timebant et inquietari ex clamore eorum, vel quia clamando impedierunt multos ab auditu sermocinationum Christi, qui etiam ambulando docebat frequenter. *At illi magis clamabant,* formidantes ne propter strepitum increpantium, non audiretur clamor eorum a Christo; *dicentes : Domine, miserere nostri, fili David.* Per laudem ejus qui oratur, capitur benevolentia ejus. Ideo isti orando Jesum, laudant eum a majestate, quum dicunt, Domine; et ab origine, quum dicunt, Fili David : sicque facilius exaudiri merentur. Unde Psalmista : Laudans, in- Ps. XVII, 4.
quit, invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.

Et stetit Jesus, et vocavit eos. In quo 32
manifestatur pietas atque dignatio Christi, qui personas tam modicas non despexit. *Et ait : Quid vultis ut faciam vobis ?* Non ignorans inquirit, sed ut quærendo, illorum desiderium augeretur, oratio repeteretur, meritum cresceret, omnesque sci-

rent quod non eleemosynam, sed naturæ A
33 reparationem implorassent. *Dicunt ei : Do-*
mine, hoc volumus, *ut aperiantur oculi*
34 *nostri* carnales, et visum recipiant. *Miser-*
tus autem eorum Jesus, tetigit oculos eo-
rum, ut ostenderet quod virtus divina in ipso consistens ac latens, operabatur per corpus suum sicut per instrumentum animatum, conjunctum ac proprium, sicut et anima nostra operatur per corpus cui unita est. *Et confestim viderunt, et secuti sunt eum,* non solum gressibus corporis, sed imitatione virtutis, tanquam spiritualiter B illuminati a Christo, et grati beneficio ejus. Christus namque mente sanavit atque illustravit, quos corporaliter reparavit. Ipsius nempe perfecta sunt opera; et totum hominem salvum fecit in sabbato. (*Deut.* xxxii, 4. *Joann.* vii, 23.)

Quæritur, cur Matthæus referat de duobus cæcis, quum Marcus non scribat nisi de uno. (*Marc.* x, 46.) Respondet Augustinus quod ideo, quoniam unus eorum famosior fuit, et forte importunius exclamavit : quem Marcus Bartimæum, id est filium Timæi, appellat. (*Ibidem.*) — Iterum quæritur, an cæcus de C quo Lucas scribit, sit idem de quo recitat Marcus, unusque istorum duorum. Ad hoc aliqui dicunt quod non. Nam apud Lucam legitur solum : Quum appropinquaret Jericho, cæcus quidam sedebat secus viam. (*Luc.* xviii, 35.) Ex quo sequi videtur, quod ille cæcus fuerit illuminatus ante introitum Jericho. Porro Marcus refert : Proficiscente eo de Jericho; similiter hic, Egredientibus illis ab Jericho. (*Marc.* x, 46.) Per quod ostenditur, quod cæcus iste sit sanatus post egressum ex Jericho. Alii asserunt quod fuit idem cæcus, quia historia de utroque omnino concordat, ut patet litteram intuenti, excepto verbo prædicto, quod isti ita exponunt : Quum appropinquaret Jericho, id est, adhuc prope esset huic civitati. Potest etiam dici, quod Lucas non servat in omnibus ordinem rei gestæ : et ita, quamvis Christo accedente ad Jericho, cæcus sedebat prope viam, non tamen a Christo vocatus sanatusque fuit, nisi post egressionem a Jericho.

Juxta spiritualem intelligentiam, per clamorem horum cæcorum, figuratur clamor utriusque populi Judæorum et gentilium ad Salvatorem, quum audissent quod in terris visus, et cum hominibus conversatus fuisset. (*Baruch* iii, 38.) Turba vero, videlicet obstinati et infideles, increpabant eos, sed illi occidi malebant, quam ab invocatione Christi cessare. Imo beatissimi martyres tanto validius atque frequentius clamaverunt ad Christum, quo amplius a tyrannis et eorum satellitibus prohibebantur. Quorum vestigia sequi debemus, orantes jugiter cum Propheta : Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte. (*Ps.* xii, 4.)

ARTICULUS XXXV

ELUCIDATIO CAPITULI VICESIMI PRIMI : ET QUUM APPROPINQUASSET JEROSOLYMIS, ET VENISSET BETHPHAGE.

1 E*T quum appropinquasset* Jesus *Jero-* D
solymis, et venisset Bethphage, id est ad villam quamdam sacerdotum, *ad montem Oliveti,* in quo olivarum copia crevit : juxta cujus pedem seu latus sita fuit hæc villa, uno (ut dicitur) milliario a Jerusalem distans. *Tunc Jesus misit duos discipulos.* Dicunt aliqui, quod secundum Chrysostomum, isti discipuli fuerunt Petrus et Philippus. Sed hoc Chrysostomus non affirmat; sed in commento cujusdam se legisse commemorat. Misit autem duos, propter socialis vitæ commendationem, et ad ostendendum quod per duplicem vi-

tam, videlicet activam et contemplativam, vel per scientiam et operationem, ad ipsum pertingitur. Ista historia facta est in die
Matth. xxvi, 6, 7; Joann. xii, 1-3. Palmarum, altero die postquam Jesus cœnavit in domo Simonis leprosi in Bethania, quando Lazarus fuit unus discumbentium, et Maria Magdalene accepit libram unguenti, effundens super pedes ipsius.

2 *Dicens eis : Ite in castellum quod contra vos est.* Communiter per castellum intelligitur urbs ipsa Jerusalem, vel propter fortitudinem murorum, quibus circumdata fuit per modum castelli, vel despective, propter discordiam atque invidiam habitantium in ea, et quia alienigenis seu Romanis erat subjecta. Videtur autem per castellum posse intelligi aliqua domus lapidea eminens, forte muro propinqua : in qua vel juxta quam, asina fuit. Itaque, Ite in castellum quod contra vos, id est, ex opposito vestro est. Sic ait Psalmista :
Ps. lxxvi, 3. In die tribulationis meæ Deum exquisivi, manibus meis nocte contra eum. Et apud
Marc. iv, 35. Marcum ait Salvator : Transeamus contra. Vel, Contra vos est, hoc est, contrariatur, quorum magistrum ac Dominum necare molitur. *Et statim invenietis asinam alligatam* præsepio vel alteri rei, ne vagando discurrat, *et pullum* ejus *cum ea.* Hæc asina deputata fuit ad pauperum usum, et ad hunc usum pullus ejus nutriebatur. *Solvite* asinam, *et adducite mihi* eam cum pullo suo. In evangelio Lucæ legitur di-
Luc. xix, 30. xisse : Invenietis pullum asinæ alligatum.
Marc. xi, 2. Cui Marcus concordat. Asina ergo et pullus ligati erant, et utrumque jussit Christus solvi, et sibi adduci. Invenerunt autem
Ibid. 4. discipuli animalia ista foris in bivio juxta Jerusalem, ut dicit Marcus.

3 *Et si quis vobis aliquid dixerit,* interrogando cur animalia ista solvatis, *dicite* ei *quia Dominus* rex Messias, *his,* scilicet asino et pullo, *opus habet,* non necessitate absoluta sive coacta, sed conditionata atque spontanea, videlicet ad verificandum
Zach. ix, 9. vaticinium Zachariæ, et ad nostram informationem; *et confestim dimittet eos* solvi, et mihi adduci.

A Quæritur, quid isti custodes seu domini asinæ et pulli (qui secundum Lucam et Luc. xix, 33; Marc. xi, 5.
Marcum dixerunt discipulis, cur solverent pullum) intellexerunt per Dominum, quando discipuli responderunt : Dominus operam ejus desiderat. Ad quod dicendum opinor, quod Apostoli Christi, ex habitu, vel aliis signis, facile agnoscebantur esse discipuli Jesu. De Jesu quoque tunc rumor fuit, quod ipse esset Christus : idcirco custodes cognoscentes quod isti essent discipuli Jesu, per Dominum intellexerunt
B Jesum. Chrysostomus vero respondet, quod virtus Christi movit corda custodum, ita quod nomine Domini audito, contradicere non audebant. Sed cur humilis Jesus se ipsum tam sublimi nomine exprimit, quod Deo est proprium (sicut per Isaiam testatur : Ego Dominus, hoc est nomen meum; Is. xlii, 8.
de quo scriptum est in Amos : Faciens Amos v, 8.
Arcturum et Orionem, Dominus nomen ejus)? Dicendum, quod Christus hoc die voluit majestatem suam verbis et factis suis ac aliorum, multipliciter declarare,
C sicut patebit. Unde et alibi ait : Dominus Matth. xii, 8.
est Filius hominis etiam sabbati.

Hoc autem totum, videlicet, quod discipulos misit, et asinam ejusque pullum solvi et sibi adduci præcepit, *factum est, ut adimpleretur quod dictum est per Pro-* 4
phetam Zachariam, *dicentem : Dicite filiæ* 5
Sion, hoc est plebi Jerusalem : quæ plebs dicitur filia, propter paternum affectum Dei ad eam. Unde in Prophetis sæpissime nomine filiæ, congregatio populi designatur. Sion vero fuit mons in quo erat tem-
D plum Dei atque palatium regis : propter quod nomine Sion, civitas tota significatur, tanquam a parte principali. *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus,* id est mitis et humilis, non cum terribili apparatu aut animo bellicoso, ut moris est regum mundanorum, *sedens* successive *super asinam,* deinde *et* super *pullum filium subjugalis,* id est asinæ, quæ fuit assueta portare jugum atque sessores; super pullum vero usque ad illam horam nemo ascendit, secundum Lucam et Marcum, sed Christus Luc. xix, 30; Marc. xi, 2.

primo sedit super eum. Ratio horum infra tangetur. Ex hac prophetia debuissent Scribæ et sacerdotes merito Christum cognovisse. Ex qua etiam apertissime declaratur, quod primum Christi adventum descripserunt Prophetæ in paupertate et humilitate, non in regno temporali, secundum quod Christus dixit coram Pilato : Joann. XVIII, 36. Regnum meum non est de hoc mundo. Denique prædicta Zachariæ prophetia in nostra translatione plenius continetur, hoc Zach. IX, 9. modo : Exsulta satis, filia Sion; jubila, filia Jerusalem : ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator; ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ.

6 *Euntes autem discipuli, fecerunt sicut*
7 *præcepit illis Jesus. Et adduxerunt asinam et pullum, et imposuerunt super eos vestimenta sua,* ut Jesus mollius honestiusque sederet, *et eum desuper sedere fecerunt* successive, ut dictum est. Quidam videntur asserere, quod Christus non sedit super utrumque animal. Itaque secundum eos, historia vel impossibilitatem, vel turpitudinem continet : impossibilitatem, quia in tam brevi itineris spatio, super utrumque animal sedere non potuit; turpitudinem, quoniam indecens fuisset ut asinæ sederet. Verumtamen, propter manifestam auctoritatem Scripturæ canonicæ utriusque Testamenti, dicendum videtur sicut nunc dictum est. Poterat namque infra unius milliaris spatium utrique animali sedere, præsertim propter mysticam rationem quæ statim dicetur. Nec apparet cur fecisset asinam sibi adduci, nisi ut super eam veheretur; nec aliter dixisset discipulis, ut dicerent quia Dominus his opus habet. Præterea, ad litteram verisimile est, quod pullus adhuc juvenis fuit ac debilis, quoniam nemo hucusque sedit super eum. Et ideo Christus non diu mansit super pullum.

Prædictis insuper consonat quod in Genesi Jacob ait Judæ filio suo de Christo : Gen. XLIX, 11. Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, o fili mi, asinam suam. Quod enim A hoc ad litteram de Christo dicatur, patet ex eo quod immediate præmisit : Non auferetur sceptrum de Juda, donec veniat qui mittendus est; et ipse erit exspectatio gentium. Gen. XLIX, 10.

Mystice namque per prædictum castellum, designatur totus hic mundus, parvus virtute, magnus pravitate, per modum castelli contra Deum muro impietatis, duritia cordis seu obstinatione munitus. In quem Christus misit discipulos suos, dicens : Ite in mundum universum. In quo Marc. XVI, 15. B Apostoli invenerunt asinam alligatam, id est Synagogam seu populum Judæorum, et pullum, id est gentilitatem. Eratque uterque populus funibus vitiorum obstrictus. Quoniam tamen Synagoga super se tulit onera legis, jugum utique, teste Petro, Act. XV, 10. gravissimum, ideo designatur per asinam subjugalem. Gentiles vero sine servitio legis et fide Dei viventes, lascivi ac vagi, significantur per pullum indomitum a nemine subjugatum. Voluit ergo Christus utrumque animal sibi adduci, quia præce- C pit Apostolis ut utrumque converterent populum, dicens : Eritis mihi testes in Ibid. I, 8. Jerusalem, et in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ. Sedit quoque super utrumque animal, quoniam utrumque populum sibi subjecit per fidem et cultum divinum. Primo tamen sedit asinæ, quoniam primo venit et discipulos misit ad convertendos Judæos, quemadmodum Paulus ait : Vobis oportebat primum Ibid. XIII, 46. loqui verbum Dei. Quumque discipuli adduxissent asinam et pullum ad Jesum, D eum desuper sedere fecerunt, quia quum convertissent quosdam Judæos et gentiles innumerabiles, subjecerunt eos imperio Christi, ut ejus præceptis parerent. Quod vero discipuli posuerunt vestimenta sua super pullum et asinam, hoc designat quod super eos quos converterunt, posuerunt indumenta virtutum, variosque ornatus doctrinarum, gratiam sibi collatam aliis communicando, quemadmodum Petrus hortatur : Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes. I Petr. IV, 10.

8 *Plurima autem turba straverunt,* id est, A extenderunt et supposuerunt, *vestimenta sua in via* qua erat Christus processurus; *alii autem cædebant ramos de arboribus* olivarum, *et sternebant in via.* Hæc omnia fecerunt in signum lætitiæ, et ad reverentiam Salvatoris; itemque, ut ait Hieronymus, ne animal cui Christus sedebat, offenderet in lapidem, ne calcaret in spinam,
9 ne caderet in foveam. *Turbæ autem quæ præcedebant* Jesum, *et quæ sequebantur* eum, *clamabant, dicentes : Hosanna,* id est, obsecro, salva, *o fili David,* secun- B dum naturam assumptam. Hosanna, est dictio Hebraica, composita ex integro et corrupto, videlicet ab HOSI, quod est salva, et ANNA, quod est dictio optativa. Si autem textus habeat, Hosanna filio David, sensus est : Dicimus filio David, Hosanna, id est, salvifica. *Benedictus,* id est, laude dignus, sanctus sive laudatus sit, *qui venit in nomine Domini,* hoc est ex Deo Patre, videlicet secundum voluntatem atque ad glo-
Joann. v, 43. riam ejus. Unde Salvator ait : Ego veni in nomine Patris mei. *Hosanna in altissimis,* C cœlestem beatitudinem conferendo, et ad regna cœlorum nos perducendo. Secundum Hieronymum, canticum istud sumptum est ex Psalmographo, qui de Christi
Ps. CXVII, 25, 26. adventu conscribens, sic oravit : O Domine, salvum me fac, o Domine, bene prosperare; benedictus qui venit in nomine Domini. Porro hoc canticum consona voce resonabant, utique ex instructione et motione Spiritus Sancti.

Luc. XIX, 37, 38. Lucas vero hæc plenius recitat : Quum appropinquaret, inquiens, ad descensum D montis Oliveti, cœperunt omnes turbæ descendentium gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus quas viderant virtutibus, dicentes : Benedictus qui venit rex in nomine Domini, pax in cœlo, et gloria in excelsis. Ut enim in evangelio
Joann. XII, 12, 13. Joannis legitur : Turba quæ convenit in Jerusalem ad diem festum, quum audisset quod Jesus veniret, exierunt obviam ei cum ramis palmarum.

10 *Et quum intrasset* Jesus *Jerosolymam* cum processione tam insolita ac solenni, *commota est* admiratione, indignatione, vel dubitatione, *universa civitas,* id est major et principalior pars populi habitantis in ea, *dicens : Quis est hic,* cui tantus honor impenditur? Hoc quidam indignando, quidam dubitando et inquirendo, quidam admirando dixerunt, sicut et angeli Christo ascendente : Quis est iste qui venit de *Is.* LXIII, 1.
Edom? Et, Quis est iste rex gloriæ? *Po-* *Ps.* XXIII, 8, 10.
puli autem, id est turba vulgaris, *dice-* 11
bant : Hic est Jesus propheta. Populus iste confessus fuit in cantico suo, quod ipse esset Christus. Quum igitur asserunt eum esse prophetam, non de qualicumque, sed de summo loquuntur Propheta ac Domino Prophetarum, de quo cecinit Moyses : Prophetam suscitabit vobis Dominus de *Deut.* XVIII, 15; *Act.* VII, 37.
fratribus vestris, tanquam me. *A Nazareth Galilææ,* id est de illa civitate oriundus. Conceptus namque atque nutritus fuit in Nazareth, licet in Bethlehem natus sit. Per hoc significatur, quod infirma, abje- *1 Cor.* I, 27, 28.
cta et stulta mundi elegit Deus, ut confundat fortes et sapientes. Sacerdotibus enim, Scribis et Pharisæis non credentibus, populus confitetur.

Et intravit Jesus in templum Dei : pri- 12
mo, quia in his quæ Patris sui erant, opor- *Luc.* II, 49.
tuit eum esse ; secundo, ut daret nobis exemplum primo intrandi in domum Dei, et quærendi regnum, honorem et gloriam Creatoris ; tertio, ut in templo doceret, et errores corrigeret, sicut subjungitur. *Et ejiciebat omnes vendentes et ementes in templo.* Sacerdotes, qui avarissimi erant, posuerunt in atriis templi quosdam de suis, qui omnium animalium immolaticiorum genera in templo vendebant, ne aliqui, maxime qui de longinquo venerant, possent se excusare, si nihil offerrent in templo, quia a locis remotis non poterant animalia secum adducere. Hos ergo Christus ejecit. *Et mensas nummulariorum,* hoc est eorum qui pauperibus concedebant sub cautione pecuniam, quatenus nec egeni se excusarent ab immolatione propter defectum pecuniæ, *et cathedras ven-*

dentium columbas, quæ erant hostiæ pauperum, *evertit,* pecuniam effundendo. Per hoc præfigurabatur, quod simoniacos et clericos sæcularibus se negotiis implicantes, Christus de Ecclesia sua tanquam in-

Matth. x, 8. dignos repellit, secundum quod ait : Gratis accepistis, gratis date.

13 *Et dicit eis : Scriptum est* in Isaia :

Is. LVI, 7. *Domus mea, domus orationis vocabitur,* id est, ad orandum deputata erit, et inde nomen habebit, nec esse debet domus negotiationis et cupiditatis. *Vos autem fecistis illam* esse *speluncam latronum,* hoc est similem specui seu loco abscondito in quo latrones prædas suas collocant et occultant. Quemadmodum enim in fovea tali ponunt latrones ea quæ rapiunt ab his quos corporaliter necant, sic sacerdotes et eorum familia colligebant in templo pecunias seu pretia eorum quos spiritualiter occiderunt, inducendo eos ad magna peccata, seu pauperum quos excoriaverunt.

14 *Et accesserunt ad eum cæci et claudi in templo,* ducti vel bajulati ab aliis ; *et sanavit eos.* Per horum operationem miraculorum, Christus confirmavit et verum ostendit præconium sibi a turba exhibitum. Denique, si totum evangelicæ paginæ textum consideremus, inveniemus ubique doctrinæ et verbis Christi mixta et juncta esse miracula, quatenus supernaturalis veritas per supernaturalia opera comprobe-

I *Cor.* II, 4, 5. tur, ut fides nostra, secundum Apostolum, non sit in sermone, sed in ostensione spiritus et virtute.

15 *Videntes autem principes sacerdotum et Scribæ mirabilia quæ fecit,* cæcis visum, et claudis gressum præstando, *et pueros clamantes in templo et dicentes : Hosanna filio David.* Parentes namque filios suos secum adduxerant, et sicut pueri audierunt parentes suos ac turbam clamare, sic et ipsi clamabant : nec dubium quin ex influxu Spiritus Sancti, qui movit linguas eorum ad proferendum verba quæ nec ipsi intellexerunt, saltem perfecte. *Indignati sunt.* Hæc est Judæorum proprietas, ut quanto melius successerit ei quem

A odiunt, tanto amplius crucientur, et aliquid, si possint vel audeant, opponant. Sic sacerdotes, Scribæ ac Pharisæi, qui contra Christum implacabile odium conceperunt, tanto vehementius affligebantur, indignabantur, et murmurabant ac detrahebant, quanto Christus pluribus miraculis refulgebat, sublimiusque extollebatur a vulgo. Unde apud Joannem dixisse leguntur : Numquid aliquis ex principibus *Joann.* VII, 48, 49. credidit in eum? Sed turba hæc, quæ ignorat legem, maledicti sunt.

B *Et dixerunt ei : Audis quid isti* pueri 16 *dicunt,* te collaudando? id est, si esses tam justus et humilis ut simulas et affirmas, dicendo, Ego non quæro gloriam *Ibid.* VIII, 50; V, 41. meam, et claritatem ab hominibus non accipio; non deberes hunc applausum sustinere, sed prohibere. Quia miracula Christi nulla ex parte poterant calumniari, arguunt eum superbiæ vanæque gloriæ.

Jesus autem dixit eis : Utique audio, et prohibere non debeo. Quod probat auctoritate Scripturæ : *Numquid legistis?* quasi C dicat : Imo legistis, sed non intellexistis, vel non attendistis. Legistis ergo in Psalmo : *Ex ore infantium et lactentium per- Ps.* VIII, 3. *fecisti laudem.* Per infantes atque lactentes designantur illitterati ac innocentes. Non enim putandum est, quod pueri isti adeo parvæ ætatis exstiterint, ut adhuc ubera sugerent, et verba proferre non possent. Erant tamen adolescentes, ita ut cum Jeremia dicere possent : A, a, a, Domine *Jer.* I, 6. Deus, nescio loqui, quia puer ego sum. Nescio (inquit) loqui, prudenter et erudite D in lege, videlicet per naturam. Ex ore ergo istorum perfecit, id est, perfecte expressit, Deus laudem de Christo. Non enim *Matth.* X, 20. ipsi erant qui loquebantur, sed Spiritus Patris eorum.

Et relictis illis invidiosis ac perfidis, 17 qui inde deteriores fiebant, unde emendari et converti debebant, *abiit foras extra civitatem* Jerusalem, *in Bethaniam,* viculum Lazari, Marthæ et Mariæ, *ibique mansit* nocte illa, cum suis discipulis, in domo Marthæ : et probabile est, quod nullus in

Jerusalem audebat recipere eum hospitio, propter metum pontificum et conspirationem Scribarum. Bethania autem interpretatur domus obedientiæ. Per hoc ergo quod Christus illos corporaliter dereliquit, Bethaniamque ingressus est, et ibi quievit, figurabatur quod Judæa propter incredulitatem deserta, ad gentes Evangelio obedientes Christus transiret.

18 *Mane autem* diei immediate sequentis, *revertens* cum discipulis, *in civitatem* Jerusalem, *esuriit,* non necessitate, sed voluntate. Et mirum quod Christus tam mane passus est famem, qui de sero in Bethania cœnasse creditur. Non enim in Jerusalem manducasse videtur. Dicunt igitur expositores, quod ista Christi esuries non erat naturalis, sed dispensative assumpta, ad designandum spiritualem esuriem Christi, qua Judæorum ac gentium desideravit salutem.

19 *Et videns fici arborem,* puta ficulneam, *secus viam, venit ad eam,* si forte aliquid inveniret in ea, ut dicitur in evangelio Marci; *et nihil invenit in ea nisi folia tantum. Et ait illi : Nunquam nascatur ex te fructus,* videlicet ficus, *in sempiternum. Et arefacta est continuo ficulnea.* Quæritur cur Christus, qui utique scivit fructum non esse in arbore illa, præsertim quia non erat tempus ficorum, ut habetur in Marco, quæsivit fructum in ea, et infructuosæ maledixit, quæ in culpa non fuit. Et respondendum, quod Christus famem anticipative assumpsit, et ad ficulneam pro fructu perrexit, propter mysticam rationem. Quemadmodum enim Prophetæ interdum verbis, interdum factis prophetaverunt, sic Christus quandoque sermonibus, quandoque operibus aliquid præsignavit. Accessit ergo ficulneam, quærens in ea fructum, ad insinuandum quod venit ad populum Judæorum, quærens in eis fructum justitiæ. Arbori quoque habenti non fructum sed folia, maledixit, ad innuendum quod sacerdotes, Scribæ, Pharisæi, et ceteri simulatores ac callidi, non veritatem, sed apparentiam sanctitatis habentes, induti vestibus ovium, intus vero pleni hypocrisi, essent divinitus maledicendi. Hieronymus aliam affert rationem, dicens quod ideo maledixit ficulneæ, et arefactam manifestavit discipulis, ut suam eis demonstraret potentiam, quatenus in sua passione fortiores essent, scientes quod sic poterat adversarios suos dejicere et siccare, quemadmodum arefecit ficulneam.

Marc. XI, 13. — *Ibidem.* — *Matth.* VII, 15; XXIII, 28.

20 *Et videntes discipuli* ficulneam arefactam, *mirati sunt, dicentes : Quomodo continuo aruit* a radicibus? quasi dicant : Hoc mirabiliter factum est. Secundum quod in Marco legitur, consideratio, admiratio et collocutio discipulorum de arefactione ficulneæ, non erant statim quando Christus prædicta protulit verba, sed mane diei sequentis : et ita hoc loco non servatur ordo historiæ.

Marc. XI, 20, 21.

21 *Respondens autem Jesus, ait eis : Amen dico vobis, Si habueritis fidem* certissimam, *et non hæsitaveritis,* aliquo modo dubitando, *non solum de ficulnea facietis* quod ego, ut ad verba vestra maledictoria arefiat, *sed si monti huic dixeritis, Tolle et jacta te in mare, fiet.* Intellectus seu expositio horum verborum patet ex eo quod supra dictum est : Amen dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc, et transibit, et nihil impossibile erit vobis. Hieronymus tamen addit hoc loco, dicens se credere quod Apostoli ad litteram transtulerunt et in mare projecerunt montes, orando seu imperando, quamvis scriptum non sit. Nam ideo, ut ait, scriptum non est, ne daretur infidelibus contradicendi et discredendi major occasio, præsertim quum nec minora signa credant ab Apostolis facta, quæ in Scripturis authenticis fuisse leguntur.

Matth. XVII, 19.

22 *Et omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis,* id est cum fide idonea, servatis conditionibus ad exaudientiam requisitis, videlicet, ut orent pro se, et perseveranter atque salubriter, utpote in nomine Salvatoris. Hoc et Jacobus monet : Postulet (inquiens) a Deo, et dabitur ei ; postulet autem in

Jacob. I, 5-7.

fide nihil hæsitans. Qui autem hæsitat, A
similis est fluctui maris qui a vento cir-
cumfertur : non ergo æstimet homo ille,
quod aliquid accipiat a Deo. Debemus ergo
orare in fide cum spe, ut certi simus de
veritate eorum quæ cadunt sub fide, et
non dubitemus de misericordia Dei : ita
quod certitudo spei sit ex parte objecti,
videlicet Dei, ex quo nunquam est exau-
ditionis defectus, quum rationabiliter pe-
titur ; non ex parte subjecti, seu merito-
rum sperantis, qui ob culpam suam sæpe
non exauditur. B

23 *Et quum venisset in templum,* die se-
quenti post Ramos palmarum, *accesserunt
ad eum docentem* populum publice in
templo, *principes sacerdotum et seniores
populi,* qui tempore concilii per nomina
vocabantur ; *dicentes : In qua potestate
hæc facis,* hæc scilicet, quæ te vidimus
facere heri et hodie, ejiciendo vendentes
de templo, infirmos sanando, et publice
prædicando ? hoc est, qua auctoritate et
cujus ope hæc facis ? Quasi dicant : Quum
non sis sacerdos, nec legis doctor, quibus C
solis convenit docere in templo, nec ab
imperatore vel senatu licentiam habeas
prædicandi et ista agendi, videtur opus
tuum usurpatorium esse, et ex præsumpti-
one prodire. *Et quis tibi dedit hanc pote-
statem ?* tanquam dicant : Quum non ha-
beas eam a principibus sacerdotum nec
a Romano imperio, videtur quod virtute
et instigatione diaboli facias ista. Simile
Matth. IX, 34. est, quod alibi dicunt : In principe dæmo-
niorum ejicit dæmonia. In quo patet in-
tolerabilis cæcitas Judæorum, quasi non D
esset potestas potestate humana ac diabo-
lica altior, virtus divina, cujus commissio-
ne et adjutorio Christus operari potuerit.
Denique sancti Prophetæ nonne auctori-
tate divina docuerunt ? Sed et miracula
Christi ostenderunt quod divina potesta-
te operabatur, quemadmodum Nicodemus
Joann. III, 2. professus est : Scimus, inquiens, quia a
Deo venisti magister; nemo enim potest
hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit
Deus cum eo.

Consequenter ponitur artificialis et justa
evasio Christi, qui poterat istis rationabi-
liter et doctrinaliter respondere, sed digni
non erant. *Respondens Jesus, dixit eis :* 24
*Interrogabo vos et ego unum sermonem :
quem si dixeritis mihi* responsive, *et ego
vobis dicam in qua potestate hæc facio.*
Baptismus Joannis activus, videlicet lotio 25
qua ipse alios abluit in Jordane, *de cœlo
erat,* id est ex commissione et auctoritate
Dei habitantis in cœlo (juxta illud in Psal-
mo : Dominus in cœlo paravit sedem su- *Ps.* CII, 19.
am; et illud Isaiæ, Cœlum mihi sedes est)? *Is.* LXVI, 1;
an ex hominibus, id est adinventione et *Act.* VII, 49.
confictione humana ?

At illi cogitabant intra se, dicentes : Si 26
dixerimus, De cœlo esse baptismum Joan-
nis, *dicet nobis* per increpationem et re-
dargutionem : *Quare ergo non credidistis
illi* Joanni de me testimonium perhibenti
(dicendo, Venit fortior me, cujus non sum *Marc.* I, 7.
dignus calceamenta solvere; et iterum, Qui *Joann.* III, 31.
de cœlo venit, super omnes est)? *Si autem
dixerimus, Ex hominibus* esse Joannis ba-
ptismum, *timemus,* id est, timere habe-
mus, *turbam* a Joanne baptizatam, ne in-
terficiat nos tanquam blasphemos. Unde
in evangelio Lucæ dicunt : Si dixerimus, *Luc.* XX, 6.
Ex hominibus, universa plebs lapidabit
nos. In quo patet eorum perversitas, quoni-
am homines timuerunt magis quam Deum,
quum tamen dicat Scriptura : Qui timet *Prov.* XXIX, 25.
hominem, cito corruet. *Omnes enim,* præ-
sertim vulgares, *habebant,* id est reputa-
bant, *Joannem sicut prophetam.* Dictio,
Sicut, notat hic veritatem, non similitu-
dinem solam. Noverant enim Joannem vere
esse prophetam, ex ejus supernaturali con-
ceptione, patris sui prophetatione, et ce-
teris quæ in ejus nativitate contigerant ;
item ex sanctitate et rigore suæ conversa-
tionis, efficacia prædicationis, et quia de
Christo verbis et factis apertissime præ-
nuntiavit.

Et respondentes Jesu, dixerunt : Nesci- 27
mus unde erat baptismus Joannis. In hoc
mentiebantur : nam in evangelio Lucæ di-
cunt, Certi sunt, scilicet turba, Joannem *Luc.* XX, 6.

prophetam esse. Si ergo noverant turbam A de hoc certam esse, etiam ipsi certi fuerunt de hoc : falsum namque non scitur, secundum Philosophum. Si itaque agnoverunt Joannem esse prophetam, non ignorabant baptismum ejus esse a Deo. Invidia tamen excæcavit eos in tantum, ut dice-
Matth. xi, 18. rent de Joanne : Dæmonium habet. *Ait illis et ipse* Jesus : *Nec ego vobis dico in qua potestate hæc facio,* ne agam contra
Ibid. vii, 6. doctrinam qua dixi : Nolite sanctum dare canibus.

Ex prædicta Christi responsione elicitur, B quod sæpe liceat uti cautela contra insidiatores, ut clavus clavo repercutiatur et excutiatur : quemadmodum Paulus inter
Act. xxiii, 6, 7. Pharisæos et Sadducæos in malo concordes, discordiam suscitavit. Sic Dominus in
Josue viii, 2. libro Josue jussit poni insidias.

Consequenter ostendit Christus pravitatem Judæorum per propositionem parabo-
28 læ. *Quid autem vobis videtur* respondendum ad parabolam quam proponam? *Homo quidam habebat duos filios, et accedens ad primum, dixit,* etc. Juxta litteram para- C bola ista difficultatem non habet; sed exponenda est secundum id quod per eam designatur. Itaque, *homo quidam,* id est Deus Pater omnipotens : qui dicitur homo, non per essentiam, sed proprietatem, quia humanus, benignus, mitis, suavis; *habebat duos filios,* id est populum gentilem atque Judaicum. *Et accedens,* per naturalis legis dationem, seu internum instinctum, vel per informationem ab angelis et hominibus sanctis, videlicet Noe et Sem, etc., exhibitam, *ad primum,* id est populum D gentilem, qui fuit a tempore Noe, *dixit* ei, per instinctum divinum, revelationem angelicam, seu informationem humanam : *Fili,* ratione creationis et provisionis, quem
Gen. i, 26, 27. feci ad imaginem et similitudinem meam, *vade hodie,* id est tempore peregrinationis istius, *operare,* servando præcepta moralia, quæ sunt de naturalis dictamine rationis, *in vinea mea,* id est inter bonos, vel
29 infra Ecclesiam seu gyrum justitiæ. *Ille autem respondens, ait* contumaciter : *Nolo :* quia gentiles ad idololatriam declinaverunt. *Postea autem, pœnitentia motus* de inobedientia sua, videlicet in prædicatione Christi inchoative, et Apostolorum completive, *abiit* operari in vinea Dei, juste vivendo, et unum Deum colendo.

Accedens autem ad alterum, id est po- 30
pulum Judæorum, qui a tempore Abrahæ cœpit, et per circumcisionem a gentilibus distinguebatur, *dixit similiter,* scilicet : Fili, vade, operare in vinea mea. Ad hunc enim populum accessit sicut ad primum, maxime quando contulit eis legem per Moysen. *At ille respondens* Deo, *ait : Eo, domine,* id est, vado quo jubes, agendo quod præcipis. Hoc dixerunt Judæi in Exodo, loquentes ad Moysen : Omnia quæ præ- Exod. xxiv, 7.
cepit nobis Dominus, faciemus, et erimus obedientes. *Et non ivit :* quia post pauca, vitulum aureum adoraverunt, et infinita Ibid. xxxii, 4-6.
flagitia commiserunt.

Huic parabolæ consonat quod Dominus ait in Psalmo de gentilibus et Judæis : Po- Ps. xvii, 45, 46.
pulus quem non cognovi servivit mihi, filii alieni mentiti sunt mihi. Porro, quod dicitur hic de duobus populis, non refertur ad eosdem numero, sed specie. Potest quoque per primum filium intelligi peccator pœnitens, per secundum, justus apostatans.

Quis ex duobus filiis istis *fecit volun-* 31
tatem, id est, exsecutus est præceptum *Patris* æterni? *Dicunt ei : Primus.* Nam ille pœnitentia ductus, ivit et fecit quod jusserat Deus : per quod prioris inobedientiæ veniam meruit; alius vero, non eundo, fregit promissum, et prævium perdidit meritum. *Dicit illis Jesus,* applicando parabolam ad propositum : *Amen dico vobis, quia publicani et meretrices,* id est pessimi gentilium, *præcedent vos in regno Dei,* id est, majoris meriti erunt in Ecclesia militanti, ampliorisque gloriæ in triumphanti, quam vos. Designantur enim per filium pœnitentem, vos autem per filium apostatantem : nam verba pulchra habetis, sed facta non consonant. Ideo subdi-
tur : *Venit enim ad vos Joannes* Baptista 32

in via, id est operatione, *justitiæ,* juste A
vivendo, recte docendo, Christum annun-
tiando, peccatores baptizando; *et non cre-*
Matth. xi, 18. *didistis ei,* sed dixistis : Dæmonium habet.
Publicani autem et meretrices crediderunt
ei, ad ejus exhortationem peccata sua con-
fitendo, vitam corrigendo, et de Christi
adventu credendo. *Vos autem videntes* fi-
dem et emendationem istorum, vel, viden-
tes miracula mea, quibus patet vera esse
quæ ille perhibebat de me, *nec pœniten-*
tiam habuistis postea de perfidia vestra
et actibus pessimis, ita *ut crederetis ei,* B
vel viventi, vel occiso, quia post mortem
ejus erat verbis ipsius vehementer cre-
dendum, tanquam martyris sancti propter
justitiam interfecti : in quo manifestatur
obstinatio vestra.
33 *Aliam parabolam audite.* Sacerdotes et
Scribæ nitebantur sua subtilitate conclu-
dere Christum, capiendo eum in verbis
Prov. xxi, 30. propriæ responsionis. Sed non est sapien-
tia, non est prudentia, non est consilium
contra Dominum. Propterea Christus eos
propria eorum responsione convicit, dam- C
nabilesque ostendit, proponens sequentem
parabolam.
Homo erat paterfamilias, qui plantavit
vineam. Per hunc hominem designatur
Deus Pater, propter causas præhabitas. Et
licet per vineam intelligi possit universa-
lis Ecclesia, tamen hoc loco per eam ex-
primitur Synagoga : de qua per Jeremiam
Jer. xii, 10. loquitur Dominus, Pastores multi, inqui-
ens, demoliti sunt vineam meam; et in
Is. v, 7. Isaia, Vinea, inquit, Domini exercituum
domus Israel est, et vir Juda germen dele- D
ctabile ejus. Hanc Deus plantavit corpora-
liter, collocando Judæos in terra promis-
sionis, et spiritualiter, constituendo eos in
fide et gratia. Propter quod ait Psalmista :
Ps. lxxix, 9. Vineam de Ægypto transtulisti, ejecisti gen-
tes, et plantasti eam. *Et sepem circumdedit*
ei, id est, angelorum auxilio atque custo-
dia, Patriarcharum et Prophetarum muni-
tione ac meritis, traditione quoque man-
datorum ac legis, eam munivit. Vel per
sepem, ad litteram intelligitur fortitudo
murorum civitatis in Judæa metropolis. *Et*
fodit in ea torcular, id est altare : quod
nominatur torcular, quia in eo effundeba-
tur sanguis victimarum, sicut in torculari
exprimitur liquor uvarum ; *et ædificavit*
turrim, id est templum sublime : de quo
exponit Hieronymus illud Michææ prophe-
tæ, Et tu, turris Gregis nebulosa, ad te *Mich.* iv, 8.
veniet potestas prima, videlicet Christus,
virtus et sapientia Patris, portans omnia I *Cor.* i, 24.
verbo virtutis suæ. *Et locavit,* id est, sub *Hebr.* i, 3.
pacto retributionis regendam atque colen-
dam commisit, *eam agricolis,* id est præ-
latis et doctoribus : quorum aliqui boni
fuerunt, ut Moyses et Aaron; et aliqui ma-
li, de quibus subditur. Unde Isaias insi-
nuans se esse agricolam Synagogæ, ait ad
eam : Tritura mea, et filia areæ meæ, quæ *Is.* xxi, 10.
audivi a Domino, indicavi tibi. *Et peregre*
profectus est, id est, se quasi absentem ex-
hibuit, dimittendo hominem propriæ vo-
luntati, et ejus pœnitentiam præstolando
ac judicium differendo.
Porro parabola ista pene sub eisdem
verbis habetur in Isaia, in quo legitur :
Vinea facta est dilecto, et sepivit eam, et *Ibid.* v, 1, 2.
turrim ædificavit in medio ejus, et torcu-
lar exstruxit in ea.
Quum autem tempus fructuum appro- 34
pinquasset, id est post legis lationem,
quum Synagoga debuisset opera bona pro-
ducere, secundum legis præcepta, *misit*
servos suos, sanctos Prophetas priores, *ad*
agricolas, id est sacerdotes, Scribas et prin-
cipes Synagogæ, *ut acciperent fructus ejus,*
id est, populum Synagogæ ad Deum redu-
cerent, et opera virtuosa in eis invenirent.
Et agricolæ apprehensis servis ejus, alium 35
ceciderunt, id est, percusserunt, ut Jere- *Jer.* xxxvii, 14.
miam, *alium occiderunt,* ut Isaiam, *alium*
lapidaverunt, ut Zachariam Joiadæ filium. II *Par.* xxiv, 21, 22.
Iterum misit alios servos plures priori- 36
bus, videlicet posteriores Prophetas ac ju-
stos agricolis, propter eamdem causam ;
et fecerunt agricolæ *illis similiter,* sicut
prioribus. Sacerdotes namque, reges et po-
pulus Judæorum, diversa tormenta intule-
runt sanctis vatibus ad se missis. Propter

Act. vii, 52. quod Stephanus ait Judæis : Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Hebr. xi, 36, 37. Et Apostolus ad Hebræos : Alii, inquit, ludibria et verbera experti, insuper vincula et carceres ; lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt.

37 *Novissime autem,* quando videlicet venit Galat. iv, 4. temporis plenitudo, et in ultima mundi ætate, quum multo tempore nullus apparuisset Propheta, *misit ad eos filium suum,* per incarnationem et prædicationem Joann. i, 14. ipsius, quando Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Missio autem Filii intelligi potest, vel ipsa incarnatio Verbi : quæ non fuit localis legatio, sed humanæ naturæ assumptio ; vel Verbi jam incarnati corporalis atque localis destinatio, qua Christus Judæos visibiliter accessit et docuit. *Dicens,* ipse Pater, non assertive, sed indicative, videlicet insinuando quid agricolæ merito facerent, et quod verisimile erat eos esse facturos : *Verebuntur,* id est, timebunt et honorabunt, *filium meum* unigenitum et dilectum, mihi consubstantialem, coæternum et coæqualem. Sed ita non fecerunt, ut subditur. — Ex hoc loco Hieronymus et Augustinus improbant hæresim Arii atque Eunomii, dicentium Filium Patre minorem et puram creaturam, eo quod dicat se ignorare diem judicii. Ecce hoc loco Pater ait, Verebuntur Filium meum; Luc. xx, 13. et in Luca ait, Verebuntur forsitan Filium meum. Numquid et Pater hoc dicit dubitando vel ignorando? Quod ergo illi pro Patre responderint, nos pro Filio respondebimus.

38 *Agricolæ autem,* id est principes sacerdotum, et ceteri sacerdotes ac Scribæ, *videntes filium* Dei Patris tanta miracula operantem, tamque efficacissime prædicantem, et cetera quæ de Christo prænuntiata fuerunt, in se implentem, *dixerunt intra se,* id est, cogitaverunt, sed inferioribus non manifestaverunt : *Hic est heres,* id est Messias rex Israel, Dominus Synagogæ terræque nostræ. Ex quo videntur Christum cognovisse : quod qualiter verum

A sit, statim discutietur. *Venite, occidamus eum.* Collegerunt namque pontifices et Pharisæi concilium, dicentes : Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Joann. xi, 47. Et ab illo die cogitaverunt interficere eum. Ibid. 53. Unde Christus testatur : Super me cogitaverunt consilia, dicentes : Jer. xi, 19. Venite, mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium. Et in Psalmo : Adversum me susurrabant omnes inimici mei. Ps. xl, 8. *Et habebimus hereditatem ejus,* id est, terram et populum Israel possidebi-B mus, sicut hucusque possidebamus. Ad hoc enim moti sunt principes Judæorum occidere Christum, ne possessionem terræ et dominium populi perderent. Unde in evangelio Joannis dicunt : Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum; Joann. xi, 48. et venient Romani, et tollent locum nostrum et gentem. Denique delectabat eos principatus terrenus, secundum Augustinum : quem viderunt sibi per Christum auferri, qui paupertatem et humilitatem edocuit, Matth. v, 3; xi, 29. et populum ad se convertit. Sed errave-C runt. Ideo namque perdiderunt locum et gentem, quoniam Christum interfecerunt : quia in ultionem sanguinis Christi destruxerunt Romani Judæorum urbes ac populum, juxta illud Danielis : Dan. ix, 26. Post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est; et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo.

Et apprehensum eum, videlicet Filium Dei, 39 *ejecerunt* agricolæ *extra vineam,* id est extra urbem Jerusalem Judææ metro-D polim, in qua erat templum, *et occiderunt* eum, crucifigentes ipsum in loco Calvariæ. Unde ad Hebræos dicit Apostolus : Hebr. xiii, 12. Jesus ut sanctificaret populum, extra portam passus est.

Quum ergo venerit dominus vineæ, id 40 est, quum Deus cœperit judicare, et judicando ac præmiando visitare Synagogam, vel in morte singulorum, vel quando adduxerit exercitum Romanorum contra Judæam, *quid faciet agricolis illis?* id est, quam pœnam inferet pro culpis tam magnis?

41 *Aiunt illi : Malos* agricolas *male perdet,* id
est, dure corripiet et occidet. Perdet enim
eos male, loquendo de malo pœnæ, non
culpæ, quum tradiderit eos in manus Titi
et Romanorum. *Et vineam suam,* videlicet
electos Judæos et primitivam Ecclesiam,
locabit aliis, id est agricolis bonis, *qui
reddant ei fructum temporibus suis.* Hoc
fecit Deus quando reprobatis Judæorum
prælatis, commisit Ecclesiam Apostolis, eo-
rumque successoribus et adjutoribus, qui
obtulerunt Deo fructum, id est multos ad
fidem conversos, sicut Apostolus ait qui-
I Cor. IX, 1. busdam : Opus meum vos estis in Domi-
Ibid. IV, 15. no ; et, In Christo per Evangelium ego vos
genui.

Sed prædictæ responsioni Judæorum vi-
detur contrarium, quod in Evangelio Lucæ
Luc. XX, 16. legitur [eos] dixisse, Absit, videlicet ut
malos male perdat, et vineam aliis locet.
Et respondendum, quod præinductam re-
sponsionem, scilicet, Malos male perdet,
Lucas et Marcus describunt, quasi a Chri-
sto prolatam ; Matthæus vero dicit eam ab
aliis datam. Nec tamen est dissonantia in
Evangelio veritatis, quia ut Lucas enarrat,
Ibid. 9. Christus dixit parabolam istam ad plebem,
quamvis sacerdotes concerneret, qui etiam
erant præsentes ac audientes. In plebe
vero multi erant qui Christo favebant et
crediderant ; et isti primo dixerunt, Malos
male perdet, ut refert Matthæus. Quorum
responsionem Christus approbando repe-
tiit : quo audito, sacerdotes attendentes ad
se pertinere parabolam, conscientia remor-
dente, dixerunt, Absit, ut recitat Lucas.

Consequenter probat Salvator quod pa-
rabolice dixit, allegando scripturam libri
42 Psalmorum. *Dicit illis Jesus : Nunquam
legistis in Scripturis ?* tanquam dicat :
Ps. CXVII, 22, 23. Imo sæpius in Psalmo legistis : *Lapidem,* id
Dan. II, 34, 35. est Christum, de quo Daniel dicit : Lapis
qui abscissus est de monte sine manibus,
factus est mons magnus, et implevit uni-
I Cor. X, 4. versam superficiem terræ. Petra namque
est Christus, secundum Apostolum. *Quem
reprobaverunt ædificantes,* id est prædicti
agricolæ, sacerdotes et prælati Synagogæ :
A quorum fuit populum in fide et moribus
ædificare ; sed sicut solo nomine erant
agricolæ, et revera dissipatores, sic solo
nomine erant ædificatores, et reipsa de-
structores. *Hic* Christus *factus est in ca-
put anguli,* id est principium seu lapis
angularis, in quo conjuncti sunt duo po-
puli, gentiles et Judæi, ad constituendum
unam Ecclesiam, sicut in saxo angulari
uniuntur duo parietes ad constituendam
domum. Unde in Isaia habetur : Hæc di- Is. XXVIII,
cit Dominus : Ecce ego mittam in funda- 16.
B mentis Sion lapidem, lapidem angularem,
probatum, pretiosum, in fundamento fun-
datum, et qui crediderit in eum non
confundetur, vel, non festinet, secundum
aliam translationem. *A Domino factum
est istud,* id est, divina virtute et gratia
est unio ista duorum populorum in Chri-
sto, et Christi ignominiose occisi tanta
sublimatio. Propter quod ait Apostolus : In Ephes. II,
quo et vos coædificamini in habitaculum 22.
Dei in Spiritu Sancto. *Et est mirabile in
oculis nostris* interioribus. Quid enim ita
C mirabile, sicut conversio totius mundi ad
hominem crucifixum, qui paulo ante dice-
re potuit, Ego autem sum vermis et non Ps. XXI, 7.
homo, opprobrium hominum et abjectio
plebis ?

Multi exponunt hanc auctoritatem ad
litteram, de quodam lapide magno quem
ædificantes templum Salomonis sæpe reje-
cerunt tanquam inutilem, non invenientes
ubi congrue poneretur in ædificio, et tan-
dem inventus est locus conveniens in an-
gulo duorum parietum, ut illic poneretur.
D Sed istud non videtur conveniens, quia
probatio per Scripturam non tenet nisi
a sensu litterali, secundum Augustinum.
Christus autem per scripturam prædictam
probat suum intentum, videlicet se a Ju-
dæorum principibus reprobandum. Quod
plenius patet in evangelio Lucæ, ubi quum
Judæi dixissent, Absit, scilicet, ut malos Luc. XX, 16.
male perdat, Christus objecit et ait : Quid Ibid. 17.
est ergo quod scriptum est, Lapidem quem
reprobaverunt ædificantes, etc. ? Tanquam
dicat : Hoc aliter non valet impleri nisi

per me. Denique nulla Scriptura canonica A
recitat de lapide tali in templo Salomonis.
Sed et Petrus in Actibus Apostolorum lo-
Act. IV, 11. quens de Christo : Hic est (inquit) lapis
qui reprobatus est a vobis ædificantibus.
Ephes. II, 20. De quo et Paulus : Ipso, ait, summo angu-
lari lapide Christo Jesu.
43 *Ideo dico vobis, quod auferetur a vobis,*
exigente et operante divina justitia, *re-
gnum Dei,* id est regnum Ecclesiæ mili-
tantis, regnum quoque cœleste, vel sacra
Scriptura, secundum Hieronymum, *et da-
bitur genti,* per Apostolorum prædicatio- B
nem credenti, *facienti fructus ejus,* id est
opera virtuosa, per quæ ad regnum Dei
pertingitur, et quæ in Scriptura præci-
piuntur : de quibus ad Galatas scribit Apo-
Galat. V, 22. stolus, Fructus autem (inquiens) Spiri-
tus, est caritas, gaudium, pax, patientia,
44 longanimitas, etc. *Et qui ceciderit super
lapidem istum,* id est fidelis impie agens,
confringetur, id est, spiritualiter destrue-
tur sive lædetur, non penitus conteretur;
super quem vero ceciderit lapis iste, id est
infidelis cui Christus irruerit per distri- C
ctionem judicii, *conteret eum,* id est, pe-
nitus condemnabit, atque ab omni bono
spirituali comminuet. Tanguntur hic duo
peccantium genera, utpote Christianorum,
et infidelium. Fideles autem, quamvis ini-
qui, tamen quia in Christo fundantur per
fidem, dum peccant dicuntur cadere su-
per Christum, quem offendunt; sed non
penitus conteruntur, quoniam sæpe per
misericordiam Dei reformantur, fortiores-
que surgunt, et in peccantibus manet fi-
des, quamvis informis. Infideles vero, qui D
in Christo nequaquam fundantur, dum
Hebr. X, 31. peccant, incidunt in manus Dei viventis :
sicque lapis iste seu Christus, irruit super
eos, et conterit eos, quemadmodum in
Judæis videmus impletum. Unde in Jere-
Jer. XVII, 18. mia scribitur : Induc super eos diem af-
flictionis, et duplici contritione contere
eos, Domine.
45 *Et quum audissent principes sacerdo-
tum et Pharisæi parabolas ejus* jam com-
memoratas, *cognoverunt quod de ipsis di-*

ceret quæ in parabolis denotavit, videlicet
quod ipsi essent mali agricolæ, impii ædi-
ficatores, et quod viso eo, dixissent, Hic
est heres. *Et quærentes eum tenere,* id est 46
ad interficiendum comprehendere, tan-
quam mendacem, vel quia tam dire cor-
ripuit eos, *timuerunt turbas,* ne ab eis
resistentiam paterentur, *quoniam sicut
prophetam eum habebant,* id est, turbæ
reputaverunt Jesum esse prophetam. Ec-
ce quomodo sacerdotes, Scribæ et Phari-
sæi, inde deteriores et obstinatiores effecti
sunt, scilicet de justa Christi increpatione,
unde emendari debebant. Tales sunt qui
suam accusationem et redargutionem non
dignantur advertere. De quibus ad Timo-
theum dicit Apostolus : A veritate quidem II *Tim.* IV, 4.
auditum avertent; et Amos propheta, Odio *Amos* V, 10.
habuerunt corripientem. Horum nequissi-
mus morbus vocatur, Noli me tangere.

Circa hunc locum oportune quærendum
est, an Judæi cognoverunt Jesum esse re-
gem Messiam seu verum Christum in lege
promissum. Hæc autem quæstio supra mo-
ta atque soluta est; sed nunc diligentius
videtur tractanda. Et apparet primo, quod
sic, imo auctoritate irrefragabili Salvato-
ris, qui in isto capitulo perhibet agricolas
ipso viso dixisse : Hic est heres. Quocirca
ait Hieronymus : Manifeste probat Domi-
nus his verbis, Judæorum principes, non
per ignorantiam, sed per invidiam, Dei
Filium crucifixisse. Ambrosius quoque te-
statur, quod cognoverunt Jesum esse Chri-
stum in lege promissum, non tamen quod
esset verus Deus. Quam responsionem se-
quitur Thomas. Idem dicit Glossa hoc loco.
Chrysostomus etiam dicit, quod ex omni-
bus operibus ejus cognoverunt eum esse
Filium Dei. Et iterum : Sacerdotes, inquit,
omnibus malis repleti, qui jam in Deo spe-
rare non poterant, in ipsum Dominum
manus mittebant, non ignorantes eum esse
Filium Dei, sed sibi ipsis non parcentes.
— In oppositum est quod ait Apostolus :
Si cognovissent, nunquam Dominum glo- I *Cor.* II, 8.
riæ crucifixissent; et Petrus, Et nunc, fra- *Act.* III, 17.
tres, scio quia per ignorantiam fecistis,

sicut et principes vestri. Christus quoque A
Luc. XXIII, 34. in cruce : Pater, inquit, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.

Respondent quidam, quod Judæi in lege et Prophetis eruditi, videlicet sacerdotes, Scribæ et Pharisæi, noverunt Jesum esse prophetam, et Christum in lege promissum et divinitus missum, non tamen quod esset Deus. Viderunt enim in Christo impleri omnia quæ Scriptura prædixit de signis, loco, tempore atque operibus sui adventus. Signum enim adventus Christi fuit, impletio hebdomadarum de quibus B
Dan. IX, 24-27. Daniel prophetavit, translatio quoque regni, nativitas in Bethlehem, multaque alia. Vulgares vero ignorantes Scripturam, Christum non cognoverunt, nec quantum ad ejus humanitatem, nec quantum ad ejus divinitatem. Hæc responsio concordat Ambrosio. Quam sequitur Lyra, præter hoc quod responsio hæc ait, eruditos in lege non cognovisse Christum quoad ejus divinitatem. Asserit igitur Lyra, quod majores Judæorum cognoverunt Christum quantum ad utramque ejus naturam : quia sicut C
Scripturæ assignant signa et modum adventus Christi quantum ad ejus humanitatem; sic de ejus divinitate manifeste loquuntur : ut quum dicitur per Jeremiam,
Jer. XXIII, 5. Suscitabo David germen justum; et post
Ibid. 6. pauca, Hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster : loco cujus in Hebræo habetur nomen Domini tetragrammaton, quod non convenit nisi vero Deo. Et
Is. IX, 6. Isaias : Parvulus, inquit, natus est nobis, et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, D
Princeps pacis.

Sed ista responsio in aliquibus deficit. Primo, quia vulgares, saltem in die Palmarum, noverunt et confessi sunt Jesum esse Salvatorem mundi, regem Israel, seu Christum in lege promissum, dicentes : Hosanna filio David; benedictus qui venit *vers.* 9.
rex in nomine Domini; Hosanna in altissimis. *Luc.* XIX, 38.
Denique in evangelio Joannis ubertim habetur, quod quidam de turba crediderunt in eum. *Joann.* VII, 31, 40, 41; XII, 17.
Similiter in eodem, leguntur Samaritani dixisse mulieri quæ venit ad puteum : Jam non propter tuam *Ibid.* IV, 42.
loquelam credimus, ipsi enim scimus quia hic est vere Salvator mundi. Denique Lyra sæpe affirmat, quod Judæi carnaliter intellexerunt Scripturas de Christo, idcirco putabant eum in primo suo adventu temporaliter regnaturum, et regnum Judæorum promoturum. Si hoc ita est, nequaquam credebant Jesum esse Christum, quum cernerent eum temporalia cuncta despicere, paupertatem docere, et in omnibus cœleste regnum prædicare. Iterum, quamvis vulgares non noverant Jesum esse Christum ex Scripturis, tamen ex verbis et actibus ejus, id ipsum cognoscere poterant.

Dicendum ergo, quod Judæi eruditi et multi simplices, noverant Jesum esse Christum aliquantulo tempore, notitia conjecturali atque probabili, non evidenti ac stabili : sic enim et dæmones agnoverunt eum. Postea, prædicante Christo contra vitia sacerdotum, Scribarum ac Pharisæorum, stimulati sunt contra eum invidia, excæcavitque eos malitia eorum : qui *Sap.* II, 21
excæcati subverterunt fidem simplicium, præsertim in passione. Dum ergo crucifixerunt Jesum, non cognoverunt quod esset Christus, nec sciebant quid faciebant. Quamvis autem scripturæ Prophetarum de Christi divinitate aperte loquebantur, tamen scripturæ hujusmodi satis diversimode solent exponi. Ideo non apparet probabile, quod noverint Jesum esse verum Deum. Imo usque in hodiernum diem, non credunt Messiam suum futurum esse vel fore Deum, sed hominem purum.

ARTICULUS XXXVI

EXPLANATIO CAPITULI VICESIMI SECUNDI : SIMILE FACTUM EST REGNUM COELORUM HOMINI REGI.

NON cessat Christus summus doctor Ec- A
clesiæ, ejus mysteria pandere, sacra-
menta reserare, statum exprimere. Unde
non veritus sacerdotum et Pharisæorum
eum comprehendere volentium indignati-
onem, rursus per parabolicum sermonem
ostendit negligentiam, ingratitudinem, et
reprobationem seu condemnationem Ju-
dæorum, vocationem quoque salvationem-
que gentium.
1 *Et respondens Jesus,* vel cogitationi, vel
sermonibus Judæorum, *dixit iterum in pa-*
2 *rabolis eis, dicens : Simile factum est* di- B
vinitus *regnum cælorum,* id est status,
negotium, seu processus Ecclesiæ militan-
tis, *homini regi qui fecit nuptias filio*
suo. Per hominem regem significatur Deus
Pater, qui fecit nuptias suo Unigenito,
quando in utero sacrosanctissimæ atque
dignissimæ Virginis, tanquam in thalamo,
copulavit ei naturam humanam. Deinde
desponsavit ei Ecclesiam, quum cœpit in
Baruch III, 38. mundo inter homines conversari, eosque
convertere, et ex ipsis Ecclesiam fabrica-
re. Unio autem Verbi cum natura huma- C
na, vocantur nuptiæ personales ; unio Ver-
bi cum Ecclesia, nuptiæ sacramentales
sunt ; et tertiæ, nuptiæ spirituales ac quo-
tidianæ, videlicet conjunctio Christi cum
anima devota et continente. De primis nu-
Ps. XVIII, 6. ptiis ait Psalmista : Ipse tanquam sponsus
procedens de thalamo suo ; et Sponsa in
Cant. I, 1. Canticis, Osculetur me osculo oris sui :
quod impletum est quando Verbum caro
factum est. De secundis nuptiis dicit Apo-
Ephes. V, 31, 32. stolus : Erunt duo in carne una : sacra-
mentum hoc magnum est, ego autem dico D
in Christo et in Ecclesia. De tertiis nu-
Osee II, 20. ptiis accipi potest illud Osee : Sponsabo

te mihi in fide. Sic enim S. Agnes asse-
ruit : Annulo fidei suæ subarrhavit me.
Et misit Deus Pater *servos suos,* priores 3
Prophetas ac patres, videlicet Moysen, Aa-
ron, Samuelem, *vocare invitatos,* id est
populum Israel, quem Deus per legem et
varia beneficia invitavit ad credendum in
Christum, ad præstolandum et appeten-
dum ejus adventum. Unde in Actibus Apo-
stolorum loquitur Petrus : Omnes Prophe- *Act.* III, 24.
tæ a Samuele et deinceps, nuntiaverunt
dies istos, videlicet tempus incarnationis,
passionis et gratiæ Christi. *Ad nuptias,* id
est ad credendum futuram Christi incar-
nationem, et ad incorporationem Eccle-
siæ. Unde in Genesi Jacob testatus est :
Salutare tuum exspectabo, Domine. *Et no-* *Gen.* XLIX, 18.
lebant venire, id est credere et laudabiliter
vivere secundum documenta servorum is-
torum. Judæi etenim pene semper pro ma-
xima parte fuerunt rebelles. Propter quod
Stephanus ait : Dura cervice, et incir- *Act.* VII, 51.
cumcisi corde et auribus, vos semper Spiri-
tui Sancto restitistis, sicut et patres vestri.
Iterum, id est postea, *misit* Deus Pater 4
alios servos, id est posteriores Prophetas,
sive Apostolos, aliosque Christi discipu-
los, *dicens : Dicite invitatis,* puta Judæis,
quibus primo prædicatio regni exhibita
est : *Ecce prandium meum paravi,* id est,
Incarnationis mysterium perfeci, sacramen-
tum Eucharistiæ per Christum institui, di-
versa sacræ Scripturæ alimenta proposui.
Sapientia quippe ædificavit sibi domum, *Prov.* IX, 1, 2.
miscuit vinum, et posuit mensam. *Tauri*
mei et altilia occisa sunt. Per tauros atque
altilia, designantur spiritualia fercula, ut-
pote solidus cibus perfectorum, et lacteus
potus parvulorum, id est sermo sapien-

I *Cor.* II, 6. tiæ, quem loquitur Paulus inter perfectos, A
Ibid. 2. et sermo scientiæ, quo non judicavit se
aliquid scire, nisi Jesum Christum, et hunc
crucifixum, vel doctrina præceptorum et
consiliorum. *Et omnia parata,* id est,
cœlestium gratiarum charismata, Spiritus
Sancti dona, et quidquid ad salutem exi-
gitur, jam per passionem et meritum Chri-
sti vobis disposita sunt, imo et offerun-
Joann. I, 16. tur, quatenus de plenitudine ejus omnes
accipiatis. *Venite ad nuptias* Christi præ-
I *Cor.* VI, 17. fatas, adhærendo ei ut capiti, et per ca-
ritatem efficiamini unus cum eo spiritus. B
5 *Illi autem neglexerunt* venire, aliis oc-
cupati, et beneficia Dei parvi pendentes.
I *Tim.* IV, 14. Cui contradicit Apostolus : Noli negligere
gratiam Dei. Paucissimi enim Judæorum
consenserunt Apostolis. Propter quod ait
Is. XLII, 19. per Isaiam Dominus : Quis surdus, nisi ad
quem servos meos misi? quis cæcus, nisi
servus Domini? *Et abierunt, alius in vil-
lam suam,* hoc est, in terrenis divitiis et
temporali dominio occupavit se, *alius ve-
ro ad negotiationem suam,* id est ad lucra
sectanda, ad temporalia congreganda. Ita- C
que, per euntes ad villam suam, designan-
tur ambitiosi, qui rebus jam adeptis in-
ordinate insistunt ; per euntes vero ad
negotiationem, avari, qui pro temporali-
6 bus adipiscendis inordinate laborant. *Re-
liqui vero tenuerunt servos ejus, et contu-
melia affectos occiderunt.* In Actibus enim
Act. IV, 3; V, 18, 26, 40. leguntur Apostoli a Judæis comprehensi,
Ibid. 41. incarcerati, flagellati : qui etiam ibant a
conspectu concilii gloriantes, quoniam di-
gni habiti sunt pro nomine Jesu contume-
Ibid. VII, 58. liam pati. Stephanum vero lapidaverunt, D
Ibid. XII, 2. et Jacobum decollaverunt.
7 *Rex autem quum audisset* vocem san-
Sap. I, 10. guinis occisorum. Auris enim zeli audit
omnia, ut dicitur in libro Sapientiæ. Et
Ps. XCIII, 9. Psalmista : Qui plantavit (inquit) aurem,
non audiet? Auditio autem Dei aliud non
est, nisi cognitio seu consideratio ejus.
Loquitur tamen Deus affectu et modo hu-
mano, quasi recenter corporaliterque au-
Is. XXXVII, 29. diret, ut quum ait per Isaiam : Quum
fureres in conspectu meo, superbia tua

ascendit in aures meas. Vel dicitur Deus
audire ab angelis sanctis sibi enuntianti-
bus quæ in mundo aguntur, non quasi
ignoranti, sed ut dominatori ac judici, a
quo petunt effectum pietatis seu æquita-
tis. Hinc enim eleemosynæ Cornelii dicun- *Act.* X, 4.
tur commemoratæ in conspectu Dei. *Iratus
est,* non passionis affectum habendo, sed
justitiam exercendo, seu infligendo vindi-
ctam per modum irascentis. *Et missis ex-
ercitibus suis,* videlicet turbis Romanorum
venientibus cum Tito et Vespasiano con-
tra Judæam, ex ordinatione divina, *perdi-
dit homicidas illos.* Innumerabiles enim
Judæos perdiderunt Romani, vel occiden-
do, vel vendendo, vel dispergendo eos in
omnem ventum. *Et civitatem illorum suc-
cendit,* puta Jerusalem, quam una cum
templo combusserunt Romani. Et licet Ro-
mani alia ratione venerint contra Judæam,
quam propter Christi et discipulorum ejus
occisionem, tamen Deus movit et confor-
tavit Romanos contra Judæos, in ultionem
sanguinis Christi discipulorumque ejus.
Sic Romani nescientes subservierunt Deo.
Tunc rex *ait servis suis,* Christi Apo- 8
stolis atque discipulis ceteris : *Nuptiæ
quidem paratæ sunt,* id est, Christi incar-
natio facta est, conjunctio Christi cum
Ecclesia inchoata est, affluentia gratiæ jam
parata est, et cetera Christi mysteria sunt
completa ; *sed qui invitati erant,* id est
Judæi primo vocati, *non fuerunt digni*
ad nuptias, gratia operante, perduci, pro-
pter suam rebellionem et incredulitatem :
quemadmodum in Actibus Apostolorum
loquitur Paulus, Repulistis verbum Dei, et *Ibid.* XIII, 46.
indignos vos judicastis vitæ æternæ ; et
ad Romanos, Propter incredulitatem exci- *Rom.* XI, 20.
si sunt.
Ite ergo ad exitus viarum. Ad litteram, 9
misit Deus Apostolos ad exitus viarum, id
est ad terminos ultra vias et loca Judææ,
dicens : Ite in mundum universum. Sed *Marc.* XVI, 15.
ante passionem dixerat Christus : In viam *Matth.* X, 5.
gentium ne abieritis, hoc est, vias Judææ
non exeatis, divertendo ad loca gentilium.
Spiritualiter vero, viæ sunt virtutes, exi-

tus autem viarum sunt recessus et obli- A
quitates a virtutibus, utpote vitia et erro-
res. Jubentur ergo Apostoli ire ad exitus
viarum, id est ad corrigendos errores at-
que excessus gentilium, qui non erant in
Luc. I, 79. via, sed devio, in tenebris umbraque mor-
tis. De reprobatione autem et derelictione
Judæorum, ait Propheta in persona Chri-
Is. XLIX, 5. sti : Hæc dicit Dominus, formans me ex
utero servum sibi, ut reducam ad eum
Jacob, et Israel non congregabitur. De gen-
Ibid. 5, 6. tium vero conversione adjecit : Et glori-
ficatus sum in oculis Domini, et dixit : Pa- B
rum est ut sis mihi servus ad suscitandas
tribus Jacob et fæces Israel converten-
das; dedi te in lucem gentium, ut sis salus
mea usque ad ultimum terræ. Hoc est
quod subditur : *et quoscumque inveneri-
tis, vocate ad nuptias,* id est, omnibus
gentibus prædicate, et Christo eas incor-
porate, ut impleatur illud Psalmographi :
Ps. LXXI, 17. Et benedicentur in ipso omnes tribus ter-
ræ, omnes gentes magnificabunt eum.

10 *Et egressi servi ejus in vias,* id est ad
gentium dispersiones ac semitas, *congre-* C
gaverunt, id est, spiritualiter collegerunt
in fide et ecclesiastica unitate, vel ad Chri-
stum converterunt, *omnes quos invene-
runt, bonos et malos :* non simpliciter om-
Rom. X, 16. nes, quia non omnes obediunt Evangelio,
II *Thess.* III, 2. teste Apostolo, nec omnium est fides; sed
quosdam de omni genere hominum, ut sit
distributio pro generibus singulorum, non
pro singulis generum. Sed quomodo inter
gentiles invenire poterant aliquos bonos ?
Rom. II, 14. nisi quod (teste Apostolo) gentes quæ le-
gem non habent, et tamen quæ legis sunt D
faciunt, ipsi sibi sunt lex : et multi gen-
tilium in suo genere naturalibus virtutibus
ornabantur, morum honestate fulgentes, et
inclinati ad bona. Hi ergo comparatione
aliorum, boni vocantur, quamvis non erant
in statu salutis. Sic namque Paulus ait
Act. XXVI, 25. gentili : Non insanio, optime Feste. Vel
ideo dicuntur congregasse bonos et malos,
quia in Ecclesia commiscentur electi et
reprobi, veri et falsi Christiani.

*Et impletæ sunt nuptiæ discumbenti-
um,* id est, multitudo vocatorum, et in
nuptiis spiritualiter se reficientium, com-
pleta est numero ac merito : quod tamen
non erit perfecte, nisi in fine sæculi, quum
plenitudo intraverit gentium, omnisque Is- *Rom.* XI, 25, 26.
rael fuerit salvus. Nunc vero quodammo-
do impletæ sunt nuptiæ, quoniam in om- *Ps.* XVIII, 5.
nem terram exivit sonus Apostolorum, ita
quod toto orbe diffunditur ipsa Ecclesia,
omnesque gentes ad fidem conversæ sunt.

Intravit autem rex, non motu locali, sed 11
actu judiciali, in nuptias seu in Eccle-
siam, *ut videret discumbentes,* id est, me-
rita ac demerita vocatorum discerneret :
quod facit in morte singulorum, judicio
particulari, et in fine sæculi, judicio uni-
versali. *Et vidit ibi hominem non vesti-
tum* interius, seu mente decoratum, *veste
nuptiali,* id est gratia gratum faciente,
caritate, seu opere meritorio. Unde in Apo-
calypsi dicitur : Vestimentis albis indua- *Apoc.* III, 18.
ris, et non appareat confusio nuditatis tuæ.
Et merito caritas appellatur vestis nupti-
alis, quoniam ipsa induxit Christum ut
incarnari et Ecclesiam desponsare digna-
retur. *Et ait illi : Amice,* per naturam, 12
non per gratiam ; per fidem, non per
operationem et dilectionem. Omnia enim *Sap.* XI, 25.
diligit Deus quantum ad id quod sunt.
Quomodo huc intrasti, id est, qua præsum-
ptione intra Ecclesiam habitasti, et in-
ter fideles apparuisti, sacramentis quoque
communicasti, *non habens vestem nuptia-
lem,* quæ inter electos reprobosque dis-
cernit? *At ille obmutuit :* quia injusti Deo
rationem reddere non valent. Propter quod
scriptum est : Non justificabitur homo *Job* IX, 2, 3.
compositus Deo ; et si voluerit cum eo
contendere, non poterit respondere unum
pro mille.

Tunc dixit rex ministris : non illis ser- 13
vis de quibus jam dictum est; sed, Mini-
stris, id est angelis sanctis, qui in die ju-
dicii erunt exsecutores sententiæ Judicis,
juxta illud : Exibunt angeli, et separabunt *Matth.* XIII, 49, 50.
malos de medio justorum, et mittent eos
in caminum ignis. *Ligatis manibus et pedi-
bus ejus, mittite eum in tenebras exteri-*

ores, id est infernales et corporales, quas A
[* perverse agendo] meruit incidere perseverando*, seu ince-
dendo tenebras mentales et interiores. Con-
stat quod reprobi in die judicii retruden-
tur in tartarum nudi. Per hoc ergo quod
manus et pedes ligari jubentur, aliud ni-
hil exprimitur, nisi inevitabilitas divini
judicii, cui resistere et a quo fugere ne-
mo valebit, secundum quod Dominus per
[*Amos* II, 13, 14.] Prophetam ait : Ecce ego stridebo super
vos, sicut stridet plaustrum onustum fœ-
no; et peribit fuga a veloce, et fortis non
salvabit animam suam. *Ibi erit fletus,* non B
quantum ad lacrimarum emanationem, sed
quoad animi dolorem, et cerebri pertur-
bationem, *et stridor dentium,* propter fri-
[*Job* XXIV, 19.] gus vehementissimum. Ibunt enim a ca-
[*Matth.* VIII, 12.] lore nimio ad aquas nivium. Hoc supra
plenius elucidatum est. *Multi autem sunt*
14 *vocati* ad nuptias militantis Ecclesiæ, *pau-*
ci vero, respective loquendo, videlicet com-
[* præscitorum] paratione prædestinatorum*, sunt *electi* ad
nuptias Ecclesiæ triumphantis : de quibus
[*Apoc.* XIX, 9.] in Apocalypsi legitur, Beati qui ad cœnam
nuptiarum Agni vocati sunt.
15 *Tunc,* id est parabolis istis auditis, et
partim intellectis, *abeuntes,* id est, a præ-
sentia Christi se subtrahentes et receden-
[*Matth.* XXI, 46.] tes, *Pharisæi,* qui cupiebant Christum
comprehendere, sed propter populum non
audebant, *consilium inierunt, ut caperent,*
id est reprehenderent, *Jesum in sermone*
sui oris, quem in operibus non poterant
capere. Facilius quippe reprehenditur ho-
[*Jacob.* III, 8.] mo in verbo quam facto, quia linguam
domare nemo potest.
16 *Et mittunt ei discipulos suos cum He-*
rodianis, id est servis Herodis, vel cum
Judæis solventibus tributa secundum exa-
ctionem Herodis, quos Pharisæi despective
Herodianos vocabant. Denique facta sunt
hæc in hebdomada passionis, quando He-
rodes fuit in Jerusalem propter solennita-
tem paschalem. Erat enim proselytus. Ideo
Pharisæi accesserunt et faciliter invene-
runt milites seu fautores Herodis in Jerusa-
lem. Sed in propria persona non pergebant
ad Jesum, ne eis visis se observaret. Mit-
tunt vero discipulos suos, quos putabant
Christo ignotos, ut Christus mali nihil su-
spicans loquatur liberius.

Dicentes adulatorie : *Magister, scimus*
quia verax es veritate vitæ, recte viven-
do, *et viam Dei,* id est præcepta et cetera
quibus homo Deo complacet atque con-
jungitur, *in veritate doces,* in nullo erran-
do. *Et non est tibi cura,* id est inordinatus
timor, vel immoderata sollicitudo, *de ali-*
quo homine; *non enim respicis personam*
hominum, id est, propter humanum favo-
rem, affectum, seu quodcumque homini-
bus inexsistens, non recedis a veritate. Di-
cendo, Scimus quia verax es, laudant eum
a veritate vitæ; dicendo, Viam Dei in ve-
ritate doces, laudant eum a veritate doctri-
næ; dicendo, Et non est tibi cura de ali-
quo, laudant eum a veritate justitiæ. His
simulatis præconiis, nitebantur animum
Christi mollificare, vel sibi allicere, ut
sine custodia responderet, de tantis lau-
datoribus nil mali præsumens.

Dic ergo nobis, quum sis talis ac tantus, 17
C *quid tibi,* cui tanquam viro justo creden-
dum est, *videtur. Licet censum,* seu tri-
butum, *dare Cæsari, an non?* Pompeius
contemporaneus Julii Cæsaris, legitur Ju-
dæam subjugasse Romanis. Quo facto, pro-
miserunt Judæi solvere Romanis stipendi-
um seu tributum, tanquam defensoribus
rei publicæ et conservatoribus pacis com-
munis. Ac deinde aliqui Judæorum inducti
a quodam Juda Galilæo, asseruerunt popu-
lum Dei divina lege suffultum, decimasque
ac primitiva in templo solventem, liberum
D esse, nec humanis legibus subjacere, ne-
que censum Cæsari dare debere. Alii vero
affirmabant oppositum, scilicet Romanis
tanquam pro bono communi militantibus,
danda esse tributa atque stipendia, et Cæ-
sari censum. Hæc Judæorum dissensio mu-
tua diu duravit. Idcirco quæstionem hanc
proponunt Christo determinandam, quate-
nus quidquid responderit, reprehendatur.
Si enim diceret non esse solvendum, ca-
peretur ab Herodianis; et ab Herode, seu
Pilato, tanquam seditiosus et imperatori

rebellis, occideretur. Hoc enim tangitur in A
Luc. xx, 20. evangelio Lucæ : Miserunt (inquit) insidia-
tores, qui se justos simularent, ut cape-
rent eum in sermone, et traderent illum
principatui et potestati præsidis. Si vero
diceret esse solvendum, videretur deroga-
re divino honori et libertati Judæorum.
Magis autem optabant a Christo audire non
esse solvendum, non ut ipsi essent immu-
nes ac liberi a censu atque tributo, sed ut
Jesum traderent neci.
18 *Cognita autem Jesus nequitia eorum,*
hoc est fraude et pessima machinatione, B
ait : Quid me tentatis, o *hypocritæ,* qui
aliud estis, et aliud simulatis, qui aliud
intenditis, et aliud dicitis? Tentare, est ex-
perimentum de aliquo sumere : et quando
hoc fit intentione fallendi sive nocendi,
vocatur tentatio vitiosa, qua dæmon et
mundus justos tentant. Sic isti tentabant
Christum. Non enim sciscitabantur ut di-
scerent, sed ut experirentur quid diceret,
et per ejus responsionem eum deciperent.
Idcirco vocat eos hypocritas. Prima nempe
virtus respondentis, secundum Hierony- C
mum, est interrogantium mentem cogno-
19 scere. *Ostendite mihi numisma census,* hoc
est nummum censualem, qui datur annua-
tim imperatori pro censu. *At illi obtule-*
20 *runt ei denarium. Et ait illis Jesus : Cu-*
jus est, id est, quem repræsentat, *imago*
hæc nummo impressa, *et superscriptio* ex-
arata in nummo? Quærit, ut ex eorum re-
sponsione caute respondeat, eosque con-
21 fundat ac superet. *Dicunt ei : Cæsaris*
Tiberii, sub quo passus est Dominus. *Tunc*
ait illis : Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, D
Cæsari, utpote censum, tributum, subje-
ctionem ; *et quæ sunt Dei, Deo,* videlicet
oblationes, et cetera quæ in lege jubentur.
Hæc subjectio Judæorum in temporalibus
sub Romanis, non derogavit spirituali li-
bertati et subjectioni eorum sub Deo.
22 *Et audientes* responsionem Christi do-
ctissimam, *mirati sunt.* Secundum Hiero-
nymum, mirati sunt quod calliditas eorum
non invenisset insidiandi locum. Potius
tamen mirabantur, propter prudentiam re-
sponsionis, atque cautelam Christi : quo-
niam ut Lucas habet, Et mirati in respon- Luc. xx, 26.
sis ejus, tacuerunt ; et Marcus, Mirabantur, Marc. xii, 17.
inquit, super eo. *Et relicto eo, abierunt,* ad
eos a quibus missi fuerunt infidelitatem* *infelicitatem
et admirationem reportantes.
In illa die accesserunt ad eum Saddu- 23
cæi, qui dicunt non esse resurrectionem
mortuorum, nec angelum, nec spiritum, Act. xxiii, 8.
animam quoque rationalem esse morta-
lem. De tribus autem Judæorum sectis, vi-
delicet Sadducæis, Pharisæis, et Essæis,
dictum est supra. Verum in Evangelio non Matth. iii, 7.
fit mentio de Essæis, quoniam non resti-
terunt Christo ut alii, sed erant quasi mo-
nasticam vitam ducentes, continentes et
sobrii. *Et interrogaverunt eum, dicentes :* 24
Magister, Moyses dixit, et scripsit in Deu- Deut. xxv, 5.
teronomio, *si quis* uxoratus *mortuus fue-*
rit non habens filium, hoc est aliquam
prolem a legitima conjuge superstite, *ut*
ducat frater ejus, vel propinquus, si non
habuerit fratrem, *uxorem illius* defuncti,
et suscitet, id est generet, *semen,* hoc est
prolem, *fratri suo* defuncto, ne ejus me-
moria deleatur. Primogenitus namque hu-
jus ab uxore defuncti susceptus, adscri-
bebatur viro defuncto, ita quod ille erat
pater ejus legalis, et iste pater carnalis.
Erant autem apud nos septem fratres. 25
Intentio Sadducæorum fuit probare resur-
rectionem non esse possibilem : ad quod
probandum proponunt, vel casum, vel fa-
bulam. Potuit tamen ad litteram apud eos
accidisse quod dicunt, quemadmodum in
evangelio Joannis legitur mulier Samarita-
na habuisse quinque viros, quamvis forte Joann. iv, 18.
non fuerint fratres. *Et primus* septem fra-
trum, *uxore ducta, defunctus est; et non*
habens semen, reliquit uxorem suam fra-
tri suo, qui et duxit eamdem. *Similiter* 26
secundus, et tertius frater, *usque ad sep-*
timum inclusive, duxerunt eam ob hoc,
quod omnes non relicto semine deces-
serunt. Sic et Sara uxor junioris Tobiæ,
habuit septem viros, quamvis forte non Tob. vi, 14.
fuerint fratres. *Novissime autem omnium* 27
et mulier defuncta est. In resurrectione 28

ergo finali, *cujus erit de septem* fratribus A
uxor? Quod merito quærimus : *omnes enim habuerunt eam* successive. Vel ergo erit uxor omnium, vel plurium : quod est con-
Lev. xviii, 16; xx, 21. tra legem, quæ prohibet duos fratres simul habere eamdem uxorem. Propter quod Jo-
Marc. vi, 18. annes dixit Herodi : Non licet tibi habere uxorem fratris tui. Vel unus solus eam habebit : quod dici non potest, quum non appareat ratio quare potius unus quam alius habiturus sit eam. Isti Sadducæi in sua probatione supposuerunt unum falsum, quod tamen Pharisæi putabant ve- B
rum, videlicet, quod post resurrectionem erit usus venereorum atque ciborum : quod moderni quoque Judæi opinantur.

29 *Respondens autem Jesus, ait illis : Erratis, nescientes Scripturas :* quia et libros Moysis male intellexerunt, dicentes animam hominis esse mortalem, quia in Ge-
Gen. xxxvii, 22. nesi dicitur, Non interficiamus animam ejus, videlicet Joseph, quasi anima rationalis possit occidi; et libros Prophetarum, in quibus immortalitas animæ, futurum judicium, mortuorum resurrectio, apertis- C
sime describuntur, penitus negaverunt. Non enim receperunt nisi Pentateuchum. *Neque virtutem,* id est omnipotentiam, *Dei,* cui non est difficilius mortuos ad vitam cœlestem ac spiritualem suscitare, quam mundum creasse, vel aliquid ex nihilo facere : quod tamen non negatis eum fecisse, quum Moyses hoc testetur. Ideo
30 subditur : *In resurrectione enim* generali et ultima, *neque nubent,* id est, viri uxores non ducent, *neque nubentur,* id est, feminæ a viris non accipientur, nec erunt D
tunc matrimonia, quum resurrectio ordinetur ad vitam perpetuam et beatam; *sed sunt,* id est, homines boni tunc suscitandi, erunt, *sicut angeli Dei in cœlo,* id est Deo immediate conjuncti, non carnali, sed spirituali ac deiformi voluptate fruentes, totaliterque in Deum absorpti.

31 *De resurrectione autem mortuorum non legistis?* tanquam dicat : Imo utique legistis aliquid in Scripturis quas recipitis, ex quo sequitur quod resurrecturi sint, mortui. Et quid sit illud subjungitur : *quod dictum est a Deo,* ministerio angeli loquentis in persona Dei ad Moysen, de medio rubi, *dicente vobis* per Moysen : *Ego* 32
sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob. Quum enim Moyses dixisset ad Deum, Quod est nomen tuum? et ille respon- Exod. iii, 13.
disset, Ego sum qui sum, hæc dices filiis Israel, Qui est, misit me ad vos; statim Ibid. 14.
adjecit : Hæc dices filiis Israel : Dominus Ibid. 15.
Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, misit me ad vos; hoc nomen est mihi in æternum, et hoc est memoriale meum in generationem et generationem.

Quod autem ex his verbis sequatur Patriarchas hos vivere, et aliquo modo subsistere, animas rationales immortales esse, et corpora fore suscitanda, probat insuperabilis atque infallibilis argumentator. *Non est Deus mortuorum,* id est eorum qui nullatenus sunt, nec aliquo modo vivunt, *sed viventium :* Primo, nam Deus dicitur ratione causalitatis et providentiæ : providentia vero non est nisi de aliquo exsistente. Dum ergo Deus hæc verba dixit ad Moysen, Patriarchæ præfati exstiterunt, et aliquo modo vixerunt. Sed tunc corporaliter obierunt, et corpora eorum resoluta fuerunt. Oportet ergo ut animæ eorum permanserint. Secundo, quia creatura refertur ad Deum relatione reali, quæ non fundatur nisi in ente. Id ergo cujus Deus dicitur Deus, oportet esse realiter aliquid. Itaque Patriarchæ illi non desierunt esse quantum ad corpus et animam, seu penitus, sed quantum ad corpus dumtaxat. Ex quo ultra concluditur resuscitatio corporum : Primo, quoniam anima rationalis, quum sit naturaliter endelechia seu forma corporis, et substantialis pars hominis, semper habet naturalem inclinationem ad corpus, nec habet perfectam subsistentiam in se ipsa, sed appetit in toto subsistere homine : natura autem nil efficit frustra. Tandem ergo anima separata reunienda est corpori. Hinc nempe Platonici dixerunt animas tandem revolvi ad corpora. Secun-

do, quoniam anima rationalis non potest A
perfecte felicitatem adipisci, nisi corpore
reassumpto et conglorificato, propter na-
turalem affectionem quam habet ad cor-
pus, et quoniam vires sensitivæ manent
in ea radicaliter, in quibus beatificari non
potest, nisi fuerit corpori sociata. Tertio,
quoniam sic præmianda est anima, quo-
modo meruit. Quoniam ergo per corpus et
in corpore egit bene sive male, ad hoc
quod perfecte remuneretur, oportet ut cor-
pori denuo copuletur. Ideo dicit Aposto-
II Cor. v, 4. lus, quod nolumus exspoliari, sed super- B
vestiri.

Præterea, ex ipso modo loquendi quem
in suis libris Moyses habet, constat animas
humanas esse immortales. Sæpius etenim
Num. xx, 26; xxxi, 2. ait, quod talis vel talis, collectus est ad
patres suos, videlicet moriendo. Et de Aa-
Ibid. xx, 24. ron Dominus ait : Pergat Aaron ad po-
pulos suos. Patres ergo et populi ad quos
colliguntur et pergunt, aliquo modo vi-
vunt et sunt. Abrahæ quoque Dominus
Gen. xv, 1. ait : Merces tua magna nimis. Et rursus
Ibid. 15. promisit eidem, quod colligeretur ad pa- C
tres suos in senectute bona. Temporalia
autem non sunt sufficiens præmium ope-
rum virtuosorum, et bona senectus seu
sancta decessio non præmiaretur, si anima
esset mortalis. Poterat quoque Christus
evidentiora Scripturarum testimonia al-
legasse de animæ immortalitate et mor-
tuorum resurrectione, ex Prophetis, præ-
sertim ex Job : qui liber apud Hebræos
authenticus est. Sed hoc non debuit fa-
cere, quoniam Sadducæi non receperunt
libros Prophetarum : quemadmodum etiam D
si doctor christianus argueret contra Ma-
nichæos, non haberet allegare veteris Te-
stamenti Scripturas, quia nec Moysen nec
Prophetas Manichæus recepit.

33 *Et audientes turbæ* tam promptam et
insolubilem responsionem ac probationem,
mirabantur in doctrina ejus. In Luca scri-
Luc. xx, 39. bitur, quod etiam quidam de Scribis di-
34 xerunt : Magister, bene dixisti. *Pharisæi
autem audientes,* id est, audiendo conside-
rantes, *quod* Jesus *silentium imposuisset*
Sadducæis, ita quod replicare non pote-
rant, *convenerunt in unum,* primo inter
se conquirentes quid Christo propone-
rent, et per quem modum procederent : et
deliberaverunt ut cum multitudine magna
accederent, quatenus Christum timore con-
cuterent. Venerunt enim ut multitudine
vincerent, quem ratione superare non po-
terant, secundum Chrysostomum. Verum-
tamen unus loquebatur pro omnibus :
quoniam, teste Chrysostomo, apud se di-
cebant : Unus loquatur pro omnibus, et
omnes loquamur per unum, ut si vicerit,
omnes videamur victores, si autem victus
fuerit, solus videatur confusus. Hinc sub-
ditur :

Et interrogavit eum unus ex eis legis 35
doctor, videlicet Scriba prævalidus, *ten-
tans eum,* id est, scire volens an Jesus
sciret quod quærebatur; vel, Tentans eum,
id est, reprehendere cupiens. *Magister,* 36
quod est mandatum magnum antonoma-
stice, hoc est summum, *in lege* Moysis
assignatum? In cujus lege erant triplicia
mandata, videlicet moralia, judicialia, et
cærimonialia : et in quolibet genere man-
datorum istorum, erant gradus diversi, seu
ordo dignitatis; eratque inter Judæos dis-
sensio, quid esset inter omnia mandata
absolute præcipuum.

Ait illi Jesus : Diliges Dominum Deum 37
tuum ex toto corde tuo, id est toto deside-
rio et affectu, *et in tota anima tua,* id est
secundum vires animales et sensitivas,
vel appetitum sensitivum, qui in concupi-
scibilem irascibilemque partitur, *et in tota
mente tua,* id est toto intellectu ac inten-
tione. In evangelio Lucæ et Marci additur
quartum, videlicet ex tota fortitudine tua, *Luc.* x, 27; *Marc.* xii, 30.
seu totis viribus tuis. Istud præceptum
datum est in Deuteronomio, quo dicitur :
Diliges Dominum Deum tuum, ex toto cor- *Deut.* vi, 5.
de tuo, et ex tota anima tua, et ex tota
fortitudine tua. Et sicut Moyses omittit,
Ex tota mente; sic Matthæus omittit, Ex
tota fortitudine tua : quorum utrumque
Lucas et Marcus commemorant. Actus ergo
caritatis jubetur, quum dicitur : Diliges Do-

minum Deum tuum, modus vero diligendi subjungitur, quum subinfertur : Ex toto corde tuo, etc. Et sunt quatuor quæ ad modum diligendi concurrunt et pertinent, utpote ut Deus diligatur ex toto corde, tota anima, tota mente, et tota fortitudine. Denique actus voluntatis elicitus, hoc est a potentia volitiva immediate causatus, oriens seu procedens, est diligere : ideo modus diligendi qui insinuatur quum dicitur, Ex toto corde, directe et immediate pertinet ad actum dilectionis. Alii tres modi diligendi, ad actum hunc pertinent indirecte, secundum quod aliarum potentiarum actus imperantur a voluntate, et ad voluntatis perfectionem disponunt.

Oportet autem advertere, quia quod dictum est, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, etc., intelligi potest dupliciter : Primo, quantum ad actum, ita ut cor, mens, anima, et virtus hominis, semper actualiter ferantur in Deum : et hæc est perfectio patriæ, non possibilis viatoribus. Secundo, quantum ad habitum et actum proportionatum, videlicet ut homo nil operetur contrarium caritati : et hæc est perfectio viæ cadens sub præcepto, omnibus debita. Caritatis vero actualis dilectio ad quam ordinant evangelica consilia, media est inter dilectionem patriæ et dilectionem quæ cadit sub præcepto. Per hanc etenim dilectionem mediam, deserit homo exteriora et sensibilia licita, ne eum a divinæ caritatis perfectione fervoreque retrahant.

Jubemur itaque Deum toto corde diligere, ut tota affectio nostra ordinetur ad Deum, totaque intentio feratur in eum; tota insuper mente, quatenus intellectus Deo in omnibus subjiciatur; tota anima, ut appetitus sensitivus et vires sensitivæ secundum Deum dirigantur; tota quoque virtute, ut omnis actus noster exterior secundum præcepta Dei reguletur. Porro, si inquiratur, quomodo hoc præceptum impleri possit in via : dicendum, quod in via impletur imperfecte, in patria autem perfecte. Et dicitur præceptum impleri imperfecte, quando ad perfectionem a præcipiente intentam non pertingitur, et tamen contra eam non agitur; perfecte vero, quando ad intentionem præcipientis pervenitur. Intentio autem Dei se diligi præcipientis, est ut rationalis creatura ei totaliter, jugiter et indesinenter inhæreat atque subdatur : quod non impletur nisi in patria. Vel dicendum, quod secundum Philosophum, totum et perfectum ejusdem sunt rationis et idem : ideo Deum diligere toto corde et tota anima, est diligere eum perfecto corde perfectaque anima. Quamvis autem absolute loquendo, solus Deus perfectus sit, tanquam cui nulla deest nobilitas, tamen creatura rationalis potest dici perfecta in suo genere, dupliciter : Primo, simpliciter, quando videlicet nil ei deest de perfectione sibi possibili : sicque præceptum caritatis impletur perfecte in patria solum (ut ait Augustinus in libro de Perfectione justitiæ), ubi nil retardat aut retrahit animam ab incessabili motu in Deum. Secundo dicitur perfectum secundum quid, quando de perfectione competenti ac debita secundum proprii status proportionem, nil deficit : et sic impletur in via, quum nihil contra Deum diligitur, et ipse super omnia adamatur, quod est de necessitate salutis.

38 *Hoc est maximum,* id est principalissimum ac summe meritorium, *et primum,* id est dignissimum, *mandatum,* ad quod omnia alia tanquam ad finem ordinantur, sicut et caritas appellatur regina, forma et finis universarum virtutum. Dicitur autem primum, secundum viam perfectionis, non secundum viam generationis.

39 *Secundum autem* mandatum *simile est huic* primo mandato, non æquale, sed proxime sequens : *Diliges proximum tuum,* id est quemlibet viatorem ad Dei imaginem factum, et gratiæ gloriæque capacem, *sicut te ipsum,* tripliciter : primo, propter Deum, sicut te diligis propter Deum, qui quum sit summa fontanaque bonitas, causa et ratio est omnis sanctæ dilectionis; secundo, propter illud bonum

propter quod amas te ipsum, videlicet, ut beatitudinem consequatur, quam tu cupis acquirere; tertio, ut non condescendas ei in malo, sicut nec tibi peccanti vis condescendi, si tamen ames te ipsum veraciter. Quamvis autem proximum amare debeamus sicut nos ipsos, non tamen in tantum, sive æqualiter.

40 *In his duobus mandatis* observandis
*universa *tota** *lex* Moysis, imo et Evangelii, *pendet, et Prophetæ :* hoc est, omnia præcepta, documenta et hortamenta legis ac Prophetarum, ordinantur ad horum observantiam mandatorum, et virtualiter continentur in eis, sicut conclusiones in primis principiis. Propter quod ait Apostolus (I Tim. I, 5.) : Finis præcepti est caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. Et alibi (Rom. XIII, 10.) : Plenitudo (ait) legis, est dilectio; itemque (Ibid. 9.) : Non occides, non adulterabis, non furtum facies ; et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur, Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Præceptum autem de dilectione proximi, continetur et virtualiter includitur in præcepto dilectionis Dei, juxta illud (I Joann. IV, 20.) : Si quis dixerit quia diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est.

Præterea advertendum, quod sicut se habent prima principia in scientiis speculativis, ita se habent præcepta caritatis in lege. Quemadmodum ergo conclusiones virtualiter continentur in primis principiis (sic quod qui ipsa principia secundum totam eorum virtutem clare agnosceret, simplici quoque intuitu omnes conclusiones ex eis deducibiles in ipsis principiis sine discursu cognosceret), nec oportet ex principiis conclusiones deducere, nisi propter minus capaces; sic omnia præcepta in præceptis caritatis virtualiter continentur, et ex eis per modum conclusionum deducuntur, quod non fuit necesse, nisi propter nostram imperfectionem, qui in illis duobus præceptis alia tam clare non poteramus agnoscere. Caritas autem est finis virtutum ac præceptorum in agibilibus : finis vero in agibilibus se habet sicut principium in speculativis. Idcirco, sicut in primo principio speculabilium, scilicet de quolibet esse vel non esse, de nullo vero simul, continentur omnes conclusiones; sic in præcepto diligendi Deum, continetur præceptum diligendi proximum, sed propter minus capaces oportuit de dilectione proximi dari speciale præceptum. Et quamvis sint duo præcepta, unus tamen est habitus caritatis quo Deus proximusque diligitur, eo quod Deus sit ratio diligendi proximum. Actus autem quo Deum amamus et proximum, sunt diversi.

Quæritur, quomodo S. Matthæus dicat hunc legis doctorem Jesum interrogasse tentando, quum in Marco scriptum sit, quod Scriba iste dixerit Christo (Marc. XII, 32, 33.) : Bene, Magister, in veritate dixisti, quia unus est Deus, et ut diligatur ex toto corde, etc.; et diligere proximum tanquam se ipsum, majus est omnibus holocautomatibus et sacrificiis. Et subditur (Ibid. 34.) : Jesus autem videns quod sapienter respondisset, dixit illi : Non es longe a regno Dei. Dicendum, quod Scriba iste primo similis erat suis collegis, sed in ipsa Christi responsione compunctus est corde, atque pœnituit, approbans Christi responsum.

41 *Congregatis autem Pharisæis, interro-*
42 *gavit eos Jesus, dicens : Quid vobis videtur de Christo? Cujus filius est* dicendus? *Dicunt ei : David.* Noverant namque Judæi communiter Deum promisisse regi David (Ps. CXXXI, 11.), quod de ejus semine Christus descenderet.

43 *Ait illis : Quomodo ergo David in spiritu,* hoc est, inspirante et edocente Spiritu Sancto; vel, In spiritu, id est spirituali excessu, seu gratia prophetali; *vocat eum*
44 *Dominum, dicens : Dixit Dominus* Pater *Domino meo,* videlicet Christo, *Sede a dextris meis?* Hoc exponitur de Christo dupliciter : Primo, secundum ejus divinitatem, hoc modo : Sede a dextris meis, hoc est, mecum residendo, esto mihi æqualis, et ad majestatis meæ æqualitatem consiste. Unde ad Hebræos dicit Apostolus, loquens de Christo (Hebr. I, 3.) : Qui quum sit splendor

gloriæ, sedet ad dexteram majestatis in A
excelsis. Secundo, quantum ad ejus hu-
manitatem : Sede a dextris meis, hoc est,
præ cunctis creaturis esto mihi vicinior,
et in potioribus bonis meis quiesce, reple-
tus gratia, honore et gloria præ univer-
sis creaturis, omnibusque prælatus. *Donec
ponam inimicos tuos,* videlicet reprobos,
scabellum pedum tuorum, hoc est, tibi
eos perfecte subjiciam, non solum quan-
tum ad potestatem et manifestationem, sed
etiam quantum ad exsecutionem : quod
erit in die judicii. A principio autem in- B
Matth. xxviii, 18. carnationis data est Christo homini omnis
potestas in cœlo et in terra, quantum ad
potestatis hujus possessionem; in resurre-
ctione vero ac deinceps data est ei ista po-
testas, quantum ad ejus manifestationem,
quia ex tunc cœpit apparere et prædicari
dignitas Christi; sed in die judicii dabitur
ei ista potestas, quantum ad ejus plena-
riam exsecutionem, quando omnes adver-
sarios suos in æterna retrudet supplicia.

Si, pro quia, *ergo David vocat eum Do-* 45
minum, quomodo filius ejus est, præsertim
quum David fuerit tantus propheta et rex?
Et nemo Pharisæorum et Scribarum : 46
nam aliqui Judæi fuerant Scribæ, sicut
nunc aliqui religiosi sunt doctores theolo-
giæ; *poterat ei respondere verbum* aliquod
ad propositam quæstionem; quia non ex-
spectabant Christum, nisi ut hominem pu-
rum; et secundum hoc, non esset Dominus
David. Si autem exspectassent Christum ut
Deum et hominem, faciliter respondissent,
quod secundum divinitatem esset Domi-
nus David, secundum humanitatem vero
diceretur filius ejus. Ex quo elicitur ve-
rum non esse, quod quidam ait, Scribas et
Pharisæos primo cognovisse Jesum esse
Christum Deum ac hominem in una per-
sona. *Neque ausus fuit quisquam ex illa
die eum amplius interrogare.* Timebant
enim vinci atque confundi; tamen in tem-
pore passionis interrogaverunt eum, non
timentes aliquid tale.

ARTICULUS XXXVII

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI TERTII : TUNC LOCUTUS EST JESUS AD TURBAS, ET AD DISCIPULOS SUOS.

CONFUTATIS Scribis ac Pharisæis vi- C
tiosissimis et dolosis, qui Christum ca-
pere nitebantur in verbis, ipse Salvator
apertissime et liberrime carpit et arguit
eos, non de verbis dumtaxat, sed impiis
actibus.
1 *Tunc locutus est Jesus ad turbas, et ad
discipulos suos,* præsentibus et audienti-
bus Scribis et Pharisæis. Hæc enim præ-
2 dicavit palam in templo. *Dicens : Super
cathedram,* id est in sede, *Moysis,* scilicet
Ps. i, 1. in doctrina legis, unde et cathedra pesti-
lentiæ dicitur doctrina pestifera; vel in D
judiciaria potestate ordinata a Moyse; *se-
derunt Scribæ et Pharisæi :* quorum ali-
qui erant sacerdotes, et de septuaginta *Num.* xi, 16, 17, 24, 25.
senioribus populi qui a tempore Moysis
erant judices ordinarii et consiliarii Judæ-
orum, scientia et ætate provecti, ad quos
populus recurrebat pro habendo judicio
atque consilio. *Omnia ergo quæcumque di-* 3
xerint vobis, servate et facite. Hoc non est
absolute et universaliter intelligendum,
quia superius dictum est, et in isto capi-
tulo mox dicetur, quod Scribæ et Pharisæi
multa superstitiosa et falsa docuerunt,
corrumpentes Scripturam, et irritum faci- *Matth.* xv, 6.
entes verbum Dei per suas traditiones.
Intelligendum est ergo de prædicationibus
eorum non contrariis legi Moysis. Ecce

Christus jubet malos prælatos propter sa-
cerdotium et nominis dignitatem honora-
ri. Malis enim præsidentibus obediendum
est, quamdiu non docent nec jubent con-
Rom. XIII, 2. traria Deo : nempe qui potestati resistit,
Dei ordinationi resistit, et qui resistunt,
damnationem acquirunt, secundum Apo-
I *Reg.* XXIV, 7. stolum. Ideo David noluit mittere manum
in Saul. De hoc Dionysius in epistola ad
Demophilum plenius loquitur.

*Secundum vero opera eorum nolite fa-
cere. Dicunt enim,* id est, bona prædi-
cant, *et non faciunt* ea : et sic, quantum
in eis est, sacram Scripturam et proprias
prædicationes falsificant, quum majus sit
aliquid facto quam verbo ostendere. Tales
sunt modo, proh dolor! innumerabiles, qui
eo ipso quo prædicare seu docere præ-
4 sumunt, peccant mortaliter. *Alligant au-
tem,* id est, componunt et collecta pro-
ponunt, *onera gravia et importabilia,* id
est ordinationes, jussiones et admonitiones
difficiles, vix impleri potentes, *et impo-
nunt in humeros hominum,* id est, audi-
torum suorum cordibus imprimunt, et im-
plenda committunt ea ; *digito autem suo
nolunt ea movere,* id est, diligentiam seu
conatum permodicum non apponunt, ut
impleant talia. Loquitur itaque Christus
de spiritualibus rebus per similitudinem
corporalium.

5 *Omnia vero opera sua faciunt, ut vi-
deantur ab hominibus,* id est, humanam
laudem sortiantur : in quo innotescit va-
nitas, vilitasque ipsorum. Quid enim tam
vanum, vile ac frivolum, ut facere opera
in se virtuosa, et si adsit recta intentio,
Deo placita, æternæque vitæ meritoria,
propter humanæ gloriæ brevissimam ca-
ptionem, perdere tantum præmium, divi-
num favorem, æternum honorem propter
volatilem laudem, propter contemptibilis-
simam mortalium venerationem? Et ta-
men pauci evadunt perfecte laqueum is-
tum. Qui ergo se ab hoc vitio invenit
purum, gratus sit Deo, et cautus perma-
neat. *Dilatant enim,* id est amplificant,
phylacteria sua, id est pittaciola, membra-

A nas, bullas seu chartas, in quibus Judæi
scribebant præcepta Decalogi : quas liga-
bant in fronte, circumponentes ligaturam
ejus capiti per modum coronæ, ut inde-
sinenter adspicerent Dei præcepta. Phari-
sæi autem, ut ceteris viderentur religio-
siores, phylacteria latiora aliis fecerunt, in
quibus scripserunt mandata litteris gros-
sis et magnis. Occasionem vero hæc fa-
ciendi habebant ex eo quod scriptum est
in Deuteronomio : Erunt verba Domini in *Deut* VI, 6, 8, 9.
corde tuo, et ligabis ea quasi signum in
B manu tua, eruntque et movebuntur inter
oculos tuos ; scribesque ea in limine et
in ostiis domus tuæ. *Et magnificant fim-
brias,* id est partes vestium dependentes
in quatuor angulis palliorum. Præcepit
enim Dominus ut populus Israel faceret *Num.* XV, 38, 39.
quatuor fimbrias in quatuor angulis pal-
liorum, in quibus fimbriis ponerent vittas
hyacinthinas : quas quum intuerentur, me-
mores essent præceptorum Domini. Ea-
dem itaque ratione qua Pharisæi dilatabant
phylacteria, fecerunt et fimbrias majores :
C in quibus, secundum Hieronymum, posu-
erunt acutissimas spinas, quatenus inter-
dum ambulantes pungerentur, sicque com-
monerentur ad Dei obsequia.

Amant autem primos recubitus, hoc est 6
superiora loca vel sessiones, *in cœnis,* et
etiam prandiis : primo, ex gulositate, quo-
niam ibi ponuntur fercula pinguiora ; se-
cundo, ex elatione, quum sint loca ho-
norabiliora ; *et primas cathedras,* hoc est
eminentiores sedes, *in synagogis, et salu-* 7
tationes in foro, hoc est salutationes so-
D lennes, alta voce et capitis inclinatione
reverenter et publice factas, *et vocari ab
hominibus Rabbi,* hoc est magistri.

Vos autem nolite vocari Rabbi, id est, 8
non affectetis nomen magistri, propter no-
men vel dignitatem, quum hoc sit quæ-
dam pompa ac vanitas. Licet tamen appe-
tere scientiam, nomen et auctoritatem, ut
officium efficacius exerceatur, et doctrina
ab aliis sollicitius ac fructuosius recipia-
tur. Hinc enim Paulus appellat se docto- I *Tim.* II, 7.
rem gentium. Et Lucas in Actibus : Erant, *Act.* XIII, 1.

inquit, in Ecclesia Antiochiæ doctores. Ideo A
autem nolite vocari Rabbi : *unus est enim*
magister vester, Christus videlicet, qui ait
Joann. XIII, 13. apud Joannem : Vos vocatis me Magister
et Domine : et bene dicitis ; sum etenim.
Comparatione ergo Christi, omnes sumus
discipuli et ignari : idcirco nemo se debet
sapientem putare, vel de nomine magi-
stri inaniter exsultare. *Omnes autem vos*
fratres estis, ab eisdem protoplastis paren-
tibus secundum carnem propagati, et ab
eodem Creatore secundum spiritum con-
diti, æquales quoque in natura specifica, B
et filii Dei adoptivi per gratiam. Propter
Malach. II, 10. quod scriptum est in Malachia : Numquid
non pater unus omnium nostrum ? Num-
quid non Deus unus creavit nos ?
9 *Et patrem nolite vobis vocare super ter-*
ram, loquendo de patre principali, de quo
subditur : *unus est enim Pater vester, qui*
in cœlis est, scilicet Deus Trinitas, cui in-
cessabiliter acclamamus : Pater noster qui
es in cœlis. Qui dicitur pater ratione cre-
ationis, gubernationis, instructionis, ad-
optionis, et glorificationis. Possumus ergo C
patrem carnalem et spiritualem vocare in
terra, tanquam patres secundarios ratio-
nem paternitatis a Deo participantes, de
Ephes. III, 14, 15. quo ait Apostolus : Deus et Pater Domini
nostri Jesu Christi, ex quo omnis pater-
10 nitas in cœlo et in terra nominatur. *Nec*
vocemini magistri, gloriando de nomine,
vel quasi interius operantes ac instruen-
tes, vel quasi de proprio aliquid sapientiæ
possidentes, aut aliis communicantes. Jux-
ta hunc modum scriptum est in Jacobo :
Jacob. III, 1. Nolite plures magistri fieri, fratres mei, D
scientes quoniam gravius judicium accipi-
etis. *Quia magister vester unus est, Christus,*
Eccli. I, 5. de quo scriptum est in Ecclesiastico : Fons
sapientiæ verbum Dei in excelsis. Chri-
stus autem secundum naturam divinam,
est magister primus, principalis et incom-
parabilis, intus illuminans, scientiamque
creando infundens, sine cujus magisterio
frustra laborat doctor seu prædicator ex-
terius. Christus autem secundum humanam
suam naturam, est magister instrumenta-

liter per excellentiam, de cujus plenitu- *Joann.* I, 16.
dine omnes accepimus.

Porro, secundum Hieronymum, sicut so-
lus Creator vocatur Deus et Dominus per
essentiam et universalem providentiam,
alii autem vocantur dii et domini per par-
ticipationem : sic solus Deus est pater
omnium per se ipsum, et solus Christus
magister noster ; alii autem per partici-
pationem patres atque magistri vocantur.

Qui major est vestrum, erit minister 11
vester. Hoc supra tractatum et explanatum *Matth.* XX, 26.
est plenius. *Qui autem se exaltaverit* per 12
superbiam, *humiliabitur,* id est, deprime-
tur a Deo per justitiam ; *et qui se humi-*
liaverit per humilitatem, *exaltabitur* a Deo
per gloriam. De quo superius introducta
sunt multa. Quod autem Deo sit propri-
um omnes superbos humiliare, constat ex
eo quod ait ad Job : Si habes brachium *Job* XL, 4, 6-8.
sicut Deus, et simili voce tonas, disperge
superbos in furore tuo, et respiciens om-
nem arrogantem humilia; respice cunctos
superbos, et confunde eos, absconde eos
in pulvere simul, et facies eorum demer-
ge in foveam. Unde per Prophetam loqui-
tur Deus : Visitabo, inquiens, super om- *Soph.* I, 9.
nem qui arroganter ingreditur.

Væ autem vobis, Scribæ et Pharisæi 13
hypocritæ. Quemadmodum in veteri Te-
stamento, in Deuteronomio legislator Ju- *Deut.* XXVIII, 1-13.
dæorum ponit benedictiones observantium
legem, et maledictiones transgredientium *Ibid.* 15-68.
eam ; ita in Evangelio legislator Christia-
norum ponit benedictiones justorum præ-
cepta servantium, et maledictiones impio-
rum simulantium sanctitatem. *Væ autem,*
hoc est æterna damnatio. Sic enim accipi
solet Væ in divinis Scripturis communi-
ter : non tamen semper, quum Jeremiam
et Baruch dixisse legatur, Væ mihi mise- *Jer.* XV, 10; XLV, 3.
ro, quia Dominus addidit dolorem dolori
meo ; et Michæas ait, Væ mihi, quia factus *Mich.* VII, 1.
sum sicut qui colligit in autumno race-
mos vindemiæ. Nunc autem accipitur Væ
pro pœna æterna, quæ non debetur nisi
culpæ mortali. Væ ergo debetur et immi-
net *vobis,* o *Scribæ et Pharisæi hypocri-*

tæ, quorum simulata sanctitas est duplex
iniquitas ; *qui clauditis regnum cœlorum*
ante homines, hoc est, ab ingressu patriæ,
a consecutione felicitatis æternæ homines
II *Tim.* III, 13. impeditis, errantes et in errorem mitten-
tes. *Vos enim non intratis* regnum cœlo-
rum, adspirando ad illud, et bene agendo,
eique quotidie per merita appropinquan-
do, *nec introeuntes,* id est innocentes et
simplices bene viventes, *sinitis intrare,*
quia falsa doctrina et pravis exemplis per-
vertitis eos. — Potest quoque particularius
exponi hoc modo : *Qui clauditis regnum*
Joann. x, 9. *cœlorum,* hoc est, Christum, qui est os-
tium vitæ æternæ, hominibus occultatis,
ejus notitiam quam aliquando habuistis,
aliis non aperiendo. *Vos enim non intra-*
tis, credendo in Christum, *nec introeuntes*
sinitis intrare, hoc est, turbam bene de
Christo sentientem seducitis. Ecce quan-
tum nocet fallax magister, impiusque præ-
Eccli. x, 2. latus. Qualis enim est rector civitatis, ta-
les et habitantes in ea. Tales sunt omnes
qui alios suo corrumpunt exemplo, aut
fallaci inficiunt documento.
14 *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocri-*
Job XXXVI, 13. *tæ,* callidi, provocantes iram Dei, *quia*
comeditis domos viduarum, hoc est, bona
contenta in domibus viduarum consumi-
tis, *orationes longas,* id est prolixas et
diuturnas, non ferventes et sententiosas,
orantes. Ideo enim diu stabant in oratio-
ne, ut mulieres, præcipue viduas, quæ ad
dandum sunt liberæ magis quam marita-
tæ, sibi allicerent, et reputarentur devoti
ab eis, sicque darent eis de suis faculta-
tibus copiam. *Propter hoc* quod mulieres
illas virorum solatio destitutas sic fallitis
ac spoliatis, *amplius judicium,* hoc est
graviorem damnationem, *accipietis.*
15 *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocri-*
tæ, qui circuitis mare et aridam, id est,
diversa loca gentilium juxta mare vel ali-
bi sita, percurritis, *ut faciatis unum pro-*
selytum ad minus, vel plures, si potestis,
id est, aliquem gentilem de paganismo
convertatis ad Judaismum, quasi habentes
zelum animarum et divini honoris æmu-
A lationem. Quemadmodum autem in nova
lege vocatur neophytus, qui de gentili seu
perfido statu recenter Christianus effici-
tur ; sic olim in veteri lege dicebantur
proselyti, qui gentilitate relicta, ritum et
legem Judæorum de novo acceperant. *Et*
quum fuerit factus proselytus, *facitis eum*
filium gehennæ, id est obnoxium pœnæ
æternæ (dicitur autem homo filius gehen-
næ, quasi ad eam pertinens, sicut vocatur
filius perditionis seu inconstantiæ), *duplo* *Joann.* XVII, 12.
quam vos : id est, vestris peccatis in tan-
B tum scandalizatis eum, quod ad gentili-
tatem revertitur, et sic de apostasia, infi-
delitate et prava conversatione gravissime
condemnatur, et magis quam vos.
Væ vobis, duces cæci, id est, doctores et 16
prælati obtenebrati peccatis et ignorantia,
qui dicitis : Quicumque juraverit per tem-
plum, nihil est, id est, solvere non tene-
tur, et si pejeret, non erit criminis reus ;
qui autem juraverit in auro templi, id est
per aurum quo templum ornatur, vel sa-
cerdotibus in templo offertur, *debet,* id est,
C solvere obligatur, et si pejeret, reus erit
facinoris. Hoc dicebant subdoli cupidissi-
mique magistri, ut inducerentur homines
ad oblationes majores, eo quod tanta esset
sanctificatio et appretiatio auri contenti si-
ve oblati in templo : quam stultissimam
assertionem reprobat Christus. *Stulti,* pro- 17
pter ignorantiam divinorum, *et cæci,* pro-
pter caliginem cupiditatis et vitiorum ex
ea nascentium. Et merito dixi vos stultos
cæcosque : *quid enim majus est,* id est
dignius et sanctius, *aurum, an templum*
D *quod sanctificat aurum ?* tanquam dicat :
Templum utique sanctius est auro, quia
sanctificat aurum, quod nullo modo est
sanctum, nec ob id quod in templo ad Dei
honorem repositum est. Nam propter quod
unumquodque tale, et illud magis. Deni-
que res inanimata et corporalis, ut tem-
plum et aurum, non est sancta formaliter,
sed in quantum ordinatur ad aliud san-
ctum, videlicet ad Dei honorem et cultum :
ad quem templum magis directe ordinatur
quam aurum ; aurum vero ordinatur ad

templi decorem, seu ministrorum templi
sustentationem. Ideo jurare per templum
fortius obligat, quam jurare per aurum
templi.
18 Qui insuper dicitis : *Et quicumque ju-
raverit in altari, id est per altare, *nihil
est,* id est, non obligatur, nec pejerando
reus efficitur; *quicumque autem juraverit
in dono,* id est per hostiam seu sacrifici-
um, *quod est super illud,* id est, in altari
offertur, *debet* implere quod jurat, et si
non fecerit, erit perjurii reus. Hoc quoque
dixerunt ex avaritia, ut persuaderent ho-
minibus maximam esse sacrificii dignita-
tem ac sanctitatem, sicque copiosius im-
19 molarent. *Cæci, quid enim majus,* id est
præstantius et sanctius *est, donum, an al-
tare quod sanctificat* materialiter *donum*
in altari oblatum, id est, facit illud acce-
ptabile Deo, et rite ad Dei honorem ac glo-
riam ordinatum ? Non enim licuit templo
stante fieri sacrificium nisi in altari, nisi
III *Reg.* xviii, 20, 30-38. ex dispensatione divina, sicut Elias obtulit
bovem in monte Carmeli. Dignius est igi-
tur altare quam donum, et ideo juramen-
tum factum super altare fortius est eo
quod fit per donum. Cujus aliam rationem
assignat :
20 *Qui ergo jurat in altari,* id est per alta-
re, *jurat in eo, et in omnibus quæ super
illud sunt,* id est per dona, vasa et sacri-
ficia : et sic juramentum per altare, inclu-
21 dit juramentum factum per donum. *Et
quicumque juraverit in templo,* id est per
templum, *jurat in illo, et in eo qui habi-
tat in ipso,* id est per Deum, qui in tem-
plo specialiter esse et habitare asseritur.
Ps. x, 5. Dominus enim in templo sancto suo tan-
quam in propria domo, ubi singulariter
operatur, orantes exaudiendo, et alia gra-
22 tiæ opera exercendo. *Et qui jurat in cœlo,*
id est per cœlum, *jurat in throno Dei :*
quoniam cœlum vocatur thronus vel sedes
Act. vii, 49. Dei, juxta illud, Cœlum mihi sedes est. De
Apoc. iii, 21. quo ait Unigenitus Dei in Apocalypsi : Qui
vicerit, dabo ei sedere mecum in throno
meo, sicut et ego vici et sedi cum Patre
meo in throno ejus. Vel, thronus Dei, in-

A telligi potest res contenta in cœlo, seu spa-
tium orbis cœlestis, præsertim cœli empy-
rei. Hinc enim ait Psalmista : Dominus in *Ps.* x, 5.
cœlo sedes ejus; et : Dominus in cœlo pa- *Ps.* cii, 19.
ravit sedem suam. *Et in eo qui sedet su-
per eum,* id est per Deum sedentem seu
regnantem in throno cœlesti : in quo se-
det, non localiter, secundum propriam na-
turam, aut circumscriptibiliter, sed effica-
citer, se ipsum ibi facie tenus ostendendo
atque excellentissime operando. Quomodo
autem licitum sit jurare per donum sive
B per creaturas, et quo sensu intelligendum
sit juramentum factum per creaturas, di- *Matth.* v, 36.
ctum est supra.
Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocri- 23
tæ, qui decimatis, vel decimam partem
summo sacerdoti offerendo, vel decimam
partem ab aliis accipiendo de rebus et fru-
ctibus quæ subduntur, *mentam et ane-
thum et cyminum,* atque similia minima ;
et reliquistis, id est, non observastis obe-
diendo, *quæ graviora sunt legis,* id est
præcepta difficiliora et ad salutem plus
C necessaria, utpote : *judicium,* quia non
juste judicatis subjectos, *et misericordi-
am;* quam egenis non exhibetis, *et fidem,*
quam non offertis Deo, credendo in unico
Filio ejus. Qui enim non credit in Filium, I *Joann.* v, 10.
mendacem facit Patrem, quia non credit
in testimonium quod testificatus est Pater
de Filio suo.
Scribarum et Pharisæorum aliqui erant
sacerdotes, et aliqui populares, secundum
Chrysostomum. Sacerdotes vero acceperunt
a populo decimas, et decimarum istarum
D decimas solvebant principi sacerdotum, ut
legitur in libro Numerorum. Populares ve- *Num.* xviii, 26-32.
ro non acceperunt decimas, sed solverunt.
Idcirco, quod dictum est, Qui decimatis
mentam et anethum, etc., quantum ad
Scribas ac Pharisæos, sacerdotes et templi
ministros, intelligi potest dupliciter. Nam,
ut justiores viderentur, solverunt de mi-
nimis rebus decimas principi sacerdotum,
ut putarentur a populo majora omnia ad-
implere, qui tam modica sollicite custodi-
erunt, in quo patet eorum superbia ; et

item, ut suo exemplo inducerent populum A
ad solvendum diligenter decimas omnium
rerum, quamvis minimarum, in quo patet
eorum cupiditas. Decimas quoque requirebant a populo de omnibus jam prædictis, ex avaritia : et si quis eis non solveret
decimas, reprehenderunt eum gravissime
quasi de grandi excessu, quum tamen non
reprehenderent populum de gravioribus
vitiis, scilicet de omissione judicii, pietatis
ac fidei : quæ Deus præcipue requirit ab
omnibus, juxta illud Michææ prophetæ :
Mich. vi, 8. Indicabo tibi, homo, quid sit bonum, aut B
quid Deus requirat a te : utique facere
judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo. Porro Scribæ et Pharisæi populares solum decimaverunt prædicta in persolvendo : et hoc, ex
vanitate, sicut de aliis dictum est. Tales,
proh dolor ! jam pene innumerabiles sunt
in Ecclesia Christi pastores et prælati, qui
decimas et cetera quæ ad eorum commodum pertinent, cum omni diligentia exigunt, et non dantes vel differentes increpant dure, non tam divino quam privato C
amore inducti ; si vero subditi peccent in
Deum, vel se invicem lædant, aliisque diversis implicentur peccatis, nil curant, vel
Philipp. ii, 21. parum. Tales quæ sua sunt quærunt, non
quæ Jesu Christi.

Hæc majora *oportet facere* prius ac diligentius, quia sine eorum observantia nil
prosunt minora, *et illa* minora, videlicet
solutiones decimarum de minimis rebus,
non omittere. Hoc addit Salvator, ne videatur contrarius legi, secundum quam decimata sunt minima. Non enim redarguit D
eos, quia minima decimaverunt, sed quia
cum inordinato affectu, et cum utiliorum
negligentia hoc fecerunt. Ideo subditur :
24 *Duces cæci,* id est, rectores spiritualiter
excæcati, *et colantes culicem,* hoc est, minima quæque diligenter trutinantes, considerantes et observantes, *camelum autem
glutientes,* id est, majora dissimulantes.
O quam multi sunt hodie tales, qui parum
ponderanda multum ponderant, et multum
ponderanda parum attendunt !

*Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocri- 25
tæ, qui mundatis quod deforis est calicis
et paropsidis,* id est, vasa cibi ac potus et
alia utensilia diligenter purgatis, quasi in
signum interioris vestræ munditiæ. Hoc
fecerunt præcipue, quando ingressuri fuerant templum et ministraturi in eo. *Intus
autem pleni estis rapina,* quia hominibus,
maxime viduis et innocentibus, propria
abstulistis cum simulationibus vestris, *et
immunditia* vitiorum, potius cupientes coram hominibus quam coram Deo puri apparere. *Pharisæe cæce, munda* per pœ- 26
nitentiam *prius quod intus est calicis et
paropsidis,* id est interiora animæ, quæ
designantur per interiora calicis et catini :
anima namque esse debet vas gratiæ, quam
oportet a passionibus et peccatis mundare ; *ut fiat et id quod deforis est,* id est
opus exterius, *mundum,* non simulatione
aut prava intentione effectum. Nempe, si
laboremus interiorem puritatem sortiri, incrementa gratiæ adipisci, Deo conscientiam puram atque tranquillam mentem offerre, consequenter omnia exteriora nostra
morum probitate ornantur, et interna sinceritas in exterioribus tanquam in suo effectu refulget. Si vero conamur solam exteriorem apparentiam ostentare, nec intus
nec foris mundi sumus, sed penitus sordidi.

Consequenter declarat istorum hypocrisim per exemplum. *Væ vobis, Scribæ et* 27
Pharisæi hypocritæ, qui similes estis sepulcris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, tanquam lævigata calce,
et ornata marmoribus ac picturis, auro
coloribusque distincta ; *intus vero plena
sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia,* scilicet putredine, sanie, vermibus.
Quum enim morietur homo, hereditabit *Eccli.* x, 13.
serpentes, et bestias, et vermes, ut dicitur
in Ecclesiastico. *Sic et vos a foris quidem,* 28
id est extrinsecus, *paretis hominibus justi,* propter fictam morum gravitatem, vestimentorum religiositatem, et minimarum
traditionum observantiam ; *intus autem* in
anima, *pleni estis hypocrisi et iniquitate.*

Facilioribus locis immorandum non arbi-
tror, nisi hortando. Et hoc hic commemo-
randum est, ut unusquisque hæc legens
vel audiens, penset solerter, anne similis
sit his infelicissimis Scribis ac Pharisæis,
quia non solum propter illorum incorrigi-
bilium increpationem, sed ob nostram in-
formationem, locutus est Christus hæc om-
nia. His quoque concordat, quod in Luca
fertur Salvatorem dixisse Scribis ac Phari-
Luc. XVI, 15. sæis : Vos estis qui justificatis vos coram
hominibus ; Deus autem novit corda ve-
stra, quia quod altum est hominibus, abo-
minatio est ante Deum.

29 *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocri-
tæ, qui ædificatis* curiose ac sumptuose
sepulcra Prophetarum innocenter occiso-
30 rum, *et ornatis monumenta justorum, et
dicitis : Si fuissemus in diebus patrum
nostrorum,* qui occiderunt Prophetas, *non
essemus,* nec fuissemus, *socii eorum in
sanguine,* id est in effusione sanguinis,
Prophetarum. Non ideo dicit eis, Væ, quia
sepulcra Sanctorum construxerunt et or-
naverunt, sed propter prædicta et mala
eorum futura, et quia mendaciter dixe-
runt : Si fuissemus in diebus patrum no-
strorum, non essemus socii eorum in san-
guine Prophetarum. Imo, si tunc fuissent,
persecuti fuissent Prophetas vitia eorum
increpantes, quemadmodum persecuti sunt
31 Christum et ejus discipulos. *Itaque testi-
monio estis vobismetipsis,* id est, propriis
verbis hoc ipsum de vobis testamini, *quia
filii* per carnis propagationem *estis eorum
qui Prophetas occiderunt :* nam dicitis, Si
fuissemus in diebus patrum nostrorum.

32 *Et vos implete mensuram,* hoc est pon-
dus seu modum iniquitatis, *patrum ve-
strorum,* quorum filii estis, non solum
per naturalem generationem, sed insuper
per morum et criminum imitationem. Ita-
que, Implete mensuram illorum, supplen-
do quod illis restabat ac defuit, ut sicut
illi occiderunt Prophetas, sic vos Christum
Dominum Prophetarum et ejus discipulos,
33 sicque excedetis mensuram illorum. *Ser-
pentes,* id est, invidiosi, pungitivi et calli-
A di, aliorumque infectivi, *genimina vipera-
rum,* hoc est, filii serpentinorum patrum,
quomodo fugietis a judicio gehennæ, id
est a sententia damnationis deputante ad
tormenta gehennæ, qua dicetur, Ite, male- *Matth.* XXV, 41.
dicti, in ignem æternum? Hoc est quod
supra ait Joannes Baptista : Progenies vi- *Ibid.* III, 7.
perarum, quis demonstravit vobis fugere
a ventura ira? Denique, quod ait, Implete
mensuram patrum vestrorum, non dicit
hortando aut appetendo, sed quid futurum
sit prænuntiando, ut sit sensus : Implete,
B id est implebitis; ideo utpote, ut impleatis
mensuram patrum vestrorum; sed tunc,
Ut, notat sequelam, non causalitatem; vel
ideo, ut [non] possitis fugere a judicio
gehennæ.

Ecce ego mitto, et statim post resur- 34
rectionem meam evidentius et copiosius
mittam, *ad vos Prophetas,* habentes sci-
entiam futurorum pure contingentium :
quales fuerunt omnes Apostoli, præsertim
Joannes in Apocalypsi; *et sapientes* in co-
gnitione divinorum : quales item fuerunt
C omnes Apostoli primitias Spiritus haben- *Rom.* VIII, 23.
tes, quibus Christus promisit, Quum ve-
nerit ille Spiritus veritatis, docebit vos *Joann.* XVI, 13.
omnem veritatem; et maxime Paulus ad
tertium cœlum raptus, et Deum æternum *II Cor.* XII, 2.
per speciem contemplatus; *et Scribas* in
lege peritos, quales fuerunt Nathanael, Ste-
phanus, Paulus quoque a Gamaliele in- *Act.* XXII, 3.
structus. *Et ex illis occidetis, et crucifi-
getis, et ex illis flagellabitis* quosdam *in
synagogis vestris.* Hoc partim in Actibus
Apostolorum legitur adimpletum. *Et per-
D sequemini de civitate in civitatem.* Unde
in Actibus habetur, quod die qua lapidatus *Ibid.* VIII, 1.
est Stephanus, facta est persecutio magna
in Ecclesia quæ erat Jerosolymis, et omnes
dispersi sunt, præter Apostolos.

Ut. Ista vox, Ut, tenetur hic concomi- 35
tanter, non causaliter. Ut *veniat super vos,*
id est, vobis seu vestræ generationi per-
versæ imputetur, *omnis sanguis justus,*
hoc est peccatum effusionis totius sangui-
nis innocentis, et ultionem sustineatis pro
effusione sanguinis hujus, *qui effusus est*

super terram, a sanguine Abel justi in- A
Gen. IV, 4. clusive, ad quem et ad cujus munera re-
Ibid. 8. spexit Deus : quem Cain peremit ; *usque*
ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ.
Secundum Origenem, iste Zacharias fuit
pater Joannis Baptistæ : quem asserit a Ju-
dæis occisum, eo quod diceret Mariam Ma-
trem Christi esse virginem, et Christi ge-
nitricem. Sed hoc reprobat Hieronymus,
dicens quod iste sit Zacharias filius Joiadæ
pontificis, quem Joas rex Juda jussit occi-
II Par. XXIV, 21, 22. di in templo, ut legitur in libris Paralipo-
menon. Dicitur autem filius Barachiæ ma- B
gis quam Joiadæ, ad commendandam patris
sui sanctitatem : nam Barachias interpre-
tatur, benedictus Domini. Dictum autem
Origenis apparentiam habet : primo, ex
hoc quod isti quos Christus alloquitur,
non occiderunt hunc Zachariam, quem
constat ante captivitatem Babylonicam fu-
isse lapidatum ; secundo, quoniam sicut
Christus nominavit justum primo omnium
interfectum, sic videtur quod nominavit
quemdam quasi ultimo interfectum, inter
hæc extrema medios comprehendens. Ad C
horum primum respondet Hieronymus,
quod Scriptura ponit duas generationes,
unam bonorum, aliamque malorum. De
Ps. XXIII, 6. prima ait Psalmista, Hæc est generatio
Ps. LXXVII, 8. quærentium Dominum ; de secunda, Gene-
ratio prava et exasperans. Sic ergo Salva-
tor nomine istorum quos affatur et expri-
mit, designat generationem malorum, in
qua continentur qui Zachariam occide-
runt : sicque subjungitur, *quem occidistis,*
id est, quem vestra generatio, cum qua
unum corpus perditionis efficitis, interfe- D
cit, *inter templum et altare* holocausto-
Exod. XL, 27. rum, quod fuit extra templum in atrio
ejus.

36 *Amen dico vobis, venient hæc omnia*
peccata, et mala pœnalia pro peccatis in-
fligenda, *super generationem istam* Judæ-
orum. Nam omnes reprobi sunt socii in
tormentis, et pœnam sibi invicem augent.

37 *Jerusalem, Jerusalem,* id est, plebs ur-
bem inhabitans. Bis ait, Jerusalem, ad insi-
nuandum suæ compassionis et dilectionis
affectum, et ad provocandam audientium
advertentiam. *Qui occidis Prophetas :* non Luc. XIII, 33.
enim capit perire Prophetam extra Jerusa-
lem ; *et lapidas,* id est, lapidibus obruis
et exstinguis, *eos qui ad te* instruendam
et convertendam, *missi sunt : quoties,* hoc
est frequenter, primo per Prophetas, dein-
de per me ipsum, postremo per Apostolos,
volui, quantum in me fuit, et voluntate
antecedente, *congregare,* hoc est spiritua-
liter adunare per fidem, caritatem et cul-
tum divinum, *filios tuos,* id est habitatores
et totam plebem Judaicam tibi quasi me-
tropoli subditam, propter quod filii tui vo-
cantur, *quemadmodum gallina congregat*
pullos suos sub alas, id est multum affe-
ctuose atque sollicite ? nam inter pennata
animalia videtur gallina præcipuam habe-
re curam et affectionem ad pullorum su-
orum nutritionem ac defensionem. Ideo
quoque ponit similitudinem gallinæ, quia
gallina est avis fructuosa, quieta, dome-
stica : sic Christus nobis fructuosissimus,
quietus, socialisque fuit, quando in terris Baruch III, 38.
visus est, et cum hominibus conversatus
est. *Et noluisti* congregari, sed repugnasti
mihi et famulis meis.

Ecce relinquetur vobis, id est ad vestram 38
punitionem et confusionem pro tantis pec-
catis, *domus vestra,* videlicet templum, *de-*
serta ab hominibus et sacrificiis, id est,
penitus destruetur. Quod fuit impletum a
Tito et Romanorum exercitu, quemadmo-
dum Daniel cecinit : Civitatem et sanctua- Dan. IX, 26, 27.
rium dissipabit populus cum duce venturo,
et usque ad finem perseverabit desolatio.
Potest quoque per domum intelligi habita-
tio seu multitudo domorum, et civitas ipsa
Jerusalem. Unde habetur in Psalmo : Fiat Ps. LXVIII, 26.
habitatio eorum deserta, et in tabernacu-
lis eorum non sit qui inhabitet. Hinc per
Jeremiam Christus testatur : Reliqui, in- Jer. XII, 7, 8.
quiens, domum meam, dimisi hereditatem
meam, facta est mihi hereditas mea quasi
leo in silva. — Spiritualiter, quando non
acquiescimus admonitionibus Dei, domus
nostra deseritur : quoniam anima, in qua Cf. Prov. XIV, 33; Sap. VII, 27.
sedes est sapientiæ, Spiritus Sancti inha-

I Cor. vi, 19. bitatione privatur; et corpora, quæ templum sunt Spiritus Sancti, igne libidinis concremantur, et vitiis destruuntur.

39 *Dico enim vobis, non me videbitis amodo,* id est ab hora hac, excepto tempore passionis. Sic enim in fine præcedentis capituli dictum est, Nemo ausus fuit ex illa die eum amplius interrogare : quum certum sit, quod in passione eum interrogaverunt. Vel, Amodo, id est ab hora mortis et sepulturæ, quæ proxima erat quando Christus hæc dixit. *Donec dicatis,* vel inviti, propter evidentiam rei : *Benedictus qui venit in nomine Domini :* quod erit in die judicii, quando videbunt in quem Zach. xii, 10; Joann. xix, 37;
compunxerunt, ut confiteantur quod Jesus sit Christus et judex mundi. Hoc et Christus in passione testatus est : Amodo, in- Apoc. i, 7. Matth. xxvi, 64.
quiens, videbitis Filium hominis venientem in nubibus cœli. Si autem exponatur de spirituali visu per fidem, tunc aliqui Judæorum post resurrectionem Christi conversi, contemplati sunt Jesum, dicentes : Benedictus qui venit in nomine Domini. In fineque sæculi omnes convertentur, et dicent hoc ipsum.

ARTICULUS XXXVIII

EXPLANATIO CAPITULI VICESIMI QUARTI : ET EGRESSUS JESUS DE TEMPLO.

POST præinducta de evangelicæ legis institutione, promulgatione et confirmatione, agitur de finali judicio, consummationeque sæculi. Et quia in fine præcedentis capituli dixit Salvator Judæis, relinquendam esse domum seu templum eorum, ideo, quod verbo asseruit, facto demonstrat, egrediendo ab illis. Per quod figuravit, quod ipsi divina defensione et gratiosa Dei præsentia essent mox destituendi, omnique honore legis, quem Deus eis exhibuit eo quod Christus nasciturus erat de eis, privandi, quemadmodum per
Osee ix, 15. Osee Dominus contestatur : Exosos, inquiens, habui eos propter malitiam adinventionum eorum; de domo mea ejiciam eos, non addam ut diligam eos. Hoc est ergo
1 quod dicitur : *Et egressus Jesus de templo,* feria tertia post Ramos palmarum, cum discipulis et comitiva credentium, *ibat,* exeundo Jerusalem, versus montem Oliveti, ad Bethaniam domumque Marthæ.

Et accesserunt discipuli ejus ad eum, *ut ostenderent ei ædificationem templi,* id est pretiosam materiam et ornatam formam seu pulchritudinem templi Jerusalem. Unde apud Lucam dixerunt, quod de bonis Luc. xxi, 5.
lapidibus et donis ornatum esset. Et in Marco : Magister, aiunt, adspice quales la- Marc. xiii, 1.
pides, et quales structuræ. Verumtamen in Marco scribitur unus discipulus Christo Ibidem.
hæc ostendisse atque dixisse; hic vero habetur, quod plures discipuli hoc fecerunt. Sed non est contradictio, quia et numerus minor non excludit majorem, et major includit minorem. Et communiter dicitur aliqua communitas facere vel pati quod pars ejus agit vel patitur.

Quæritur, cur discipuli ostenderunt Christo ædificium templi, quod noverant frequênter consideratum et agnitum Christo. Dicendum quod ideo, ut flecterent eum ad misericordiam, ne scilicet templum relinqueretur, prout paulo ante asseruit. Et Matth. xxiii, 38.
quia discipuli rudes erant, carnalem et rudem causam miserendi tetigerunt, ostendendo pretiositatem templi, quasi propter corporalia illa templi ornamenta, præservandum esset ipsum templum a destructione, et quasi Deus talia ponderaret. Vel ideo ostenderunt ei templum, ut occulte insinuarent quam difficile vel impossibile es-

set ipsum templum destrui, præsertim pro- A
pter civitatis firmitatem. Ideo respondit
Salvator :
2 *Videtis hæc omnia* ædificia, formositatemque templi? tanquam dicat : Pretiositas et venustas templi non proderunt ei. *Amen dico vobis, non relinquetur hic,* id est in templo, *lapis super lapidem qui non destruatur,* hoc est, a sua junctura dissipetur et dispergatur. Romani enim templum totaliter combusserunt. Forte tamen lapides fundamenti manserunt conjuncti. Hoc idem prædixit Christus in die Pal- B
Luc. XIX, 41, 43, 44. marum, quando accedens et videns civitatem, flevit super eam, dicens : Quia circumdabunt te inimici tui undique, et non relinquent in te lapidem super lapidem.
3 *Sedente autem eo super montem Oliveti,* unde templum et civitas manifestissime adspiciuntur, *accesserunt ad eum discipu-*
Marc. XIII, 3. *li,* scilicet Petrus, Jacobus, Joannes et Andreas, ut Marcus refert, *secreto,* tanquam familiares, et quia rem magnam sciscitaturi erant, et quia noverunt magistrum C
suum talia secreta non omnibus revelare;
Luc. VIII, 10. *dicentes : Dic nobis,* quibus datum est nosse mysterium regni Dei, *quando hæc erunt,* id est, quo tempore verba tua de relictione et destructione templi implebuntur? *et quod signum adventus tui* ad finale judicium? quod etiam signum *et consummationis sæculi,* hoc est finis mundi, seu præsentis status mundi sensibilis? qui tunc consummandus est, finiendusque dicitur, quando generationes et corruptiones, motusque cœlestes cessabunt, et mix- D
ta omnia præter hominem corrumpentur. Tria ergo sciscitabantur discipuli : primum, quando templum periret; secundo, de signo secundi adventus; tertio, de signo consummationis sæculi. Sed duo hæc rediguntur ad unum : nam dies judicii finisque sæculi simul erunt, et per eadem signa prænoscentur.
4 *Et respondens Jesus, dixit eis : Videte ne quis vos seducat.* Non respondet aperte vel determinate ad interrogata, sed utiliter præmonet suos ut sint parati, cauti ac timorati.

Porro quæ subsequuntur difficultatibus plena sunt. Non enim certum est, an pertineant ad diem judicii consummationemque sæculi, vel ad destructionem templi atque Jerusalem. Unde quidam expositores referunt signa sequentia ad vastationem templi, alii ad finem sæculi; alii referunt quædam ad illam, et quædam ad istum. Verumtamen evangelica auctoritate compellimur magnam partem sequentium referre ad templi destructionem, quoniam in Luca, ubi discipuli nil interrogasse leguntur, nisi de signo et tempore destru-
ctionis templi, dicentes, Præceptor, quan- *Luc.* XXI, 7.
do hæc erunt, et quod signum quum hæc
fieri incipient? Christus respondit eadem *Ibid.* 8 *et seq.*
verba quæ in præsenti loco respondisse narratur. Quæ tamen utique ad futurum judicium possunt referri.

Subditur ergo : *Multi enim venient in* 5
nomine meo, id est nomen meum sibi adscribendo : non tamen venient in nomine
meo sicut ego veni in nomine Patris mei, *Joann.* V, 43.
et quo modo veri Christiani operantur et veniunt in nomine meo; *dicentes* singuli : *Ego sum Christus.* Tales quidam venerunt in Judæa ante destructionem Jerusalem, quorum unus fuit Simon magus, de quo
dixerunt Samaritani, Hic est virtus Dei *Act.* VIII, 10.
quæ dicitur magna, ut in Actibus habetur. Qui Simon, ut refert Hieronymus, reliquit in suis codicibus scriptum : Ego sum sermo Dei, ego sum speciosus, ego sum paracletus, ego sum omnipotens, ego omnia Dei. Fuit quoque alius, ut recitat Josephus, nomine Simon, Essæus, dicens se Christum, et spondens se liberaturum Judæos a tributo Romanorum. Tales etiam ante finem mundi venturi creduntur. *Et seducent multos.* Nam et Simoni mago at-
tenderunt omnes Samaritani a minori us- *Ibidem.*
que ad majorem, ut Lucas testatur. Alloquitur autem Christus universos fideles sub Apostolorum persona, secundum quod
alibi ait : Quod vobis dico, omnibus dico. *Marc.* XIII, 37.

Consequenter ponit Salvator signa quæ-

dam in particulari, quæ Gregorius exponit
quantum ad secundum Christi adventum.
Alii referunt ea ad templi et Jerusalem
6 dejectionem. *Audituri enim estis prælia*
præsentia, *et opiniones præliorum* immi-
nentium seu futurorum, id est, percipi-
etis de bellis præsentibus, et rumorem de
bellis futuris. *Videte ne turbemini,* id est,
Prov. XII, 21. inordinato pavore concutiamini. Non enim
contristabit justum quidquid ei accide-
Ibid. XXVIII, 1. rit ; et, Justus quasi leo confidens, absque
Ps. XXVI, 3. terrore erit. Ideo dicit Psalmista : Si con-
sistant adversum me castra, non timebit
cor meum ; si exsurgat adversum me præ-
lium, etc. Viri quippe perfecti insurgen-
tibus maximis adversitatibus et tribulatio-
nibus, non turbantur, certi de misericordia
Act. XIV, 21. et auxilio Dei, quia per multas tribula-
tiones oportet nos ingredi regnum cœlo-
rum. *Oportet enim hæc fieri,* necessitate
conditionata et consequentiæ, tanquam a
Deo prævisa et prænuntiata : quæ tamen
in se contingentia sunt ; *sed nondum est*
finis, id est, his auditis seu factis, nec-
dum adest destructio templi, vel consum-
matio sæculi, vel finis tribulationum, imo
graviores sequentur. Ideo subditur :
7 *Surget gens contra gentem,* id est, una
contra aliam præliabitur. Per gentes au-
tem designantur minores provinciæ. *Et*
regnum in regnum, id est, reges cum suis
contra se dimicabunt. Per regnum ergo
intelliguntur majores provinciæ. *Et erunt*
pestilentiæ, et fames, et terræ motus per
loca. De fame legitur in Actibus Aposto-
Ibid. XI, 28. lorum, quomodo Agabus propheta præ-
dixit de fame quæ facta est Claudio im-
perante. De terræ motu non legitur in
Scriptura canonica, quantum ad præsen-
tem materiam, nisi quod Christo pendente
Matth. XXVII, 51. in ligno, terra mota est, in tantum quod
petræ scissæ sunt. *Hæc omnia* mala pœ-
8 nalia, *initia sunt dolorum,* id est inchoa-
tiones quædam tribulationum quæ erunt
in die destructionis templi, quando gra-
vissima fuit Judæorum afflictio, vel quæ
erunt tempore Antichristi, et circa diem
vel in die judicii.

A Denique, quomodo omnia præinducta
applicari possint populo Judæorum ante
destructionem Jerusalem, partim innote-
scit ex historiis Josephi. Recitat namque,
quemadmodum post crucifixionem Jesu
Nazareni, Judæi pugnaverunt contra se ip-
sos, et contra Samaritanos, et tandem se
opposuerunt Romanis ; item, quod immi-
nente destructione Jerusalem, currus, equi-
tesque armati et acies apparuerunt in aere
præliantes, et vitula inter manus immo-
lantium peperit agnum, stella quoque ha-
B bens formam gladii, pependit per annum
super Jerusalem : per quod aliqui asse-
rebant figurari divinam ultionem populo
imminentem ; alii, divinam protectionem.
Sed quum omnia præmemorata, videli-
cet prælia, seditiones, pestilentiæ, fames,
terræ motus, naturaliter fiant et sæpius
accidant, quomodo possunt esse signa fu-
turorum ? Imo, quomodo possunt esse si-
gna, quum, secundum Gregorium, ea quæ
ordinate veniunt, signa non sint ? Re-
spondet Gregorius, quod loquitur de his
C quæ ordinem temporum non observant.
Alii dicunt, quod hæc omnia multo abun-
dantius fuerunt, imminente destructione
Jerusalem, et adhuc abundantius erunt im-
minente fine mundi : et ita sunt signa.
Ex his infert Augustinus, et etiam Tho-
mas, vanam esse calculationem eorum qui
ex eventu prædictarum tribulationum et
persecutionis fidelium (de qua immediate
subjungitur) argumentantur, et prophetant
de propinquitate adventus Antichristi, con-
summationisque sæculi : primo, quia hæc
D signa referri possunt ad vastitatem Jeru-
salem ; secundo, quia si referantur ad se-
cundum Christi adventum, tamen frequen-
ter contigerunt et facta sunt, et licet tunc
abundantius fient quam ante, tamen quan-
titas hujus abundationis non est deter-
minata, nec certa. Per hoc quoque quod
Christus Dominus noster, in Actibus ait
sanctis Apostolis, Non est vestrum scire *Act.* I, 7.
tempora vel momenta quæ Pater posuit
in sua potestate, satis repressit audaciam
talium.

9 *Tunc tradent vos in tribulationem,* id est, persecutionibus vos exponent, *et occident vos. Et eritis odio omnibus gentibus.* In divo Luca evangelista habetur : Luc. xxi, 17. Eritis odio omnibus hominibus; et in Marco quoque evangelista narratur : Marc. xiii, 13. Eritis odio omnibus. Non ergo de solis gentilibus loquitur. Unde sensus est : Et eritis odio omnibus gentibus, tam Judæis, quam ceteris. Et dicit, Omnibus, propter multitudinem odientium eos : quamvis non omnes simpliciter oderint eos. Juxta quem sensum divus Apostolus : Philipp. ii, 21. Omnes, inquit, quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi. Vel est distributio pro generibus singulorum, et non pro singulis generum, quia de omni genere hominum aliqui eos oderunt. Sed videtur contrarium quod ait Apostolus : I Cor. x, 33. Ego per omnia omnibus placeo. Dicendum, quod idem Apostolus alibi profitetur : Galat. i, 10. Si hominibus placerem, Christi servus non essem. Ibi ergo de bonis, hic autem de malis hominibus loquitur. Eritis ergo odio omnibus hominibus, non propter vestram malitiam, sed *propter nomen meum,* id est propter me, et quia discipuli mei estis, meamque fidem et doctrinam tenetis ac prædicatis. Hoc et in nocte passionis Christus dixit Apostolis : Joann. xv, 19. Si (inquiens) de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, ideo odit vos mundus. Denique, licet odio haberi non sit desiderabile, tamen propter Christum odiri optabile est, non ut alii peccent, sed ut Christus honoretur, et quia hoc meritorium est, dummodo æquanimiter toleretur, dicente Salvatore : Luc. vi, 22; Matth. v, 11. Beati eritis quum oderint vos homines, et quum persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me. Palam est autem, quod omnis qui per justitiam oditur, propter Christum odio habeatur. Talis ergo gaudeat et exsultet, nec fatigetur adversis.

Præterea advertendum est, quod si hæc referantur ad personam Apostolorum discipulorumque Christi, oportet tam præcedentia quam subsequentia exponi pro tempore destructionem Jerusalem præcedente. Si vero sub nomine Apostolorum dicta intelligantur ad quoscumque fideles, referri possunt ad secundum adventum.

Et tunc scandalizabuntur multi. In primitiva Ecclesia, propter acerbitatem persecutionis multi ceciderunt a fide : quod multo copiosius fiet tempore Antichristi et circiter, juxta illud Apostoli : Spiritus I Tim. iv, 1. manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide. *Et invicem tradent,* hoc est, proximus proximum, propinquus propinquum tradet in mortem. Unde in Luca clarius scribitur : Trademini a parentibus, et fratribus, et Luc. xxi, 16. cognatis, et amicis; et morte afficient ex vobis. Itemque Marcus ait : Tradet frater Marc. xiii, 12. fratrem in mortem, et pater filium; et consurgent filii in parentes, et morte eos afficient. Hinc dixit Salvator : Venit hora, Joann. xvi, 2. ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. *Et odio habebunt invicem.* Nam inter fideles et infideles continuum odium est.

Et multi pseudoprophetæ surgent, videlicet hæresiarchæ : de quibus in prima 11 sua Canonica ait Joannes : Nunc Antichristi I Joann. ii, 18, 19. multi facti sunt; ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Et Paulus : Ego Act. xx, 29. scio, inquit, quia post discessum meum intrabunt in vos lupi graves, non parcentes gregi. Legitur etiam, quod ex illis octo Ibid. ii, 41; iv, 4. millibus Judæorum in Jerusalem primo conversis per Petri prædicationem, multi hæretici surrexerunt : quorum unus fuit (ut dicitur) Nicolaus Antiochenus, unus de septem diaconibus, dicens mulieres debere esse communes sicut et cetera bona, ut refert Thomas in Summa contra gentiles. *Et seducent multos :* de quibus scriptum est, Dominationem contemnunt, audaces, II Petr. ii, 10, 14. sibi placentes, pellicientes animas instabiles.

Et quoniam abundavit iniquitas persecutorum et seducentium, ac seductorum, 12 *refrigescet* a spirituali fervore *caritas multorum.* Abundantia enim peccati, mors est

caritatis, quoniam unum contrariorum de-
struit aliud. Hæc omnia circa finem sæ-
culi copiosius accident, prout B. Petrus
II *Petr.* III, 3, 4. habet : Venient, inquiens, in novissimis
diebus, illusores juxta proprias concupi-
scentias ambulantes, et dicentes, Ubi est
13 promissio aut adventus ejus? *Qui autem*
perseveraverit, in fide et caritate, *usque*
in finem vitæ suæ inclusive, *hic salvus*
erit. Sola enim perseverantia coronatur ;
II *Tim.* II, 5. et non coronatur, nisi legitime certans.
Motus quoque specificatur ac denomina-
Joann. x, 3, 4, 27. tur a termino ad quem. Hæc est vox quam
non audiunt nisi oves.
14 *Et prædicabitur hoc Evangelium regni,*
hoc est evangelica doctrina annuntians
regnum cœleste, et introducens suos ob-
servatores ad illud, *in universo orbe,* id
est in toto mundo, quantum ad principa-
les mundi partes, *in testimonium omnibus*
gentibus, hoc est, ad hoc ut prædicatores
Evangelii protestentur et dicant gentili-
bus fidem esse adhibendam Evangelio ;
vel, In testimonium omnibus gentibus, hoc
est in testimonium damnationis incredu-
lorum, ut nemo sit excusabilis, atque in
testimonium salvationis credentium. *Et*
tunc, id est hoc peracto, vel quando hoc
agetur, *veniet consummatio,* id est imple-
tio eorum quæ prædixi, videlicet destru-
ctio templi, vel terminus sæculi.

Prædicatio autem Evangelii per totum mundum, intelligi potest dupliciter : Primo, quantum ad conversionem quorumdam de omni genere hominum, seu quantum ad principalia climata. Et hoc modo facta est per totum mundum tempore Apostolorum, et ante destructionem Jerusalem a Romanis. Sic enim de Apostolis allegat
Ps. XVIII, 5; *Rom.* x, 18. Paulus illud Psalmistæ : In omnem terram exivit sonus eorum. Et Christus dixit
Act. I, 8. Apostolis : Eritis mihi testes in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum ter-
Marc. XVI, 15. *Matth.* XXVIII, 19. ræ. Et rursus : Prædicate (inquit) Evangelium omni creaturæ ; et, Euntes docete omnes gentes. Unde et Paulus ad Colos-
Coloss. I, 23; II *Thess* III, 1. senses ait : Ut sermo Dei clarificetur in vobis, sicut et in omni creatura quæ sub

A cœlo est. Secundo, intelligi potest prædicatio Evangelii in toto mundo simpliciter, quantum ad universorum conversionem, et idololatriæ atque sectarum errantium plenissimam eradicationem, exceptis paucissimis Antichristi ministris. Et hoc modo prædicatio Evangelii fiet circa finem sæculi, Antichristo destructo. Si ergo quod ait Salvator, Prædicabitur Evangelium regni in universo orbe, intelligatur primo modo ; tunc illud quod subditur, Et tunc veniet consummatio, intelligendum erit de
B destructione Jerusalem ; si vero secundo modo, sic intelligendum erit de consummatione sæculi. Denique S. Hieronymus ait hoc loco : Non puto aliquam gentem remansisse, quæ nomen Christi ignoret ; et quanquam non habuerit prædicatorem, tamen ex vicinis nationibus opinionem fidei non potest ignorare.

Quum ergo videritis abominationem 15
desolationis, id est idolum seu statuam *Dan.* IX, 27.
tristitiæ et desolationis effectivam ac si-
gnificativam (Judæi enim nomine abomi-
C nationis, intelligunt idolum), *quæ dicta,* id
est prænuntiata, *est a Daniele propheta,*
stantem in loco sancto, id est in templo.
Quod quidam exponunt de imagine Cæsaris quam collocavit Pilatus in templo; alii de statua Adriani imperatoris quam ipse in templo reædificato erexit. Quidam vero exponunt de Antichristo, qui secundum
Apostolum, in templo Dei sedebit, osten- II *Thess.* II, 4.
dens se tanquam sit Deus. *Qui legit* prophetiam illam, *intelligat* eam sapienter, sciatque eam esse impletam.

D Insuper quæ sequuntur usque ibi, Orate ut non fiat fuga vestra hieme, quidam exponunt pro tempore destructionis Jerusalem a Romanis, vel persecutionis illatæ Judæis ab Adriano Jerusalem reædificante, et omnes Judæos ab ea penitus repellente. Et quamvis littera valeat applicari ad hæc, tamen, quantum considerare
et capere possum, si ordinem textus Mar- *Marc.* XIII, 14-17.
ci, ubi hæc eadem continentur, diligenter pensemus, cogimur ea exponere pro tempore consummationis sæculi. Singu-

læ tamen expositiones breviter sunt tan-
gendæ.
16 *Tunc,* hoc est statua Adriani visa in loco
sancto, *qui in Judæa sunt,* hoc est Judæi
in terra illa habitantes, *fugiant ad mon-*
17 *tes,* ut ibi abscondantur; *et qui in tecto*
est, *non descendat tollere aliquid de domo*
18 *sua; et qui in agro* est, *non revertatur* in
domum suam, *tollere tunicam suam,* vel
aliud quodcumque. Hoc totum dicitur, ad
insinuandum quod Adrianus expelleret Ju-
dæos a Judæa, et maxime a civitate Jeru-
salem, ita quod nullus eorum poterat re-
gredi ad eam sine periculo mortis : sicque
melius erat eis perdere rem possessam
quam vitam. Et indiguerunt celeriter fu-
gere, propter districtissimum Adriani præ-
19 ceptum. Ideo subditur : *Væ autem præ-*
gnantibus et nutrientibus in diebus illis.
Mulieres enim prægnantes et nutrientes
infantulos, propter pondus et sarcinam
curamque infantium, expedite fugere ne-
queunt : ideo persecutionis tempore im-
minet eis periculum, etiam quoniam abor-
tivum vel desperationem sæpe incurrunt
solo timore imminentium adversitatum. —
Secundo sic : *Tunc,* id est circa impletio-
nem prophetiæ prædictæ, videlicet parum
ante destructionem Jerusalem factam a Ti-
to, *qui in Judæa sunt, fugiant ad montes;*
et qui in tecto, etc. Hoc totum uno modo
exponitur de Judæis incredulis, ad desi-
gnandum quod tam dira eis imminebat
persecutio a Romanis, quod nil eis adeo
necessarium fuit sicut velociter fugere, et
pro nulla re asportanda reverti sive mora-
ri. Alio modo exponitur de Judæis conver-
sis, qui instante Romanorum adventu, ab
angelo movebantur exire Judæam, et in-
troire regnum Agrippæ trans Jordanem. —
Tertio sic : *Tunc,* id est Antichristo seden-
te in templo, quod ædificabit (ut dicitur)
in civitate Jerusalem, *qui in Judæa sunt,*
fugiant ad montes; et qui in tecto, etc.
Nam, quamvis Antichristus et ejus satel-
lites ubique persecuturi sint Christianos,
maxime tamen eos quos in Terra sancta
invenerint : ideo dicitur eis, ut sine mora

A et respectione, ad latibula fugiant mon-
tium aut locorum absconditorum, nec de
temporalibus curent.
Mystice, *Quum* videmus *abominationem* 15
desolationis, hoc est dogma perversum,
indignum prælatum, de quo dictum est,
O pastor et idolum! vel exemplum pestife- *Zach.* XI, 17.
rum, *in loco sancto,* id est in Ecclesia, seu
quocumque devotorum vel fidelium gre-
ge; *tunc qui in Judæa sunt,* id est in vera 16
fidei confessione, *fugiant ad montes,* hoc
est ad justitiam Dei, ei omnia discrete
B committendo, qui propter peccata populi *Job* XXXIV, 30.
facit regnare hypocritam. Unde et scri-
ptum est : Justitia tua sicut montes Dei. *Ps.* XXXV, 7.
Vel, ad auxilium angelorum, hominum-
que sanctorum, juxta illud : Levavi ocu- *Ps.* CXX, 1.
los meos in montes, unde veniet auxilium
mihi. Per hos namque subvenit Deus, di-
cente Scriptura : Illuminans tu mirabiliter *Ps.* LXXV, 5.
a montibus æternis. Vel, Ad montes, id
est ad intelligentias spirituales, quas si *Exod.* XIX,
tetigerit bestia, lapidibus obruetur : quia 13; *Hebr.* XII, 20.
animalis homo non capit quæ Dei sunt; I *Cor.* II, 14.
C stultitia enim est illi. *Et qui in tecto* sunt, 17
id est in sublimitate virtutum et arce con-
templationis, non descendant ad inferio-
ra, ut aliquid tollant de operibus carnis
et pristinæ conversationis, dicentes cum
Sponsa : Lavi pedes meos, id est, affectio- *Cant.* V, 3.
nes purgavi : quomodo inquinabo eos? *Et* 18
qui in agro est, hoc est congregatione ju-
storum, quibus dicit Apostolus : Dei agri- I *Cor.* III, 9.
cultura estis; *non revertatur tollere tuni-*
cam suam, id est veterem hominem cum
actibus suis. Unde in Canticis dicitur :
D Exui tunicam meam, quomodo induar il- *Cant.* V, 3.
la? Et Judas apostolus : Odientes eam quæ *Judæ* 23.
carnalis est, maculatam tunicam. *Væ au-* 19
tem prægnantibus, etc., id est, his qui
carnalibus rebus intenti sunt, qui lactis
participes sunt, et solidum nequeunt ca-
pere cibum.

Præterea, quæ sequuntur omnes commu-
niter exponunt pro tempore consumma-
tionis mundi, et extremi judicii. Christus
ergo sub persona Apostolorum alloquens
fideles tunc reperiendos, eosque exhor-

tans, præmonens, et cautos efficiens, ait : A
20 *Orate autem* Deum, *ut non fiat fuga ve-*
stra, hoc est, ne fugere attentetis vel indi-
geatis, *hieme vel sabbato,* id est quocumque
tempore inconvenienti. Per hiemem nam-
que, qua malum est ambulare, propter
duritiam frigoris et intemperiem aeris, et
per sabbatum, quo secundum legem, non
licuit ambulare nisi per mille passus, de-
signatur omne tempus ineptum ad fugam.
Spiritualiter quoque per hiemem, expri-
mitur tepor sive exstinctio caritatis ; per
sabbatum vero, vacantia operis boni. Et B
qui in istis est, inaniter fugit, quum ma-
num Dei non possit effugere.
21 *Erit enim tunc,* hoc est tempore Anti-
christi, instante termino mundi, *tribulatio*
magna, qualis non fuit ab initio mundi
usque modo, neque fiet usque ad tempus
illud. Antichristi enim persecutio erit gra-
Dan. XII, 1. vissima. Unde Daniel : Veniet (inquit) tem-
pus quale non fuit ex eo ex quo gentes
22 esse cœperunt, usque ad tempus illud. *Et*
nisi breviati fuissent dies illi tribulationis
Antichristi. Jam enim in divina præordi- C
natione breviati sunt, et tunc realiter bre-
viabuntur, non mensura, sed numero, quo-
niam tempus illud non diu durabit, sed
dies solito cursu decurrent. *Non fieret sal-*
va omnis caro, hoc est, nemo salvaretur
eorum qui tunc erunt, considerando eos
quoad propriam infirmitatem et conditio-
nem. Non enim posset genus humanum
diu sufferre tam acerrimam persecutio-
nem. Verumtamen, quantumcumque diu
duraret, divina prædestinatio non posset
frustrari, nec electi perire, quoniam virtus D
divina conservans electos omni adversa
potestate potentior est. *Sed propter electos*
breviabuntur dies illi, ne supra id quod
possunt tententur. Et sicut de persecu-
tionis acerbitate torquentur, sic de ejus
brevitate consolationem recipient. Quem-
admodum enim crudelissima, sic et bre-
vissima erit persecutio illa. Durabit autem
annis tribus cum medio, juxta illud Da-
Ibid. VII, 21, 25. nielis : Adspiciebam, et ecce cornu illud,
videlicet Antichristus, faciebat bellum ad-
versus sanctos, et prævalebat eis ; et tra-
dentur in manus ejus usque ad tempus, et
tempora, et dimidium temporis. Hebræi
autem, nomine temporis intelligunt an-
num. Hinc quoque in Apocalypsi scribi-
tur : Civitatem sanctam, hoc est Ecclesiam, Apoc. XI, 2.
calcabunt mensibus quadraginta duobus.
Tunc si quis vobis dixerit, Ecce hic est 23
Christus, id est in hac plebe, urbe, seu
loco, *aut,* Ecce *illic,* hoc est in illo loco
vel populo, *nolite credere* seductoribus ita
narrantibus. Verus enim Christus, secun-
dum divinitatem suam ubique est, secun-
dum assumptam vero humanitatem, in
cœlo. Est quoque in medio electorum et
efficacium Christianorum, per fidem et
gratiam, atque per sacramentalem exsi-
stentiam. Si ergo quis dixerit, Ecce hic est
Christus, et non alibi, vel in plebe, Evan-
gelio contradicente, non est credendum.
Surgent enim pseudochristi et pseudo- 24
prophetæ, hoc est ipse Antichristus cum
prædicatoribus et vatibus suis, qui per
participationem malitiæ, et imitationem
principis sui, dicuntur pseudochristi et an-
tichristi ; *et dabunt,* hoc est, facient arte
magica et operatione diabolica, *signa ma-*
gna et prodigia. Facient enim multa mi-
racula etiam vera, quæ tamen ab Apostolo
appellantur mendacia, quoniam ad fallen- II Thess. II, 10.
dum ordinabuntur. Unde ait de Antichri-
sto : Cujus erit adventus secundum opera- Ibid. 9.
tionem Satanæ, in omni virtute, et signis,
et prodigiis mendacibus. Ad hoc pertinet
illud Apocalypsis : Fecit signa magna, ita Apoc. XIII, 13, 14.
ut etiam ignem faceret de cœlo descendere
in conspectu hominum ; et seduxit habi-
tantes in terra propter signa quæ sunt
data illi facere. Sed si hoc ita est, quæritur
quomodo verum sit illud Psalmographi :
Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit Ps. LXXI, 18.
mirabilia solus. Dicendum, quod Psalmi-
sta loquitur de mirabilibus totam faculta-
tem, legem et ordinem naturæ creatæ ex-
cedentibus. De quibus dicit Salvator : Si Joann. XV, 24.
opera in eis non fecissem, quæ nemo alius
fecit, peccatum non haberent. Talia vero
non faciet Antichristus, sed ea quæ per

occulta rerum semina insitasque virtutes A
fieri valent. Recolo me conscripsisse li-
brum specialem non parvum de Antichri-
sto, in dialogo quem edidi de Fide catho-
lica.

Ita ut in errorem peccati et ignorantiæ
inducantur, si fieri potest, etiam electi.
Quod tamen fieri nequit, loquendo de ele-
ctis formaliter, et de errore finali; possi-
bile vero est, loquendo de eis materiali-
ter, eo quod prædestinatio non tollat nec
minuat libertatem electorum. Unde hæc
enuntiatio, Electus seu prædestinatus po- B
test damnari, vera est in sensu diviso, quia
res illa secundum se considerata, quum
sit libera, potest amittere gratiam, et pec-
care atque perire; non autem in sensu
composito, quia res illa ut talis, non potest
perire, propter infallibilitatem et invaria-
bilitatem divinæ præordinationis. Propter
I *Joann.* III, 9. quod Joannes ait : Qui natus est ex Deo,
non peccat, quoniam semen Dei manet in
eo. — Porro, per verba inducta innuitur
inæstimabilis incomparabilisque persecu-
tionis Antichristi acerbitas. C

25 *Ecce prædixi vobis* mala futura, ut ja-
Prov. I, 17. cula prævisa minus noceant, frustraque
26 jaciatur rete ante oculos pennatorum. *Si*
ergo dixerint vobis, Ecce in deserto est
Christus, id est inter eos qui vitam eremi-
ticam ducere videntur, et tamen inanes
sunt; vel, In deserto, tanquam vitam du-
cens abstractam, sicut et Dominus noster
Marc. I, 13. Jesus Christus vere conversatus est in de-
serto quadraginta diebus; *nolite exire* ad
locum hujusmodi, putando quod ibi sit
Christus. Et si dixerint vobis, *Ecce in pe-* D
netralibus, id est locis conclusis et abdi-
tis, est Christus, *nolite credere,* hoc est,
ubicumque nuntiaverint esse Christum ali-
um quam me, ne credatis. Cujus ratio
27 subditur : *Sicut enim fulgur,* id est coru-
scatio, *exit ab oriente,* hoc est a nube quæ
est versus plagam orientalem, *et paret*
usque in occidentem repente et evidenter,
ita erit et adventus Filii hominis ad ju-
dicium, scilicet subitaneus et luminosus,
gloriosus et manifestus. Ex quo elicitur,
quod judicium celerrime finietur. Potest
quoque hoc ipsum referri ad spiritualem
Christi adventum, quo venit visitando Ec-
clesiam, non solum in isto loco vel illo,
sed toto orbe terrarum : propter quod non
est credendum, quod in conventiculis hæ-
reticorum seu locis particularibus tantum
sit Christus, sed in universali Ecclesia.
Hoc autem quod hic ait Matthæus, etiam in
Luca scriptum est : Sicut fulgur coruscans *Luc.* XVII, 24.
de sub cœlo, in ea quæ sub cœlo sunt
fulget, ita erit Filius hominis in die sua.
Quamvis itaque primus Christi adventus,
quo venit judicari, fuit occultus, secundus
tamen, quo veniet judicare, erit omnibus
manifestus, juxta illud in Psalmo : Deus *Ps.* XLIX, 3.
manifeste veniet; Deus noster, et non si-
lebit.

Consequenter ostendit Salvator, quod
electi sibi finaliter adhærebunt, nec pote-
runt errore seduci. *Ubicumque fuerit cor-* 28
pus, illic congregabuntur et aquilæ. Hoc
ad litteram ita est. Aquilæ enim et aliæ
aves, ubicumque odoratu, visu, aut alio
sensu, perceperint esse cadaver, illuc mox
volant et colliguntur. Sic spiritualiter, ubi-
cumque fuerit Christus, qui dicitur corpus
tanquam Verbum caro factum, et pro no- *Joann* I, 14.
bis occisum, illuc congregantur homines
virtuosi, quorum juventus renovatur ut *Ps.* CII, 5.
aquilæ, juxta illud Apostoli : Renovamini *Ephes.* IV, 23, 24.
spiritu mentis vestræ, et induite novum
hominem, qui secundum Deum creatus
est. Hinc enim ait Salvator : Pater, quos *Joann.* XVII, 24.
dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi
sint mecum, ut videant claritatem meam;
et alibi : Veniam et assumam vos ad me *Ibid.* XIV, 3.
ipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis.

ARTICULUS XXXIX

PROSECUTIO EXPOSITIONIS HUJUS CAPITULI VICESIMI QUARTI : STATIM AUTEM POST TRIBULATIONEM DIERUM ILLORUM SOL OBSCURABITUR.

POST descriptionem signorum propinquorum diei judicii seu adventus Christi, ponuntur jam signa proxima illi ad-
29 ventui. *Statim autem post tribulationem dierum illorum,* id est cito post persecutionem Antichristi, *sol obscurabitur :* quæ obscuratio erit in ipsa hora immediate præcedente Christi descensum ad judicandum, et ita inter finem persecutionis Antichristi et obscurationem luminarium cœlestium, erit tempus permodicum, scilicet quadraginta quinque dies, vel circiter, qui dabuntur seductis ab Antichristo ad pœnitendum, prout doctores catholici asserunt, et ex Daniele trahitur. *Dan.* XII, 11, 12.

Obscurabitur autem sol, *et luna non dabit lumen suum :* vel quia ad terrorem hominum divina virtute suo lumine privabuntur ; vel, quod probabilius sonat, quia aliqua corpora opaca interponentur inter ea et terram, sicque obscurabuntur non in se, sed quantum ad homines, ad quos eorum splendor non veniet. Et forte luna supponetur soli, sicut in passione factum fuit, secundum Dionysium in epistola ad Polycarpum. Quod si dicatur, consequens est ut luna non det nec effluat lumen, sed obscuretur pars ejus quæ respicit terram. Semper enim luna pro media parte obscura est, ea videlicet quæ a sole aversa est, a quo dependet lumen lunæ in esse et conservari. Aliqui tamen dicunt, quod luminaria ista non obscurabuntur nisi comparatione veræ lucis, quoniam tanta erit claritas Judicis venientis, ut ejus respectu omnia obscurari dicantur : et hoc dicit Hieronymus. Quod, secundum Thomam super quartum Sententiarum, verum est, si intelligatur pro ipso momento A adventus Christi : in quo momento dicit totum mundum innovandum. Alii tamen dicunt, quod innovatio immediate sequetur judicium, reprobis in infernum retrusis. Si vero intelligatur pro tempore præcedente judicium, veritatem non habet. Imo Thomas allegat et sequitur Rabanum asserentem, quod nihil prohibet ut sol, luna et sidera dicantur tunc veraciter lumine suo privanda.

Et stellæ cadent de cœlo, non secundum exsistentiæ veritatem, sed secundum B apparentiam quamdam, quoniam tantæ exhalationes ignitæ, scintillationes seu azub, generabuntur atque descendent in aere, quod astra cadere videbuntur. *Et virtutes cœlorum commovebuntur.* Hoc quidam exponunt specialiter de angelis medii ordinis secundæ hierarchiæ, quorum est miracula facere : ut tunc dicantur commoveri, quia plus solito procedent et tendent ad faciendas transmutationes miraculosas in creaturis. Sed melius intelligitur de omnibus angelicis spiritibus, qui tunc commo- C vebuntur motu reverentiæ et admirationis cujusdam, non metu pœnalis afflictionis. Potestque verbum istud intelligi per modum hyperbolicæ locutionis, qua aliquid dicitur per excessum, ad insinuandum magnitudinem rei quæ affirmatur.

Mystice, instante die judicii, Christus sol justitiæ obscurabitur in cordibus plurimorum ; et quoniam effusionem gratiæ suæ et subventionis suspendet plus solito, luna quoque, id est Ecclesia, obscurabitur vehementer, prævalentibus impiis, et D fide pene exstincta, quia et stellæ cadent de cœlo, hoc est, multi litterati avertentur a fide, propter quod virtutes cœlorum,

hoc est perfecti et contemplativi, commo- A
vebuntur timore, compassione et admira-
tione.
30 *Et tunc apparebit signum Filii homi-
nis,* hoc est crux Christi et cetera arma
suæ passionis, vel corporis sui cicatrices,
Matth. XXVI, 64. *in cœlo* aerio, ubi Christus ad judican-
dum sessurus est. Apparebunt autem tunc
crux, clavi et lancea Christi, vel quia ve-
re tunc aderunt, et ad confusionem in-
gratorum ostendentur ab angelis, vel quia
aliqua lucida apparebunt in similitudine
crucis et ceterorum dominicæ passionis B
armorum. *Et tunc plangent omnes tribus
terræ,* id est omnes nationes terrenæ : de
Jer. XVII, 13. quibus Jeremias ait, Recedentes a te in
terra scribentur. Vel aliqui de omnibus
generationibus hominum contristabuntur,
omnes videlicet impii, quibus adventus
Christi erit omni terribili terribilior. De
Sap. V, 2, 3. quibus Sapiens : Videntes, inquit, turba-
buntur timore horribili, præ angustia spi-
ritus gementes. Ad hoc pertinere potest
Zach. XII, 10. illud Zachariæ : Adspicient ad me, quem
confixerunt, et plangent eum planctu qua- C
si super unigenitum. Unde in Apocalypsi
Apoc. I, 7. habetur : Ecce venit cum nubibus, et tunc
plangent se super eum omnes tribus terræ.
Et videbunt omnes homines, boni et
mali, *Filium hominis venientem* de cœlo
Act I, 9. empyreo, *in nubibus cœli* aerii. In nubi-
bus namque ascendit, idcirco in nubibus
rediet, ut verificetur eloquium angelorum
Ibid. 11. in Actibus : Quemadmodum, inquientes,
vidistis eum ascendentem, sic veniet. Hinc
Ps. XCVI, 2. ait Psalmista : Nubes et caligo in circu-
itu ejus. *Cum virtute multa,* id est an- D
gelorum exercitu, omnibusque Beatis, se-
Judæ 14, 15. cundum illud Judæ apostoli : Ecce venit
Dominus in Sanctis millibus suis facere
judicium, et arguere omnes impios ; *et
majestate,* id est magna sui ipsius pote-
state et gloria. Apparebit enim in corpore
glorificato tanquam Rex regum, Judex ac
Ps. XLIX, 3. Dominus universorum. Ignis quoque in
conspectu ejus exardescet, et in circuitu
ejus tempestas valida.
31 *Et mittet angelos suos,* quorum ministe-
rio cineres resuscitandorum colligentur,
cum tuba, id est cum ingenti fragore et
sonitu quem angeli sancti facient in ele-
mentis, *et voce magna* Michaelis archan- *I Thess.* IV, 15.
geli, qui est princeps et custos Ecclesiæ,
dicetque in die judicii ex commissione
divina, Surgite, mortui, venite ad judici-
um ; vel, Cum voce magna Christi, cujus
imperio mortui surgent : de qua Salvator, *Joann.* VI, 39, 40.
Veniet hora quando omnes qui in monu- *Ibid.* V, 28.
mentis sunt, audient vocem ejus. De hoc
testatur Apostolus : Quoniam ipse Domi- *I Thess.* IV, 15.
nus in jussu, et in voce Archangeli, et in
tuba Dei, descendet de cœlo.
Et congregabunt, id est, simul ad judi-
cium deferent seu adducent, *electos ejus :*
nam quamvis boni et mali ab angelis ad
judicium deferentur, electi tamen cum am-
pliori honore et reverentia speciali ; *a qua-
tuor ventis,* id est a quatuor principali-
bus partibus mundi, unde quatuor venti
principales oriuntur, hoc est a cunctis lo-
cis et monumentis in quibus suscitabun-
tur. Quod quam subito fiet, elucescit ex
verbo Apostoli : In momento, in ictu ocu- *I Cor.* XV, 52.
li, in novissima tuba ; canet enim tuba,
et mortui resurgent incorrupti. Nec enim
tuba hæc corporaliter intelligenda est, se-
cundum Remigium. *A summo cœlorum
usque ad terminos eorum.* Marcus inquit :
A summo terræ usque ad summum cœ- *Marc.* XIII, 27.
li. Summum ergo cœlorum nominat locum
terræ in quo aliquis stat, quia ubicum-
que quis steterit, videtur ei quod sum-
mitas cœli sit super caput suum. Porro
terminos terræ appellat loca circa quæ vi-
sus noster finitur : nam ibi videtur cœ-
lum terræ conjungi ac terminari quasi
esset corpus semicirculare et camerale,
quum tamen sit sphericum, ubique æque
remote distans a terra. Est igitur sensus :
Angeli congregabunt electos à summo cœ-
lorum, id est a quocumque loco unde
cœli altitudo major apparet, usque ad ter-
minos eorum, id est etiam ab illis terræ
locis ubi cœli videntur finiri, quos Deus
expandit velut tabernaculum ad inhabitan- *Is.* XL, 22.
dum, ut Isaias habet.

Consequenter docet Christus quod dixit A
de fine sæculi, per exemplum vel simili-
32 tudinem arboris. *Ab arbore autem fici,* id
est a ficulnea, *discite parabolam,* id est,
sumite similitudinem quam vobis propo-
nam, ad prædictorum intelligentiam con-
venientem. *Quum jam ramus ejus tener*
fuerit, id est recens et gracilis, *et folia*
nata, id est, quum folia cœperint pullu-
lare in ea, *scitis quia prope est æstas.* Illa
enim non fiunt, nisi sole appropinquante
et ascendente : cujus allatio in circulo
obliquo, est causa generationis, renovati- B
onis, et caloris in inferioribus, secundum
philosophos, imo secundum Dionysium.
33 *Ita et vos quum videritis hæc omnia,* id
est prædicta signa adventus mei impleri,
scitote quia prope est in januis, id est, in
proximo instat judicium. Sub persona Apo-
stolorum affatur eos qui tunc victuri sunt
34 in sæculo isto. *Amen dico vobis, quia non*
præteribit generatio hæc, id est genus hu-
manum, vel populus Judæorum, seu con-
gregatio Christianorum, quæ durante hoc
sæculo nunquam in toto destruetur, quam- C
vis Antichristi temporibus multum oppri-
menda minuendaque sit, *donec omnia fi-*
ant, id est, opere compleantur quæ ante
horam judicii dixi futura.

35 *Cœlum et terra transibunt,* id est, esse
cessabunt quantum ad sua accidentalia,
scilicet motum, causalitatem, situm et trans-
mutationem, non quoad esse substantia-
le : imo, post diem judicii meliorabuntur,
quando terra clara erit ut aurum, cœlum
ut sidera. Unde in Apocalypsi ait Joan-
Apoc. XXI, 1. nes : Vidi cœlum novum et terram no- D
vam ; primum enim cœlum et prima terra
abiit. *Verba vero mea non præteribunt,* id
est, non frustrabuntur, sed quod signifi-
cant impossibilius esset non impleri, quam
universam mundi fabricam destrui. Lo-
quitur ergo de verbis suis, non quantum
ad sonum sermonis.

Et ne quis ex signis prædictis existimet
diem judicii determinate posse præsciri,
36 adjecit : *De die autem illa* judicii, *et hora*
adventus Christi, *nemo scit* quando ven-
turi sint, *neque angeli cœlorum,* id est
habitantes in cœlis, et motores cœlorum,
nisi solus Pater. In Marco additur, Neque *Marc.* XIII, 32.
Filius : quod ex his verbis infertur et
sequitur. Ea enim quæ soli divinæ poten-
tiæ subjacent, et ex simplici divinæ vo-
luntatis libertate dependent, qualia sunt
initium et consummatio mundi, soli Crea-
tori sunt agnita, nec sciuntur a creatura,
nisi per revelationem : horam autem con-
summationis mundi, nulli viatori vel ange-
lo Deus manifestavit. Sed quomodo solus
Pater dicitur scire diem illum et horam,
quum Spiritus Sanctus et Christus ut Deus
eadem non ignorent? Rursus Christus ut
homo, constitutus est omnium judex : quo- *Act.* X, 42.
modo ergo lateret eum tempus finalis ju-
dicii? Ad primum dicendum, quod trium
Personarum est una notitia, sicut una es-
sentia, una voluntas, una potestas : ideo
quidquid de una asseritur, de alia quoque
intelligi datur, ubi non obviat relationis
distinctio. Ad secundum dicendum, quod
Christus dicitur illam horam et diem igno-
rare, non quoad se ipsum, sed quantum
ad nos, videlicet, quia non notificat eam
nobis. Sic enim frequenter loquitur Deus
in Scripturis per modum ignorantis vel
dubitantis, quia ita se habet ad homines
tanquam ignoraret sive ambigeret, quem-
admodum in Exodo ait populo Israel, quum
adorasset vitulum aureum : Jam nunc de- *Exod.* XXXIII, 5.
pone ornatum tuum, ut sciam quid fa-
ciam tibi. Et in Genesi : Descendam, in- *Gen.* XVIII, 21.
quit, et videbo si juxta clamorem qui venit
ad me faciant, an non, ut sciam.

Sicut autem fuit *in diebus Noe,* videli- 37
cet ante ingressum in arcam, *ita erit ad-*
ventus Filii hominis ad judicium. Quod
consequenter exponitur. *Sicut enim erant* 38
homines carnales atque increduli, *in die-*
bus ante diluvium comedentes et bibentes,
nubentes et nuptui tradentes, id est, cra-
pulose, secure et incontinenter viventes,
diuque vivere arbitrantes contrahendo ad
invicem, *usque ad eum diem quo introivit*
in arcam, de lignis lævigatis atque bitu-
mine colligatis factam, ipse *Noe* cum sua

uxore, tribusque filiis et eorum conjugi- A
I *Petr.* III, 20. bus : unde secundum Petrum, in arca pau-
cæ animæ, id est octo, per aquam salvæ
39 factæ sunt ; *et non cognoverunt* homines
tunc temporis periculum imminens : et
forte, quamvis Noe eis prædixit, non ta-
men credebant. Quamvis autem prædixis-
set eis futurum diluvium, non tamen præ-
nuntiavit certum diem, sicut et Christus
quamvis nobis prænuntiavit futurum ju-
dicium, non tamen diem determinatum.
Donec venit diluvium. Tunc enim per ex-
perientiam cognoverunt quod ante non B
noverant. *Et tulit,* id est, a vita subtra-
Gen. IX, 18, 19. xit, *omnes* homines, præter Noe et exsi-
stentes cum eo, a quibus propagatum et
natum est omne hominum genus. *Ita* oc-
cultus et improvisus ac subitus *erit ad-
ventus Filii hominis* ad judicium. Nam
Antichristo occiso, quidam satellitum ejus
in sua duritia perdurabunt, scelerate vi-
ventes et secure peccantes : quibus sic
conversantibus subito veniet dies judicii.
I *Thess.* V, 3. Propter quod dicit Apostolus : Quum di-
xerint, Pax et securitas, tunc repentinus C
eis superveniet interitus.
40 *Tunc duo erunt in agro,* id est eidem
operationi in agro intenti; *unus assume-
tur* ad gloriam, *et unus relinquetur* ad
41 pœnam. Erunt tunc *duæ molentes in mo-
la ; una assumetur, et una relinquetur;
duo in lecto, unus assumetur, et unus re-
linquetur.* Hoc totum sic erit ad litteram,
quia ubique prædestinati mixti sunt re-
probis. Spiritualiter vero, per exsistentes
in agro intelliguntur prælati, quorum est
operari in agro dominico, seu in Ecclesia ; D
per molentes autem significantur activi;
per exsistentes quoque in lecto quietis,
contemplativi. Horum trium statuum, ali-
qui cadent a fide et gratia, maxime tempore
Antichristi, propter quod relinquentur; alii
perseverabunt usque in finem, et assu-
mentur : quia secundum Augustinum, in
omni conditione et gradu, optimis juncti
sunt pessimi. Oportet equidem bonitatem
Abel probari, exerceri, et coronari per ma-
litiam Cain.

Vigilate ergo, id est, solliciti sitis, et 42
bonis actibus diligenter intendite, *quia ne-
scitis qua hora Dominus vester venturus
sit* ad judicium. Hoc in persona Apostolo-
rum posterioribus dicitur. Et quamvis ad
litteram dicatur de secundo Christi adven-
tu, nihilo minus accipi potest de spirituali
ejus adventu, et particulari judicio, quo
visitat unumquemque in hora mortis. Quo-
niam ergo nescimus diem neque horam
propriæ mortis aut extremi judicii, debe-
mus semper esse providi ac præparati, ne
in vitiis deprehendamur, et æternaliter
pereamus.

Porro, quod ita agendum sit, probat ex-
emplo et per locum a majori. *Illud autem* 43
*scitote, quoniam si sciret paterfamilias
qua hora fur venturus esset, vigilaret uti-
que, et non sineret perfodi domum suam.*
Si ergo ille tam solerter ac vigilanter op-
poneret se damno temporalium rerum,
quanto magis nos oportet reluctari omni
ignaviæ ac negligentiæ, ne perdamus bona
æterna, spiritualia ac divina? Idcirco con-
cludit : *Ideo et vos estote parati* ad occur- 44
rendum Christo, *quia qua hora nescitis,*
id est tempore vobis ignoto, *Filius homi-
nis venturus est.* Exhortatio ista plenius
continetur in Marco et Luca. Ait enim Sal-
vator in Marco : Vigilate (nescitis enim *Marc.* XIII,
quando Dominus veniat : sero, an media 35, 36, 33.
nocte ; an galli cantu, an mane), ne quum
venerit repente, inveniat vos dormientes.
Videte, vigilate, et orate. Item in Luca : Vi- *Luc.* XXI, 36.
gilate (inquit) itaque, omni tempore oran-
tes, ut digni habeamini fugere omnia ista
quæ futura sunt, et stare ante Filium ho-
minis. — Mystice, paterfamilias est spiri-
tus rationalis, videlicet anima nostra, cu-
jus familia sunt cogitationes, affectiones
et opera; domus vero ejus, est corpus hoc
corruptibile; fur vero, est tentator. Debet
ergo spiritus noster incessabiliter vigila-
re, ne diabolus per fenestras corporis, id
est per sensus exteriores, introeat habita-
culum animæ, neque perfodiat illud, in-
ducendo laqueos tentationum per corpus.
Hoc enim est quod hortatur Apostolus :

Ephes. IV, 27. Nolite, inquiens, locum dare diabolo ; et A
Rom. VI, 12. rursus, Non regnet peccatum in vestro
mortali corpore, ut obediatis concupiscen-
tiis ejus.

Consequenter Salvator hortatur nos ad
vigilantiam præinductam exemplo servi fi-
delis : et loquitur interrogative, ad insinu-
andum difficultatem et raritatem negotii.
45 *Quis, putas, est fidelis servus et prudens,*
fidelis in exsecutione administrationis, seu
dispensationis sibi a domino suo commis-
sæ, et prudens in se ipso, convenienter
disponendo de mediis et modo regiminis, B
quem constituit dominus suus paterfami-
lias *super familiam suam,* hoc est, ceteris
ministrantibus prætulit eum, quemadmo-
Gen. XXXIX, 4. dum Putiphar constituit Joseph dominum
domus suæ, *ut det illis,* puta unicuique
de familia, *cibum in tempore,* hoc est con-
grua alimenta in tempore opportuno, non
nimis tempestive aut tarde, nec omnibus
Prov. XXIX, 21. eadem, nec delicata cibaria? Qui enim de-
licate nutrit servum suum, postea sentiet
eum contumacem. Sed singulis dandum
est secundum suæ conditionis exigentiam, C
propriamque capacitatem et indigentiam.
Ad hanc quæstionem Dominus non re-
spondet ; et tamen, ex verbis quæstionis
patet responsio, ut dicamus illum esse ser-
vum fidelem atque prudentem, et ceteris
servis digne prælatum, qui dat illis escam
in tempore secundum modum præfatum.
Idcirco subjungitur :

46 *Beatus* est jam in spe, *ille servus,* hoc
est Christianus alios in spiritualibus vel
in temporalibus regens ex ordinatione di-
vina, vel se ipsum recte gubernans, bene D
utendo gratia sibi collata, creditisque ta-
lentis, *quem quum venerit dominus ejus,*
Christus videlicet, veniens ad eum in hora
suæ mortis, ut rationem ponat cum eo, vel
quotidie, considerando quomodo præsit et
bona Domini sui dispenset, *invenerit sic
facientem,* hoc est, familiam sibi commis-
sam bene regentem, dando singulis escam
spiritualem seu corporalem, et se ipsum
fructuose occupantem in operibus sanctæ
dilectionis.

Amen dico vobis, quoniam super om- 47
nia bona sua constituet eum : non ut
omnibus creaturis dominetur, vel cuncta
creata solus possideat ; sed æternam be-
atitudinem consequatur, quæ est status
omnium bonorum aggregatione perfectus,
et suscipiat quæ oculus non vidit, nec au- I Cor. II, 9.
ris audivit, nec cor apprehendere valet,
imo Deum summum possideat. Vel, quia
similitudinem servi hominis patrisfamili-
as introducit, possumus per omnia bona
Dei intelligere sola exteriora et corporalia,
sicut divitiæ appellantur hominum bona :
sicque unusquisque Beatus constituitur
super omnia bona Creatoris.

Si autem dixerit malus servus ille, id 48
est servus infidelis, qui opposito modo se
habet ad servum prudentem prædictum :
Moram facit dominus meus venire : id
est, non cito judicabor a Deo. Hoc dicunt,
saltem interpretative, prælati et judices
qui non timent judicium Dei, nec cogitant
horam mortis, eo quod Christus longani-
miter agat cum eis, nec statim se ulcisca-
tur. Hoc namque præstat multis peccandi
audaciam, juxta illud : Etenim, quia non Eccle. VIII, 11.
cito profertur contra malos judicium, abs-
que ullo timore filii hominum perpetrant
mala. *Et cœperit percutere conservos suos,* 49
id est opprimere gregem sibi commissum,
manducet autem et bibat cum ebriosis, id
est, crapulose et carnaliter vivat. *Veniet* 50
dominus servi illius, scilicet Christus, *in
die qua non sperat,* id est, quando ser-
vus ille non putat se visitandum et pu-
niendum a Christo, *et hora qua ignorat,*
quoniam hora mortis ac judicii prorsus
incerta est.

Tales enim quum se magis diu victu-
ros arbitrantur, citius tolluntur de me-
dio, quemadmodum diviti longam quietem
ac deliciosam vitam sibi ipsi promittenti,
Deus ait apud Lucam : Stulte, hac nocte Luc. XII, 20.
animam tuam repetent a te : quæ autem
parasti, cujus erunt? *Et dividet eum,* id 51
est, a consortio et præmio electorum se-
parabit, *partemque ejus,* id est retribu-
tionem, *ponet cum hypocritis,* id est cum

his qui nomine et non re, christiani sunt, A
Tit. I, 16. qui videntur Deum cognoscere, factis autem negant : hoc est, in inferno erit merces ejus, et damnatis sociabitur in tormentis. *Illic erit fletus et stridor dentium.* Hoc jam bis elucidatum recordor. Matth. VIII, 12; XXII, 13.

ARTICULUS XL

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI QUINTI : TUNC SIMILE ERIT REGNUM COELORUM DECEM VIRGINIBUS.

In expositione hujus parabolæ de decem B virginibus, sancti catholicique doctores non parum diversificantur. Quidam enim exponunt eam de solis virginibus ; alii, de contemplativis, per virgines significatis ; alii, de popularibus omnibus non idololatris ; alii, de popularibus christianis dumtaxat. Sed propter prolixitatem vitandam, prosequar unum quem æstimo convenientiorem intellectum, videlicet, ut intelligatur de omnibus Christianis.

1 *Tunc,* id est in ipsa die et hora judicii, *simile erit regnum cœlorum,* id est Eccle- C sia militans et negotium ejus, *decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsæ.* Nam, sicut virgines illæ acceptis lampadibus occurrunt sponso et sponsæ, sic omnes Christiani in die judicii occurrent Christo. Itaque per decem virgines, universitas fidelium denotatur. Denarius enim est numerus perfectus, et primus terminus numerorum, ita quod ultra non proceditur numerando, nisi redeundo ad caput seu unitatem, et denarium. Totum ergo quod D subditur in ista parabola, de hac re per decem virgines designata, est exponendum.

Per hoc autem quod virgines dicuntur accepisse lampades suas, insinuatur quod universi fideles, quum ad judicium venerint, secum ferent fidem et opera sua, quæ Apoc. XIV, 13. nomine lampadum exprimuntur. Opera quippe illorum sequuntur illos. Et quamvis multorum mala sint opera, vix tamen vel non invenitur aliquis Christianus ita perversus, quin habeat aliqua opera ex suo genere bona, quamvis non sint meritoria : præsertim quum ipse interior fidei actus de genere bonus sit. In die autem judicii obviabunt Christo sponso, et Ecclesiæ triumphanti cum ipso de cœlo venienti, quæ est sponsa Christi, vel sponsæ Christi singulari, quæ est Virgo beatissima, Mater Deifera ; vel, secundum Augustinum, ita dicuntur obviare sponsæ, velut si omnibus in Ecclesiam concurrentibus, filii ad matrem concurrere dicantur, quum ipsis filiis congregatis constet ea quæ dicitur mater : sicque obviatio ista esset ejusdem ad se ipsum, secundum statum vel modum diversum. Secundum primum modum, est obviatio partis ad partem, quia in die judicii ex hominibus seu Ecclesia militanti, et angelis atque Ecclesia triumphanti, fiet una Ecclesia et una sponsa Christi, qui tunc sibi perfecte ac indissolubiliter copulabit totam Ecclesiam seu electorum universitatem, ut omnes sint unum in ipso, et Deus sit omnia in omnibus. I Cor. XV, 28.

Quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes. Una pars Christianorum insipiens est, et in die judicii stulta probabitur, eo quod divinis ac spiritualibus præposuit terrena et corporalia, fidemque catholicam non adornavit operibus, nec opera de genere bona retulit ad debitum seu ultimum finem. Prudentia namque dirigit actus humanos in debitum finem. Qui ergo non ob Dei honorem vitamque 2

æternam bona agit, sed propter laudes hu- A
manas seu temporale emolumentum, me-
rito imprudens et stultus censetur. Alia
vero pars Christianorum per oppositum
prudens est, et in die judicii sapiens in-
venietur. Per hæc itaque, bonorum et ma-
lorum discretio explicatur.

3 *Sed quinque fatuæ, acceptis lampadi-
bus, non sumpserunt oleum secum :* hoc
est, stulti et vani Christiani fidei suæ et
operibus non conjunxerunt spiritualem de-
lectationem, lætitiamque internam, et con-
scientiæ sinceritatem, faciendo quod mo- B
I *Cor.* I, 31; net Apostolus : Qui gloriatur, in Domino
II *Cor.* X, 17. glorietur ; et rursus, Gaudete in Domino
Philipp. IV, 4. semper ; et illud Psalmistæ, Servite Domi-
Ps. XCIX, 2. no in lætitia. Unde nec dicere possunt cum
II *Cor.* I, 12. Apostolo : Gaudium nostrum est testimoni-
um conscientiæ nostræ. Itaque per oleum,
spiritualis et pura delectatio, sinceritas-
que conscientiæ designantur, juxta illud :
Ps. XLIV, 8. Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ. Mali
autem, dum aliquid boni agere videntur,
in se, non in Domino, gloriantur, et ho-
minibus cupiunt complacere magis quam C
Deo, et ita non satagunt conscientiam bo-
nam habere, nec redeunt ad interiora, sed
inaniter diffunduntur, quemadmodum scri-
Ps. XI, 9. ptum est : In circuitu impii ambulant. *Pru-*
4 *dentes vero acceperunt oleum in vasis suis,*
hoc est, spiritualem delectationem et bonæ
conscientiæ testimonium in cordibus suis
posuerunt, *cum lampadibus,* id est fide
et operibus virtuosis. Hæc enim electi de-
ferunt secum ad judicium.

5 *Moram autem faciente sponso,* id est,
Christo futurum judicium differente, vide- D
licet ab ascensione usque ad terminum
mundi, *dormitaverunt omnes,* id est, tam
boni quam mali defuncti sunt, *et dormie-
runt* somno mortis, atque in tumulis velut
in lecto quieverunt, denuo suscitandi a
Christo. De qua dormitione ait Salvator
Joann. XI, 11. apud Joannem : Lazarus amicus noster
dormit, sed vado ut a somno suscitem
eum. Mortui itaque dormiunt Christo, qui
multo facilius excitat defunctum a morte,
quam homo dormientem a somno.

Media autem nocte clamor factus est : 6
Ecce sponsus venit. Ex hoc aliqui asse-
runt, quod finale judicium erit in medio
noctis. Unde refert Hieronymus traditio-
nem esse Judæorum, quod sicut Deus per
angelum vastavit Ægyptios media nocte, *Exod.* XII, 29.
ita per Christum judicabit mundum in
medio noctis. Alii dicunt, quod erit in die,
secundum quod dicit Apostolus : In die *Rom.* II, 16;
quo judicabit Dominus abscondita tene- I *Cor.* IV, 5.
brarum. Et dicunt, quod ideo tempus ju-
dicii vocatur nox, quia incertum. Propter
quod dicit Augustinus : Media nocte, id
est nullo sciente aut sperante. Clamor au-
tem qui tunc fiet, est sonus tubæ et vox
magna, de quibus præcedenti capitulo ple- *Matth.*
nius dictum est. *Exite obviam ei,* id est, de XXIV, 31.
sepulcris resurgite, seu corpore resumpto
occurrite Christo ad judicium venienti.

Tunc surrexerunt omnes virgines illæ : 7
id est, boni et mali a mortuis surgent si-
mul in die novissimo ; *et ornaverunt lam-
pades suas,* id est, opera sua decoraverunt
quantum potuerunt testimonio conscien-
tiæ, et præmeditatione rationum districto
Judici reddendarum, secundum quod dicit
Apostolus : Probet se homo, et sic in se- *Galat.* VI, 4.
metipso habebit gloriam, et non in altero.
Quilibet enim causam suam, quantum po-
terit adornabit. *Fatuæ autem sapientibus* 8
dixerunt : Date nobis de oleo vestro, id
est, de merito vestræ spiritualis lætitiæ et
bonæ conscientiæ succurrite nobis, *quia
lampades nostræ exstinguuntur,* id est, fi-
des et opera nostra reprobantur tanquam
a lumine gratiæ aliena. Per hoc innuitur,
quod in die judicii mali undique sibi au-
xiliari optabunt, illi saltem qui nondum
judicati et incerti sunt quid de eis Domi-
nus judicabit, qui etiam ante prolationem
sententiæ verebuntur damnari tanquam
male sibi conscii.

Responderunt prudentes fatuis, *dicen-* 9
tes : Ne forte non sufficiat nobis et vobis :
id est, facere non valemus neque audemus
quod petitis, timentes ne opera nostra no-
bismetipsis vix sufficiant ad salutem, præ-
sertim quum tantus sit judicii hujus rigor,

ut justus vix salvetur ; nec alius alium A
Galat. vi, 5. tunc potest juvare, quoniam unusquisque
tunc maxime onus suum portabit, et pro
Rom. xiv, 12. se ipso rationem præstabit; *ite potius ad*
vendentes, id est ad eos quorum est re-
Matth. v, 3. gnum cœlorum, puta ad pauperes, vel ad
sacerdotes, quibus commissæ sunt claves
regni cœlestis, qui dominica sacramenta
gratiæ contentiva dispensant, atque pro
nummo confessionis ac pœnitentiæ quo-
dammodo vendunt, *et emite vobis* oleum
salutis, pauperibus succurrendo, vel sa-
cerdotibus obediendo. Sic enim Daniel ait: B
Dan. iv, 24. Peccata tua eleemosynis redime, et iniqui-
tates tuas misericordiis pauperum. Hæc
dicunt virgines sapientes, non quod tunc
tempus erit merendi seu ista agendi, sed
quia aliud consilium dari non potest. Vel,
secundum Augustinum, hæc dicunt, non
consulendo, sed crimen fatuarum comme-
morando, eisque insultando zelo justitiæ :
tanquam dicant, Ite ad vendentes, id est,
adulatores et vanos vestros laudatores ac-
cedite, et emite vobis ab eis oleum, id est
fomentum salutis et gratiæ. C
10 *Dum autem irent emere,* id est, gratiam
recuperare vellent et pœnitere, *venit spon-*
sus, id est Christus, ad præmiandum; *et*
quæ paratæ erant, tanquam ornatæ veste
nuptiali et actibus meritoriis, atque ab
omni labe peccati purgatæ, *intraverunt*
cum eo ad nuptias, id est ad cœlestem re-
fectionem seu beatitudinem sempiternam,
ubi sanctæ animæ Deo intime uniuntur,
eoque fruuntur, et ab eo feliciter fecun-
dantur, *et clausa est janua,* id est, finitum
est tempus promerendi, et aditus regni cœ- D
11 lestis nulli de cetero patet. *Novissime au-*
tem, id est nimium tarde, et post aliarum
præparationem ac salvationem, *veniunt et*
reliquæ virgines stultæ. Non est per hoc
intelligendum, quod aliud sit tempus judi-
cii bonorum, aliudque malorum, sed quod
ordine dignitatis boni primo remuneren-
tur. Veniunt ergo quando tempus misera-
tionis exspiravit. *Dicentes : Domine, Domi-*
ne. Ingeminant Dominum, non caritate, sed
necessitate; non vero amore, sed naturali

affectione atque timore : ideo nil meren-
tur. *Aperi nobis* januam regni cœlestis.
At ille respondens, ait : Amen dico vobis, 12
nescio vos scientia approbationis, de qua
dicit Apostolus : Si quis diligit Deum, I Cor. viii, 3.
hic cognitus est ab eo; et iterum, Si quis Ibid. xiv, 38.
ignorat, ignorabitur. Hinc alibi dicit : Non
omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, Matth. vii, 21.
intrabit in regnum cœlorum, sed qui fa-
cit voluntatem Patris mei. *Vigilate itaque,* 13
quia nescitis diem neque horam. De hoc
in præcedenti capitulo dicta sunt multa. Ibid. xxiv, 42.
Denique, quod diem adventus Christi
ignoremus, ostendit per similitudinem ho-
minis peregrinantis, cujus reditum servi
ejus ignorant. *Sicut enim homo peregre* 14
proficiscens. Per hunc hominem intelligi-
tur Christus, qui in ascensione a terra in
cœlum perrexit : qui secundum quosdam,
idcirco peregre profectus dicitur, quoniam
corpus humanum, cujus naturalis locus
terra est, collocavit in cœlo. Sed quum cœ-
lum sit patria electorum, maxime Christi,
et cœlum empyreum sit proprius locus
corporum glorificatorum, præsertim cor-
poris Christi, in quo cœlo, non ad tempus,
sed æternaliter permanent Sancti, qui in
hoc sæculo peregrinantur; propterea ap-
tius reor, ut ob id Christus dicatur ascen-
dendo in cœlum peregre profectus, quia
domesticos suos in hoc mundo reliquit,
eisque corporalem subtraxit præsentiam,
et propriæ libertati dimisit, et rursus, quo-
niam tandem rediturus est huc unde as- Act. i, 11.
cendit. *Vocavit servos suos, et tradidit il-*
lis bona sua.
Parabola ista specialiter concernit Apo-
stolorum successores, prælatos Ecclesiæ,
quibus plus datum et creditum est, unde
et plus exigetur ab eis. Nihilo minus ad Luc. xii, 48.
omnes potest homines pertinere : sicque
exponenda est, ut cunctis valeat applicari.
Itaque *homo* iste, Dominus Jesus, *vocavit,*
id est, sibi applicuit, *servos suos,* præla-
tos aliorum, et unumquemque fidelium, *et*
tradidit illis bona sua, id est, beneficia
sua eis concessit, dona videlicet naturæ et
gratiæ, sacramenta Ecclesiæ, et quidquid

I *Cor.* IV, 7. boni in fidelibus invenitur. Quid enim A
Jacob. I, 17. habes quod non accepisti, quum omne da-
tum optimum et omne donum perfectum
desursum sit, descendens a Deo?
15 *Et uni dedit quinque talenta, alii au-
tem duo, alii vero unum,* id est, uni largi-
tus est dona plura atque majora, alii vero
I *Cor.* XII, 8-10. minora ac pauciora. Alii quippe (secun-
dum Apostolum) datur per Spiritum ser-
mo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii gra-
tia sanitatum, alii operatio virtutum, alii
prophetia, alii discretio spirituum. Aliqui-
bus quoque dantur omnia ista; et aliqui in B
naturalibus inclyte decorantur, qui sortiti
sunt animam bonam, et quasi naturaliter
ad virtutes dispositi, ingeniosi, eloquen-
tes, formosi, ad aliorum gubernationem
bene dispositi. Per duo ergo talenta, intel-
ligere possumus subtilem intellectum, et
affectum bene dispositum, vel sapientiam
et caritatem. *Unicuique* servorum largitus
est Christus *secundum propriam virtu-
tem,* id est secundum ipsius capacitatem
et dignitatem. Ex quo patet, quod per ista
talenta intelligenda sint maxime dona gra- C
tiæ gratum facientis seu gratis datæ. Hæc
enim superadduntur naturalibus donis, et
perficiunt ea. *Et profectus est statim,* id
est, distributione hac facta propriæ liber-
tati eos dimisit, ut negotiarentur.
16 *Abiit autem,* id est, in opus processit, et
ivit quo Deus præcepit, *qui quinque ta-
lenta acceperat.* Per hæc quinque talen-
ta, intelligo quinquepartitam gratiam ad
viros apostolicos et perfectos pertinentem,
videlicet sapientiam, sanctitatem, eloquen-
tiam, miraculorum operationem, et discre- D
tionem in omnibus. *Et operatus est in eis,*
id est per ea, hoc est, bene usus est eis, et
fructuose ea expendit ad Dei honorem, et
aliorum ædificationem, propriamque salu-
tem; *et lucratus est alia quinque,* id est,
in eisdem donis multum profecit et crevit,
vel alia quæ nondum acceperat, est ade-
17 ptus. *Similiter qui duo* talenta prædicta
acceperat, lucratus est alia duo, eo modo
18 sicut præcedens quinque. *Qui autem unum
acceperat, abiens,* id est, a Deo aversus et
ad terrena se vertens, *fodit in terram,* id
est, talentum sibi collatum, videlicet in-
tellectualem notitiam et subtilitatem, in
sensibilibus mersit et occupavit, abutens
gratia Dei, et proximo nihil proficiens,
quum tamen Petrus admoneat : Unusquis- I *Petr.* IV, 10.
que, inquiens, sicut accepit gratiam, in
alterutrum illam administrantes, sicut bo-
ni dispensatores multiformis gratiæ Dei;
et abscondit pecuniam domini sui, id est,
prædictum talentum sibi a Deo mutuatum
non produxit in lucem veritatis atque ju-
stitiæ, sed ad errorem et vanitatem usus
est eo, quemadmodum scriptum est : Sa- *Jer.* IV, 22.
pientes sunt ut faciant mala, bene autem
facere nescierunt. De talibus loquitur Isa-
ias : Væ qui profundi estis, ut a Domino *Is.* XXIX, 15.
abscondatis consilium ; quorum sunt in
tenebris opera. Itaque qui abscondit talen-
tum sibi donatum, non acquiescit Apostolo
exhortanti : Noli negligere gratiam Dei; et I *Tim.* IV, 14.
rursus : Collabora, inquit, gratiæ Dei. Ideo II *Tim.* I, 8.
de se ipso testatur : Gratia ejus in me I *Cor.* XV, 10.
vacua non fuit.
Post multum vero temporis venit domi- 19
nus servorum illorum, id est, in die judi-
cii, qui multum distat a die ascensionis,
veniet Christus, *et posuit rationem cum
eis,* id est, rationem exiget a servis suis,
discutiendo qualiter usi sint beneficiis sibi
concessis.
Et accedens, id est Christo fiducialiter 20
se repræsentans, *qui quinque talenta ac-
ceperat, obtulit alia quinque talenta,* id
est fructum et meritum operum suorum
quæ consecutus est bene utendo suis ta-
lentis, *dicens : Domine, quinque talenta
tradidisti mihi, ecce alia quinque super-
lucratus sum,* proficiendo in bonis, et gra-
tiam mihi datam duplicando, vel aliis eam
communicando. *Ait illi dominus ejus,* ju- 21
stus omnium remunerator : *Euge.* Inter-
jectio est animi exsultantis : id est, tibi
congaudeo, et bene sit tibi. *Serve bone* in
habitu, *et fidelis* in actu, non tuum, sed
domini tui quærens honorem. *Quia super
pauca fuisti fidelis,* id est, donis gratiæ,
quæ parva sunt comparatione donorum

gloriæ, efficaciter usus es, *supra multa te* A
constituam, id est, perfectum præmium
omnium bonorum aggregatione perfectum,
et bonum tui appetitus plenarie contenta-
tivum, tibi præstabo, hoc est mei ipsius
fruitionem, imo me ipsum tanquam obje-
ctum beatificum, bonumque immensum ;
intra in gaudium domini tui, id est pa-
triam cœlestem, atque divitias gloriæ Cre-
atoris, ut immergaris et absorbearis in
Deum, et impleatur in te quod ait Pro-
Ps. xv, 11. pheta : Adimplebis me lætitia cum vultu
Ps. xvi, 15. tuo ; itemque, Satiabor quum apparuerit B
gloria tua.
22 *Accessit autem et qui duo talenta ac-*
ceperat. Sicut de præcedenti, ita de isto
subjungitur, nec est difficultas in littera.
Quamvis autem huic servo dicatur sicut et
23 priori, Supra multa te constituam, non ta-
men amborum est merces æqualis ; sed
qui pluribus et majoribus donis idonee
est usus, majorem consequitur gloriam,
quam qui paucioribus atque minoribus
usus est fructuose : sicut econtrario ampli-
orem damnationem incurrisset ille quam C
iste, si negligens fuisset repertus. Quum
enim augentur dona, rationes etiam cre-
scunt donorum, secundum Gregorium.
24 *Accedens autem et qui unum talentum*
II *Cor.* v, 10. *acceperat :* nam et impii adducentur ad
Christi tribunal, et ei respondere cogen-
tur ; *ait : Domine, scio quia homo durus*
es, id est rigorosus et districte ulciscens.
Rom. xi, 22. Denique Paulus ait : Vide bonitatem et
severitatem Dei. Proprie tamen non est
Christus durus, sed justus, et pro tempore
rigorosus. *Metis ubi non seminasti, et con-* D
gregas ubi non sparsisti, id est, plus re-
quiris quam contulisti, et quæris opera
meritoria in his qui ex naturalibus suis
mereri non possunt, imo et in infidelibus,
ad quos non destinasti legatos seu præ-
25 dicatores. *Et timens* tuam districtionem,
abii, et abscondi talentum tuum in terra
(secundum sensum jam præinductum), id
est, opera bona omisi, et pavore confra-
ctus, sive diffidens quod tibi satisfacere
possem, cessavi a bene agendo ; *ecce habes*
quod tuum est, id est, donum quod mihi
donasti, recipere potes, nec oportet ut
amplius exigas a me.

Respondens autem dominus ejus, dixit 26
ei. Omnia ista suo modo fient in judicio,
intellectualiter ac repente. *Serve male,* qui
te ipsum excusas, et domino tuo calum-
niam facis, *et piger,* id est negligens, qui
per inobedientiam omisisti talentum tibi
collatum fructuose expendere, *sciebas quia*
ego *meto ubi non semino, et congrego ubi*
non spargo (juxta sensum jam tactum) ;
oportuit ergo te committere, id est ad be- 27
ne utendum et erogandum dare, *pecuniam*
meam, id est talentum quod tibi conces-
si, *nummulariis,* id est bonis rectoribus
atque doctoribus, qui more nummulario-
rum illud aliis erogassent ad accumulan-
dum spirituale lucrum gratiamque divi-
nam in se ipsis et aliis ; vel, Nummulariis, id
est auditoribus bonis, qui possent domi-
nicam pecuniam duplicare, agendo quod
didicerunt, et de virtute in virtutem per- *Ps.* lxxxiii,
gendo. *Et veniens ego* ad judicandum te, 8.
recepissem utique quod meum est, id est,
talentum tibi creditum acceptassem, et be-
ne erogatum fuisse judicassem ; recepis-
semque illud *cum usura,* id est spirituali
profectu seu lucro inde exorto, et ita te
et illos salvassem. Servus iste perversus
ex propriis verbis damnatione dignus con-
vincitur. Quoniam enim agnovit dominum
suum esse durum, et metere ubi non se-
verit, debuit esse formidolosus atque sol-
licitus, ne coram domino suo infructuosus
et vacuus appareret, sciens se de negli-
gentia puniendum.

Deinde Christus ait exsecutoribus sui
judicii, scilicet angelis bonis vel malis :
Tollite itaque ab eo talentum unicum quod 28
recepit, id est, honore et præmio talenti
eum private, ut non cedat ei in bonum
seu gloriam, sed in malum atque suppli-
cium ; *et date ei qui habet decem talenta,*
id est, facite ut cedat ei in gloriam : quia
ex comparatione negligentiæ illius, hujus
diligentia clarius elucescet, sicut opposi-
ta juxta se posita evidentius innotescunt ;

et etiam quoniam pœna illius auget feli- A
Ps. LVII, 11. citatem istius, secundum illud : Lætabi-
Rom. VIII, 28. tur justus quum viderit vindictam. Scimus
equidem quoniam diligentibus Deum om-
nia cooperantur in bonum.

Cur autem istud talentum potius dari
dicatur habenti decem talenta, videlicet
ei qui quinque talenta duplicavit, quam
29 habenti talenta quatuor, subjungitur. *Om-
ni enim habenti dabitur,* id est, quanto
quis magis in gratia Dei profecerit, tan-
to ampliorem gratiæ multiplicationem in
præsenti, gloriamque pleniorem habebit B
in patria, *et abundabit* in spirituali opu-
lentia. Ex quo patet, secundum quosdam,
quod plus recepit is cui credita sunt quin-
que talenta, quam ille cui concessa sunt
duo, vel cui unum, quamvis quidam di-
cant oppositum. *Ei autem qui non habet,*
id est modicum possidet : quod enim mo-
dicum est, pro nihilo reputatur. Vel, Ei
qui non habet gratiam gratum facientem
Galat. v, 6. seu caritatem, vel fidem, quæ per dilecti-
onem operatur. Vel, Ei qui non habet, id
est, largitori gratiarum ingratus est. *Et* C
quod videtur habere, id est, hoc ipsum
quod a Deo sortitus est, quantum ad do-
num naturæ seu gratiæ gratis datæ, *aufere-
tur ab eo,* id est, non cedet ei in bonum, vel
Eccle. IX, 10. omnino spoliabitur eo, quia nec sapien-
tia, nec scientia, nec opus, nec ratio erunt
apud inferos, quo iste et sibi similes pro-
jicientur. Verumtamen, ut ait Dionysius,
per peccata non destruitur natura, sed læ-
ditur. Unde in dæmonibus naturalia per-
manserunt acuta et integra. Tamen, quo
peccator meliora naturalia habuit, eo dam- D
nabilior comprobatur.

30 *Et inutilem servum,* id est infructuo-
Philipp. II, 12. sum, qui nec propriam salutem cum ti-
more et tremore operatus est, nec domini
sui quæsivit honorem, nec profuit proxi-
mis, *ejicite in tenebras exteriores. Ibi erit
Matth. VIII, 12. fletus et stridor dentium.* Hoc totum su-
pra expositum est.

Satagendum est itaque unicuique no-
strum, ut dona sibi divinitus præstita sa-
gaciter atque humiliter penset, Deo gratus
esse conetur, et digne ambulet vocatione Ephes. IV, 1.
qua vocatus est. Hoc fecit Virgo glorio-
sa, quum dixit : Quia fecit mihi magna Luc. I, 49.
qui potens est. Unde Apostolus : Nos, in- I Cor. II, 12.
quit, non spiritum hujus mundi accepi-
mus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut scia-
mus quæ a Deo donata sunt nobis. Si enim
ignoremus quid et unde habemus, non
agimus gratias, nec benefactorem diligi-
mus. Gratias autem agendo ac diligendo,
beneficiis potioribus adimplemur. Verum-
tamen inveniuntur quidam vani, nimium
imperfecti et frivoli, qui si aliquid excel-
lentiæ vel perfectionis in se deprehende-
rint, statim in se gloriari, intumescere, ali-
osque aspernari incipiunt.

Quum autem venerit Filius hominis in 31
majestate sua, etc. Dicunt aliqui, in isto
capitulo tres parabolas contineri, quarum
ista sit tertia : quam asserunt pertinere
ad activos. Sed quod hic dicitur, non est
parabola : non enim aliud per similitudi-
nem significatur, sed de ipso judicio aper-
tissime Salvator prænuntiat, de quo in
duabus præcedentibus parabolis occulte
et figuraliter loquebatur. Denique etsi es-
set parabola, non tamen solos activos con-
cerneret. Agitur enim hoc loco de omnibus
gentibus, et segregatione, examinatione,
judicatione, et præmiatione eorum, ut pa-
tet inspicientibus litteram. Quia ergo de
ipso judicio multa prædixit obscure et
mystice, nunc describit ipsum et proces-
sum ejus aperte.

Quum autem venerit Filius hominis
motu locali et corporali descensu a cœlo
empyreo ad judicium, qui secundum su-
am divinitatem immensus atque immobi-
lis est, *in majestate sua,* id est in sua
magna potestate et corpore glorificato, *et
omnes angeli* sancti novem ordinum, *cum
eo,* qui in suo primo adventu venit in
humilitate cum paucis et egenis discipu-
lis. Venient autem angeli sancti cum eo, et
tunc visibiliter omnibus apparebunt : pri-
mo, propter reverentiam Judicis ; secun-
do, ad terrorem malorum ; tertio, ad accu-
sationem eorum qui angelicis instinctibus

noluerunt assentire ; quarto, ut exsequan-
tur sententiam Judicis in reprobos. Dicit
hic quidam, quod ministerio angelorum
bonorum electi deducentur ad cœlum, re-
probi vero ab angelis malis ad inferos per-
trahentur. Sed verius reor, quod electi
per dotem agilitatis propria potestate as-
Sap. III, 7. cendent, et velut scintillæ in arundineto
discurrent ; item, quod angeli sancti pro-
jicient et contrudent tam dæmones quam
homines perditos in infernum. Diaboli
enim tam invite intrabunt infernum, ut
homines pravi. Ideo enim supra dixit Sal-
Matth. XIII, 49, 50. vator : Exibunt angeli, et separabunt ma-
los de medio justorum, et mittent eos in
caminum ignis. *Tunc sedebit super sedem
majestatis suæ,* id est, in sua judiciaria
potestate residebit ; vel, Super sedem ma-
jestatis suæ, id est super Ecclesiam, in
qua sedes est Dei.
32 *Et congregabuntur ante eum omnes gen-
tes,* id est, ab angelis coram eo adducentur
gentes quorumcumque temporum, gradu-
um, conditionum, ætatum et statuum ; *et
separabit eos ab invicem,* loco et voto ac
præmio, *sicut pastor segregat* tempore se-
rotino *oves ab hœdis,* in diversis stabulis
eos locando. In die enim simul pascuntur,
sed de sero segregantur. Sic durante die
et tempore gratiæ, simul in Ecclesia ha-
bitant et vescuntur electi et reprobi ; porro
in fine temporis hujus, hoc est in con-
summatione sæculi, secernentur et divi-
33 dentur. *Et statuet,* id est, firmiter ponet
Filius hominis, non humana, sed divina
virtute, *oves quidem,* id est electos, qui
propter innocentiam, simplicitatem, utili-
tatem, et operum bonorum fecunditatem,
Ps. LXXVIII, 13; XCIV, 7; XCIX, 3. ovibus comparantur, juxta illud : Nos au-
tem populus ejus, et oves pascuæ ejus.
Joann. X, 11, 14. De quibus loquitur Christus : Ego sum
pastor bonus, et cognosco oves meas ; et
Ezech. XXXIV, 15. alibi, Ecce ego ipse pascam oves meas.
A dextris suis : vel, ad litteram, ad latus
suum dextrum, tanquam in loco digniori ;
vel, A dextris, id est in bonis suis jucun-
dis et prosperis, in consolatione et spe
bona, ita quod ignis conflagrationis eos

A non lædet pro tunc. *Hœdos autem,* [id est
reprobos,] statuet *a sinistris,* id est in lo-
co opposito, et in adversis ac tristibus, in
desolatione, et ignis prædicti combustio-
ne : qui significantur per hœdos, quoniam
hœdus est animal petulans, lascivum, in-
fructuosum, semper fervens ad coitum.
Tunc dicet Rex, videlicet Christus, qui 34
habet in vestimento et in femore suo scri- *Apoc.* XIX, 16.
ptum, Rex regum et Dominus dominan-
tium : de quo Jeremias testatus est, Regna- *Jer.* XXIII, 5.
bit Rex, et sapiens erit, et faciet judicium
B et justitiam in terra ; et Psalmista, Deus, *Ps.* LXXI, 2.
judicium tuum regi da ; *his qui a dextris
ejus erunt,* qui stabunt in magna constan- *Sap.* V, 1.
tia adversus eos qui se angustiaverunt :
Venite ad alta cœlorum, *benedicti Patris
mei,* id est, sanctificati, gratiisque repleti
a Patre meo, Deo æterno et adorando ;
possidete, hereditaria perpetuaque posses-
sione, *paratum vobis regnum a constitu-
tione mundi,* id est cœlum empyreum
ejusque delicias, in principio mundi crea-
tum et ad inhabitationem electorum ap-
C tatum. Nec obstat quod Dominus ait : Vado *Joann.* XIV, 2.
parare vobis locum. Cœlestis enim patria
ante constitutionem mundi parata est San-
ctis, secundum prædestinationem ; a prin-
cipio mundi, per creationem ; in Christi
passione et ascensione, quantum ad me-
ritum introeundi et januæ apertionem.
Esurivi enim, et dedistis mihi mandu- 35
care ; sitivi, et dedistis mihi bibere. Ponit
hic sex opera misericordiæ : quibus addi
solet septimum, scilicet mortuorum sepe-
litio. Quomodo autem electi exhibuerint
D hæc Christo, ipse post pauca exponit. *Ho-
spes,* id est peregrinus, *eram, et collegi-
stis,* id est, ad hospitium vestrum induxi-
stis *me :* prout in Isaia habetur : Egenos *Is.* LVIII, 7.
vagosque induc in domum tuam. Unde
et Job : Foris (inquit) non remansit pere- *Job* XXXI, 32.
grinus, ostium meum viatori patuit. Hinc
Paulus hortatur : Hospitalitatem nolite ob- *Hebr.* XIII, 2.
livisci, per hanc enim placuerunt quidam,
angelis hospitio receptis, videlicet Abra- *Gen.* XVIII, 2-8; XIX, 1-3.
ham et Lot. *Nudus, et operuistis me* ve- 36
stibus : prout monet Joannes Baptista, Qui *Luc.* III, 11.

habet duas tunicas, det non habenti. *In-*
firmus fui, *et visitastis me,* consolationem
et opem exhibendo. Hinc enim in Eccle-
Eccli. vii, 39. siastico scriptum est : Non te pigeat visi-
tare infirmum, ex his enim in dilectione
Jacob. i, 27. firmaberis. Et Jacobus : Religio, ait, mun-
da et immaculata apud Deum et Patrem,
hæc est : visitare pupillos et viduas in
tribulatione eorum, et immaculatum se cu-
stodire ab hoc sæculo. *In carcere eram,*
et venistis ad me alendum, consolandum,
seu liberandum, quia et scriptum est :
Prov. xxiv, 11. Erue eos qui ducuntur ad mortem.
37 *Tunc respondebunt ei justi, dicentes :*
Domine, quando te vidimus esurientem, et
pavimus ? sitientem, et dedimus tibi po-
38 *tum ? Quando autem te vidimus hospi-*
tem, et collegimus te ? etc. Ista interrogatio
non oritur ex dubitatione, sed pietate et
admiratione de Judicis dignatione, et item
ex desiderio audiendi jucundum respon-
sum. Eorum quippe conscientia protesta-
bitur eis, quod vera sint Judicis verba ; et
scient quod Christus reputat sibi factum,
quod suis fit membris, nam et ideo ista
fecerunt.
40 *Et respondens Rex, dicet illis : Amen*
dico vobis, quamdiu, id est quandocum-
que, vel quantumcumque, *fecistis uni ex*
his fratribus meis minimis, id est alicui
inopi quantumcumque in hoc sæculo vili
et abjecto, *mihi fecistis.* Isti enim sunt
corpus meum mysticum, et caro mea, et
tam grata habeo bona eis facta, ac si meæ
personæ essent exhibita, dummodo ex ca-
ritate et propter me facta sint eis. Ob id
autem quod ait, Quamdiu fecistis uni ex
his fratribus meis minimis, mihi fecistis,
videtur Hieronymus dicere, quod Christus
non pascatur, potetur, hospitetur, operia-
tur, vel cetera misericordiæ opera sibi
reputet facta, nisi in pauperibus spiritu,
qui sunt fratres Christi, pertinentes ad
gregem ipsius. Sed quamvis Christus in
illis specialiter sit, et opera eis impensa
sibi facta profiteatur, tamen meritorium
est quibuscumque pauperibus benefacere
propter Deum, et quoniam sanctæ Trini-

A tatis insigniti sunt imagine, gratiæ gloriæ-
que capaces.
Tunc dicet et his qui a sinistris ejus 41
erunt : Discedite a me, maledicti, in ignem
æternum. Per ignem infernalem intelli-
guntur cetera gehennæ supplicia, de qui-
bus ait Psalmista : Pluet super peccatores Ps. x, 7.
laqueos ; ignis, sulfur et spiritus procel-
larum, pars calicis eorum. *Qui paratus est*
diabolo, primo apostatæ, *et angelis ejus :*
de quibus in Apocalypsi scribitur, Draco Apoc. xii, 7.
pugnabat et angeli ejus. Itemque Aposto-
B lus : Nescitis, ait, quia angelos judicabi- I Cor. vi, 3.
mus ? Ignis iste, secundum quosdam, a
principio mundi simul cum cœlo empyreo
factus et angelis malis paratus est. Dicunt
enim infernum simul cum cœlo creatum.
Unde in Isaia legitur : Præparata est ab Is. xxx, 33.
heri Topheth, a rege præparata, profun-
da et dilatata ; esca ejus ignis et ligna
multa. Topheth vocatur gehenna. *Esurivi* 42
enim, et non dedistis mihi manducare ;
sitivi, et non dedistis mihi potum ; etc.
Ideo condemnantur, quoniam opera mise-
C ricordiæ non fecerunt. Judicium enim sine Jacob. ii, 13.
misericordia fiet ei qui non fecerit mise-
ricordiam.
Tunc respondebunt ei, videlicet Christo 44
judici, *et ipsi, dicentes : Domine, quando*
te vidimus esurientem, aut sitientem, aut
hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut
in carcere, et non ministravimus tibi ?
Hoc dicunt desiderantes se excusare. *Tunc* 45
respondebit illis, dicens : Amen dico vo-
bis, quamdiu non fecistis uni de mino-
ribus his, id est fratribus meis mini-
D mis, *nec mihi fecistis,* hoc est, quod illis
negastis et subtraxistis, mihi negastis et
subtraxistis.

An istud judicium fiet vocaliter vel
solum mentaliter, non est certum. Quam-
vis aliqui satis audenter ad hoc responde-
re præsumant, temere definientes quod
sine periculo ignoratur, multis tamen ma-
gnis viris apparet probabilius, quod pro-
latio sententiæ erit vocalis. — Denique de
isto judicio manifeste prædictum est in
Daniele : Multi de his qui dormiunt in Dan. xii, 2.

pulvere terræ, evigilabunt : alii in vitam A
æternam; alii in opprobrium. Unde nunc
46 subditur : *Et ibunt hi,* utpote qui a sini-
stris erunt, *in supplicium æternum, justi
autem in vitam æternam.*

Locus iste sancti Evangelii admonitione potius indiget, quam expositione. Cogitemus ergo et intimo corde pensemus futuri judicii rigorem, horrorem et intolerabilitatem ; dulcedinem verborum istorum, Venite, benedicti Patris mei, et gaudia electorum ; amaritudinem quoque hujus sententiæ, Ite, maledicti, in ignem æter- B num, et infernalium suppliciorum vehementiam sempiternam, reproborum calamitatem, desperationem et incomprehensibilem desolationem ; item, quam pavendum et grave ac dolorosum erit, dæmonibus æternaliter sociari, æternæque oblivioni traditum esse.

Quæri potest, cur Christus dicat in futuro judicio disceptationem fieri potius de operibus misericordiæ quam caritatis vel justitiæ, quum tamen de omni peccato futura sit ibi discussio, nec omnes electi C de quibus jam sermo est, opera misericordiæ fecerint, ut patet de pauperibus et religiosis quampluribus, præsertim de clausis et anachoretis. Dicendum quod ideo, quoniam opera misericordiæ sunt magis connaturalia homini. Nihil enim naturalius, quam benefacere consorti naturæ. Secundo, quoniam opera misericordiæ directe et evidenter includunt caritatem, virtutum reginam. Tertio, ut appareat quam juste negetur reprobis tunc misericordia, qui nunc proximo misericordiam non impendunt. Quarto, ut homines ex his verbis Christi incitentur ad opera pietatis. Quinto, quia Scriptura specialissime et copiosissime hortatur, laudat atque beatificat opera misericordiæ. Siquidem, Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur; *Matth.* V, 7. et, Beatus qui intelligit super egenum et pauperem. *Ps.* XL, 2. Sexto, ad insinuandum quod universa salus nostra et gratia, et quidquid in nobis boni est, ex misericordia Dei procedit, dependet, perficitur. Postremo, per corporales misericordiæ actus, dantur intelligi spiritualia misericordiæ opera, quæ illis præstantiora et magis meritoria perhibentur.

ARTICULUS XLI

ENARRATIO CAPITULI VICESIMI SEXTI (DE PASSIONE CHRISTI) : ET FACTUM EST, QUUM CONSUMMASSET JESUS SERMONES.

HORA est, ut præparemus nos ad in- D tuendum Filium hominis pro nobis in cruce levatum, per serpentem æneum a Moyse pro signo erectum, significatum : *Num.* XXI, 9; *Joann.* III, 14. ut sicut Judæi inspiciendo serpentem illum, sanabantur a morsu serpentium ; sic nos intuendo per fidem, affectum et imitationem, Salvatorem propter nos in patibulo elevatum, sanemur a morsibus diabolorum, a læsione peccati, a tentationis veneno. Christus quippe in cruce suspensus, liber est in quo omnium virtutum perfectiones, omnium contemplationum sublimitates, et quidquid ad salutem pertinet, quidquid ad speculationis apicem spectat, mirabiliter, ineffabiliter et supernaturaliter leguntur, discuntur, resplendent.

Descripturus itaque gloriosissimus sapientissimusque evangelista, sublimis apostolus, S. Matthæus, passionem Domini
nostri Jesu Christi, in quo est salus, vita
et resurrectio nostra, ita exorsus est : *Et* 1
factum est, quum consummasset, id est
terminasset, *Jesus,* Filius Dei, in quo sunt *Coloss.* II, 3.

omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, *sermones hos omnes,* qui in præcedentibus sunt descripti capitulis, *dixit discipulis suis,* præsertim Apostolis, ad quos fecit sermonem præscriptum, qui in duobus præcedentibus capitulis positus est :
2 *Scitis quia post biduum,* id est post duos dies, videlicet istum in quo hæc loquor, et immediate sequentem, *Pascha fiet,* id est, paschalis celebritas incipietur, et immolabitur agnus paschalis. Unde Lucas sic
Luc. xxii, 1. habet : Appropinquabat dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha. Porro de diversis acceptionibus hujus nominis, *pascha,* cito dicetur. [*Et Filius* etc.]

Ista autem locutus est Jesus feria tertia in hebdomada passionis. Agnus vero paschalis immolabatur feria quinta ejusdem hebdomadæ, hora vespertina, in qua ince-
Lev. xxiii, 5. pit paschalis festivitas, hoc est die seu luna quartadecima Aprilis, ad vesperam : qui mensis apud Judæos est principium anni ac mensium. Sic enim Dominus jus-
Exod. xii, 6. serat Moysi in Exodo. Hac etenim die et hora præcepit Dominus filiis Israel offerre et manducare agnum paschalem in terra Ægypti. Unde, Pascha, quod Hebraice dicitur Phase, non a passione, sed a transitu nomen accepit, secundum Hieronymum et Augustinum : primo, quoniam filii Israel eadem nocte egressuri erant cum festinatione de terra Ægypti; secundo, quoniam nocte illa angelus interfector primogenito-
Ibid. 13. rum Ægypti, videns fores Israel sanguine agni perfusas, transiliit, pertransiitque Judæos, non tangens quemquam eorum; ter-
Joann. xiii, 1. tio, quoniam præfiguravit transitum Christi ex hoc mundo ad Patrem. Et quia præscriptus sermo in monte Oliveti factus est, puto quod in eodem loco Christus passionem suam prædixerit. Denique passionem suam prænuntiavit Apostolis : primo, ne videretur improvise seu nescienter comprehensus et passus; secundo, ut animos discipulorum contra futura scandala roboraret : jacula nempe prævisa minus
Matth. x, 28. lædunt; tertio, ut monstraret se non timere eos qui corpus occidunt, dum nec

A locum passionis, nec adversarios suos declinavit, sed adiit.

Advertendum quoque, quod in præhabita Salvatoris interrogatione qua ait, Scitis quia post biduum, etc., duo includuntur : quorum unum sciebant Apostoli, scilicet quod post biduum Pascha fieret; aliud ignorabant, videlicet quod post duos dies Christus occideretur. Noverant quidem ex frequenti Christi prænuntiatione, quod Filius hominis de proximo esset interficiendus, sed determinatum diem hucusque
B ignorasse videntur.

Tunc congregati sunt principes sacerdotum : non tunc, id est eodem die quo 3
Christus dixit verba inducta, videlicet tertia feria; sed, Tunc, id est illo tempore, utpote die immediate sequenti, seu feria quarta, qua Christus mansit in Bethania, dans impiis locum et tempus libere consulendi de sua morte. Non tamen ideo mansit directe ut illi hoc facerent, sed ne propriam passionem impediret, acceleraret, vel aliter quam prophetatum fuerat
C adimpleret. Oportuit enim, ut propter verificandas Scripturas, a discipulo venderetur : quod factum est feria quarta; nec factum fuisset, si tunc regressus fuisset Jerusalem. Tunc ergo congregati sunt principes sacerdotum, id est pontifices, quorum unus alteri in sacerdotii principatu successit : quorum nomina ponit Lucas in Actibus Apostolorum, videlicet Annas, Cai- *Act.* iv, 6.
phas, Joannes et Alexander; *et seniores populi,* qui erant septuaginta, et judices ordinarii, successores septuaginta senio-
D rum quos Moyses statuit. Horum multi *Num.* xi, 16, 24, 25.
fuerunt Scribæ et Pharisæi. Ab his autem *Dan.* xiii, 5.
qui videbantur regere populum, egressa est primo iniquitas in populo. Ipsi namque primo conceperunt odium contra Christum : quo facto, seduxerunt vulgum, avertentes plebem a Christo. *In atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas,* eratque pontifex anni illius, secundum *Joann.* xi, 49, 51; xviii, 13.
Joannem.

Et consilium fecerunt ut Jesum dolo 4
tenerent, id est, insidiose et fraudulenter

comprehenderent, quem non audebant publice capere, nec poterant juste ligare, *et* *Sap.* II, 20. *occiderent* eum morte turpissima, satiando *Job* XVI, 11. se pœnis ejus. Jam enim frequenter proposuerunt eum occidere, et conati fuerunt *Joann.* VIII, 59; X, 31, 39. eum nunc lapidare, nunc comprehendere; sed Jesus exivit de manibus eorum, sicut in diversis capitulis testatur Joannes. Insuper, Lazaro suscitato, mox quidam qui suscitationi ejus interfuerunt, abierunt, et nuntiaverunt Pharisæis. Tuncque immediate collegerunt pontifices et Pharisæi *Ibid.* XI, 46, 47. concilium, dicentes : Quid facimus, quia *Ibid.* 49, 50. hic homo multa signa facit? Quumque respondisset Caiphas, Expedit vobis ut unus moriatur pro populo, et non tota gens *Ibid.* 53. pereat, ex illo eodem die cogitaverunt et firmiter decreverunt interficere eum. Sed quia frequenter evasit manus eorum, ideo nunc consultabant de modo tenendi occidendique eum : præsertim quoniam die *Matth.* XXIII, 13 *et seq.* præcedenti durissime increpavit et gravissime offendit eos, ut supra jam patuit; *Ibid.* 39. audieruntque eum dixisse, Non me videbitis amodo, etc., unde suspicabantur quod fugeret, et multos sibi discipulos congregaret.

5 *Dicebant autem : Non in die festo,* id est, non teneamus nec occidamus eum durante solennitate paschali jam imminente, *ne forte tumultus,* id est seditio et ingens turbatio, *fieret in populo.* Tunc enim populus undique confluxit in Jerusalem propter festivitatem, et sciebant principes sacerdotum quod multi de populo credebant Jesum esse vel prophetam, vel Christum in lege promissum : ideo verebantur ne isti contradicerent atque resisterent eis, et Christum quamvis captum eriperent. Magis ergo timuerunt vulgum quam Deum; nec propter scandalum populi devitandum voluerunt Christi passionem differre usque post Pascha, sed ne Christus a populo eriperetur atque evaderet. Verumtamen istud consilium postmodum mutaverunt, Juda veniente ad eos, qui dedit eis inopinatum opportunumque modum exsequendi quod cupiebant.

6 *Quum autem,* id est sabbato in Ramis palmarum, *esset Jesus in Bethania,* juxta illud : Jesus ante sex dies Paschæ venit *Joann.* XII, 1. Bethaniam. Ut enim refert evangelista Joannes, quum post suscitationem Lazari decrevissent Judæi occidere Jesum, abiit in *Ibid.* XI, 54. regionem juxta desertum, in civitate quæ dicitur Ephrem. Sed sexto die ante Pascha et Cœnam, venit cum discipulis suis Bethaniam. *In domo Simonis leprosi.* Ambrosius, libro sexto super Lucam, videtur asserere quod Simon iste adhuc erat leprosus. Sic etenim ait : Apparet quod Christus leprosum non refugit, non vitavit immundum, ut maculas humani corporis posset abluere. Hieronymus autem hoc loco affirmat, quod tunc non erat leprosus, sed ante curatus fuit a Christo, retinuit tamen nomen leprosi, quemadmodum et Matthæus post conversionem suam vocatus *Matth.* X, 3. est publicanus. Et istud communius tenetur, probabiliusque videtur, quia Judæis non licuit ingredi ad leprosos.

In domo autem Simonis hujus fuerunt hac vice cum Christo, non solum discipuli ejus, sed etiam Maria Magdalene, Martha et Lazarus, ut patebit. Joannes enim manifeste sic habet : Fecerunt ei cœnam ibi, *Joann.* XII, 2. et Martha ministrabat; Lazarus autem erat unus ex discumbentibus. Sed quia hic dicitur, Et Martha ministrabat, Origenes et multi eum sequentes, dixerunt quod cœna hæc fuit in domo Marthæ. Verum, quia hoc loco et in Marco clarissime dicitur, *Marc.* XIV, 3. quod effusio unguenti, de qua statim subdetur, quam omnes dicunt factam in cœna prædicta, fuit in domo Simonis leprosi; dicendum est, quod cœna ista celebrata sit in domo ipsius. Sed rursus videtur hoc posse solvi, per id quod hoc loco ait Hieronymus ipsam Bethaniam, quæ interpretatur domus obedientiæ, quondam fuisse Simonis leprosi, atque per hoc quod Christus fuit atque cœnavit in domo Simonis hujus, non excluditur quin cœnavit in domo Marthæ, cujus domus fuit in Bethania. Huic vero obviare videtur illud Marci : Quum esset Bethaniæ in domo Simonis

leprosi. Ex quo concluditur, quod domus A Simonis erat pars Bethaniæ : et hoc idem dicit Ambrosius. Ad argumentum autem Origenis dicendum, quod Martha ministrabat in domo alterius propter reverentiam Christi, et etiam quia fortassis propinqua et familiaris erat Simoni huic. Solent namque amici interdum servire in domibus propinquorum familiariumque suorum.

7 *Accessit ad eum mulier,* videlicet Maria Magdalene, *habens alabastrum,* hoc est vas factum de alabastro : quod est genus marmorei lapidis, in quo unguenta servantur B illæsa ; *unguenti pretiosi ; et effudit super caput ipsius* Jesu *recumbentis,* hoc est in mensa sedentis, et manducantis seu quiescentis.

Bis in Evangelio legitur Christum perfusum unguento fuisse a muliere : Primo,
Luc. VII, 37. in Luca, apud quem habetur quod mulier quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod Jesus accubuit in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti. Secundo,
Joann. XII, 3. apud Joannem, ubi scriptum est : Maria accepit libram unguenti nardi pistici pre- C tiosi, et unxit pedes Jesu ; et domus impleta est ex odore unguenti. Et de hac secunda unctione nunc agitur, quia fuit
vers. 14-16. occasio venditionis Christi, ut subditur.

Sed an utraque unctio facta sit ab eadem femina, scilicet Maria Magdalene, dissensio est inter sanctos doctores. Hieronymus et Chrysostomus dicunt quod non. Ait quippe hoc loco Hieronymus : Nemo putet eamdem esse, quæ super caput effudit unguentum, et quæ super pedes. Illa
Luc. VII, 38, 37. enim lacrimis lavat, et crine tergit, et pec- D catrix appellatur ; de hac autem tale nihil scriptum est. Augustinus vero, Gregorius, Beda, et Ecclesia communiter, tenent oppositum. Quod probat Augustinus, quia
Joann. XI, 2. apud Joannem legitur quod Maria unxit Dominum unguento, et post, capitulo se-
Ibid. XII, 3. quenti, rursus describitur Mariam pedes Jesu unxisse. Porro, Ambrosius super Lucam relinquit sub dubio. Tangit enim responsionem pro utraque parte.

Verumtamen, salva in omnibus beatissimi Hieronymi reverentia, non videtur dictum ejus quibusdam probabile. Dicit enim nihil tale scriptum esse de hac muliere quæ unxit caput Jesu, videlicet Maria Magdalene, de cujus unctione in Bethania facta nunc agitur, sicut de illa de qua recitat Lucas, quod stans retro secus pedes *Luc.* VII, 38.
Jesu, lacrimis cœpit rigare pedes ejus. Cui obviat, quod de Maria sorore Marthæ ac Lazari scriptum est apud Joannem, quod *Joann.* XII, 3.
capillis suis extersit pedes Salvatoris, et quod unxit pedes ejus : quorum utrumque etiam recitat Lucas. Rursus in Marco legitur : Surgens Jesus mane, primo sabba- *Marc.* XVI, 9.
ti, apparuit primo Mariæ Magdalene, de qua ejecerat septem dæmonia, id est septem peccata mortalia, secundum expositores : ex quo constat Mariam Magdalene peccatricem fuisse. Cui consonat ejus legenda, in qua ipsa fertur dixisse sacerdoti eam in eremo invenienti, quod ipsa esset famosa illa peccatrix de qua in Evangelio legitur. — Præterea, non solum eadem femina est, quæ effudit unguentum super caput et pedes Christi, sed etiam eadem hora Maria Magdalene fecit utrumque. Jam enim ostensum est, quod Matthæus nunc describit unctionem in Béthania factam passione instante : et illam Matthæus ac Marcus asserunt factam super caput Jesu *Ibid.* XIV, 3.
recumbentis ; Joannes vero scribit factam super pedes ipsius. Necesse est ergo fateri *Joann.* XII, 3.
quod unxit pedes et caput. In prima tamen unctione non legitur nisi pedes unxisse. Dicendum est ergo cum Beda, quod Maria hæc bis unxit Christum : Semel in Galilæa, in domo Pharisæi ex contritione sequens Christum, et lacrimis pedes ejus lavans, ut indulgentiam consequeretur. Alii tamen dicunt, quod hoc factum sit in Jerusalem. Secundo, in Bethania, ex reverentia et devotione. Ideo Lucas describit eam nomine peccatricis, Matthæus vero nomine mulieris, quia jam altera fuit secundum statum et meritum, ut tangit Ambrosius.

Et quoniam Maria unxit caput Jesu, dicunt aliqui, quod istud unguentum non

erat grossæ materiæ ut cetera unguenta (indecens enim videretur tale unguentum super caput hominis fundere), sed subtilis, videlicet liquor pretiosus de re aromatica expressus, seu lacrima de arbore aromatica fluens : quæ herba seu arbor dicitur nardus. Unde ait Joannes, quod
Joann. xii, 3. Maria accepit libram unguenti nardi pistici, id est fidelis et puri, non mixti, nec sophisticati : in quo tangit pretiositatem unguenti illius, ita quod *pistici* refertur ad unguentum. Nardus vero hæc habet spicas quasdam, ex quibus liquor iste extrahitur sive diffunditur, ut aliqui referunt. Ideo Marcus refert, quod mulier ista
Marc. xiv, 3. habuit alabastrum unguenti nardi pistici spicati, hoc est spicas habentis. Hoc ergo unguentum, quia refrigerativum, confortativum, et odoriferum fuit, fudit Maria super caput et pedes Domini Jesu, qui nudo capite, et nudis pedibus legitur incessisse : quemadmodum aqua rosacea fundi solet super caput æstuantis.

8 *Videntes autem discipuli* prædictam effusionem unguenti, *indignati sunt, dicentes : Ut quid perditio hæc?* hoc est, cur unguentum hoc tam inutiliter fusum est? Secundum expositores communiter, ponitur hoc loco plurale pro singulari, per figuram synecdochen, ita quod solus Judas murmuravit, et verba hæc protulit.
Joann. xii, 4, 5. Unde apud Joannem solus Judas fertur hoc factum reprehendisse. Sed quia apud Joannem Christus pluraliter respondendo
Ibid. 7. ait, Sinite illam, etc., probabile est, quod etiam aliqui alii indignabantur, sed alia intentione quam Judas. Nam Judas ideo tristabatur, quia pretium unguenti cupiebat furari; aliis autem quibusdam apparebat melius fuisse quod pretium unguenti erogatum esset pauperibus. Ideo subditur :
9 *Potuit enim* unguentum *istud venundari multo,* hoc est vendi pro pretio magno, *et dari pauperibus.* Unde apud Joannem tra-
Ibid. 5. ditor ait : Quare unguentum hoc non veniit, hoc est, venditum est, trecentis denariis, et datum est egenis? In Marco vero
Marc. xiv, 5. discipuli leguntur dixisse : Potuit unguentum istud venundari plus quam trecentis denariis, et dari pauperibus. Et forte discipuli hoc dicentes, incitati erant a proditore, qui suam cupiditatem palliavit simulando pietatem ad pauperes.

Sciens autem Jesus, quam bene mulier 10
illa fecisset, et quam injuste Judas indignaretur, vel etiam alii, qui adhuc rudes erant, nec magistri sui dignitatem pensabant, cujus erat tanta nobilitas ut totius mundi unguenta minus pretiosa erant ad ejus contactum et perfusionem; *ait illis : Quid molesti estis huic mulieri?* Nam et fremebant in eam, secundum Marcum. Tan- Marc. xiv, 5.
quam dicat : Irrationabiliter movemini contra eam. *Opus enim bonum operata est in me :* quia infundendo unguentum super me, non perdidit illud, sed religiosissime fecit, ex caritate et devotione magistrum suum honorans et recreans. *Nam pauperes* 11
semper habetis vobiscum, quamdiu estis in vita præsenti, et ergo potestis eis quotidie benefacere; *me autem non semper habebitis* in hoc sæculo, eo modo quo nunc inter vos vivo et ambulo, sensibiliterque vobiscum conversor. De tali præsentia ait Christus post resurrectionem : Hæc sunt verba quæ locutus sum vobis, Luc. xxiv, 44.
quum adhuc essem vobiscum; et etiam ante passionem, O generatio incredula, Marc. ix, 18.
quamdiu apud vos ero? Nec obstat quod ait infra, capitulo ultimo : Ecce ego vobiscum sum cunctis diebus usque ad con- Matth. xxviii, 20.
summationem sæculi. Hoc enim ait de præsentia sua per gratiam, et sacramentalem exsistentiam; potissimum autem de præsentia sua per divinitatis suæ majestatem ac providentiam.

Mittens enim hæc mulier *unguentum* 12
hoc in corpus meum, id est super caput et pedes corporis mei, *ad sepeliendum me fecit,* hoc est, nunc fecit quod faceret mihi in sepulcro, si posset. Voluit enim Maria hoc corpus Christi ungere in sepulcro, sed non potuit, quia jam resurrexit : ideo Christus voluit sibi nunc exhiberi, quod noverat sibi in die resurrectionis non esse exhibendum. Vel sensus est : Hoc facto

præsignavit sepulturam meam cito futuram, exhibendo mihi sepulturæ officium, scilicet corporis unctionem : quod Judæi communiter exhibebant sepultis, quemadmodum Joseph et Nicodemus fecerunt (*Joann.* XIX, 38-42.) Christo occiso. Utrique autem expositioni consonat quod in Marco dixit Salvator : (*Marc.* XIV, 8.) Prævenit ungere corpus meum in sepulturam. Hinc et apud Joannem ait : Sinite (*Joann.* XII, 7.) illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud.

13 *Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium,* hoc est evangelica facti hujus historia, seu evangelica doctrina, in qua opus hujus feminæ continetur, *in toto mundo.* Ecce Jesus passioni suæ jam proximus, noverat toto orbe terrarum Evangelium suum disseminandum. *Dicetur* a fidelibus, *et quod hæc fecit,* id est, quod mulier ista hæc opera pietatis mihi exhibuit, caput meum ungendo, pedes lavando atque tergendo. Vel sic : Et quod hæc fecit, id est hoc opus unctionis quod hæc mulier mihi impendit. *In memoriam ejus,* hoc est ad laudem mulieris istius, hoc est, a fidelibus recitabitur opus istud tanquam virtuosum, ad laudem istius devotæ : secundum quod (*Prov.* X, 7.) Salomon ait : Memoria justi cum laude ; nomen autem impiorum putrescet. Hoc videmus impletum : omnes equidem commendamus Mariam Magdalene in opere isto.

Spiritualiter debemus et nos caput Christi pedesque ejus ungere pretioso unguento, vita exemplari et bona fama utramque Christi naturam, puta divinam, quæ designatur per caput, et humanam, quæ per (*II Thess.* I, 12.) pedes exprimitur, honorando, ut clarificetur et magnificetur Christus in servulis suis. Denique, qui delectatur in Domino, qui studet in omnibus facere quæ sunt placita Deo, hic ungit Christum, ita ut (*Prov.* VIII, 31.) deliciæ Christi sint esse cum eo. Qui ejusmodi sunt, dicere possunt cum Sponsa : (*Cant.* I, 11.) Quum esset rex in accubitu suo, nardus (*II Cor.* II, 15, 14.) mea dedit odorem suum ; et cum Apostolo : Christi bonus odor sumus in omni lo- (*Philipp.* I, 20.) co ; itemque, In omni fiducia magnifica-

A bitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem.

Tunc : non eo die quo facta est unctio 14
jam descripta, et quando hæc verba locutus est Jesus ; sed, Tunc, id est circa hoc tempus, videlicet feria quarta ; *abiit unus de duodecim* Apostolis, *qui dicebatur Judas Iscariotes :* de quo ante passionem Christus dicebat, Nonne vos duodecim (*Joann.* VI, 71.) ego elegi, et unus ex vobis diabolus est ? Judas ergo fuit unus illorum, vocatione, non prædestinatione, nomine, non merito.
B Denique, egresso Juda, sancta illa collectio mundata fuit a filio tenebrarum ac per- (*Ibid.* XVII, 12.) ditionis. Propter quod Christus statim post Judæ abscessum dixit : Nunc clarificatus (*Ibid.* XIII, 31.) est Filius hominis. Dicitur autem Judas Iscariotes, quia (ut legitur) natus fuit de vico nomine Carioth, qui fuit in sorte et familia Issachar. *Ad principes sacerdotum,* quos percepit congregatos : et probabiliter æstimavit, quod ad tractandum de morte Jesu, præsertim quia et a Christo audivit quod post biduum traderetur ad crucifi-
C gendum. Ideo absolute et secure interrogat : *Quid vultis mihi dare, et ego eum* 15
vobis tradam ? tanquam dicat : Scio cur convenistis, et paratus sum vestrum desiderium perducere ad effectum, dummodo detis mihi quod cupio pretium.

At illi constituerunt, hoc est, dare promiserunt, *ei triginta argenteos.* Secundum Lucam et Marcum, gavisi fuerunt auditis (*Luc.* XXII, 5; *Marc.* XIV, 11.) sermonibus Judæ. Promisit enim quod traderet eum occulte. Idcirco mutaverunt consilium quo ante decreverunt, dicentes :
D Non in die festo. (vers. 5.) Videbatur enim eis, quod non posset esse convenientior modus capiendi Christum, quam ut a proprio venderetur ac traderetur discipulo, quia et sic ipsi quodammodo viderentur esse immunes, et Christus videretur esse iniquus, quasi qui a proprio discipulo proderetur ad mortem. Judas vero spopondit se traditurum Jesum illis, quum constituissent ei triginta argenteos. Tanti enim valoris erat unguentum prædictum : cujus pretio in tantum doluit se frustratum, ut desiderio

recuperandi illud, venderet Jesum. Quilibet namque illorum triginta argenteorum valuisse dicitur decem denarios usuales, sicque triginta argentei valebant trecentos denarios : quod fuit pretium hujus unguenti, ut patuit. O infelix Juda, quam parvi pretii Filius Dei in animo tuo! Nec mirum, quia avarus fuisti. Avarus autem *Eccli.* X, 10. non solum Christum, sed et animam suam habet venalem.

16 *Et exinde,* hoc est ab hac hora, *quærebat* Judas *opportunitatem,* id est convenientiam loci ac temporis, *ut eum traderet* Judæis, sine turba credente seu libenter audiente Christum.

17 *Prima autem die Azymorum,* hoc est feria quinta in hebdomada passionis, quæ fuit vigilia Parasceves et quarta decima luna Aprilis, ut prædictum est : et dicitur prima dies Azymorum, id est panum non *Exod.* XII, 18, 19. fermentatorum, quia a vespere hujus diei inceperunt Judæi vesci azymis panibus, quibus et vescebantur usque ad vesperam vicesimæ primæ diei ejusdem mensis, videlicet septem diebus, prout præceptum fuit in Exodo. *Accesserunt discipuli,* id est Apostoli, *ad Jesum, dicentes : Ubi vis paremus tibi comedere pascha,* hoc est agnum paschalem?

Hoc loco discuti habet dissensio quæ est inter Latinos et Græcos de tempore Cœnæ et passionis, atque de materia in qua Christus corpus proprium consecravit. Dicunt itaque Græci, quod Christus sciens se occidendum in die festo Paschæ, hoc est feria quinta secundum eos, anticipavit per unum diem manducationem agni paschalis, comedens illum feria quarta, seu luna tertiadecima. Et quia hoc die Judæi edebant panem fermentatum, dicunt quod Christus in fermentato confecit : et sic ipsi conficiunt, asserentes se imitari institutionem Christi. Dicunt ergo, quod Christus crucifixus fuit feria quinta sanctorum. Verum, quia hoc manifeste contrarium est verbis evangelistarum Matthæi, Lucæ et *Luc.* XXII, 7; *Marc.* XIV, 12. Marci, dicentium quod prima die Azymorum Christus cœnavit, et Sacramentum

A altaris instituit, in tantam prorumpunt vesaniam, ut dicant beatissimos istos Evangelistas errasse et falsum scripsisse, et a Joanne, qui ultimo scripsit evangelium suum, esse correctos, dum ait, Ante diem *Joann.* XIII, 1. festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus, etc., ubi docet Cœnam factam die paschalem festivitatem præcedente.

Probant igitur suam insaniam, primo auctoritate Joannis jam allegata. Dies enim festus Paschæ vocabatur, in quo agnus paschalis immolabatur ac edebatur, videli- B cet feria quinta. Ergo ante hanc feriam Christus cœnavit atque confecit. Secundo, per hoc quod in Joanne habetur, quia Judæi non introierunt prætorium Pilati, *Ibid.* XVIII, 28. ne contaminarentur, sed ut manducarent pascha. Ergo die quo agnum paschalem edebant, crucifixerunt Christum. Tertio, quoniam mulieres in die Parasceves para- *Luc.* XXIII, 56. verunt unguenta. Hoc autem non licuit feria sexta, eo quod dies illa fuerat celeberrima. Dies ergo Parasceves, in quo passus est Jesus, fuit feria quinta et luna C quartadecima.

Sed istæ Græcorum persuasiones solvuntur faciliter per distinctionem hujus nominis, *pascha,* quod in Scripturis divinis diversis modis accipitur. Uno modo, pro tota hebdomada Azymorum : sicque in Actibus Apostolorum dicitur de Herode, quod voluit post Pascha producere eum, *Act.* XII, 4. scilicet Petrum, populo. Secundo, pro ipsa celebritate paschali, scilicet pro die sequente vesperam qua manducabatur agnus paschalis, videlicet pro die seu luna quin- D tadecima. Sic sumitur, secundum unam expositionem, apud Lucam : Appropinqua- *Luc.* XXII, 1. bat dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha. Tertio, pro hora immolationis et comestionis agni paschalis : quemadmodum in Marco scriptum est, Erat Pascha et Azy- *Marc.* XIV, 1. ma post biduum. Quarto, pro quocumque cibo vel pane quo vescebantur Judæi, durante festivitate paschali. Sic sumitur apud Joannem : Judæi non introierunt præto- *Joann.* XVIII, 28. rium, ut manducarent pascha, hoc est azymos panes, quibus dumtaxat vescebantur

septem diebus; nec licuit eis vesci his panibus, nisi essent mundi secundum legem, secundum quam contaminabantur ingrediendo domum gentilium. Per quod patet solutio secundi argumenti Græcorum. Non enim sumit Joannes loco præallegato *pascha* pro agno paschali, sed panibus azymis. Quinto, accipitur pro agno paschali. Sexto, pro figurato illius agni, hoc est pro Christo : de quo cantat Ecclesia, Ipse enim
I *Cor.* v, 7. verus est agnus. Unde Apostolus : Pascha (inquit) nostrum immolatus est Christus. Septimo, pro festivitate epularum paschalium : quemadmodum scriptum est, Non fuit tale Phase a diebus judicum, quale fecit Josias. II *Par.* xxxv, 18. Ex his insuper patet responsio ad primam Græcorum instantiam. Quum autem ait Joannes, Ante diem festum Paschæ, etc., *Joann.* XIII, 1. non sumit diem festum pro die immolationis agni, sed pro die sequenti, quæ erat celebrior, cujus celebritas inchoabatur a vespera præcedentis diei. Ad tertiam persuasionem eorum dicendum, quod parare unguenta pro defuncto ungendo, non fuit opus servile, sed religiosum et pium : ideo licuit die Parasceves. Denique, secundum veritatem legalia seu cærimonialia legis cessarunt, mox Christo oblato seu passo, quantum ad obligationem. Patet ergo quod Christus celebravit Cœnam novissimam feria quinta. Et quia tunc Judæi non utebantur fermentato, constat quod Christus confecit in azymo. Rursus, quia non venit solvere legem, sed *Matth.* v, 17. adimplere, certum est quod non manducavit carnes agni paschalis cum panibus fermentatis, sed azymis.

Postremo, quod Græci asserunt tres Evangelistas errasse, auctoritatem et firmitatem Scripturæ canonicæ confundit ac destruit. Nam qua ratione conceduntur Apostoli, Evangelistæ vel Prophetæ errasse alicubi, eadem ratione concederentur errasse et alibi, tanquam proprio sensu et spiritu humano locuti. Ex hoc quoque sequeretur Scripturam canonicam datam et inspiratam non esse a Spiritu Sancto. Contra quod ait Salvator : *Joann.* XIV, 26. Paracletus Spiritus San- A ctus, quem mittet Pater in nomine meo, docebit vos omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis. Et alibi : Quum venerit, inquit, ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. *Joann.* XVI, 13. Præterea, qualem apparentiam habet hoc, quod tres Evangelistæ obliti fuissent qua die Christus cœnavit et passus est, quorum unus Cœnæ interfuit, et alius a Petro instructus fuit, tertius quoque se audisse testatur ea quæ scripsit, ab ipsis Apostolis? *Luc.* I, 2.

Advertendum vero, quia ut refert Thomas, B tota Ecclesia primo consecravit in azymo, sicut et Christus. Postea, insurgente hæresi eorum qui dixerunt cum Evangelio servanda esse legalia, tota Ecclesia ex familiari consilio Spiritus Sancti, consecravit in fermentato, ne videretur judaizare, et ut hæresis illa destrueretur. Unde, cessante hac hæresi, Ecclesia Latinorum rursus ut olim confecit in azymo. Græci vero consuetudinem pristinam irrationabiliter servaverunt. Causa quippe cessante, cessare debebat effectus. Hinc itaque C posteriores Græcorum ad sui erroris defensionem confinxerunt multa mendacia, affirmantes quod Christus confecit in fermentato, et cetera quæ commemorata sunt jam et reprobata.

18 *At Jesus dixit : Ite in civitatem* Jerusalem, *ad quemdam.* Non exprimit quem; sed secundum Lucam et Marcum, Christus dedit discipulis quos misit, signum cognoscendi domum et personam ejus ad quem mittebantur, *Ibid.* XXII, 10, 11; *Marc.* XIV, 13, 14. videlicet, quod introeuntibus eis in civitatem, occurreret eis homo por- D tans lagenam aquæ, quem sequerentur usque in domum quam ingrederetur, et dicerent domino seu patrifamilias domus illius, quod subditur :

Magister dicit, videlicet Christus summus magister, qui ait : Nolite vocari Rabbi; unus est enim magister vester Christus. *Matth.* XXIII, 8, 10. Ex isto apparet, quod civis iste Jerusalem fuit discipulus Christi, quem nomine magistri designari cognovit, quamvis forte occultus, sicut et Joseph ab Arimathæa. *Joann* XIX, 38. Secundum Chrysostomum, homo iste fuit

magnanimus, qui Christum et ejus disci- A
pulos hospitare et bene tractare audebat
contra voluntatem pontificum, Scribarum
et Pharisæorum. Sed hanc magnanimita-
tem omnemque perfectionem virtutum, po-
terat ei Christus facillime dare, atque cre-
ando infundere. Hieronymus dicit, quod
hominis hujus nomen non explicatur, quo-
niam talis modus loquendi frequens est in
veteri Testamento et idiomate Hebræorum.
Porro Ambrosius ait, quod ideo non expri-
mitur nomen ejus, ut ignobilis fuisse æs-
timetur. Unde secundum Ambrosium, non B
erat dives aut potens, sed pauperis hospiti-
um Christus elegit. Alii dicunt oppositum:
et hoc verius æstimatur, quia de homine
Luc. XXII, 12. isto scribitur, testante Luca, Ipse demon-
strabit vobis cœnaculum grande stratum.
Quod utique cœnaculum vel habitaculum
adeo grande fuit, quod in ipso sedebant
Act. I, 15. centum viginti homines, in quos descendit
Spiritus Sanctus in die Pentecostes. Pau-
peres autem tales domus habere non so-
lent. Æstimo ergo, quod homo iste erat
multum potens, dives et nobilis, non indi- C
gens formidare Judæos. Alioqui, quomodo
ausus fuisset, etiam post Christi passio-
nem usque ad diem Pentecostes, tenere in
domo sua Christi discipulos, quos, ut opi-
nor, sæpius aluit, quoniam pauperes erant,
et raro exire audebant? Voluit namque
Salvator etiam aliquos divites habere di-
scipulos, a quibus cum suis interdum su-
stentaretur, scilicet Lazarum, Martham, etc.

Tempus meum prope est, hoc est, hora
passionis meæ jam instat; *apud te facio*
Pascha, id est, in domo tua comedam D
agnum paschalem, *cum discipulis meis.*

19 *Et fecerunt discipuli sicut præcepit eis*
Jesus, et paraverunt pascha, hoc est, agnum
paschalem coxerunt. Isti discipuli erant
Luc. XXII, 8. Petrus et Joannes, ut Lucas habet. *Vespere*
20 *autem facto,* id est hora vespertina feriæ
quintæ, in qua post meridiem vênit a Be-
thania (ut creditur) ad Jerusalem, *discu-*
buit, hoc est, pascha comedit, *cum duode-*
cim discipulis suis, id est Apostolis. Non
ergo interfuisse videntur aliqui de nume-
ro septuaginta duorum discipulorum. Ali-
qui tamen dicunt oppositum, scilicet, quod
interfuerunt. *Et edentibus illis,* videlicet 21
Christo atque discipulis, *dixit* Jesus: *Amen*
dico vobis, quia unus vestrum me tradi-
turus est. Sicut de passione, ita nunc de
proditore pronuntiat, ut quantum in se
est, revocet eum a tam malo proposito.
Judas enim qui sibi conscius fuit tanti fa-
cinoris, merito pœnituisset, audiens se no-
tari, et tamen sentiens se tam patienter ac
pie a magistro proprio tolerari.

Et contristati valde. Triplici causa con- 22
tristabantur: primo et maxime, propter
innocentis ac dilecti magistri impiissimam
traditionem vicinamque mortem; secun-
do, quia unusquisque eorum timebat sibi
ipsi, ne ex humana fragilitate tale crimen
incurreret, scientes verba magistri sui non
posse esse mendosa; tertio, quod inter
eos fuit aliquis tam perversus: nam et cri-
men unius de congregatione, in totam con-
gregationem sæpe redundat, et bonus colle-
ga de lapsu sodalis sicut de proprio dolet.
Ideo *cœperunt singuli dicere,* vel simul,
vel separatim seu successive. Secundum
Marcum, quærebant sigillatim. *Numquid* *Marc.* XIV, 19.
ego sum, Domine? Noverat unusquisque
undecim Apostolorum se non habere pro-
positum id agendi; sed quærit, ut excuse-
tur, et certificetur a Christo quod non sit
tantum flagitium peracturus. Et forte quæ-
rebant, ut Christus traditorem monstraret,
quo facto ipsi illum compescerent, et sui
magistri proditionem impedirent. Apud Jo-
annem legitur, quod quum Christus dixis-
set, Unus vestrum me tradet, discipuli ad- *Joann.* XIII, 21, 22.
spiciebant se mutuo. Denique Lucas habet,
quod cœperunt inter se quærere, quis *Luc.* XXII, 23.
eorum hoc esset acturus. Primo ergo inter
se quærebant, et quum de nullo ipsorum
aliquid tale præsumerent, interrogaverunt
magistrum sigillatim, secundum Marcum.

At ille respondens, ait: Qui intingit 23
mecum manum in paropside, hoc est in
vase quadrato, in quo erant carnes agni:
quod Marcus vocat catinum, quoniam fi- *Marc.* XIV, 20.
ctile erat; *hic me tradet.* Per hoc non

designavit Judam aperte, ut aliqui dicunt, A nec dedit evidens signum, quoniam noluit occultum peccatorem publicare, nec propriam passionem impedire. In Marco
Marc. xiv, 20. legitur Christum respondisse : Unus ex duodecim. Ex quo aliqui eliciunt, quod alii quoque discipuli aderant. Præterea, præter hoc signum indeterminatum, dedit Christus signum certum et determinatum de proditore. Ut enim apud Joannem legitur,
Joann. xiii, 23. ipse Joannes erat recumbens seu reclinatus in sinu Jesu, et super pectus Jesu apodiavit, tanquam familiaris prædilectus- B
Ibid. 24-26. que filius. Cui Petrus innuit, et dixit : Quis est de quo dicit? Dixitque Joannes ad Jesum secrete : Domine, quis est? Et Jesus : Ille (inquit) est, cui intinctum panem porrexero. Et quum intinxisset, porrexit Judæ buccellam. Verumtamen, Christo sic disponente, Joannes non indicavit Petro hoc signum, quoniam ex fervore dilectionis in Jesum, mox invasisset proditorem, nec decuit talem turbationem fieri in Cœna magistri pacifici.

24 *Filius quidem hominis vadit* ad mortem C *sicut scriptum est de eo* in libris Prophetarum, videlicet in Psalmo, ubi prænun-
Ps. xl, 10. tiatur a discipulo suo tradendus : Etenim homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me
Ps. lxxxvii, 5, 6. supplantationem ; et iterum : Æstimatus sum cum descendentibus in lacum, factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mor-
Is. liii, 7. tuos liber. Isaias quoque : Sicut ovis, in-
Ibidem. quit, ad occisionem ducetur ; et, Oblatus
Jer. xi, 19. est quia voluit. Itemque Jeremias : Ego, ait, quasi agnus mansuetus qui portatur D ad victimam. *Væ autem,* id est, æterna damnatio debetur et imminet, *homini illi per quem,* id est a quo, *Filius hominis tradetur. Bonum erat illi,* id est, appetendum et minus malum esset proditori, *si natus non fuisset homo ille,* id est, si nunquam processisset a non esse ad esse. Melius quippe fuisset nunquam fuisse, quam tanta flagitia perpetrare, gratia quoque et gloria in æternum privari : sed et appetibilius est homini absolute non esse, quam esse damnatum, propter æternam pœnalissimamque miseriam. Et licet esse damnatum non sit pejus quam non esse, ratione pœnæ, quæ non aufert totum esse creatum, est tamen pejus ratione culpæ atque æternæ aversionis annexæ ; et est omnibus modis inappetibilius esse damnatum quam non esse, ex parte damnati, licet non ex parte rei. Nec dubium quin miseri in inferno vellent se non esse.

Respondens autem Judas qui tradidit 25
eum, dixit : Numquid ego sum, Rabbi ? Ideo sciscitatur, ne si ipse taceret aliis interrogantibus, faceret se suspectum, quasi præ ceteris pavens, et male conscius sibi. Et ut ceteris innocentiorem et securiorem se monstret, non Dominum, sed magistrum nominat Jesum, tanquam blandientis affectum, ac caritativam et docilem subjectionem ostendens. Solent quippe simulatores et callidi sic loqui, et singularibus nominibus uti, ne quid mali æstimetur de eis. *Ait illi : Tu dixisti,* hoc est, veritatem expressisti, quamvis non expresseris eam sub forma propositionis et affirmationis. Dicendo enim, Numquid ego sum? dixit, Ego sum : quod verum erat. Unde signo interrogationis omisso, veritatem expressit.

Non solum hac responsione, sed etiam illa qua dixit superius, Qui intingit mecum manum in paropside, me tradet, dedit Christus Judæ intelligere, quod esset proditor, et quod ipse Christus hoc sciret. Ut enim ait Hieronymus : Quum Christus dixisset, Unus vestrum me tradet, ceteri discipuli præ tristitia cessaverunt comedere ; Judas vero temeritate et impudentia qua proditurus fuit magistrum, adhuc cum eo manum posuit in catino. Sicque quod dixit, Qui intingit mecum, etc., pro tunc de solo Juda intelligi potuit, quamvis discipuli hoc non notaverunt : omnipotens etenim Christus sic per verba sua notavit monuitque Judam, quod latuit alios. Et in istis pensandum est, quam modeste, ordinate, et pie, quam demum terribiliter, Christus admonuit Judam. Primo enim

dicebat, Unus vestrum me tradet; secun- A
do, Qui intingit mecum; et pœnam adje-
cit, Væ homini illi, etc.
26 *Cœnantibus autem illis, accepit Jesus*
panem azymum et triticeum, *et benedixit,*
id est, per verba consecrationis in corpus
mutavit et transsubstantiavit, *ac fregit,*
non panem, quia jam fuit conversus in
corpus, nec corpus suum, quod fuit sub
specie panis modo non quantitativo; sed
fregit dimensiones panis conversi, sub qui-
bus continebatur corpus Salvatoris. Conse-
cravit enim integrum panem, vel magnam B
ejus partem. *Deditque* cuilibet Apostolo-
rum particulam, imo totum Eucharistiæ
sacramentum, quemadmodum subditur. De-
ditque *discipulis suis,* etiam Judæ, quo-
niam noluit occultum prodere peccato-
rem. Hilarius tamen dicit oppositum; sed
credendum est principi theologorum, sa-
cratissimo Dionysio, qui ait quod Christus
dedit proditori corporis sui sacramentum.
Verumtamen non dedit ei corpus suum
Joann. XIII, 26, 27, 30. sub buccella de qua apud Joannem legi-
tur, sed sub specie panis non intincti. *Et* C
ait : Accipite quod porrigo, *et comedite*
devote, non sicut alios cibos; *hoc* quod
sub specie panis post consecrationem con-
tinetur, *est corpus meum* verum, non fi-
gurativum dumtaxat. Porro hæc verba, Hoc
est corpus meum, protulit Christus ante-
quam frangeret vel porrigeret panem cœ-
lestem discipulis. Hæc enim verba profe-
rendo consecravit : quæ ut aliqui dicunt,
repetivit dando Sacramentum Apostolis.
De hac autem institutione Sacramenti, et
de his quæ concernunt præsentem mate- D
riam, infinita dici possent : quæ quum
alibi copiosissime habeantur, hic inseren-
da non sunt.
27 *Et accipiens calicem* plenum vino, ut
putatur, lymphato, quia in Terra sancta
sunt fortia vina, quæ solent lymphari, præ-
sertim a sobriis viris, *gratias egit* Deo
Patri, *et dedit illis,* non vinum, sed san-
guinem, quem per verba sequentia conse-
cravit, mutando vinum in sanguinem, *di-*
cens : Bibite ex hoc calice *omnes* sanguinem
meum. Sequuntur verba consecrationis.
Hic calix, id est contentum in calice, *est* 28
enim sanguis meus novi Testamenti, id
est, per cujus effusionem et adspersionem
confirmatum est novum Testamentum, seu
evangelica promissio et doctrina. Testa- Hebr. IX, 17.
mentum namque in mortuis confirmatur,
secundum Apostolum. *Qui pro multis,* id
est pro salute electorum reparanda, *effun-*
detur. Pro omnibus enim passus est Chri-
stus et fusus est sanguis ejus, quantum
ad sufficientiam pertinet ex parte Salvato-
ris, cujus passio idonea est omnes salvare,
nisi obicem ponant. Pro solis vero electis
effusus est sanguis Christi, quantum ad
efficientiam seu beatitudinis consecutio-
nem : ideo non ait, Pro omnibus, sed, Pro
multis. *In remissionem peccatorum* omni-
um, originalis videlicet, et actualis seu
personalis, tam venialis quam mortalis. Ad
hanc quippe remissionem faciendam, di-
gna et efficax est effusio sanguinis Chri-
sti; sed oportet ut virtus seu meritum
dominicæ passionis hominibus applicetur
per fidem vel sacramenta Ecclesiæ.
Dico autem vobis : Non bibam amodo, 29
hoc est ultra post hanc horam, *de hoc ge-*
nimine vitis, id est de vino quod gene-
ratur in vinea, *usque in diem illum,* hoc
est post resurrectionem, *quum illud* ge-
nimen vitis seu vinum, non idem nume-
ro, sed specie, *bibam vobiscum novum,* id
est novo atque insolito modo, vel recens,
ad litteram. Unde in die Pentecostes dixe-
runt Judæi Apostolos musto repletos. *In* Act. II, 13.
regno Patris mei, hoc est in Ecclesia mi-
litanti, seu inter vos, et in medio vestri,
de quibus loquor in Psalmo : Narrabo no- Ps. XXI, 23.
men tuum fratribus meis, in medio Eccle-
siæ laudabo te. Porro, quod Christus post
resurrectionem cum discipulis manduca-
vit, Evangelistæ copiose testantur. Quod
vero cum eis tunc bibit, ostendit Petrus
in Actibus Apostolorum : Deus, inquit, de- Act. X, 40, 41.
dit eum manifestum fieri, non omni po-
pulo, sed testibus præordinatis a Deo, no-
bis qui manducavimus et bibimus cum
illo, postquam resurrexit a mortuis. Nec

dubium quin discipuli dederunt ei bibere A vinum.

Convenienter autem in Cœna novissima instituit Christus Eucharistiæ sacramentum post agni paschalis, figuralis seu typici, comestionem, quia hoc sacramentum omnium legalium sacrificiorum finis, veritas, et consummatio est. Legalia vero usque ad Christi passionem, seu veri ac summi sacrificii oblationem, durare debuerunt. Præterea, sacramentum istud instituit Christus : primo, ob suæ passionis perpetuam recordationem; secundo, ob B suæ eximiæ caritatis indicium; tertio, propter Ecclesiæ consolationem, ut Dominum suum haberet sub Sacramento, quem modo non habet visibili modo; quarto, propter nostram subventionem, ut purgemur virtute hujus Sacramenti a vitiis, gratia impinguemur, in via confortemur, ad gloriam perducamur. Quidquid enim cibus corporalis facit in carne manducantis, hoc efficit cibus iste spiritualis in anima communicantis. Insuper creditur Christus corpus suum et sanguinem sub sacramenta- C libus formis personaliter accepisse, non propter indigentiam, sed exemplum.

Hic sapienter et affectuose pensanda est caritas, liberalitas, atque dignatio Christi ad nos, qui tam pretiosissimo alimento nos fovet, qui tam intime nobis uniri dignatur, qui se ipsum nobis tam munificentissime præstat. Hæc quoque unio Christi et perceptio Sacramenti, figura est futuræ unionis in patria. Nec mirum si Filius Dei nunc tribuit nobis corpus et sanguinem suum in alimoniam gratiæ ad tem- D pus, quibus post hanc vitam paratus est dare propriam divinitatem in escam gloriæ in æternum. Amplius, sicut Salvator tactu suæ mundissimæ carnis contulit omnibus aquis vim regenerativam, sic proferendo verba consecrationis, præstitit verbis his vim consecrativam, quando a sacerdote cum intentione conficiendi proferuntur. Et sicut in exordio sæculorum semel
Gen. I, 11. dixit, Producat terra herbam, etc., et ani-
Ibid. 22. malibus, Crescite et multiplicamini ; et ecce usque in finem sæculi omnia verbo ejus obtemperant : sic eadem potestate, semel proferendo verba consecrationis, fecit ut quotiescumque rite proferuntur, sortiantur effectum. Nec mirum si potuit unum in aliud permutare, qui potuit universa ex nihilo facere.

Et hymno dicto, hoc est gratiarum ac- 30
tione persoluta pro esu agni paschalis, de
quo dixit Christus apud Lucam : Deside- *Luc.* XXII,
rio desideravi hoc pascha manducare vo- 15.
biscum antequam patiar. Sed multo amplius gratias egit Christus cum discipulis Deo pro institutione Sacramenti, et novæ legis atque evangelicæ disciplinæ inchoatione. *Exierunt* Christus et undecim Apostoli cum eo : Judas enim jam abiit ad Judæos ; *in montem Oliveti,* ad quem solitus erat venire nocturno tempore ad orandum, ne videretur fugere proditorem, sed ut ostenderet se velle inveniri.

Tunc dicit illis Jesus : Omnes vos scan- 31
dalum patiemini, scandalum passivum, videlicet, lapsum in culpam incurretis, *in me,* id est occasione mei, propter violentiam mihi inferendam, quam timendo fugietis a me ; *in ista nocte. Scriptum est*
enim : Percutiam, id est, percuti et capi *Zach.* XIII,
permittam, *pastorem,* hoc est Christum, 7.
qui ait : Ego sum pastor bonus. De quo per *Joann.* X,
Ezechielem Dominus perhibet : Salvabo 11, 14. *Ezech.*
gregem meum, et suscitabo super eum pa- XXXIV, 22,
storem unum, qui pascat eum, David ser- 23.
vum meum, id est Christum, ut omnes exponunt. Huic consonat quod Christus in Psalmo loquitur de se ipso ad Patrem :
Quoniam quem tu percussisti, persecuti *Ps.* LXVIII,
sunt. Et in Isaia : Propter scelus, inquit, 27. *Is.* LIII, 8.
populi mei percussi eum. *Et dispergentur,* id est, per diversa loca fugient, *oves gregis,* id est oves quæ sunt grex Christi, puta discipuli. Christus allegando scripturam hanc, variat verba, non sensum. Sic enim
habet translatio nostra, Percute pastorem, *Zach.* XIII,
et dispergentur oves gregis : quæ sunt 7.
verba Prophetæ loquentis ad Deum. Hic vero ponuntur quasi verba Dei loquentis. Idem autem est sermo Dei et servorum

ejus. Ad intelligendum quoque quod verba hæc ad litteram dicta sunt de Christo et ejus passione, confert quod immediate præmittitur : Framea, suscitare super pastorem meum, et super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum. (*Zach.* XIII, 7.) — Quæritur, quomodo Matthæus et Marcus scribant Christum hæc verba dixisse post exitum a cœnaculo, quum in Joanne legatur ea dixisse antequam egrederetur. (*Marc.* XIV, 27.) Sic enim ait Salvator apud Joannem : Venit hora, et nunc est, ut dispergamini unusquisque in propria, et me solum relinquatis. (*Joann.* XVI, 32.) Dicendum, quod Christus eumdem sensum sub aliis verbis expressit ante egressum a domo, et postea.

32 *Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam,* id est, in Galilæa vobis apparebo. Non tamen duxit eos illuc, visibiliter præcedendo. De hoc infra scriptum est : Undecim discipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Jesus ; et videntes eum adoraverunt. (*Matth.* XXVIII, 16, 17.) Hoc Christus adjecit, ut pollicitatione propinquæ resurrectionis et apparitionis consolationem reciperent tristes discipuli.

33 *Respondens autem Petrus, ait illi : Etsi omnes* discipuli *scandalizati fuerint in te,* fugiendo a te ex inordinato mortis timore, *ego nunquam scandalizabor,* id est, nunquam recedam a te, neque peccabo in te. Hoc Petrus locutus est ex magnitudine fidei ac fervoris, tamen incaute, non pensans propriam fragilitatem, et ceteris fortiorem se æstimans. Unde quod dixit, falsum fuit materialiter, quia aliter accidit ; non autem formaliter, quoniam sicut dicebat, ita intendebat. Mentiri quippe formaliter est contra mentem ire, seu cum intentione fallendi, vel scienter falsum profari.

34 *Ait illi Jesus,* qui tanquam verus Deus, omnia futura contingentia certissime præcognovit : *Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis.* Idem dicunt Lucas et Joannes, quamvis sub aliis verbis. (*Luc.* XXII, 34; *Joann.* XIII, 38.) Sed videtur contrarium quod Marcus habet : Antequam gallus, inquiens, bis vocem dederit, ter me es negaturus. (*Marc.* XIV, 30.) Ergo tertio negavit ante secundum galli cantum. Ad hoc Augustinus respondet, quod tertia Petri negatio fuit morosa, et ita fuit inchoata, non autem terminata, ante primum galli cantum. Marcus ergo dicendo, Antequam gallus bis vocem dederit, etc., respexit ad negationis terminationem. Alii autem Evangelistæ dicendo, quod ter negavit ante galli cantum, respexerunt ad negationis istius principium. Verumtamen in Marco habetur, quod gallus cantavit quum Petrus primo negavit Christum, (*Ibid.* 68.) deinde, quod ante secundum galli cantum Petrus negavit bis. (*Ibid.* 69-72.) Alii ergo dicunt, quod sic intelligenda sit littera : Non cantabit gallus, id est, non percantabit, seu cantum suum non consummabit, donec ter me neges ore, non corde.

35 *Ait illi Petrus : Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter et omnes discipuli,* scilicet decem alii, *dixerunt,* habentes bonum propositum, suisque viribus magis quam gratiæ innitentes, et in sua fortitudine confidentes, obliti quod paulo ante audierunt a Christo : Sine me nihil potestis facere. (*Joann.* XV, 5.) Sed mirum videtur, si Petrus et Apostoli reliqui putabant Jesum verum in verbis suis, quomodo ausi fuerunt contradicere verbis ejus. Respondendum, quod forte æstimabant verba Christi pertinere ad prophetiam comminationis, quæ aliquando non impletur. Vel putabant verba Christi esse mystica, seu aliquo alio modo posse intelligi ac verificari.

ARTICULUS XLII

ELUCIDATIO RESIDUÆ PARTIS HUJUS CAPITULI VICESIMI SEXTI.

36 TUNC *venit Jesus cum illis in villam quæ dicitur Gethsemani.* Hæc villa fuit juxta radices seu pedes montis Oliveti, et habuit hortum, in quem ingressus est Jesus cum Apostolis. Unde in Joanne legi-
Joann. XVIII, 1. tur : Egressus est Jesus trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit, etc. Torrens namque ille fuit inter Jerusalem et montem Olivarum, in valle Josaphat. Unde quum Jesus processisset ultra torrentem hunc, statim venit in villam et hortum præfatos. *Et dixit discipulis suis,* videlicet octo Apostolis, tres enim secum duxit, et Judas non adfuit : *Sedete hic, donec vadam illuc,* id est ad locum qui ante vos est, *et orem* ibi.

37 *Et assumpto Petro et duobus filiis Zebe-*
Matth. XVII, 1; Marc. V, 37. *dæi,* qui erant sibi familiares, et transfigurationi ac suscitationi puellæ interfuerunt.
Luc. XXII, 41. Processit autem ab aliis octo Apostolis quantum jactus est lapidis, secundum Lucam. *Cœpit contristari* in anima, quantum ad partem sensitivam et naturalem affectum, *et mœstus esse,* quantum ad apparatum exteriorem in verbis ac gestibus.
Marc. XIV, 33. Unde secundum Marcum, cœpit pavere et tædere. Mortem enim naturali affectu abhorruit, et foris tristitiam demonstravit.
38 *Tunc ait illis : Tristis est anima mea usque ad mortem,* id est, vehementissime contristatur, ita ut tristitia ista et mors uno dumtaxat gradu videantur distare.

Ad intelligentiam horum oportet advertere, quod est quædam tristitia inordinata, rationem præveniens atque impediens, quæ etiam, secundum philosophos, non cadit in virum constantem : de qua Salomon
Prov. XII, 21. loquitur : Non contristabit justum quidquid ei acciderit; et de qua in Ecclesiastico le-
Eccli. XXX, 24, 25. gitur : Tristitiam longe expelle a te; multos enim occidit tristitia, et non est utilitas in ea. Hæc ergo non fuit in Christo, quemadmodum in Isaia de ipso inducitur : Non (Is. XLII, 4.) erit tristis, neque turbulentus. Alia est tristitia moderata et bona; vel naturalis, seu virtuosa, rationem sequens, et vanitatem excludens : de qua Sapiens ait, Cor sapientium, ubi tristitia. (Eccle. VII, 5.) Unde dicit Apostolus : Quæ secundum Deum tristitia est, salutem stabilem operatur. (II Cor. VII, 10.) Similiter distinguendum est de timore seu pavore. Est enim timor inordinatus, de quo Sapiens : Justus (inquit) quasi leo confidens absque terrore erit; (Prov. XXVIII, 1.) et alibi, Qui timet Deum, nihil trepidabit. (Eccli. XXXIV, 16.) Est et alius timor laudabilis, de quo Scriptura uberrime loquitur.

Dicendum itaque, quod Christus tristabatur et metuebat, loquendo de tristitia et timore naturali prout sunt naturales affectiones et passiones (vel potius propassiones, secundum Hieronymum) appetitus sensitivi. Aliter tamen fuerunt in Christo quam in aliis : quia in ipso non prævenerunt, sed sequebantur rationem et voluntatis imperium, ita quod Christus sponte et rationabiliter assumpsit has passiones : primo, ad ostendendum veritatem humanæ naturæ in se; secundo, ad subveniendum nobis, quia per harum affectionum pœnalitatem, maximam gratiam meruit nobis; tertio, ad consolationem nostram, videlicet, ne viri virtuosi pusillanimes fiant quum sentiunt se mortem instantem timere, quando et Christus eam expavit. Insuper tristabatur atque dolebat anima Christi, loquendo de tristitia prout est actus virtutis seu caritatis, propter infirma membra sua, et eos in quibus vidit fructum passionis suæ perire.

Porro in omnibus his pensandum est,

quam amarum, pœnale et grave fuit Apostolis, præsertim his tribus, hæc verba dulcis magistri audire, ejus pavorem ac tædium intueri, qui eos semper consolari, fovere ac recreare solebat, dulciterque et jucunde cum ipsis conversari.

Sustinete hic, id est, exspectate me hoc loco; vel, Sustinete, id est, condolete; *et vigilate mecum,* adsistendo mihi in tanta angustia, et conformando vos mihi in actibus bonis, ut decet familiares amicos et veros amatores. Hoc dicit Salvator, non quasi indigeat, sed quia eis hoc expediebat, justumque fuit.

39 *Et progressus pusillum,* id est, a discipulis se elongans et abiens modico spatio, Luc. XXII, 41. juxta illud quod Lucas habet : Avulsus est ab eis quantum jactus est lapidis; *procidit in faciem suam, orans, et dicens.* Secundum Lucam, positis genibus oravit. Ibidem. Unde dicendum, quod utroque modo oravit, videlicet prostratus in terram, et genibus flexis. *Pater mi,* qui es singulariter pater meus, videlicet per veram generationem et naturam, aliorum vero pater es per creationem, adoptionisque gratiam, *si possibile est, transeat a me calix iste,* id est passio tam acerba. Non orat absolute, nec secundum rationem deliberatam, ut liberetur a morte, sed conditionaliter, et secundum naturalem appetitum quo refugit mortem. Tamen, secundum voluntatem et rationis judicium, paratissimus fuit ad passionem. Ideo subdit : *verumtamen, non sicut ego volo,* hoc est, appeto secundum sensitivum, naturalem et inferiorem appetitum, *sed sicut tu* vis, sic fiat. Ecce quam blanda, humilis, sobria et affectuosa oratio : cujus formam imitari debemus, Deum in oratione Patrem vocando, ei nos humiliter prosternendo, rationabilia postulando, nostramque voluntatem divinæ in omnibus subjiciendo.

Denique Christus dixit, Si possibile est, quoniam noverat impossibile esse ut non biberet calicem passionis, per respectum ad infallibilem providentiam Dei, quam noverat decrevisse ut moreretur pro mun-

A di salute. Fuit tamen possibile, quantum ad causas secundas et proximas, et per comparationem ad libertatem voluntatis humanæ. Sed cur Christus oravit aliquo modo, quod noverat nullatenus impleri debere? Dicendum, quod illis de causis oravit, propter quas tristitiam et timorem assumpsit. Quemadmodum etenim Christus totam passionis suæ amaritudinem et processum certissime præcognovit, sic sponte sibi in sua imaginatione passionem tam horrendam proposuit : qua considerata, te-

B nerrima ac nobilissima ejus natura inferior ultra omnem æstimationem expavit. Unde in tertia oratione factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram, secundum Lucam. Luc. XXII, 44.

Et venit ad discipulos suos tres, *et invenit eos dormientes* præ tristitia, tædio, lassitudine, et propter vapores illa hora ascendentes ad cerebrum. *Et dicit Petro : Sic non potuisti una hora vigilare mecum?* hoc est, tu qui dixisti, Paratus sum tecum in mortem et in carcerem ire, quo- 40 Ibid. 33.

C modo nunc non potes parvam rem facere, vigilando mecum tam modico spatio? Idcirco autem specialiter affatur et increpat Petrum, quia præ ceteris præsumpsit Christo adstare, non scandalizari, et quia superior fuit Apostolis aliis. Post ejus vero increpationem, dirigit exhortationem suam ad omnes tres. *Vigilate,* bene vos occupando, *et orate* pro adjutorio gratiæ Dei, *ut non intretis* per consensum *in tentationem,* id est, ne consentiatis tentationi, quæ per orationem præcipue superatur. 41

D Quemadmodum enim Lucas habet, Satanas expetivit Apostolos, ut cribraret sicut triticum : ideo indigebant fortiter reluctari, nec somno indulgere. *Spiritus quidem promptus est,* hoc est, anima vestra secundum partem suam superiorem parata est mecum pati, vigilare ac permanere, ut promisistis; *caro autem infirma,* id est, sensualitas fragilis est, et corpus quod corrumpitur, debile, tardum et impotens est ad ista agenda ac patienda, nisi per gratiam adjuvetur, quæ ab ani- Ibid. 31. Sap. IX, 15.

ma redundet in carnem, eamque rationi A
subjiciat.

42 *Iterum secundo abiit* ad locum priorem,
et oravit, dicens : Pater mi, si non potest
hic calix transire, nisi bibam illum, hoc
est, si passio ista impediri et a me tolli
non valet, *fiat voluntas tua.* Hoc est quod
Ps. xxxix, 8, 9. Christus ait in Psalmo : In capite libri scri-
ptum est de me, ut facerem voluntatem
tuam; Deus meus volui. Non ergo voluntas
animæ Christi fuit divinæ voluntati con-
traria : imo, nec voluntas ejus naturalis
seu appetitus inferior, fuit rationi rebellis B
sive repugnans. Quamvis enim desideravit
non pati, hoc tamen non fuit contra ratio-
nem; sed ratio imperavit hoc appetitui in-
feriori naturali, ut secundum suam natu-
ram moveretur : quod et fecit, et ratione
jubente, facere mox cessavit.

43 *Et venit iterum, et invenit eos dormi-*
entes. Per hoc quod Christus toties ad di-
scipulos rediit, dedit prælatis exemplum
sollicitudinis de visitatione, admonitione,
atque custodia proprii gregis, et ne tantum
vacent contemplationi, quod negligant ope- C
ra vitæ activæ, et gubernationem subdi-
torum suorum. *Erant enim oculi eorum*
gravati. Oculi eorum interiores erant gra-
vati negligentia et torpore; oculi quoque
eorum exteriores gravati fuerunt somno-
lentia et vapore. Hic non dicitur, quod
Christus alloquebatur discipulos istos hac
Marc. xiv, 40. vice. Sed in Marco scriptum est : Ignora-
bant quid ei responderent. Ex quo constat,
quod etiam hac vice arguit et admonuit
eos; et forte tunc loquebatur eis commu-
niter, non specialiter Petro, quia pluraliter D
scriptum est, quod ignorabant quid re-
sponderent, id est, quomodo se excusarent,
44 imo inexcusabiles erant. *Et relictis illis*
corporaliter, quos non reliquit spirituali-
ter, nec secundum divinitatis suæ natu-
ram, *iterum abiit* ad pristinum locum, *et*
oravit tertio, eumdem sermonem dicens.
Tribus vicibus idem precatur, ut det nobis
exemplum perseveranter orandi, et pro-
pter perfectionem ternarii, qui convenit
Deo altissimo.

In hac oratione tanta anxietate concussa
est anima Christi, ut Lucas dicat, Factus *Luc.* xxii, 43.
in agonia, id est in quadam corporalis na-
turæ laboratione propter anxietatem atque
tristitiam. Unde laborantes in extremis,
dicuntur esse in agonia. Vel, agonia voca-
tur colluctatio appetitus naturalis ac sen-
sitivi mortem abhorrentis et refugientis,
et appetitus intellectivi eamdem optantis
et acceptantis. In Christo quippe tempore
passionis, ex dispensatione divina, non fuit
redundantia superioris partis animæ in in-
feriorem, sed unaquæque permittebatur
agere et pati quod suum erat. Nihilo mi-
nus, ratione jubente, inferior appetitus
superiori mox paruit. Factus ergo Jesus
in hac agonia, prolixius orabat; et factus *Ibid.* 44.
est sudor ejus sicut guttæ sanguinis de-
currentis in terram. Tunc quoque appa- *Ibid.* 43.
ruit ei angelus de cœlo, confortans eum,
verba consolatoria proferendo, et tristitiam
animæ Christi ministerialiter mitigando,
vel se per modum confortantis habendo.

Porro, circa orationem hanc Christi ali-
quid dicit Apostolus ad Hebræos, quod nul-
lus Evangelistarum conscripsit. Ait nam-
que, quod Jesus cum clamore valido et *Hebr.* v, 7.
lacrimis exoravit, et quod exauditus est
pro sua reverentia. In hoc siquidem quod
dicebat, Non quod ego volo, sed tua volun-
tas fiat, exauditus est. Hoc enim dixit se-
cundum deliberatam rationem, et superio-
rem appetitum. Quidquid autem ita oravit,
obtinuit, juxta illud apud Joannem : Gratias *Joann.* xi, 41, 42.
ago tibi, Pater, quoniam audisti me; ego
autem sciebam quoniam semper me audis.

Tunc venit ad discipulos suos. Post quam- 45
libet orationem ad discipulos suos rever-
titur, ut eos hortetur : quia prælatus sic
semper intendere debet suæ saluti, ut nun-
quam obliviscatur providere saluti gregis
sibi commissi. *Et dicit illis : Dormite jam,*
et requiescite. Hoc dupliciter intelligi po-
test : Primo, per modum admonitionis, ita
quod dedit eis licentiam paululum dor-
miendi. Secundo, per modum piæ expro-
brationis, tanquam dicat : Numquid est jam
tempus dormiendi, dum instat captio mea?

Et huic sensui concordant verba sequen- A
tia. *Ecce appropinquabit hora, et Filius*
hominis tradetur in manus peccatorum.
De qua hora dicit ipse Salvator apud Lu-
Luc. xxii, 53. cam : Hæc est hora vestra et potestas tene-
46 brarum. *Surgite, eamus, ecce appropin-*
quat qui me tradet, videlicet infelicissimus
Judas. Ex his apparet, quod pro tunc ces-
savit in anima Christi colluctatio inferioris
appetitus et horror passionis : quia non
solum intrepide, sed et cum ingenti affe-
ctu obviam ivit adversariis suis.
47 *Adhuc eo loquente* cum discipulis suis, B
non solum his tribus, sed cum undecim
Apostolis, quia post finem tertiæ orationis
accessit ad alios octo, *ecce Judas unus de*
duodecim venit, et cum eo turba multa,
Joann. xviii, 3. *cum gladiis et fustibus,* et etiam cum later-
nis, facibus et armis, ut habetur in Joan-
Luc. xxii, 47. ne. Judas quoque antecedebat turbam, ut
Lucas testatur. *Missi a principibus sacer-*
dotum, et senioribus populi Judæorum.
Non solum autem Judas accepit ministros
Judæorum, sed et Pilati, juxta illud Joan-
Joann. xviii, 3. nis : Quum accepisset cohortem, id est C
multitudinem militum Romanorum, quos
præses misit, mittens cum cohorte tribu-
num, id est principem cohortis. Voluit ergo
Judas constipari curia seu ministris pon-
tificis et præsidis, ut si qui essent cum
Jesu volentes eum defendere, non au-
derent.
48 *Qui autem tradidit eum,* videlicet Ju-
das, *dedit eis,* scilicet turbis, *signum* co-
gnoscendi Jesum, *dicens : Quemcumque*
osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Hoc
signum dedit eis, ne errarent in persona D
Christi : Primo, quoniam Jacobus Minor
fuit simillimus Christo in lineamentis cor-
poris. Unde Ignatius scribit sibi dictum
esse, quod si videret Jacobum, videret et
Christum. Ideo etiam Jacobus iste dictus
Galat. i, 19. est frater Domini. Secundo, quia nox erat,
et quamvis laternas et faces haberent, non
tamen poterant tam clare videre sicut in
die. Tertio, quoniam Judas timebat ne Je-
sus inter alios se occultaret. Sciebat nem-
pe subtilem esse magistrum suum : pro-

pter quod timuit ne elaberetur e manibus
ministrorum, quemadmodum sæpe elapsus Luc. iv, 30;
fuit de manibus Judæorum. Hinc enim di- Joann. viii, 59; x, 39.
xit turbæ, Et ducite eum caute, ut Marcus Marc. xiv, 44.
habet. *Et confestim accedens ad Jesum, di-* 49
xit : Ave, Rabbi, id est, magister. *Et oscu-*
latus est eum. Habuerunt autem discipuli
consuetudinem osculandi Jesum quum re-
dirent de via ad eum, vel quum eum sa-
lutarent : quam consuetudinem observavit
primitiva Ecclesia. Unde Paulus ubertim
hortatur : Salutate invicem in osculo san- Rom. xvi, 16; I Cor. xvi, 20; II Cor. xiii, 12; I Thess. v, 26.
cto. Permisit autem se Christus osculari a
proditore : primo, ut nobis mansuetudi-
nis et patientiæ daret exemplum, videlicet
ne ab adversario vultum et oculos aver-
tamus, nec æmulos indignanter adspicia-
mus ; secundò, ut per hoc Judam ad cari-
tatem et pœnitentiam provocaret.
Dixitque ei Jesus : Amice, hoc est tu, 50
Juda, qui amicitiam simulas, sed odium
operaris, quem ego diligo, et a quo habeor
odio, *ad quid venisti?* Non quasi ignorans
quærit, sed ut insinuet Judæ non se igno-
rare dolum atque malitiam ejus, sicque
Judas erubescat et corrigatur. Est enim Eccli. iv, 25.
confusio adducens peccatum, et est confu-
sio adducens gratiam et gloriam, ut habe-
tur in Ecclesiastico. Denique, non solum
dixit Jesus ad proditorem : Amice, ad quid
venisti? sed etiam proprio nomine eum ap-
pellans, ut mollesceret, dixit : Juda, osculo Luc. xxii, 48.
Filium hominis tradis? ut recitat Lucas.
Sed, heu! quam multi imitantur hunc Ju-
dam, ore blandientes, et corde odientes,
ac opere adversantes. *Tunc accesserunt, et*
manus violentas atque sacrilegas *injece-*
runt in Jesum, et tenuerunt eum, imo et
ligaverunt eum, secundum Joannem. Isti Joann. xviii, 12.
sic accedentes, fuerunt cohors et tribunus, Ibidem.
et ministri Judæorum, ut habet Joannes.
Hoc loco tres Evangelistæ omittunt, quod
solus Joannes commemorat, quod Jesus Ibid. 4.
quum processisset obviam turbis, dixit :
Quem quæritis? Quibus respondentibus,
Jesum Nazarenum, et ipso dicente, Ego Ibid. 5, 6.
sum ; abierunt retrorsum, et ceciderunt
in terram. Quumque secundo idem inter- Ibid. 7, 8.

rogasset, et illi similiter dedissent respon-
sum, dixit Jesus : Dixi vobis, quia ego
sum; si ergo me quæritis, sinite hos ab-
ire. Tamen, ut Beda affirmat, Christo oc-
currente Judæis, Judas accessit et oscula-
batur eum antequam Christus sua voce
Judæos prosterneret.
51 *Et ecce unus ex his qui erant cum Jesu,*
videlicet Petrus, in Christi amore ferven-
tior, *extendens manum, exemit,* hoc est
extraxit, *gladium suum,* vel simpliciter
gladium, vel magnum cultellum, quo uti
solent piscatores; *et percutiens servum*
Joann. XVIII, 10. *principis sacerdotum,* videlicet Malchum,
famulum Caiphæ, *amputavit auriculam*
Ibidem. *ejus* dextram, secundum Joannem. Chryso-
stomus dicit, quod putavit amputare caput
ejus. Porro Ambrosius asserit, quod Petrus
Num. XXV, 11. eruditus fuit in lege, et scivit commenda-
tum esse factum Phinees filii Eleazari, qui
Ibid. 7, 8, 14. zelo Dei commotus, perfodit Zambri cum
alienigena fornicantem : ideo Petrus simili
zelo voluit Filium Dei vindicare. Non evi-
denter apparet, quando Petrus hoc fecit.
Marc. XIV, 46, 47. Matthæus namque et Marcus sic recitant,
ac si Petrus servum illum læserit Jesu jam
Joann. XVIII, 10, 12. capto. Joannes vero et Lucas sic recitant,
ac si ante captionem Christi id egerit. Scri-
Luc. XXII, 49. ptum est enim in Luca : Videntes hi qui
circa Jesum erant, quod futurum erat, di-
xerunt : Domine, si percutimus in gladio?
Ibid. 54. Et postmodum Lucas scribit, quod com-
prehenderunt Jesum. Ad quod dicendum
videtur, quod statim quando cœperunt ca-
pere Jesum, antequam ligaretur, Petrus
hoc fecit. Quod elicitur ex duobus : Primo,
quoniam Petrus non potius percussisset
Malchum, quam alium, nisi ille magis fe-
stinasset mittere manum in Jesum. Secun-
Ibid. 51. do, quoniam Malcho læso, dixit : Sinite
usque huc. Et quum tetigisset aurem et lo-
cum læsionis, sanavit eum. Ex quo apparet,
quod nondum vinxerunt manus ipsius.
52 *Tunc ait illi Jesus : Converte gladium*
tuum in locum suum, scilicet in vaginam.
Matth. V, 44, 39. Magister patientiæ, qui docuit inimicos di-
ligere et persequentibus benefacere, per-
cutientique maxillam unam, alteram præ-

A bere, prohibet gladii ultionem et sanguinis
effusionem solo affectu vindictæ, et præ-
termisso ordine juris.

Insuper ponit tres rationes cur non de-
beat gladio defensari. Prima est : *Omnis*
enim qui acceperit gladium, id est, qui
privata ac propria auctoritate arripit en-
sem, vel aliud quodcumque instrumentum
pugnandi, ad inferendum alteri nocumen-
tum, *gladio peribit,* hoc est, ipsa iniquita-
te quam hoc agendo committit, se ipsum
spiritualiter occidit, et damnationem in-
B currit. Non ergo sensus est, quod omnis
talis materiali gladio occidetur, sicut nec
Petrus. Juxta hunc sensum Dominus Deus
ait in Genesi : Quicumque effuderit san- *Gen.* IX, 6.
guinem humanum, effundetur sanguis il-
lius. Et Salomon : Qui fodit (inquit) fove- *Eccle.* X, 8.
am, incidet in eam; et qui dissipat sepem,
mordebit eum coluber. Qui autem utitur
gladio secundum ordinem juris, et discre-
to zelo justitiæ, non per se, sed aliunde
quasi sibi traditum, accipit eum. Quemad-
modum Jeremias dixit Judæ Machabæo :
C Accipe gladium sanctum munus a Deo, II *Mach.* XV, 16.
quo dejicies adversarios Israel. Unde de
principe temporali dicit Apostolus : Non *Rom.* XIII, 4.
sine causa gladium portat, minister enim
Dei est.

Secunda ratio cur Christus non indiguit
gladio protegi, subditur. *An putas, quia* 53
non possum rogare Patrem meum, et exhi-
bebit, hoc est, ad administrandum et obe-
diendum seu defendendum transmittet,
mihi modo plusquam duodecim legiones
angelorum? Qui adeo fortes sunt, ut unus IV *Reg.* XIX, 35.
D percusserit una nocte in castris Assyrio-
rum centum octoginta quinque millia ho-
minum. Legio autem continet sex millia
sexcenta sexaginta sex. Sed dicere aliquis
potest : Si Christus potuit hoc rogare et
impetrare, ergo potuit a passione liberari :
cujus contrarium dictum est, statimque
dicetur. Dicendum, quod potuit hoc impe-
trare, imo jubendo efficere et a passione
liberari, considerando ordinem causarum
proximarum et creatarum. Non enim præ-
ordinatio seu prædestinatio Dei tollit a re-

bus libertatem aut contingentiam. — Ter-
54 tia ratio ad idem subjungitur. *Quomodo
ergo implebuntur Scripturæ ?* id est, si
defendor, et non morior pro salute huma-
na, non verificabuntur vaticinia Propheta-
rum de passione mea loquentium. Hoc au-
tem est impossibile, *quia sic oportet fieri,*
sicut prophetatum est. Prophetia enim
prædestinationis semper et de necessitate
impletur : quod tamen intelligendum est
de necessitate consequentiæ, non conse-
quentis.

55 *In illa hora dixit Jesus turbis,* præser-
tim Judæis : *Tanquam ad latronem existis
cum gladiis et fustibus comprehendere,* id
est ad capiendum *me. Quotidie,* id est sæ-
pe, et omni die fortassis quando fui in Je-
rusalem, *apud vos sedebam docens in tem-
plo* Jerusalem, *et non me tenuistis.* Ex quo
patet, quod non habeatis justam causam
Joann. III, 21, 20. adversum me. Omnis enim qui facit veri-
tatem, venit ad lucem ; qui autem facit
peccatum, odit lucem. His verbis addidit
Christus quod omisit Matthæus, sed Lucas
Luc. XXII, 53. inducit, scilicet : Sed hæc est hora vestra,
et potestas tenebrarum : id est, hoc tem-
pore vestræ voluntati concessum est, ut
faciatis mihi quæ vultis ; et hæc violentia
quam mihi infertis, est potestas tenebra-
rum, videlicet dæmonum vos instiganti-
um, vel hominum vitiis obtenebratorum.

56 *Hoc autem totum factum est,* utpote, ut
Jesus ab impiis caperetur, a nullo defen-
deretur, etc., *ut adimplerentur scripturæ
Prophetarum,* qui Christi passionem præ-
dixerunt.

Tunc discipuli omnes, id est undecim
Apostoli, *relicto eo, fugerunt,* timentes ne
sic tractarentur sicut magister eorum. Sed
quis poterit cogitare cum quanta tristitia
fugerint, quoties retrospexerint, quoties
pectora sua percusserint, fleverint, et ce-
tera signa interni mœroris ostenderint ?

57 *At illi tenentes Jesum, duxerunt illum ad
Caipham principem sacerdotum, ubi Scri-
bæ,* et Pharisæi, *et seniores convenerant*
ad tractandum cum pontifice de morte
Christi. Verumtamen, sicut in Joanne le-
A gitur, primo duxerunt Jesum ad Annam : Joann. XVIII, 13.
quia intrando civitatem, primo venerunt
ante domum ipsius ; secundo, propter
reverentiam Annæ, quoniam erat socer
Caiphæ.

Petrus autem sequebatur eum, scilicet 58
Jesum, *a longe,* non audens prope acce-
dere ad turbam, ne cognitus caperetur.
Quamvis ergo cum aliis fugerit, tamen re-
versus, secutus est magistrum suum. Quod
sequebatur eum, fuit dilectionis et fidei ;
quod vero a longe, pusillanimitatis fuit at-
B que formidinis. Denique, non solum Pe-
trus secutus est Jesum, sed etiam adole- Marc. XIV, 51, 52.
scens quidam amictus sindone super nudo
corpore : qui quum teneretur a compre-
hensoribus Christi, relicta sindone, nudus
fugit ab eis, ut refert Marcus. Hunc adole-
scentem quidam dicunt fuisse Jacobum
Minorem, alii Joannem. Sed et ipse Joan-
nes evangelista testatur, quod Petrus se-
quebatur Jesum, et alius discipulus, qui Joann. XVIII, 15, 16.
fuit notus pontifici, et introduxit Petrum
in atrium Annæ pontificis. Et quamvis Au-
C gustinus dicat, temere definiendum non
esse quis fuerit ille alius discipulus, Chry-
sostomus tamen et alii communiter tenent,
quod fuit Joannes, qui erat notus pontifici
ejusque familiæ. Unde ad ejus instantiam
ancilla ostiaria intromisit Petrum. Fuit au-
tem notus illis, vel quia pulcher et ama-
bilis juvenis, vel quia de nobili stirpe pro-
genitus, scilicet de tribu Juda et genere
David, vel quia interdum attulit pisces pa-
tris sui ad domum pontificis.

Sequebatur itaque Petrus, *usque in atri-
D um principis sacerdotum ; et ingressus in-
tro,* id est per primam portam : non enim
ingressus est aulam, sed mansit in atrio ;
sedebat cum ministris pontificis. Hoc loco
ait quidam : Quomodo ingressus est Pe-
trus ? Dicendum, quod per impetrationem
discipuli qui erat notus pontifici. Verum-
tamen hoc refert Joannes de ingressu in
domum Annæ ; Matthæus vero non loqui-
tur nisi de ingressu ad Caipham. *Ut vide-
ret finem,* id est, quid finaliter fieret suo
magistro, an scilicet dimitteretur, an occi-

deretur : et hoc ad curiositatem quamdam A
pertinuisse videtur.

59 *Princeps autem sacerdotum,* videlicet
Caiphas, *et omne concilium,* id est ceteri
sacerdotes, Scribæ, Pharisæi et seniores,
*quærebant falsum testimonium contra Je-
sum :* non enim poterant veram atque ido-
neam objectionem invenire; *ut eum morti*
60 *traderent; et non invenerunt* quid ei co-
ram Pilato opponerent, tanquam dignum
pœna mortis, *quum multi falsi testes ac-
cessissent,* et diversa objecissent.

Novissime autem, id est post testifica- B
tionem testium prædictorum mendacium,
venerunt duo falsi testes. Duo venerunt,
Deut. XIX, 15. ut in ore duorum staret omne verbum. Ad
Ibid. XVII, 6. unius quippe testimonium nemo condem-
61 nabatur. *Et dixerunt* coram pontifice : *Hic
dixit : Possum destruere templum Dei, et
post triduum reædificare illud.* Tanquam
dicerent : Usurpavit sibi divinam potenti-
am. Occasionem hujus accusationis habe-
bant ex eo quod Christus ait apud Joan-
Joann. II, 19. nem : Solvite templum hoc, et in tribus
diebus excitabo illud. Quod Judæi etiam C
tunc intellexerunt de templo materiali in
Jerusalem fabricato. Unde redarguerunt
Ibid. 20. Christum, dicentes : Quadraginta et sex
annis ædificatum est templum hoc, et tu
in tribus diebus excitabis illud ? Jesus au-
Ibid. 21. tem dixit de templo corporis sui, id est
de corpore suo, quod fuit et est singulare
Coloss. II, 9. templum Dei, in quo habitat omnis pleni-
tudo divinitatis corporaliter. Ut sit sen-
sus : Solvite, id est, mortem inferendo sol-
vetis atque exanime facietis templum hoc,
id est corpus meum; et in tribus diebus, D
hoc est intra tres dies, excitabo, hoc est, a
somno mortis suscitabo illud. Judæi ergo
hoc verbum Christi perverse intelligentes,
ordinem verborum variantes, et pravam
intentionem habentes, merito appellantur
Prov. XVII, 9. testes mendaces. Tales sunt omnes qui alio
sermone repetunt, et simplici animo pro-
nuntiata pervertunt.

62 *Et surgens princeps sacerdotum,* ira
cum urgente, et impatientia agitante, *ait
illi : Nihil respondes ad ea quæ isti ad-
versum te testificantur? Jesus autem tace-* 63
bat : primo, ut mansuetudinis et patientiæ
daret exemplum; secundo, quoniam accu-
sationes inductæ, falsæ et responso indi-
gnæ fuerunt ; tertio, quia cognovit quod
quidquid responderet illis calumniarentur.
Et princeps sacerdotum patientia et silen-
tio Christi fortius provocatus, arbitrans se
contemni, secundum quod talium mos est,
*ait illi : Adjuro te per Deum vivum, ut
dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei
vivi.*

Dixit illi Jesus : Tu dixisti sicut vera- 64
citer est, scilicet, quod sim Christus Filius
Dei vivi et benedicti. Respondit autem Je-
sus sic adjuratus, propter divini nominis
reverentiam, et ut Judæorum ignorantia
inexcusabilis fieret. *Verumtamen dico vo-
bis,* non tibi soli, o Caipha, sed tibi atque
fautoribus tuis; dico vobis plusquam in-
terrogastis, ut terreamini et pœniteatis :
Amodo, hoc est post hanc horam, videlicet
in die judicii, *videbitis Filium hominis
sedentem a dextris virtutis Dei,* id est, in
potioribus bonis Dei Patris residentem, Ephes. I, 20, 22.
tanquam judicem omnium, quando omnia
erunt ei subjecta. Tunc enim videbunt in Apoc. I, 7.
quem pupugerunt. *Et venientem in nubi-
bus cœli* ad judicium. Denique Caiphas ce-
terique damnati jam in inferno exsisten-
tes, vident nunc, id est cognoscunt, Jesum
sedere in cœlo ad dexteram Patris. Si au-
tem quod ait, Videbitis Filium hominis se-
dentem, etc., intelligatur de visione Chri-
sti in patria, referendum erit ad Judæos
conversos, qui ejus morti consenserunt, et
postea crediderunt. Unde in Actibus Apo-
stolorum habetur, quod multa turba sa- Act. VI, 7.
cerdotum obediebat Evangelio. Illis enim
dixit Salvator : Quum exaltaveritis Filium Joann. VIII, 28.
hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.
Isti vident Jesum in cœlo visione beata.

Tunc princeps sacerdotum scidit vesti- 65
menta sua, dicens : Blasphemavit. Con-
suetudo fuit Judæis, quum audirent bla-
sphemiam, scindere vestimenta, in signum
doloris de injuria Deo illata, quasi zelantes
pro Dei honore, et tantum crimen non va-

lentes sufferre. Hinc Paulus et Barnabas, A
Act. xiv, 12, 13. quum sacerdos idolorum vellet eis sacrificare, vestimenta sciderunt. Caiphas ergo, ut quasi religiosus videretur, suamque malitiam coloraret, scidit vestes, quum audisset Christum hæc verba dixisse. Blasphemare autem, est ea quæ Dei sunt creaturis adscribere, vel Deo et Sanctis manifestam injuriam irrogare. *Quid adhuc egemus testibus?* tanquam diceret : Non indigemus jam testibus, quoniam verba ejus testantur eum esse blasphemum, morteque dignum. [*Ecce nunc audistis blasphemi-* B
66 *am.*] *Quid vobis videtur?* Interrogat alios, ne proprio sensui nimium credere videatur, et ut alios contra Christum inflammet et provocet. *At illi respondentes, dixerunt: Reus est mortis :* quia secundum legem,
Lev. xxiv, 16. blasphemi interficiebantur. His dictis, omnes indignati sunt contra Jesum ; eumque cordialiter ac vehementissime spernentes, unanimiter irruerunt in eum, diversis eum pœnis atque injuriis afficientes, quemadmodum subditur.

67 *Tunc exspuerunt* immundissimi illi ca- C
nes *in faciem ejus* sanctam, gratiosissimam
I Petr. i, 12. atque dulcissimam, in quam desiderant angeli sancti prospicere ; *et colaphis eum ceciderunt ; alii autem palmas,* hoc est
68 alapas, *dederunt in faciem ejus, dicentes : Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te*
Luc. xxii, 64. *percussit?* Velabant autem faciem ejus antequam talia dicerent, ut Lucas habet.

Hæc expositione non indigent, sed admirationem et compassionem requirunt. Mirandum est enim, quod unigenitus Filius
Ps. xxiii, 10. Dei, Dominus virtutum, Rex gloriæ, tanta D
pro nobis pati dignatus est ; et prorsus dignum et justum est, ut ei compatiamur, ejus passionibus conformemur, ejus vestigia imitemur, omnia adversa æquanimiter sustinentes, in illis gaudentes, irrisiones, contemptus, vituperia, injurias, pro Christi amore fortiter tolerantes : quia ut Pe-
I Petr. ii, 21, 23. trus ait, Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui quum malediceretur, non maledicebat, quum pateretur, non commi-

nabatur. Quum hæc agerentur, impletum est quod per Isaiam loquitur Christus : Corpus meum dedi percutientibus, et ge- Is. l, 6.
nas meas vellentibus ; faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me. Tunc quoque impletum est illud Job : Aperuerunt super me ora sua expro- Job xvi, 11, 13.
brantes, tenuerunt cervicem meam, percusserunt maxillam meam, saturati sunt pœnis meis. De hoc et Sibylla legitur prophetasse : Dabunt Deo alapas manibus incestis. Insuper, secundum Lucam, alia Luc. xxii, 65.
multa blasphemantes dicebant contra Jesum. Unde et David in persona Christi prædixit : Aperuerunt super me os suum, sic- Ps. xxi, 14.
ut leo rapiens et rugiens.

Petrus autem sedebat foris, hoc est extra 69
domum vel aulam Caiphæ, *in atrio* domus suæ, id est in loco sub dio, qui erat inter portam et januam domus pontificis : in quo atrio erat ignis accensus, juxta quem Luc. xxii, 55.
Petrus sedit inter ministros pontificis, ut Lucas testatur. Erat enim frigus, secun- Joann. xviii, 18.
dum Joannem : sicut frequenter est in tali tempore Martii post mediam noctem. *Et accessit ad eum una ancilla* pontificis, *dicens : Et tu cum Jesu Galilæo eras,* hoc est, huic Jesu nato a Nazareth urbe Galilææ, adhæsisti hucusque. Secundum Lu- Luc. xxii, 56 ; Marc. xiv, 67.
cam et Marcum, mulier ista accessit ad Petrum juxta ignem, et quum fuisset eum diligenter intuita, imposuit ei quod esset discipulus Jesu. *At ille negavit coram om-* 70
nibus, dicens : Nescio quid dicis : hoc est, non solum non fui cum illo, sed nec agnosco illum, nec scio quid verbis tuis significare intendis.

Exeunte autem illo, scilicet Petro, *janu-* 71
am qua intrabatur ad atrium. Unde apud Marcum dicitur : Exivit foras ante atrium. Marc. xiv, 68.
Post primam enim negationem non audebat diu inter ministros adstare, sed ad tempus subtraxit se ; et post modicum tempus, rursus intravit in atrium, cupiens exitum rei videre. *Vidit illum alia ancilla, et ait his qui erant ibi,* hoc est servis pontificis, qui Jesum ceperunt et adduxerunt. Majores autem Judæorum erant intus

in auditorio cum summo sacerdote, oc- A
cupati cum Jesu. *Et hic erat cum Jesu*
72 *Nazareno. Et iterum negavit cum jura-*
mento : Quia non novi hominem. Primo
simpliciter negavit ex timore ; secundo
magis perterritus, adjecit juramentum, et
pejeravit.

Marc. XIV, 66, 67. Sed his verbis Matthæi ac Marci contra-
Luc. XXII, 58. riari videtur, quod secundum Lucam, se-
cunda negatio Petri facta est ad vocem
Joann. XVIII, 25. viri. Porro, secundum Joannem, facta est
ad vocem plurium ; item, secundum Jo-
Ibidem. annem, facta est prope ignem in atrio. B
Dicendum, quod ancilla Petrum accusan-
te, multi accurrebant, et diversi locuti
sunt. Potuit ergo esse ut muliere loquen-
te, unus virorum mox verba feminæ con-
firmaret : et sic Lucas asserit dictum a
viro, quod Matthæus et Marcus referunt a
femina dictum. Joannes vero dicit a plu-
ribus dictum, quia non solum unus, sed
plures viri verba ancillæ confirmabant : et
forte excitati fuerunt ab ea ad loquendum
cum Petro. Mulieres namque ostiariæ, quia
viderunt Petrum cum trepidatione et ve- C
recundia quadam intrare et egredi, sus-
picabantur quod esset discipulus Jesu ; vel
ex aliis signis hoc conjiciebant, puta ex
habitu et apparatu. — Præterea quoque Jo-
annes dicit secundam negationem factam
prope ignem ; Matthæus vero, in exitu
Petri. Hoc sic concordatur, quod Petro in-
cipiente exire, facta dicatur. Non enim
erat longum spatium seu magna distantia
inter ignem et januam : ideo Evangelistæ
non curaverunt locum tam determinate
exprimere ; sed principaliter intenderunt D
ostendere quod Petrus ter negavit, quem-
admodum Christus prædixit. Potuit autem
esse, quod Petro se vertente ad exeun-
dum, aliqui sequebantur eum, imponentes
ei quod esset discipulus Jesu, sicut asse-
ruit mulier.

73 *Et post pusillum,* videlicet facto inter-
Luc. XXII, 59. vallo quasi horæ unius, secundum Lucam,
accesserunt ad eum, hoc est ad Petrum, *qui*
stabant in atrio, *et dixerunt Petro : Vere*
et tu ex illis es, id est de numero disci-
pulorum Jesu ; *nam et loquela tua ma-*
nifestum te facit, hoc est, ex modo locu-
tionis tuæ innotescit quod sis Galilæus.
Quamvis enim Galilæi essent Hebræi, et
Hebræo idiomate uterentur, tamen in pro-
latione verborum aliqualiter differebant
ab habitatoribus Judææ : quemadmodum
cernimus homines diversarum provincia-
rum, licet etiam urbium, idem idioma di-
versimode pronuntiare, quamvis ejusdem
consistant dominii.

Tunc cœpit detestari et jurare, quia non 74
novisset hominem. Fuit enim tunc maxi-
me territus, et statim capi timebat. Secun-
dum Marcum, cœpit anathematizare, hoc *Marc.* XIV, 71.
est cum exsecratione jurare, imprecando
sibi ipsi mala, si negando mentiretur. In
quo patet magna fragilitas Petri, et verum
esse quod ait Salvator : Sine me nihil po- *Joann* XV, 5.
testis facere. Hanc tertiam negationem Lu- *Luc.* XXII, 59.
cas dicit factam ad vocem unius. Similiter
Joannes addens dicit, quod ille unus fuit
cognatus ejus cujus auriculam Petrus ab- *Joann.* XVIII, 26.
scidit, dixitque Petro : Nonne te vidi cum
illo in horto ? Sed hoc facile cum his con-
cordatur, dicendo quod inter multos de
quibus Matthæus et Marcus loquuntur, fuit
unus magis importunus molestusque Pe-
tro. Propter quod Joannes et Lucas lo-
quuntur singulariter de hoc uno.

Et continuo, hoc est statim Petro tertia
vice negante, *gallus cantavit* secundo, se- *Marc.* XIV, 68, 72.
cundum Marcum, ut dictum est. Unde Lu-
cas : Adhuc, inquit, illo loquente, gallus *Luc.* XXII, 60.
cantavit. *Et recordatus est Petrus verbi* 75
Jesu quod dixerat illi : *Priusquam gal-*
lus cantet, ter me es negaturus. Hoc jam
expositum est. *Et egressus foras, flevit*
amare, hoc est amaritudinaliter, scilicet
abundanter ac dolorose. Quemadmodum in
Luca habetur, Conversus Dominus respe- *Ibid.* 61.
xit Petrum, hoc est, per misericordiam
suam tetigit mentem Petri, ad verbi sui
recordationem ac cordialem pœnitentiam.
Vel forte corporaliter respexit Petrum.
Potuit enim fieri ex ordinatione Christi,
ut Petrus transeundo ante januam aulæ,
introspiceret, et Christus cuncta præno-

scens inspiceret eum, convertendo se ad januam domus, in qua erant luminaria copiosa.

Ex his constat, quod circa descriptionem trinæ negationis Petri, Evangelistæ multum diversimode loqui videntur quantum ad superficiem litteræ, quamvis in sensu et veritate concordent. Specialiter autem dissonare videntur in tribus : Primo, quantum ad horam seu tempus negationis ; secundo, quantum ad personas ad quarum interrogationem Petrus negavit. Sed hæc duo jam declarata sunt quomodo concordari debeant. Tertio, quantum ad locum, sicut jam partim patuit atque expositum est.

Sed adhuc unum est in quo dissonare videntur, quod, ut mihi apparet, ceteris omnibus difficilius solvitur : quia secun-
Joann. xviii, 13-17. dum Joannem, prima negatio Petri fuit in domo Annæ; sed secundum seriem textus aliorum trium Evangelistarum, omnes tres negationes Petri in domo Caiphæ factæ probantur. Matthæus enim, Lucas et Marcus, de Anna nil scribunt, sed referunt Petrum esse secutum usque in atrium Caiphæ, et ibi ter Christum negasse. Denique ad hoc sancti doctores valde difformiter responderunt. Augustinus enim affirmat, quod Petrus negavit ter in domo Annæ. Alii di- A cunt, quod ter negavit in domo Caiphæ. Gorra vero refert, quod secundum Hieronymum et Bedam, Petrus semel negavit in domo Annæ, et bis in domo Caiphæ. Quamvis autem certissimus sim beatissimos Evangelistas in nullo errasse aut discordare, non tamen sufficio hanc difficultatem absolvere, nisi dicerem tres Evangelistas non loqui de eodem atrio, sed duobus : quod tamen (ut reor) dici non potest, sicut ex dictis elicitur. Quum enim Petrus primo negasset in atrio juxta ignem, et jam ab B igne recederet, negavit secundo. Vel nisi dicerem quod Petrus negavit sæpius quam ter, licet negationes ejus principales fuerint tres dumtaxat. Sed nec hoc dicere audeo, quum nulla auctoritate probare id possim. Ideo aliqui dicunt, quod Evangelistæ in describendo trinam negationem Petri, loquuntur per anticipationem et recapitulationem.

Legitur quod Petrus egrediendo de atrio, introiit foveam quamdam inter montem Sion et Jerusalem, ibique fleverit. Refert C quoque Clemens Papa in Itinerario, quod Petrus ex hac nocte traxit in consuetudinem, quod a primo gallorum cantu usque ad horam matutinam stetit in oratione, suam negationem uberrime deflens, ita ut facies ejus quasi adusta videretur.

ARTICULUS XLIII

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI SEPTIMI : MANE AUTEM FACTO, CONSILIUM INIERUNT OMNES PRINCIPES SACERDOTUM.

1 M*ANE autem facto :* quia ab hora captionis usque ad auroram non cessaverunt Jesum duris pœnis afficere, ut dictum est ; *consilium inierunt omnes principes sacerdotum et seniores populi adversus Jesum, ut eum morti traderent.* Nondum enim habuerunt sufficientem accusationem propter quam præses gentilis coge- D retur eum occidere, puta Pilatus, qui ignorantiam Dei habens, de blasphemia Dei Israel non multum curavit. Excogitaverunt ergo et alias objectiones, quas Lucas com- *Luc.* xxiii, 2, 5.
memorat, ut dicetur. *Et vinctum adduxerunt eum,* tanquam mortis reum, forte 2
manibus post tergum ligatis, et catena missa in collo ipsius. Solebant autem Judæi

ligatos offerre judici eos quos morti di- A
gnos putabant. *Et tradiderunt* eum *Pontio*
Pilato præsidi, hoc est Judæis præsidenti,
ut judex a Romanis missus et constitutus.
3 *Tunc videns Judas, qui tradidit eum,*
quod damnatus esset. Hoc dupliciter in-
telligi potest. Primo sic : Quod damnatus
esset, hoc est, quod Jesus jam a Judæis
esset morti adjudicatus, et a Pilato dam-
nandus. Vel : Quod ipse Judas damnan-
dus esset. Hoc enim Judas de se ipso
perpendere potuit : primo, propter ma-
gnitudinem sui facinoris ; secundo, quia B
audivit a Christo, quem noverat esse pro-
Matth. xxvi, 24. phetam verum et sanctum : Væ homini
illi per quem Filius hominis tradetur. *Pœ-*
nitentia ductus. Doluit enim de suo pec-
cato ; sed non fuit vera pœnitentia, prout
pœnitentia est virtus, vel sacramentum.
Retulit, hoc est, reportavit vel reddidit,
triginta argenteos, pro quibus vendidit
Jesum, *principibus sacerdotum et seniori-*
bus populi, a quibus acceperat eos, desi-
derans Christum a morte eripere. Forte
quod Judas videns magistrum suum tam C
miserabiliter discoloratum, tam crudeliter
tractatum, tam inhoneste ligatum, tam men-
daciter accusatum, compassionem quam-
dam concepit ad eum propter innocentiam
4 ejus. *Dicens : Peccavi, tradens sanguinem*
justum. Frequenter nomine sanguinis, to-
tus homo, seu vita vel anima hominis
designatur. *At illi dixerunt : Quid ad*
nos? hoc est, quid spectat ad nos, quod
peccasti innocentem prodendo ? quasi di-
cant : Non curamus neque discutimus, an
peccasti, vel non. In hoc pessime dixe- D
runt. Si enim ipse peccavit innocentem
vendendo, nonne et ipsi peccaverunt il-
lum emendo, persequendo et occidendo ?
Tu videris, hoc est, tu opus tuum conspi-
ce, et onus tuum porta.
5 *Et projectis argenteis in templo, recessit*
cum immoderata tristitia ; *et abiens, la-*
queo se suspendit ex desperatione, dicens
Gen. iv, 13. cum Cain : Major est iniquitas mea, quam
Act. i, 18, 19. ut veniam merear. Denique suspensus cre-
puit medius, et diffusa sunt omnia viscera

ejus ; et notum factum est omnibus ha-
bitantibus Jerusalem. Plus autem peccavit
Judas desperando, quam Christum traden-
do, quum desperatio sit peccatum in Spi-
ritum Sanctum, et contra Divinitatem dire-
cte, videlicet contra infinitatem bonitatis
et misericordiæ Dei. Proditio autem fuit
directe contra Christi humanitatem.
Principes autem sacerdotum acceptis 6
argenteis, dixerunt : Non licet eos mitte-
re, hoc est ponere, *in corbonam,* hoc est
in gazophylacium, arcam, seu locum obla-
tionum, ubi ponebantur ea quæ offere-
bantur in templo ad sustentationem mini-
strorum templi, et reparationem ipsius ;
quia pretium sanguinis est, hoc est pecunia
pro sanguine effundendo exposita. Time-
bant locum sanctum cruenta pecunia in-
quinari, culicem colantes, et camelum glu- *Matth.* xxiii, 24.
tientes.
Consilio autem inito, emerunt ex illis, 7
hoc est pro argenteis memoratis, *agrum*
figuli : qui forsitan dictus est ager figuli,
quia ad figulum pertinebat, vel vasa ficti-
lia ibi fiebant, vel terra pro vasis fictilibus
faciendis inde tollebatur : quemadmodum
apud Isaiam legitur de via agri Fullonis, *Is.* vii, 3.
ubi Isaias jubetur occurrere regi Achaz :
qui ager vocatur Fullonis, quia in eo ful-
lones vestes suas siccabant. *In sepulturam*
peregrinorum, id est, ut peregrini non ha-
bentes sepulcra propria, in agro illo se-
pelirentur. Hoc fecerunt, misericordiam
simulantes ; sed, secundum Hieronymum,
eorum intentio fuit Christum diffamare,
quatenus ex occasione illius agri et sepul-
turæ semper maneret memoria venditionis
atque turpissimæ mortis Christi. Sed divi-
na ordinatione hoc factum est ad memo-
riam impiæ venditionis et justæ ultionis
Judæ, ac innocentis traditionis passionis-
que Christi. *Propter hoc vocatus est ager* 8
ille Acheldemach, hoc est ager sanguinis,* * *Hacelda-ma*
hoc est emptus pro pretio sanguinis Jesu,
usque in hodiernum diem.
Tunc adimpletum est quod dictum est 9
per Jeremiam prophetam, dicentem : Et
acceperunt principes sacerdotum et senio-

res populi, *triginta argenteos,* qui fuerunt A
pretium appretiati, quem appretiaverunt
a filiis Israel, hoc est a Juda, ut ponatur
plurale pro singulari, sicut frequenter fit
10 in Scripturis; *et dederunt,* hoc est exposu-
erunt, *eos in agrum figuli,* id est pro agro
hujusmodi, *sicut constituit mihi Dominus.*
Ista auctoritas non invenitur in Jeremia,
hoc est in libro ejus vulgato et authentico
quem habemus. Lyra autem dicit, quod
Hieronymus vidit hanc auctoritatem in
quodam libro Hebraico, qui adscribebatur
Jeremiæ. Sed sciendum, quod Hieronymus B
dicit sibi a quodam Judæo de secta Nazare-
norum oblatum esse librum apocryphum,
quem dicebat ille Judæus esse Jeremiæ.
Verum allegatio apocryphorum non est so-
lida in Scripturis. Potuit tamen esse quod
evangelista Matthæus, Spiritu Sancto do-
cente, agnovit Jeremiam ista dixisse verbo
solo vel scripto. Hieronymo vero apparet,
quod allegata auctoritas sumpta sit ex Za-
charia : et ita, quod dicitur in textu, *Jere-*
miam, non est de textu, sed creditur ab
aliquo additum. Porro apud Zachariam sic C
Zach. XI, 12, 13. habetur : Dixi : Si bonum est in oculis ve-
stris, afferte mercedem meam; et si non,
quiescite. Et appenderunt mercedem me-
am triginta argenteos. Et dixit Dominus ad
me : Projice eos ad statuarium, decorum
pretium quo appretiatus sum ab eis.
11 *Jesus autem stetit ante præsidem,* capite
inclinato, vultu in terram demisso, vinctis
manibus, silentibus labiis, atque mitissi-
mo corde. *Et interrogavit eum præses,*
dicens : Tu es rex Judæorum?

Quemadmodum in Joanne inducitur, D
Joann. XVIII, 28. quum Judæi duxissent Jesum ad Pilatum
in prætorium, et non vellent introire præ-
torium, hoc est locum viri gentilis, ne ma-
Ibid. 29. cularentur, Pilatus exivit ad eos, et videns
Jesum ligatum tanquam mortis reum, in-
terrogavit causam mortis, dicendo : Quam
accusationem affertis adversus hominem
hunc? Scivit enim Pilatus consuetudinem
esse Romanis, ut neminem damnarent ad
mortem, nisi præsentes haberent accusa-
tores, et locum se defendendi acciperet : et
hanc legem voluit Pilatus servare in Chri-
sto. Cui primo responderunt Judæi : Si non *Joann.* XVIII, 30.
esset hic malefactor, non tibi tradidisse-
mus eum. Quibus dixit Pilatus : Accipite *Ibid.* 31.
eum vos, et secundum legem vestram ju-
dicate eum. Tanquam diceret : Si vultis ut
ego non inquiram causas judicii, sed repu-
tem vos tantæ justitiæ, ut certum sit quod
non offeratis mihi innocentem sic vin-
ctum : ergo et vestrum judicium sufficiat,
nec requiratis ut ego eum condemnem.
Cui Judæi : Nobis, inquiunt, non licet inter- *Ibidem.*
ficere quemquam. Quumque Pilatus non
contentaretur accusatione confusa ac du-
biosa, cœperunt Judæi Jesum accusare in *Luc.* XXIII, 2.
tribus, ut evangelista Lucas refert. Dice-
bant enim : Hunc invenimus subvertentem
gentem nostram (ecce primum), hoc est,
comprehendimus eum seducere populum
Judæorum sua doctrina pestifera; et prohi-
bentem tributa dari Cæsari (ecce secun-
dum); et dicentem se Christum regem esse
(ecce tertium). Duo prima objecta Pilatus
non advertit, quia quum esset gentilis, de
lege et documentis Judæorum non curavit.
Secundum quoque scivit esse mendosum,
quia percepit Christum dixisse Herodia-
nis : Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et *Matth.* XXII, 21.
quæ sunt Dei, Deo. Tertium vero attendit,
quoniam imperator Romanus præcepit ne
sine suo consensu aliquis usurparet sibi
nomen regis. Et quia Judæi serviebant ei
sub tributo, propterea interrogavit Chri-
stum, an esset rex Judæorum.

Dicit illi Jesus : Tu dicis : hoc est, ve-
rum est quod sum rex. Hanc responsionem
divus Joannes plenius descripsit. Nam pri-
mo Christus dixit : Regnum meum non est *Joann.* XVIII, 36.
de hoc mundo. In quo satisfecit Pilato, et
Cæsari, qui non regnavit nisi temporaliter
in sæculo isto. Deinde dixit ad Jesum : Er- *Ibid.* 37.
go rex es tu? Cui Christus respondit : Tu
dicis, quia rex sum ego. Ego in hoc natus
sum, et ad hoc veni in mundum, ut testi-
monium perhibeam veritati. Quumque Pi-
latus dixisset, Quid est veritas? statim *Ibid.* 38.
exiit ad Judæos, volens excusare atque di-
mittere Jesum.

12 *Et quum accusaretur* Jesus *a principibus* A
sacerdotum et senioribus, nihil respondit,
ut patientiæ et mansuetudinis daret exem-
13 pla, et quia mortem evadere noluit. *Tunc*
dicit illi Pilatus : Non audis quanta ad-
14 *versum te dicunt testimonia? Et non re-*
spondit ei ad ullum verbum, ita ut mi-
raretur præses vehementer, sciens quod
facillime se potuisset excusare, præsertim
quum haberet judicem pro se.

Hoc loco omittit Matthæus, quod solus
Lucas commemorat, quod Judæis dicenti-
Luc. xxiii, 5. bus, Commovet populum, incipiens a Ga- B
Ibid. 6-11. lilæa, Pilatus interrogat an Galilæus esset.
Et quum cognovisset, misit eum ad Hero-
dem, qui viso Jesu, gavisus est valde, quia
diu optavit eum videre propter famam
ejus, speravitque aliquod miraculum vi-
dere ab eo fieri. Quumque multa quæsis-
set a Jesu, et nullum ab eo responsum
susciperet, sprevit eum cum suo exercitu,
et illusum ac alba veste indutum remisit
Pilato.

15 *Per diem autem solennem,* hoc est in so-
lennitate Paschali, *consueverat præses di-* C
mittere populo Judæorum, *vinctum unum,*
quem voluissent, id est aliquem captum
quemcumque petissent, in memoriam li-
berationis patrum suorum de terra Ægy-
pti. Hoc enim Judæi obtinuerunt a Roma-
16 nis. *Habebat autem* præses Pilatus *tunc*
vinctum unum insignem, hoc est famo-
sum, non nobilem, sed in malitia eminen-
Ibid. 19. tem, *qui dicebatur Barabbas :* qui propter
homicidium a se factum in Jerusalem, mis-
Ibidem. sus fuerat in carcerem. Secundum Lucam,
Joann. xviii, 40. fecit et seditionem. Joannes autem vocat D
eum latronem.

17 *Congregatis ergo illis,* videlicet principi-
bus sacerdotum et plebe Judæorum, *dixit*
Pilatus : Quem vultis dimittam vobis? Ba-
rabbam, an Jesum qui dicitur Christus?
Pilatus toto affectu cupiens Jesum eripere,
proponit eis duos dumtaxat, unum scele-
ratissimum, et alium innocentem, putans
quod nullo modo eligerent Barabbam sibi
dimitti, sed Jesum. Et ergo subtiliter pro-
posuit eis electionem inter hos duos. Sed
unde vel quomodo scivit Pilatus, homo pa-
ganus, loqui de Christo? Et respondendum,
quod habitans inter Judæos, potuit scire
quod exspectarent adventum Christi, et
quod aliqui dicerent Jesum esse Christum.
Non enim dubium est quin sæpe audivit
mentionem de Christo, præsertim in die
Palmarum, propter solennissimam illam
processionem. Et rursus, quia Judæi jam
dixerunt Pilato quod Jesus diceret se esse
Christum, ideo sic repetivit, dicendo : An
Jesum qui dicitur Christus? Cur autem vo-
luerit Jesum eripere, subditur : *Sciebat* 18
enim quod per invidiam tradidissent eum
sibi pontifices ac Judæi. Nam accusationes
eorum invenit falsas, aut insufficientes.
Et forte ante et aliunde percepit, quomo-
do Jesus aperte et fiducialissime increpa- Matth.
ret principes sacerdotum, Scribas et Phari- xxiii, 13 et seq.
sæos : quod Pilato bene complacuit, quia
non dilexit Judæos, sicut nec ipsi eum,
imo vicissim interfecit magnam partem
eorum.

Omittit hoc loco Matthæus, quod refert
evangelista Lucas, quemadmodum Christo
ab Herode reverso, dixit Pilatus Judæis :
Nullam causam mortis invenio in eo. Corri- Luc. xxiii, 22.
piam ergo, hoc est, flagellari faciam illum;
et dimittam : quia si in verbis offendit, pro
hoc sufficit pœna flagellationis. Tuncque
Pilatus fecit eum gravissime flagellari, ut
Judæorum mitigaret furorem.

Sedente autem eo, puta Pilato, *pro tribu-* 19
nali, hoc est in sede judiciaria, ad judi-
candum de Christo, *misit ad eum uxor*
ejus, dicens : Nihil tibi et justo illi, id
est, non præsumas aliquid agere contra
eum ; *multa enim passa sum hodie,* hoc
est hoc die naturali, videlicet in aurora,
ut creditur (solent enim conjuges magna-
tum, per tempus remanere in lecto, sur-
gentibus viris), *per visum,* id est in visione,
propter eum, hoc est occasione ejus, et ob
hoc ut procurem a te liberationem illius.
Diabolus nempe, qui ab exordio conatus
est hominum impedire salutem, nunc quo-
que uxorem Pilati instigavit per suggestio-
nes comminatorias factas in somno, ut pro-

babilius dicitur, ut virum suum induceret
ad Christi liberationem, adjiciens minas ni-
si hoc faceret. Sed cur diabolus, qui paulo
Joann. XIII, 2. ante misit in cor Judæ, ut traderet Jesum,
nunc mittit in cor mulieris, ut redimat
eum? Dicendum, quod dæmon frequenter
vacillavit in notitia Christi : nunc æsti-
mans eum esse Christum, propter divini-
tatis insignia; nunc arbitrans oppositum,
propter humanitatis infirma. Quum ergo
Judam incitavit ad Christi proditionem,
putavit quod non esset Christus. Verum,
in ipsa nocte, et deinceps, incredibilem
mansuetudinem, patientiam atque constan-
tiam Christi conspiciens, cernensque Scri-
pturas de Christi passione prædictas jam
in ipso pro parte impletas, et cito timens
complendas, videns quoque, ut creditur,
consolationem Sanctorum in limbo; cœpit
vehementer conjicere, quod ipse esset ve-
rus Messias, timensque vinci ac spoliari ab
eo, incitavit mulierem ad ea quæ dicta
sunt.
20 *Principes autem sacerdotum,* Annas et
Caiphas maxime, *et seniores, persuaserunt*
populis, hoc est vulgo, *ut peterent Barab-*
bam sibi dimitti, *Jesum vero perderent,*
hoc est, crucifigi exposcerent.
21 *Respondens autem præses, ait illis :*
Quem vultis vobis de duobus dimitti? At
22 *illi dixerunt : Barabbam. Dicit illis Pi-*
latus : Quid ergo faciam de Jesu qui dici-
23 *tur Christus? Dicunt omnes : Crucifigatur.*
O excæcatissimi, ingratissimi, crudelissi-
mique Judæi, qui eum qui vobis ac filiis
vestris tanta bona fecit, omnes infirmitates
sanando, dæmoniacos liberando, mortuos
suscitando, esurientes alendo, ignorantes
docendo, vestram cæcitatem atque futuram
destructionem deflendo, latroni et homi-
cidæ ac seditioso postponitis, deteriorem
censetis, et turpissima itemque acerbissi-
ma morte necari deposcitis! *Ait illis præ-*
ses : Quid enim mali fecit? At illi magis
Ibid. XIX, 15. *clamabant, dicentes, Crucifigatur;* et, Tol-
le, tolle eum. Tunc vere impletum est quod
Ps. XXI, 17. Christus ait in Psalmo : Quoniam circum-
dederunt me canes multi, concilium mali-
gnantium obsedit me. Et per Jeremiam :
Facta est (inquit) mihi hereditas mea quasi Jer. XII, 8.
leo in silva, dedit contra me vocem suam.
Tunc quoque impletum est illud Osee :
Ego erudivi eos, et in me cogitaverunt ma- Osee VII, 15, 13.
litiam, et locuti sunt contra me mendacia.
Videns autem Pilatus quia nihil pro- 24
ficeret, laborando pro Christi liberatione,
sed magis tumultus fieret, hoc est pertur-
batio populi, importunis precibus, irra-
tionabilibusque clamoribus ad contrarium
laborantis. Quod enim per rationem atque
justitiam adipisci non poterant, precibus,
clamoribus, comminationibus, et communi
instantia impetrare conati sunt. *Accepta*
aqua, lavit manus coram populo, dicens :
Innocens ego sum a sanguine justi hujus
(sic enim mulier ejus ei mandavit : Nihil
tibi et justo illi) : id est, occisio ejus mihi
non imputetur, quia invitus eum condem-
no, quem innocentem et ex invidia tradi-
tum scio. *Vos videritis,* id est, vos ipsi
pensate quid facitis, quia non ego, sed vos
eum occiditis.
Et respondens universus populus, a sa- 25
cerdotibus pessime informatus, *dixit: San-*
guis ejus super nos, et super filios, id est
posteros *nostros,* filios ac filias : hoc est,
nobis et posteris nostris imputetur cruci-
fixio ejus, et si quid culpæ consistit in
ejus occisione, hanc capimus super nos, et
te immunem fatemur. O crudelissimi pa-
tres, et rabidissimi canes, quibus non suf-
ficit condemnatio propria, sed totam po-
steritatem tanto piaculo precantur esse
obnoxiam! Denique exaudita est et imple-
ta eorum oratio, quoniam teste Apostolo,
pervenit super eos ira Dei usque in finem. I Thess. II, 16.
Quod Psalmista quoque prædixit : Effun- Ps. LXVIII, 25.
de super eos iram tuam, et furor iræ tuæ
comprehendat eos. Itaque non amplius per-
tinet populus Judæorum ad Deum, quem-
admodum in Daniele legitur prophetatum:
Non erit ejus, scilicet Christi, populus qui Dan. IX, 26, 27.
eum negaturus est; et finis ejus vastitas,
et usque in finem perseverabit desolatio.
Tunc Pilatus *dimisit illis Barabbam;* 26
Jesum vero flagellatum tradidit eis, ut

crucifigeretur, id est, ad mortem eum con- A
demnavit. Et in hoc vehementer peccavit,
quamvis minus quam pontifices et Judæi.
Scivit enim quod per invidiam esset sibi
oblatus et innocens : et tamen ex timore
Cæsaris, et propter populi strepitum, et
forte propter favorem pontificum, damna-
vit innoxium. Quod nequaquam facere de-
buit, quia quum esset judex, pro nulla re
debuit æquitatem relinquere : quia secun-
dum Philosophum in Ethicis, judex debet
esse velut animata justitia, vivaque lex,
ab æquitatis tramite nusquam deflectens. B
Joann. XIX, 10. Item, quia Pilatus dixit ad Jesum, Potesta-
tem habeo crucifigere te, et potestatem ha-
beo dimittere te, non debuit potestate sua
abuti.

27 *Tunc milites præsidis, suscipientes Je-
sum in prætorio,* etc. Hoc loco evangeli-
sta Matthæus non servat ordinem historiæ,
narrando res gestas eo ordine quo factæ
sunt. Quod enim hic subditur post Christi
condemnationem, de ejus illusoria indui-
tione, spinea coronatione, consputatione,
etc., factum fuit antequam judicaretur ad C
mortem. Quemadmodum enim apud Joan-
nem habetur, ad hoc Pilatus fecit Jesum
flagellari atque illudi, ut Judæi cernentes
eum tam miserabiliter pœnaliterque tra-
ctatum, cessarent a persecutione ipsius.
Ibid. 4-6. Sic quippe habetur in Joanne : Exivit ite-
rum Pilatus, et dixit Judæis : Ecce addu-
co eum vobis foras, ut cognoscatis quia
nullam in eo causam invenio. Exivit ergo
Jesus, portans spineam coronam, et pur-
pureum vestimentum. Et dicit eis Pila-
tus : Ecce homo. Quum ergo vidissent eum D
pontifices et ministri, clamabant : Cruci-
fige, crucifige eum. Quod igitur hoc loco
subjungitur, per recapitulationem descri-
bitur. *Tunc milites præsidis, suscipientes
Jesum in prætorio,* id est in domo ju-
dicis. Prætorium enim, secundum Bedam,
est sedes vel domus in qua prætores seu
præfecti sedebant ad discernenda negotia
populi : et dicuntur prætores, quasi præ-
ceptores, quoniam civibus dabant præce-
pta. *Congregaverunt ad eum universam*
cohortem, id est multitudinem intrantium
prætorium. Judæi enim non intrabant, ne *Joann.* XVIII, 28.
macularentur, ut dictum est. Cohors vero
fuit multitudo subjecta tribuno. Hanc con-
gregaverunt, ut pœna et illusio Christi co-
ram tanta multitudine et in loco patenti,
essent majores et erubescibiliores.

Et exuentes eum vestimentis suis, *chla-* 28
mydem coccineam circumdederunt ei, hoc
est, veste seu chlamyde rubea, ad simili-
tudinem purpuræ, induerunt Jesum, illu-
dendo ei, quoniam dixit se regem. Hanc
enim chlamydem vocat Joannes purpure- *Ibid.* XIX, 5.
um vestimentum : et aliqui dicunt, quod
fuit aliud vile rubeum simile purpuræ. *Et* 29
plectentes coronam de spinis, id est de jun-
cis marinis acutis instar spinarum, *posue-
runt super caput ejus* pro diademate. Re-
fert Lyra se audisse a quodam qui fuit
ultra mare cum S. Ludovico rege Franciæ,
quod in littore maris sensit puncturas jun-
corum per calceos. *Et arundinem,* id est
calamum, posuerunt *in dextera ejus* pro
sceptro regali. *Et genu flexo ante eum, il-
ludebant ei dicentes : Ave, rex Judæorum.
Et exspuentes in eum,* tanquam in vilissi- 30
mum hominem, ex vehementi contemptu,
*acceperunt arundinem, et percusserunt** * *percutiebant*
caput ejus cum arundine, ut imprimerent
illas spinas punctivas sacratissimo capiti
ejus. Quo facto, cœpit sanctissimus san-
guis ejus ex diversis divini capitis vulneri-
bus, quasi ex vivis ac purissimis fontibus,
copiosissime emanare, et per benedictum
vultum ejus descendere, ita ut tota facies
ejus gratiosissima sanguine perfunderetur.

Compassionem et intentissimam consi-
derationem hæc exigunt, et expositione
non indigent. Quis enim hæc diligenter
perpendens, poterit dulcissimo Agno, in-
nocenti Filio Dei non compati, et ejus amo-
re non affici, ad sustinenda adversa non
animari ? Præterea, si non amamus eum
quia bonus, quia Deus et frater est noster,
saltem idcirco eum amemus quoniam tan-
ta pro nostra salute perpessus est, tanta-
que nobis beneficia est largitus, et majora
spopondit.

Advertendum, quod secundum Chrysostomum, **A** milites ista fecerunt, non jussu Pilati, sed a Judæis promissione donorum corrupti. Hoc et ego æstimare solebam, quando putavi hæc facta eo ordine quo hic a Matthæo narrantur : quia Pilatus non intendebat Jesum tam crudeliter persequi. Verum modo considerans ex evangelio Joannis, quod facta sunt hæc ante prolationem sententiæ contra Christum, potius cum Augustino dicendum opinor, quod fecerunt ista ex jussu vel permissione Pilati, cui hæc placuerunt, quatenus Judæi **B** videntes Jesum tam inhumane afflictum, contemptum, irrisum, permitterent eum transire.

31 *Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, et induerunt eum vestimentis ejus,* ut in illis magis cognosceretur, et ea sibi sub cruce dividerent ; *et duxerunt eum* extra Jerusalem, *ut crucifigerent* eum extra portam. (Joann. xix, 17.) Et bajulans sibi crucem exivit, secundum Joannem.

32 *Exeuntes autem, invenerunt hominem Cyrenæum,* **C** id est a tali loco oriundum seu appellatum, (Marc. xv, 21.) venientem de villa aliqua obviam eis versus Jerusalem, *nomine Simonem,* (Ibidem.) patrem Alexandri et Rufi, secundum Marcum : qui erant discipuli Christi, ut dicit Hieronymus. *Hunc angariaverunt,* hoc est, timore et minis coegerunt, *ut tolleret crucem ejus.* Sciendum quia ut ait Joannes, Jesus egrediendo a prætorio et civitate, (Joann. xix, 17.) bajulavit propriis humeris lignum crucis ad spatium aliquod; deinde milites vel Judæi, timentes ne Christus sub onere crucis in via deficeret, sicque futuras pœ- **D** nas compendio quodam redimeret, imposuerunt huic Simoni ferre crucem. Præterea, (Luc. xxiii, 32.) eduxerunt Jesum inter duos latrones crucifigendos : qui non leguntur sua patibula bajulasse, ut eductio Jesu ex hoc confusibilior appareret.

O Pater æterne, quanta pro nobis infelicissimis hominibus et miseris vermiculis, pertulit unigenitus Filius tuus ! Quantum tibi et illi regratiari tenemur ! Sed et hoc in omnibus his consideratione dignissimum, quid in universis pœnis Christi prædictis atque dicendis, passa sit affectuosissima, mitissima atque piissima mater ejus.

Et venerunt in locum qui dicitur Golgotha 33 *Hebraice, *quod interpretatur** (* est) *Calvariæ locus,* quoniam plenus fuit calvariis reorum ibi occisorum, suspensorum, seu decollatorum. Refert Hieronymus fuisse opinionem Origenis cujusdam, quod ideo locus ille dictus sit Calvariæ, quoniam ibi sepultus sit Adam, et ejus caput illic conditum fuit; et quod ideo ibi crucifigi voluit Christus, ut ejus sanguis super primi hominis tumulum distillaret, eumque cum sua posteritate redimeret. Quamvis autem ista expositio sit favorabilis mulcensque auditum, non tamen est vera, quoniam in libro Josue legitur Adam sepultus in Hebron. (Josue xiv, 15.) Propter quod civitas illa olim vocabatur Cariatharbe, hoc est civitas quatuor, eo quod ibi sepulti sint quatuor magni patriarchæ cum suis uxoribus, scilicet Adam cum Eva, Abraham cum Sara, Isaac cum (Gen. xlix, 29-31.) Rebecca, Jacob cum Lia.

Et dederunt ei vinum bibere cum felle 34 *mixtum.* Marcus refert, quod dederunt ei (Marc. xv, 23.) bibere vinum myrrhatum. Joannes vero vocat potum istum acetum. (Joann. xix, 29.) Dicendum ergo, quod potus iste fuit vinum amarum et acetosum, felle mixtum : quod Marcus dicit myrrhatum, vel quia etiam mixtum erat myrrha, quæ est amara, vel propter proprietatem, videlicet quia amarum fuit quemadmodum myrrha. Aliqui insuper dicunt, quod ministri talem potum dederunt damnatis, ut citius morerentur, sicque de illorum custodia expedirentur. Alii dicunt, quod seniores Judæorum ordinaverunt damnatis ad mortem dari vinum bonum et aromaticum, quatenus exhilarati, pœnam mortis minus attenderent, atque facilius tolerarent. Et hoc ordinasse leguntur, quoniam in Proverbiis Salomon scripsit : Date siceram mœrentibus, et vinum (Prov. xxxi, 6, 7.) his qui amaro sunt animo; bibant, et obliviscantur egestatis suæ. In Jerusalem ergo, ut dicunt, fuerunt feminæ religiosæ, quæ

pro Christo et latronibus talem potum dederunt ministris, qui veneno rancoris impleti, pro potu hujusmodi dederunt Christo vinum fellitum. Dixit enim Christus, [*Joann.* xix, 28.] Sitio : quia non solum spiritualiter sitiebat nostram salutem, sed corporalem sitim habebat maximam, ac pœnosam, quoniam ex maximo labore, et copiosa sanguinis sui effusione, corpus ejus siccatum adustumque fuit. [*Ps.* xxi, 16.] Unde ait in Psalmo : Aruit tanquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit faucibus meis. Dixit autem, Sitio, secundum Joannem, ut Scriptura impleretur, videlicet prophetia David, in persona [*Ps.* lxviii, 22.] Christi dicentis : Dederunt in escam me- [A] am fel, et in siti mea potaverunt me aceto.

Et quum gustasset Jesus hoc vinum, *noluit bibere* multum de eo. Non enim erat refrigerativum naturæ, sed afflictivum. Ex hoc verbo Matthæi patet concordia inter Joannem et Marcum. Nam Joannes habet : Quum Jesus accepisset acetum. [*Joann.* xix, 30.] Unde constat quod aliquid bibit. Propter quod ait Matthæus : Quum gustasset. Porro Marcus sic habet : Dederunt ei bibere vinum myrrhatum, et non accepit, [*Marc.* xv, 23.] hoc est, parum inde potavit : sicut de eo qui modicum bi- [B] bit, dicimus, Nihil bibit. Quod enim modicum est, pro nihilo reputatur, secundum Philosophum.

ARTICULUS XLIV

EXPLANATIO RESIDUÆ PARTIS HUJUS CAPITULI VICESIMI SEPTIMI.

35 POSTQUAM *autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes.* Quamvis quatuor Evangelistæ hujus rei faciant mentionem, Joannes tamen [*Joann.* xix, 23.] plenius id descripsit. Diviserunt enim vestimenta Christi, præter tunicam inconsutilem, in quatuor partes, ut quilibet miles unam partem acciperet. Unde elicitur quod milites crucifigentes fuerant quatuor. Por- [*Ibid.* 24.] ro, de tunica inconsutili dixerunt : Non scindamus eam, id est, non dividamus eam in quatuor partes, ut alia indumenta ; sed sortiamur, id est, sortem mittamus de ea, cujus sit, id est, quis eam totam accipiat. Fuerat enim facta vestis hæc per modum retis, non consuta, aut incisa, sed desuper contexta per totum, videlicet artificiose elaborata : idcirco non potuit congrue dividi. Et forte propter operis specialitatem, seu raritatem, vel artificialitatem, optavit quilibet eorum eam integram obtinere. Ita, [*Luc.* xxiii, 34 ; *Marc.* xv, 24.] quod Matthæus, Lucas et Marcus scribunt de sortis missione, ad solam hanc tunicam est referendum : quam creditur beatissima [C] Christi Genitrix propriis manibus præparasse suo dilecto. Patet quoque ex his, quod Christus nudus in cruce suspensus est, nisi quod aliqui dicunt dignissimam ejus matrem velum sui capitis posuisse circa locum virilitatis ipsius. *Ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam* David *dicentem* in Psalmo in persona Christi : *Diviserunt sibi vestimenta mea* milites [*Ps.* xxi, 19.] crucifixores, in quatuor partes æquales, *et super vestem meam,* scilicet tunicam inconsutam, *miserunt sortem,* quis tolle- [D] ret eam.

Et sedentes milites circa crucem, *servabant,* id est custodiebant *eum,* ne ante mortem deponeretur. 36
Et posuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam, id est, superiori crucis parti affixerunt titulum continentem quare crucifixus esset. 37
Scriptura autem hæc erat : *Hic est Jesus Nazarenus rex Judæorum.* Secundum Joannem, titulus iste scriptus fuit Hebraice, [*Joann.* xix, 20.] Græce, et Latine. Judæi vero erubescentes tam vilem et reum, secundum eorum æs-

timationem, appellari regem eorum, dixe- A runt Pilato : Noli scribere, Rex Judæorum ; (Joann. xix, 21.) sed quia ipse dixit, Rex sum Judæorum. (Ibid. 22.) Quibus respondit : Quod scripsi, scripsi. Pilatus imperatori obediens, nullo modo voluit dicere, quod Jesus esset verus rex Judæorum, quoad temporale dominium : sic enim fuisset imperatori rebellis, ut patet ex dictis. Unde hæc scripsit, et per ministros cruci affigi præcepit cum derisione, tanquam diceret : Ecce qualem apparentiam habet, quod iste esse voluerit rex Judæorum ; et tamen aliud sibi opponi non potuit, quod esset verum et morte condignum.

38 *Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus a dextris, et unus a sinistris.* Hoc fecerunt in contumeliam Christi, ut principi latronum similis videretur, qui se regem vocavit. Sed ideo Deus illud permisit, ut impleretur illud Isaiæ (Is. LIII, 12.) : Cum sceleratis reputatus est. Ecce quomodo Pater æternus, Deus omnipotens, Filium suum carissimum, naturalem et unicum, permisit illudi, suppeditari, contemni, ut nos ab C æterna confusione eriperemur, cœlestemque recuperaremus honorem. Ecce quomodo Sanctus Sanctorum inter facinorosos suspenditur et reputatur, ut nos scelerati ac perditi, inter Sanctos Dei et angelos collocemur. Simus itaque grati Patri ac Filio, et tantis beneficiis bene utamur atque condigni inveniri conemur, imitando vestigia Crucifixi in temporalium honorum contemptu, et vituperiorum omniumque adversitatum perpessione quieta : non (Joann. XIII, 16.) enim est servus major domino suo. Tunc D vero impletum fuit in Christo illud Psalmographi (Ps. LXVIII, 8.) : Quoniam propter te sustinui opprobrium, et operuit confusio faciem meam.

39 *Prætereuntes autem,* id est homines per viam illam pergentes, *blasphemabant eum,*
40 *moventes capita sua, et dicentes : Vah !* quod est interjectio insultationem significans; *qui destruis templum Dei, et in triduo illud reædificas :* id est, merito nunc tibi, o miser et præsumptuose, insultamus, qui dixisti te posse templum Jerusalem destruere, illudque intra tres dies reparare. Hoc enim falsi testes dixerunt (Matth. XXVI, 60, 61.) Christum dixisse. Sed quomodo ei falsum imposuerunt, dictum est supra. Nihilo minus ea potestate qua Christus alia operatus est signa, potuit utique templum illud destruere, et intra unius horæ minutum reædificare : quod etiam potuit facere ministerio angelorum, qui sibi in deserto ministrabant quando erat cum bestiis (Marc. I, 13.). *Salva temetipsum* a morte tibi jam proxima. B Quasi dicant : Quoniam te ipsum salvare non vales, patet impotentia tua. *Si Filius Dei es, descende* nunc *de cruce.* Ac si dicant : Quia descendere nequis, constat quod Filius Dei non sis.

41 *Similiter et principes sacerdotum, illudentes cum Scribis et senioribus, dicebant :*
42 *Alios salvos fecit* a diversis languoribus ; *se ipsum non potest salvum facere.* Hoc quidam exponunt negative, quasi dicerent : Non est verum quod alios fecit salvos, quia si hoc potuisset, salvaret modo se ipsum. Sed melius exponendum est affirmative pro prima parte, qua dicitur : Alios salvos fecit. Non enim ignorabant quod Jesus multos curavit. Propter quod apud Joannem dixisse leguntur (Joann. XI, 47.) : Quid facimus, quia hic homo signa multa facit? Est igitur sensus : Alios salvos fecit, ut profitemur ; se ipsum non potest salvum facere : hoc est, quia se ipsum non valet ab hac pœna eripere, patet quod non propria neque divina virtute, sed cooperatione diaboli, signa fecit, a quo nunc non potest juvari. Frequenter enim opera Salvatoris adscripserunt Beelzebub. *Si rex Israel est,* id est rex Messias in lege promissus : unde in Luca dicunt (Luc. XXIII, 35.), Si hic est Christus Dei electus ; *descendat nunc de cruce, et credimus ei.*

O infinita atque densissima, imo palpabilis cæcitas Judæorum, dicentium, Si rex Israel est, descendat et credimus ! Imo, si descendit, non est ei credendum. Ergone latet vos, o infelices Judæi, quod sancti Prophetæ prædixerunt Christum occiden-

dum pro mundi salute? Si ergo descendit,
Dan. IX, 26. ubi est quod Daniel ait, Post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus? Item,
Is. LIII, 6, 5. quod Isaias prædixit, Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum, et ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra? Rur-
Ibid. 12. sus, ubi illud, Tradidit in mortem animam suam? Denique, si de cruce descendere videtur vobis tam magnum, ut si hoc fecerit credituri sitis, quare propter majora signa non credidistis? Nonne diabolus poterat invisibiliter clavos de manibus et pedibus crucifixi extrahere, eumque sine læsione deponere, qui nequaquam potest natum cæcum illuminare et mortuos suscitare, quod scitis Jesum fecisse? Proinde resurrexit a mortuis (quod infra probabitur), et tamen non creditis.

43 *Confidit in Deum,* id est, dixit se in Deo sperare; *liberet eum* Deus *nunc, si vult:* et hoc merito dicimus, *dixit enim, Quia Filius Dei sum.*

Jam nunc id audiamus quam apertissime sanctus David plenus Spiritu Sancto, omnia ista in persona Christi prædixerit.
Ps. XXI, 7-9. Ait enim in Psalmo: Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me; locuti sunt labiis, et moverunt caput. Speravit in Domino, eripiat eum; salvum faciat eum, quoniam vult eum. Tanta autem fuit excæcatio sacerdotum, Scribarum et Pharisæorum, ut putarent Jesum a morte divinitus præservandum, si esset Filius Dei, non intelligentes primum ejus adventum in paupertate et humilitate esse prænuntiatum, ut judicaretur et occideretur. Hinc enim aiunt:
Sap. II, 12, 13, 15-22. Circumveniamus justum, quoniam contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis; promittit se scientiam Dei habere, et Filium Dei se nominat; gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius; tanquam nugaces æstimati sumus ab eo, et gloriatur se Deum patrem habere. Videamus ergo si veri sint sermones illius, et tentemus quæ ventura sunt illi. Si enim est verus Filius Dei, suscipiet illum, et liberabit eum de manibus contrariorum. Contumeliis et tormento interrogemus eum, et sciemus reverentiam ejus. Morte turpissima condemnemus eum: erit enim ei respectus ex sermonibus illius. Hæc cogitaverunt et erraverunt: excæcavit enim eos malitia eorum, et nescierunt sacramenta Dei.

Id ipsum autem, id est eadem verba 44
irrisoria a Judæis prolata contra Jesum, *et latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* Idem habetur in Marco. *Marc.* XV, 32.
Sed videtur contrarium, quoniam in Luca legitur unus latronum alium Christo im- *Luc.* XXIII, 39-43.
properantem graviter increpasse, et Christum devote orasse, dicendo: Domine, memento mei quum veneris in regnum tuum. Cui respondit: Hodie mecum eris in paradiso. Ad hoc respondetur dupliciter: Primo, quod Matthæus et Marcus loquuntur per tropum, quo societas dicitur facere, quod facit pars ejus. Secundo, quod ambo blasphemaverunt in principio, sed postmodum unus eorum conversus est, visis mirabilibus quæ fiebant. Et hæc est responsio Ambrosii, Chrysostomi, Bedæ. Quibus concordat quod ait S. Hieronymus: Primum uterque blasphemavit; dehinc sole fugiente, terra commota, saxisque diruptis, et ingruentibus tenebris, unus credidit in Jesum, et priorem negationem sequenti confessione emendavit. Sed his objici posset, quod Lucas et ceteri duo Evangelistæ recitant hæc facta latronum antequam aliquid scribant de prædictis miraculis. Ad quod facile respondetur, quod Scriptura non semper observat in narratione ordinem rerum gestarum. Alii tamen pensantes ordinem textus, dicunt quod unus iste conversus est ex consideratione patientiæ Christi, præsertim quum dixit: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid *Ibid.* 34.
faciunt.

Maximam insuper spem dedit Christus peccatoribus quantumcumque nefariis, omnemque desperandi occasionem amovit,

dum latroni tam scelesto, qui tempus suum ita inique expendit, tantam misericordiam fecit, quod ei æternam felicitatem subito dandam pollicitus est.

45 *A sexta autem hora,* in qua cruci affixus est Jesus, *tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam.* Unde patet quod tenebræ inceperunt statim post Domini in cruce elevationem. De his tenebris doctores magni diversimode loquuntur, discrepantes præcipue in duobus : primo, quid eclipsaverit solem ; secundo, an fuerint universales seu per totam terram extentæ. Origenes enim dicit, quod fuit per interpositionem multarum densarumque nubium inter solem et terram. Dicit quoque, quod fuerint particulares, videlicet in Judæa et locis vicinis dumtaxat : sicut in terra Ægypti accidit, (*Exod.* x, 22, 23.) quando factæ sunt tenebræ ubi habitabant Ægyptii, non autem in terra Gessen, ubi habitaverunt filii Israel. Hieronymus autem testatur, quod eclipsatus est sol per retractionem radiorum suorum factam divina virtute, quemadmodum factum est in terra Ægypti tribus diebus. Verumtamen Origenes atque Hieronymus non loquuntur multum assertive, sed opinative, assignando modum quomodo fieri potuit.

Omnino ergo credendum est principi theologorum, divino Dionysio, qui in epistola ad B. Polycarpum testatur se eclipsim istam vidisse, quum esset in Ægypto, in civitate Heliopolis, ad vacandum astronomiæ. Ægyptus namque propter aeris puritatem, apta est valde ad considerationem astrorum. Raro equidem sunt nubes et pluviæ in hac terra. Dicit itaque Dionysius, quod vidit lunam ab oriente venire, seque soli supponere, et obscuritatem causare. Unde admirans, ait ad socium suum : O bone Apollo ! etc. — Ponit præterea Dionysius in præfata epistola, quatuor supernaturalia quæ fiebant in illa eclipsi : Primum, quoniam naturalis eclipsis non fit nisi tempore conjunctionis et incensionis. Tunc autem fuit oppositio et plenilunium : fuit namque luna quintadecima, quando Judæi celebrabant Pascha. Secundum, quia quum luna fuisset supposita soli hora sexta in medio cœli, tamen in vesperis restituta est suo loco in oriente : sicque ordo temporis non est confusus. Tertium, quia eclipsis naturaliter inchoatur ab occidente, videlicet a parte solis quæ respicit occidentem, quæ primo eclipsatur, et pervenit usque ad orientem : quoniam motus lunæ in proprio orbe velocior est motu solis in circulo proprio, sicque pertransit solem ab occidente accedens. Sed tunc luna jam pertransierat solem, distans ab eo per circuli medietatem, exsistens in oppositione. Idcirco oportuit ut ab oriente reverteretur ad solem, et primo attingeret eum a parte orientali, illamque primitus eclipsaret. Quartum miraculum fuit, quoniam in eclipsi naturali illa pars solis primo nudatur et cernitur, quæ primo fuerat eclipsata ; sed tunc pars ultimo obscurata primo apparuit, eo quod luna revertebatur ad orientem unde accessit. Quintum miraculum addunt Hieronymus et Chrysostomus, quoniam naturalis eclipsis breviter durat, videlicet tamdiu ut luna pertranseat solem ; tunc autem duravit tribus horis, et ideo luna tanto tempore mansit sub sole.

Quantum ad aliud, dicendum est quod illa eclipsis non fuit solum in terra Judææ, quum Dionysius dicat eam fuisse in Ægypto et apud Athenas. Et alii historiographi referunt eam fuisse in aliis terris. Hinc in Actibus legitur, Paulum Athenis invenisse aram ignoto Deo consecratam, dixitque Atheniensibus : Quod vos ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. (*Act.* xvii, 23.) Videntes namque philosophi tanta mirabilia, dixisse leguntur : Aut Deus naturæ patitur, aut astra et elementa mentiuntur, aut machina mundi peribit. Scientes tamen illa mirabilia fieri virtute alicujus causæ, non naturalis, sed supernaturalis, fecerunt altare in honorem causæ illorum mirabilium, et illam vocaverunt, ignotum Deum. Unde quum Dionysius a Paulo audisset causam illorum, cito credidit. Sed ut reci-

tat Origenes, contra hoc filii hujus sæculi dicunt : Quomodo nullus Græcus aut Barbarus tam mirabile factum descripsit? Ad quod Origenes respondet, quod quidam nomine Phlegon, in chronicis suis scripsit istud sub imperio Tiberii contigisse : non tamen dicit lunam plenam fuisse.

Ex his patet, quam falsa sint dicta eorum qui contra Evangelium Christi scribentes, dixerunt, ut enarrat Hieronymus, solem naturale aliquid sustinuisse, quod discipuli Jesu ex imperitia, propter Christi passionem asserunt factum.

Postremo, si id quod in textu habetur, Super universam terram, intelligatur absolute de tota terra, non potuit fieri per lunæ suppositionem dumtaxat, sed tunc addendus esset modus Origenis sive Hieronymi. Quidam exponunt de tota terra Judææ.

46 *Et circa horam nonam exclamavit Jesus voce magna, dicens : Eli, Eli, lamma sabacthani? hoc est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Hoc Christus non ex impatientia, sed ad insinuandum vehementissimum esse suum dolorem clamavit. In omnibus enim membris patiebatur, et propter complexionis suæ teneritudinem erat summe passibilis et perceptivus doloris. Nihilo minus propter suæ naturalis dispositionis vigorem fortis erat, nec facile exstinguebatur, sed maximas pœnas poterat pati. Mors quoque confixorum exstat gravissima, quia figuntur in locis nervosis et præcipue sensitivis, utpote manibus et pedibus, nec cito moriuntur, pondusque pendentis corporis pœnas continue auget. Dicit autem se Christus a Deo derelictum, non quod privatus esset gratia vel gloria, sed quia tam graviter patiebatur, ac si peccator et a Deo contemptus fuisset, et quoniam voluntati impiorum expositus fuit, et quia nulla fiebat pro tunc redundantia consolationis et allevationis a superiori parte animæ Christi in partem ejus inferiorem. Sic autem non fuit in beatis martyribus, quorum multi tempore suæ passionis tantam consolationem intra se

A senserunt, ut vix perciperent aut pensarent exteriorem dolorem. Unde de Christo scriptum est : Nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. *Is.* LIII, 4. Quotidie ergo, imo omni die frequenter, cordialiter recogitemus quanta pro nobis miserrimis pertulit Agnus sine macula, Deus homo, Creator, frater, judex advocatusque noster, et ejus incendamur amore.

Quidam autem illic stantes et audientes 47
hæc verba, *dicebant : Eliam vocat iste.*
Quæritur, an isti fuerunt gentiles ministri
B Pilati, seu alii pagani, an Judæi. Si fuerunt
gentiles, quid sciebant loqui de Elia? Si Judæi, ergo intellexerunt verba Christi. Dicendum, quod communiter dicuntur fuisse gentiles ministri Pilati, militesque Romani. Non intelligentes Hebraici idiomatis proprietatem, propter convenientiam vocum putabant quod invocasset Eliam : de quo poterant aliquid scire, eo quod habitarent inter Judæos. Si autem fuerunt Judæi, dicendum quod ideo sic dixerunt, ut Christum de imbecillitate diffamarent, eo quod
C ab Elia poscat auxilium. *Et continuo cur-* 48
rens unus ex eis, acceptam spongiam implevit aceto, et imposuit eam *arundini,* scilicet ligno tali, *et dabat ei bibere.* Quia enim elevatus erat in ligno, porrigebant ei potum cum instrumento. Jesus autem non multum ex eo bibit. Patet autem ex his, quod bis obtulerunt ei potum acetosum et
felleum seu amarum. *Ceteri vero* irrisores 49
adstantes, *dicebant : Sine,* id est, sustine modicum, et exspecta vel cessa, *videamus an veniat Elias liberans eum.* Hoc illu-
D dendo, non confidendo, dixerunt : quasi dicant, Inexaudibilis et indigna est deprecatio ejus. Mirum, quod isti visis tantis mirabilibus non sunt compuncti nec emendati.

50 *Jesus autem iterum clamans voce magna,* et dicens, Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, *emisit spiritum,* id est, animam suam a corpore sponte et potestative separavit, sicut prædixit : Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam. Quod autem Christus tantis et tam diutur-

Luc. XXIII, 46.

Joann. X, 18.

nis tormentis excruciatus, sanguine exhau- A
sto totoque corpore dissipato, tam fortiter
in ipsa exspiratione clamavit, fuit penitus
supernaturale atque indicium potestatis di-
vinæ. Unde per hoc centurio advertit eum
esse Filium Dei, juxta quod Marcus ait :
Marc. xv, 39. Videns centurio quia sic clamans exspi-
rasset, dixit : Vere hic homo Filius Dei
erat. Quoniam vero quod Christus dixit su-
Ps. xxi, 2. perius, Deus meus, Deus meus, ut quid
dereliquisti me? habetur in Psalmo; quem-
Ps. xxx, 6. admodum et illud quod moriens ait, Pater,
in manus tuas commendo spiritum meum: B
aliqui dicunt, quod Christus omnia verba
intermedia dixit in cruce voce submissa.
51 *Et ecce velum templi scissum est in duas*
partes, a summo usque deorsum, id est a
parte superiori usque ad inferiorem. Hoc
quidam exponunt de velo exteriori, quod
erat in introitu templi, prohibens adspe-
ctum eorum quæ continebantur in tem-
plo; alii exponunt de velo interiori, quod
fuit in ingressu interioris tabernaculi seu
Sancti sanctorum. Forsitan ergo utrumque
divisum est. De quocumque autem velo C
intelligatur, per ejus scissuram significa-
batur, quod figuræ, sacramenta atque my-
steria veteris Testamenti, in Christi pas-
sione impleta et patefacta fuerunt. Refert
Hieronymus se legisse in evangelio forsi-
tan Nazarenorum, quod superliminare tem-
pli tunc scissum divisumque fuit. Josephus
quoque testatur angelicas virtutes, quæ
usque tunc præsides et custodes templi
fuerunt, pariter conclamasse : Transeamus
ex his sedibus.
Et terra mota est supernaturaliter, *et* D
52 *petræ scissæ sunt, et monumenta aperta*
sunt ex vehementi terræ concussione. Om-
nia mirabilia ista fiebant ad designandum
dignitatem patientis, et enormitatem pec-
cati occidentium Christum, itemque quod
omnis creatura merito compati debeat suo
Creatori. Nihilo minus, quum cœlestia at-
que terrestria suo Domino compatiantur,
solus homo, pro quo ille hæc patitur, ex-
sultat et ingratus est. — Per terræ motum
figurabatur terrigenarum admiratio et con-
versio; per petrarum scissionem, obdurato-
rum cordium emollitio ad compassionem
et pœnitentiam; per monumentorum aper-
tionem, generalis resurrectio mortuorum,
vel instans resurrectio Christi et resusci-
tatorum cum eo.
Et multa corpora Sanctorum, qui dor-
mierant somno mortis, *surrexerunt :* non
ea hora Parasceves qua aperta sunt monu-
menta, propter quod subditur : *et exeun-* 53
tes de monumentis ante apertis, *post re-*
surrectionem ejus, id est in die Paschæ, in
qua simul cum Christo resurrexerunt tan-
quam testes dominicæ resurrectionis, ta-
men post resurrectionem Christi, *venerunt*
in sanctam civitatem, puta Jerusalem :
quæ sancta vocatur, quia ad Dei cultum
electa, templo et multis reliquiis adornata,
et præsertim quoniam Christus in ea san-
guinem fudit; *et apparuerunt multis* ho-
minibus, qui digni fuerunt, vel quibus
Deus tantam gratiam, quamvis indignis,
concessit, testantes Jesum esse Christum,
et vere resurrexisse, atque infernum spo-
liasse.

Qui fuerint isti Sancti cum Christo sur-
gentes, non est certum. Hieronymus tamen
ait, quod antiqui patriarchæ Abraham,
Isaac et Jacob, tantam sollicitudinem ha-
buerunt ut sepelirentur in terra promis-
sionis, in qua noverant Christum nascitu-
rum, passurum ac sepeliendum, quatenus
suæ resurrectionis essent participes. Pro-
pter quod aliqui dicunt, quod hujusmodi
Patriarchæ et aliqui Prophetarum, Adam
quoque et Eva, et David (de quo Petrus ait
in Actibus : Sepulcrum ejus apud nos est. *Act.* ii, 29.
Non ait, Corpus et ossa, sed, Sepulcrum)
cum Christo resurrexerunt. Rursus secun-
dum Hieronymum, incertum est an isti sic
resurgentes iterum sint defuncti, vel in
eis sit completa resurrectio, jamque cum
Christo in corpore regnent. Videtur autem
quibusdam magis probabile, quod anima
et corpore sint glorificati : aliter (ut di-
cunt) non essent idonei testes perfectæ re-
surrectionis Jesu Christi, nec profuisset eis
resurrectio illa.

54 *Centurio autem, et qui cum eo erant,* A
videlicet ministri præsidis, *custodientes Jesum,*
ne ante mortem raperetur ab aliquo,
vel sine licentia præsidis deponeretur a
ligno, *viso terræ motu et his quæ fiebant*
in prædicta eclipsi, et quod Jesus sic clamando
exspirasset, *timuerunt valde,* eo
quod in mortem Justi consensissent, et
vindictam promeruissent, *dicentes : Vere*
Filius Dei erat iste, sicut hæc mirabilia
contestantur, quæ probant verum esse sermonem
quo se dixit esse Filium Dei. Et
in hoc confessi sunt ejus divinitatem. Con- B
fessi sunt etiam ejus humanitatem, quia
Luc. XXIII, 47. ut Lucas refert, centurio dixit : Vere hic
homo justus erat. Denique, ut idem Lucas
Ibid. 48. subjungit, omnis turba eorum qui simul
aderant ad spectaculum istud, et videbant
quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur.

55 *Erant autem ibi mulieres multæ a longe*
adstantes, *quæ secutæ erant Jesum a Galilæa,*
ministrantes ei de facultatibus suis
necessaria vitæ. De quibus Lucas habet,
Ibid. VIII, 2. quod curatæ fuerunt a Christo; et nominat C
Ibid. 3. ibi Joannam uxorem Chusæ procuratoris
56 Herodis, et Susannam. *Inter quas erat Ma-*
ria Magdalene, soror Marthæ ac Lazari, *et*
Maria, quæ fuit *Jacobi* Minoris, *et Joseph*
mater, eratque soror Virginis Matris Christi
Joann. XIX, 25. sti : quam Joannes nominat Mariam Cleophæ,
quoniam fuit Cleophæ filia; *et mater*
filiorum Zebedæi, videlicet Joannis et Jacobi.
Hic itaque dicitur, quod mulieres
istæ stabant a longe; sed in Joanne legi-
Ibidem. tur, quod Mater Jesu stetit juxta crucem,
et aliæ mulieres jam nominatæ. Ad quod D
Augustinus respondet, quod stabant a longe,
respectu turbæ comprimentis, et prope,
quia non stabant ita remote quin poterant
verba Christi audire; vel primo
stabant propinquius, deinde paululum recesserunt
et stabant remotius. Porro in Lu-
Luc. XXIII, 49. ca scribitur : Stabant autem omnes noti
ejus a longe et mulieres subsecutæ. Unde
elicitur, quod etiam aliqui viri discipuli
Jesu adstabant, puta Joannes et alii discipuli
Jesu occulti, et forsitan ille venerabilis
civis in cujus domo Cœnam novissimam fecit.

Quum autem sero factum esset, id est 57
circa horam vesperarum, *venit quidam homo dives.*
Hoc addit Evangelista, ut exprimat
causam rei sequentis. *Ab Arimathæa*
civitate Judææ, quæ alio nomine dicta est
Ramatha : de qua in libris Regum legitur I *Reg.* I, 1.
fuisse Elcana pater Samuelis; *nomine Joseph,*
verus imitator sancti Joseph patriarchæ,
qui et ipse discipulus erat Jesu, ta- *Joann.* XIX, 38.
men occultus propter metum Judæorum,
ut Joannes habet. Unde idem inquit : Ve- *Ibid.* XII, 42.
rumtamen ex principibus multi crediderunt
in Jesum; sed propter Pharisæos non
confitebantur, ne extra synagogam ejicerentur.
Hunc beatissimum Joseph Marcus
vocat nobilem decurionem, quia fuit de *Marc.* XV, 43.
curia et consiliarius, secundum Hieronymum.
Lucas quoque vocat eum justum et *Luc.* XXIII, 50.
bonum. *Hic accessit ad Pilatum* audacter, 58
secundum Marcum, non amplius timens *Marc.* XV, 43.
Judæos, sed paratus mori pro Filio Dei; *et*
petiit corpus Jesu, nobilem plane thesaurum.
Tunc Pilatus jussit reddi corpus, id
est, ut nemo prohiberet hunc Joseph a
susceptione et sepelitione corporis Jesu. In
Marco scribitur, quod Pilatus audita petitione
Joseph, mirabatur si Jesus jam obiisset; *Ibid.* 44, 45.
et arcessito centurione, quum audisset
veritatem, dedit corpus Christi ipsi Joseph.
Quia enim Joseph dives et nobilis fuit, facilius
impetravit a Pilato quod petiit. Ideo
Evangelistæ dicunt, quod fuit dives, nobilisque
decurio, non ad jactantiam quod
talem discipulum habuit Jesus, sed ad insinuandum
cur ei patuit ad Pilatum accessus,
qui pauperis ingressum et preces
sprevisset.

Et accepto corpore Jesu, ipse *Joseph* 59
involvit illud in sindone munda, quam *Ibid.* 46.
emit, secundum Marcum, id est in quodam
panno lineo puro seu linteamine; *et* 60
posuit illud in monumento suo novo, in
quo scilicet nemo ante positus fuit, secun- *Joann.* XIX, 41.
dum Joannem : quod ideo factum est, ne
Christo resurgente, Judæi dicerent alium
surrexisse; *quod exciderat,* id est, sibi pa-

rari fecit, *in petra* magna, in qua facta est A
fovea pro receptione corporis exstincti.
Denique sepulturam Christi Joannes ple-
Joann. xix, 39, 40. nius enarravit. Addit enim prædictis, quod
Nicodemus venit ferens mixturam myrrhæ
et aloes, quasi libras centum; et tunc in-
volverunt corpus Jesu linteis, hoc est pan-
nis lineis, cum aromatibus, id est prædi-
ctis unguentis, videlicet myrrha et aloe,
sicut moris est Judæis sepelire : qui faci-
unt sumptuosissimas sepulturas, eo quod
sancti Patriarchæ circa sepulturam suam
tam solliciti exstiterunt. Quamvis autem B
Marc. xv, 46. Matthæus et Marcus dicant corpus Jesu in-
volutum sindone, Joannes autem linteis,
non est tamen contrarietas, quia frequen-
ter ponitur singulare pro plurali : et Jo-
annes loquitur de omnibus pannis quibus
corpus et caput involuta fuerunt; hi au-
tem, de linteamine principali. — Spiri-
tualiter, involvit corpus Christi sindone
munda, qui recipit eum conscientia pura;
ponitque eum in sepulcro novo, qui col-
locat eum in anima intus reformata.

Et advolvit Joseph cum adjutoribus C
suis, *saxum magnum ad ostium monu-
menti :* quod factum legitur ad modum
domunculæ, in cujus medio fuit sepul-
crum, et ostium parvum habuit ad ingre-
diendum. Quamvis autem Salvator ignomi-
niosissimam mortem elegit, quia ad hoc
venit in mundum, ut suis persecutionibus,
injuriis et passionibus homines liberaret,
voluit tamen habere sepulturam honestam:
primo, quia in passione ejus completa fuit
redemptio nostra, idcirco ignominia tunc
cessare incepit; secundo, quoniam sepul- D
tura ad resurrectionem ordinabatur; ter-
tio, ut impleretur quod Isaias prædixit,
Is. xi, 10. Radix Jesse qui stat in signum populorum,
ipsum gentes deprecabuntur, et erit se-
61 pulcrum ejus gloriosum. [*Et abiit.*] *Erant
autem ibi Maria Magdalene, et altera Ma-
Luc.* xxiii, 55. *ria,* id est Maria Cleophæ, imo et aliæ
mulieres quæ fuerant Christum a Galilæa
secutæ, ut Lucas refert, *sedentes contra
sepulcrum,* id est ex opposito, videntes et
Ibidem. considerantes quomodo Christi corpus po-
neretur, ut postmodum illud citius inve-
nirent.

Altera autem die, quæ est post Parasce- 62
ven, id est sabbato et crastino dominicæ
passionis, *convenerunt principes sacerdo-
tum et Pharisæi ad Pilatum, dicentes.* 63
Communiter dicitur, quod Pilatus fuit pro-
prium nomen præsidis Christum dijudi-
cantis. Verumtamen Lyra dicit contrarium,
asserens quod proprium nomen ejus fuit
Pontius, et agnomen, Pilatus : quia fre-
quenter hoc nomen, Pontius, præponitur
quum utroque nomine designatur; et quia
in Burgundia, unde natum fuisse Pilatum
affirmat, hoc nomen, Pontius, satis com-
mune est. Sed non videtur convenienter
dictum. In Scripturis enim canonicis per-
sonæ raro vel nunquam designantur solis
agnominibus. Quum ergo Joannes, Lucas
et Marcus pene semper exprimant præsi-
dem nomine Pilati, constat quod hoc fuit
proprium nomen ejus : et rationabilius
puto asserere, quod fuit binomius, quam
quod agnomen ejus fuit Pilatus. Sic in li-
bris Machabæorum, Judas Machabæus sæpe I *Mach.* v;
exprimitur agnomine. Sed liber Machabæ- II *Mach.* viii, x-xv.
orum est extra canonem. *Domine, recor-
dati sumus quia seductor ille dixit adhuc
vivens : Post tres dies,* id est tertia die,
videlicet mox post inchoationem diei ter-
tiæ, *resurgam. Jube ergo custodiri sepul-* 64
crum a militibus tuis seu cohorte, *usque
in diem tertium* inclusive, *ne forte veni-
ant discipuli ejus* occulte in nocte, *et fu-
rentur eum,* id est corpus ejus, *et dicant
plebi : Surrexit a mortuis. Et erit novis-
simus error* ita credentium, *pejor priore*
errore, quo putabatur ante passionem esse
propheta vel Christus.

Ait illis Pilatus : Habetis custodiam, 65
id est, milites qui monumentum custodi-
ant vobis concedo; *ite, custodite,* id est,
per milites armatos custodiri facite monu-
mentum, *sicut scitis esse expediens. Illi* 66
autem abeuntes a Pilato ad locum sepultu-
ræ, *munierunt sepulcrum, signantes la-
pidem* suo sigillo, *cum custodibus,* id est
militibus ad custodiam deputatis.

Verum omnino est quod Salomon ait : A
Prov. xxi, 30. Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Unde quanto Judæi acutius cogitaverunt nomen, fidem et famam Christi exstinguere, tanto eum amplius glorificaverunt. Quod enim tam diligenter sepulcrum custodiri fecerunt, certissimum signum est, corpus Christi furto non esse sublatum, sed resuscitatum, quemadmodum in sequenti capitulo ostendetur.

Ecce commemorata est passio Domini nostri Jesu Christi, quam imitari debemus, et affectuosissime rememorari. Ejusque virtute et merito omnem gratiam nobis necessariam obtinere speremus et enitamur. Si enim compatimur et conregnabimus, si commorimur et convivemus. Rom. viii, 17; II Tim. ii, 12, 11. Præterea, quanto jam Christo magis assimilamur in adversorum perpessione constanti, tanto ei conformiores in patria erimus in glorificatione felici.

ARTICULUS XLV

ENARRATIO CAPITULI VICESIMI OCTAVI : VESPERE AUTEM SABBATI, QUÆ LUCESCIT IN PRIMA SABBATI.

POST descriptionem dominicæ passio- B nis, recitat Evangelista veritatem resurrectionis Domini nostri Jesu Christi.
1 *Vespere autem sabbati* in quo Christus in sepulcro quievit, *quæ* vespera *lucescit,* id est, lucere vel diei approximare incipit, *in prima sabbati,* id est in principio diei immediate sequentis sabbatum seu festivum diem Judæorum. Quemadmodum enim gentiles nominant dies appellationibus planetarum atque deorum suorum, ut illorum semper memoriam habeant; Christiani autem, nominibus feriarum, quoniam semper C feriandum seu cessandum est a peccato : sic Judæi a sabbato quasi a principaliori vocabant dies hebdomadæ, ita quod dies immediate sabbatum sequens, dicebatur prima sabbati, secunda sequens, secunda sabbati, sicque deinceps. *Venit Maria Magdalene, et altera Maria,* videlicet Maria Jacobi. Marc. xvi, 1. Marcus dicit : Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Salome. Lucas vero Luc. xxiv, 10. nominat Mariam Magdalene, Mariam Jacobi, Ibid. viii, 3. et Joannam, quæ fuit conjux Chusæ procuratoris Herodis. Et videtur Lucas innuere quod adhuc plures fuerunt, quæ Ibid. xxiii, 55, 56. scilicet a Galilæa secutæ fuerant Jesum. *Videre sepulcrum,* imo potius et sepultum, quomodo scilicet possent introire sepulcrum et ungere corpus sepulti.

Sed quomodo Evangelista dicit eas venisse vespere sabbati, quum secundum alios Evangelistas venisse legantur valde mane, seu summo diluculo, in prima sabbati? Marc. xvi, 2; Luc. xxiv, 1; Joann xx, 1. Et respondendum, quod evangelista Matthæus respexit ad intentionem ac desiderium feminarum istarum : idcirco asserit eas venisse vespere sabbati, non quod hora vespertina vel ante mediam noctem arripuerint iter, sed quia tunc se præparabant, totamque noctem duxerunt insomnem, conficiendo aromata. Sic ergo Matthæus voluit per partem totum intelligi, scilicet totam noctem per vesperam, in cujus noctis fine venerunt ad monumentum.

Et ecce terræ motus factus est magnus. 2
Non explicatur quantum hic terræ motus extendebatur. Sed quia subjungitur, *Angelus enim Domini descendit de cœlo, et accedens revolvit lapidem,* apparet quod D motus iste non fuerit nisi in gyro circa sepulcrum. Cujus motionis causa angelus fuit, quia corporalia obediunt angelis

prompte quoad motum localem. *Et acce-* A
dens ad speluncam monumenti, *revolvit*, id
est amovit, *lapidem* a monumento, non ut
Christo via egrediendi pateret, sed ut Chri-
stum resurrexisse et sepulcrum vacuum
esse monstraret. Christus quippe ante lapi-
dis revolutionem de clauso surrexit sepul-
cro, quemadmodum prodiit e clauso Virgi-
nis utero. *Et sedebat super eum*, tanquam
imperterritus dominici sepulcri custos.

Porro, secundum Marcum ista clarius
describentem, quum mulieres appropin-
Marc. xvi, 3-5. quarent sepulcro, dixerunt ad invicem : B
Quis revolvet nobis lapidem ab ostio mo-
numenti? Et respicientes per januam do-
munculæ in qua erat sepulcrum, viderunt
revolutum lapidem, qui erat magnus valde.
Et introeuntes in monumentum, viderunt
juvenem, id est angelum in specie homi-
nis juvenis, sedentem in dextris cooper-
tum stola candida. Unde nunc subditur :
3 *Erat autem adspectus ejus sicut fulgur*,
id est, vultum igneum quasi scintillantem
atque terribilem habuit ad perterrendum
infideles custodes, et item, quoniam ignis C
magnam habet convenientiam cum sub-
stantiis separatis, quæ secundum Dionysi-
um, per proprietates ignis maxime notifi-
cantur; *et vestimenta ejus sicut nix*, id est
clara ac splendida, ad consolandum femi-
nas religiosas, et ad figurandum puritatem
substantiæ suæ, et sanctitatem internam
mentis angelicæ.

4 *Præ timore autem ejus*, id est ex horri-
bili apparitione angeli, *exterriti sunt cu-*
stodes sepulcri, *et facti sunt velut mortui*,
id est, in terram collapsi sunt et impo- D
tentes effecti, usum rationis et sensum ad
tempus amittentes.

5 *Respondens autem angelus, dixit mu-*
Luc. xxiv, 4-7. *lieribus*. In Luca leguntur duo angeli ap-
paruisse et mulieribus locuti fuisse. Unde
Joann. xx, 12. Joannes refert, quod Maria vidit duos an-
gelos, unum ad caput, et alium ad pedes,
ubi positum fuit corpus Jesu. Sed nume-
rus minor non excludit majorem, et major
includit minorem. Denique Matthæus et
Marcus loquuntur de angelo illo qui lapi-
dem revolvit, et ex persona amborum allo-
cutus est mulieres. *Nolite timere vos*, in-
ordinato timore, vel ex meo adspectu, qui
propter vos formam istam terrificam non
assumpsi causa terrendi vos; *scio enim*
quod Jesum qui crucifixus est, quæritis,
cui ego una vobiscum deservio. *Non est* 6
hic secundum corporalem præsentiam, qui
cœlum et terram implet, et magnitudinis *Ps.* cxliv, 3.
suæ finem non habet secundum divinita-
tem; *surrexit enim* propria potestate, et
tertia die, *sicut dixit* : Solvite (inquiens) *Joann.* ii, 19.
templum hoc, et in tribus diebus suscita-
bo illud; rursusque : Sicut fuit Jonas in *Matth.* xii, 40.
ventre ceti tribus diebus et tribus nocti-
bus, sic erit Filius hominis in corde ter-
ræ tribus diebus et tribus noctibus. Per
hæc angelus rêduxit corda feminarum ad
rememorationem verborum Domini Jesu,
quatenus illa reminiscendo roborarentur
in fide resurrectionis dominicæ. Unde apud
Lucam angeli feruntur ad mulieres dixis-
se : Quid quæritis viventem cum mortu- *Luc.* xxiv, 5-7.
is? Recordamini qualiter locutus est vobis
quum adhuc in Galilæa esset, dicens : Quia
oportet Filium hominis tradi in manus ho-
minum peccatorum, et crucifigi, et tertia
die resurgere.

Venite, et videte locum ubi positus fu-
erat Dominus, id est corpus Christi, qui
est Rex regum et Dominus universorum. *Apoc.* xvii, 14; xix, 16.
A toto ergo significat partem. Locum eis
ostendit, ut eum esse vacuum conspicien-
tes, certiores fierent de Christi resurrecti-
one. *Et cito euntes*, id est, ab hoc loco re- 7
cedentes, *dicite discipulis ejus*, præsertim
Apostolis. Marcus addit : Et Petro. Quem *Marc.* xvi, 7.
angelus specialiter expressit, ne propter
trinam abnegationem diffideret, vel inter
discipulos comparere non auderet, sed a
fletu paululum cessans, consolationem ad-
mitteret. *Quia surrexit. Et ecce præcedet*
vos in Galilæam, unde discipuli eum se-
cuti sunt, id est, Galilæam intrabit ante-
quam vos vel discipuli eam intrabitis. *Ibi*
eum videbitis oculo corporali ante ascen-
sionem. *Ecce prædixi vobis* hoc esse futu-
rum, ut quum venerit, magis credatis.

8 *Et exierunt* mulieres *cito de monumento,* A
id est de prædicta domuncula continente
sepulcrum, *cum timore* concepto ex inso-
lita atque terrifica angeli apparitione et
miraculi magnitudine, *et gaudio magno,*
quoniam de magistri sui gloriosa resur-
rectione et sermonum ejus adimpletione
præcordialiter lætabantur. Timor ergo et
gaudium possunt simul esse in uno, re-
spectu diversorum, quamvis gaudium pu-
rum ac plenum excludat timorem, quoni-
I *Joann.* IV, 18. am timor pœnam habet. Hic autem timor
mulierum fuit naturalis, quem constat es- B
se pœnalem, quamvis timor filialis non sit
semper pœnalis. *Currentes nuntiare disci-
pulis ejus* quæ audierunt atque viderunt.
Marc. XVI, 8. Huic contrarium videtur illud Marci : Fuge-
runt de monumento, et nemini quidquam
dixerunt ; timebant enim. Et responden-
dum, quod nemini, id est nulli custodum
ibi præsentium, quidquam dixerunt, sed
cum silentio abierunt.

9 *Et ecce Jesus occurrit illis* in via. Primo
tamen apparuit soli Mariæ Magdalene, se-
Joann. XX, 11-17 ; *Marc.* XVI, 9. cundum Joannem et Marcum. Nam aliis C
mulieribus a sepulcro euntibus, mansit il-
la juxta sepulcrum, ut dicitur ; tuncque
apparuit ei Salvator : quo viso, secuta est
socias, et tunc cum illis rursus vidit eum.
Dicens : Avete : quod est verbum conso-
latorium et amicabile. *Illæ autem accesse-
runt, et tenuerunt pedes ejus,* ex fervida
devotione et gaudio amplectentes et oscu-
lantes pedes ipsius. Quæritur, cur Jesus
permiserit pedes suos ab his feminis tene-
ri ac tangi, quum Mariæ Magdalene id se-
orsum facere volenti, dixisse legatur apud D
Joann. XX, 17. Joannem, Noli me tangere, nondum enim
ascendi ad Patrem meum. Dicendum, quod
prohibuit eam propter mysticam rationem,
ad insinuandum videlicet quod non debe-
ret de ipso sentire sicut hactenus sensit.
Nondum enim habuit perfectam fidem de
Marc. XVI, 1. eo, sicut nec ceteræ quando aromata para-
verunt et attulerunt ut ungerent Jesum,
æstimantes corpus ejus posse putrefieri
aut corrumpi, nec arbitrantes illud tertia
die suscitandum, ignorantes illud prophe-
ticum : Non dabis Sanctum tuum videre *Ps.* XV, 10.
corruptionem. *Et adoraverunt eum* pro-
stratæ, tanquam unigenitum Filium Dei.

Tunc ait illis Jesus : Nolite timere : id 10
est, timor quem concepistis abscedat, et
gaudium perseveret in vobis. *Ite, nuntiate
fratribus meis,* id est discipulis : de qui-
bus alibi ait, Ecce ego et pueri mei quos *Is.* VIII, 18.
dedit mihi Dominus ; et rursus, Narrabo *Ps.* XXI, 23.
nomen tuum fratribus meis. Vocat eos fra-
tres, ne propter præteritam eorum fugam
vel suam glorificationem, videatur eos con-
temnere, atque ut ipsi fiducialius accedant
ad Christum. *Ut eant in Galilæam. Ibi me
videbunt.*

Præterea Christus in die sancto Paschæ
quinquies apparuit : primo, Magdalenæ ; *Marc.* XVI, 9.
secundo, mulieribus a sepulcro pergenti-
bus ; tertio, Petro, quamvis locus ignore- *Luc.* XXIV, 34 ; I *Cor.* XV, 5.
tur ; quarto, duobus discipulis euntibus in
Emmaus. Quinto, discipulis congregatis, *Luc.* XXIV, 13-31.
quos duo prædicti discipuli redeuntes, in- *Ibid.* 33, 34.
venerunt collectos atque dicentes : Quia
surrexit Dominus vere, et apparuit Simo-
ni. Quibus ita loquentibus, venit et stetit *Ibid.* 36.
Jesus in medio eorum, ut Lucas refert. Ap-
paruit quoque Jacobo Minori, qui legitur I *Cor.* XV, 7.
jurasse non comedere donec Filius homi-
nis resurrexisset a mortuis. Insuper, post
diem resurrectionis apparuit quinquies :
primo, post octo dies, præsente Thoma ; *Joann.* XX, 26.
secundo, septem discipulis piscantibus ad *Ibid.* XXI.
mare Tiberiadis. Et has duas apparitiones
describit Joannes. Tertio, undecim Aposto- *Vers.* 16.
lis in monte Thabor, de qua apparitione
infra habetur ; quarto, in die ascensionis *Act.* I, 1-9.
in Jerusalem ; quinto, eodem die in monte *Luc.* XXIV, 50, 51.
Oliveti. Apparuit etiam semel plus quam I *Cor.* XV, 6.
quingentis fratribus, secundum Aposto-
lum : quam apparitionem aliqui dicunt
factam in monte Thabor, quando apparuit
undecim Apostolis.

Quæ mulieres *quum abiissent* a loco quo 11
Christum viderunt, ad annuntiandum di-
scipulis verba Christi, *ecce quidam de cu-
stodibus* sepulcri *venerunt in civitatem* Je-
rusalem, juxta quam erat sepulcrum, ut *Joann.* XIX, 42.
Joannes refert ; *et nuntiaverunt principi-*

bus sacerdotum omnia quæ facta fuerant, A
scilicet terræ motum, angeli apparitio-
nem, suam dejectionem et obstupefactio-
nem, Christi quoque resurrectionem : quam
propter suam indignitatem non conspexe-
runt, sed factam noverunt ex vacuitate se-
pulcri, de quo sciebant nullum hominem
abstulisse sepultum.
12 *Et congregati* principes sacerdotum *cum
senioribus* Judæorum, *consilio* a se invi-
cem et dæmone suggerente *accepto, pecu-
niam copiosam dederunt militibus,* ut ve-
13 ritatem celarent ac mentirentur, *dicentes* B
militibus : *Dicite* interrogantibus quomo-
do sublatum sit corpus Jesu, *quia disci-
puli ejus nocte venerunt, et furati sunt*
14 *eum nobis dormientibus. Et si hoc* verbum
vestrum *auditum fuerit a præside* Pilato,
nos suadebimus ei verum esse quod dici-
tis : per diversa figmenta colorando tan-
tum et tam rude mendacium, quod quili-
bet faciliter perpendere potest. Si namque
dormierunt, non poterant scire quod dis-
cipuli accesserunt et Christum furati es-
sent; nec habet aliquam apparentiam, quod C
discipuli qui a vivente fugerunt, jam mor-
tuum inter armatos requirerent. *Et secu-
ros vos faciemus* a pœna præsidis, ita quod
15 vobis nihil imputabit. [*At illi accepta pe-
cunia, fecerunt sicut erant edocti.*] *Et di-
vulgatum est verbum istud apud Judæ-
os,* videlicet, quod militibus dormientibus
discipuli furati sint corpus sui magistri,
Ps. xvi, 14. *usque in hodiernum diem.* Dimiserunt
enim reliquias has parvulis suis.
16 *Undecim autem discipuli,* id est Apo-
stoli, qui Juda pereunte undecim manse- D
rant, *abierunt in Galilæam,* non statim
post diem resurrectionis, sed post appa-
ritiones prætactas, *in montem,* ut in alto
contemplarentur Filium Dei, quem nemo
terrenis implicatus et infimis vacans, po-
test conspicere, *ubi constituerat,* id est,
per angelum et mulieres, et forte per se
ipsum, mandavit atque præfixit, *eis Jesus*
locum conveniendi, videlicet in montem
Thabor, ut illic omnibus gloriosam su-
am resurrectionem ostenderet, ubi ante
passionem tribus Apostolis futuræ resur- Matth. xvii,
rectionis gloriam præmonstravit, transfi- 1, 2.
gurando se coram illis. *Et videntes eum* 17
adoraverunt adoratione latriæ. Jam nempe
credebant eum esse naturalem Filium Dei,
Deum verum et hominem, quemadmodum
Thomas jam dixerat : Dominus meus et Joann. xx,
Deus meus. *Quidam autem dubitaverunt.* 28.
Asserunt aliqui, in hac Christi apparitione
alios adfuisse discipulos, quam undecim
Apostolos : quia Apostoli (ut dicunt) erant
jam certificati et roborati in fide dominicæ
resurrectionis propter frequentem Christi
apparitionem. Itaque qui dubitaverunt, fu-
erunt inferiores discipuli.
Et accedens Jesus, ut dubitantes certifi- 18
caret, et omnes plenius edoceret, *locutus
est eis, dicens : Data est mihi omnis,* id
est perfecta, *potestas in cœlo et in terra,*
id est præsidendi et dominandi omnibus
creaturis, cœlestibus atque terrestribus.
Per cœlum itaque et terram, tanquam per
duo extrema, intelliguntur et omnia inter-
media. Quamvis autem hoc de Christo se-
cundum naturam divinam aliquo modo
queat intelligi, quoniam quidquid habet et
est, a Patre accepit, et ita a Patre suscepit
potestatem creandi, gubernandi et præsi-
dendi ; tamen principaliter dictum videtur
de ipso secundum naturam assumptam.
Christo igitur quantum ad suam humani-
tatem, collatus est principatus, imperialis-
que virtus super universa creata a primo
suæ incarnationis instanti, ratione unionis
cum Verbo. Nam eo ipso quo suæ huma-
nitati datum est esse unitum Verbo hypo-
statica unione, multo amplius datum est
ei esse prælatum et dominari universæ
creaturæ.

Porro potestas ista primo data est Chri-
sto homini quantum ad auctoritatem, ab
instanti conceptionis in Virgine ; et ex illo
instanti cœpit ei dari etiam quantum ad
exsecutionem et manifestationem paula-
tim et pedetentim, secundum moderamen
ac dispensationem præordinationis divi-
næ. Unde supernaturaliter de utero Matris
egressus est, et multis miraculis fulsit in

Luc. VI, 19. mundo antequam pateretur. Virtus quippe A
exivit de illo, et sanavit omnes. Propter
Joann. III, 35. quod ante passionem dicebat : Pater diligit
Filium, et omnia dedit in manu ejus; et
Ibid. XVII, 2. rursus, Dedisti ei potestatem omnis carnis.
Verumtamen, quoniam primus Christi adventus erat quodammodo occultus et in in-
Is. XLV, 15. firmitate, juxta illud Isaiæ, Vere tu es Deus
Ibid. LIII, 10. absconditus; et rursus, Dominus voluit eum
conterere in infirmitate : ideo dici solet,
quod post resurrectionem data est Christo
omnis potestas hæc, quantum ad exsecutionem et manifestationem, quia ex tunc B
cœpit in universo mundo, imo in inferno
ac cœlo, majestas et dignitas Christi declarari, prædicari seu magnificari. In finali
vero judicio dabitur ei ista potestas, quantum ad plenissimam consummationem,
Ibid. XLV, 25. quando ad eum venient et confundentur
atque vincentur omnes qui repugnant ei.
19 *Euntes ergo :* non solum ad oves quæ
Matth. X, 6. perierunt domus Israel; sed prout in Mar-
Marc. XVI, 15. co scribitur, in mundum universum, ut
Ps. XVIII, 5. impleatur illud in Psalmo, In omnem terram exivit sonus eorum ; *docete omnes* C
gentes, id est quasdam de omni genere
gentium, non solum unam nationem, sed
quascumque inveneritis, per vos ipsos et
per adjutores atque discipulos vestros. Un-
Is. LXVI, 19. de per Isaiam ait Salvator : Mittam ex eis
qui salvati fuerint, ad gentes in mare, in
Africam et Lydiam, tenentes sagittam, in
Græciam et Italiam, ad insulas longe, ad
eos qui non audierunt de me; et annuntiabunt gloriam meam gentibus.

Baptizantes eos, id est, regenerantes ex
Ephes. V, 26. aqua et Spiritu Sancto, lavantes lavacro D
aquæ in verbo vitæ, videlicet *in nomine*
nominato et in virtute *Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Hæc est forma sacramenti
Baptismi, quam humana auctoritate variare nefarium est, quamvis in primitiva Ecclesia ad tempus mutata sit ex familiari
consilio Spiritus Sancti, ita quod homines
baptizabantur in nomine Christi, quod blasphemaverunt increduli, ut illud clarificaretur et magis honoraretur a gentibus.
Sed tunc in nomine Christi Trinitas intelligebatur, videlicet Pater ungens, Filius
unctus, Spiritus unctio. Denique singulariter dicit, In nomine, non, In nominibus,
ad insinuandum substantialem unitatem
summæ Trinitatis; pluraliter autem subjicitur, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti,
ad denotandum personalem distinctionem.
Quorum ergo est una essentia et una potestas, etiam est eadem efficientia atque
interior lotio seu mundatio a peccatis. —
Præterea advertendum, quod præmittit,
Docete omnes gentes, hincque annectit,
Baptizantes eos, quoniam catechismus præcedit Baptismum, et adulti non baptizantur
nisi primo de his quæ fidei sunt instruantur, nisi in articulo necessitatis.

Docentes eos servare, id est memoriter 20
retinere, et opere adimplere seu custodire,
quemadmodum ait Psalmista : In corde *Ps.* CXVIII, 11.
meo abscondi eloquia tua, ut non peccem
tibi; *omnia quæcumque mandavi vobis,*
id est universa præcepta, sine quorum custodia nemo adultus salvatur. Et bene ait,
Omnia, quoniam unum sine aliis non potest salubriter observari, prout Jacobus
protestatur : Quicumque totam legem im- *Jacob.* II, 10.
pleverit, offendat autem in uno, factus est
omnium reus. Cui consonat quod Salomon
loquitur : Qui in uno peccaverit, multa *Eccle.* IX, 18.
bona perdet. Servanda sunt ergo universa
mandata : aliter non diligitur Christus, secundum quod apud Joannem inquit : Si *Joann.* XIV, 23.
quis diligit me, sermones meos servabit.
Imo nec aliter vere et digne cognoscitur,
juxta illud Joannis : In hoc scimus quo- I *Joann.* II, 3.
niam cognovimus Deum, si mandata ejus
observamus.

Ecce quam optimus ordo, ut convertendi primo doceantur in credendis, docti baptizentur, baptizati operentur, et ad operandum quæ justa sunt, informentur.

Deinde ponitur verbum dulce et consolatorium. *Et ecce* res notabilis, magna et ponderanda, omnique consideratione dignissima, utpote : *ego vobiscum sum,* hoc est cum vobis et successoribus vestris, cunctisque fidelibus seu militanti Ecclesia, *omnibus diebus* naturalibus, videlicet

die et nocte, quamdiu in hoc mundo versamini tanquam viatores et peregrini ac exsules, *usque ad consummationem,* hoc est finem, *sæculi* inclusive. Sic autem est Christus cum Ecclesia : primo, per gratiam inhabitando corda fidelium; secundo, per sacramentalem præsentiam; tertio, per continuam providentiam, protectionem, atque multiplicem efficientiam suæ potestatis ac pietatis in nos. Hinc enim testatur :
Apoc. III, 20. Ego sto ad ostium, et pulso; et, Ubi sunt
Matth. XVIII, 20. duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Nunquam ergo B deficiet fides in toto, sed usque in finem sæculi perseverabit in aliquibus christiana Religio.

A

Postremo, tam ineffabiliter, dignanter et intime adest nobis Christus, ut multo amplius quam Moyses seu populus olim Judaicus dicere valeamus : Non est alia *Deut.* IV, 7.
natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi sicut adest nobis Dominus Deus noster, unigenitus Filius Dei, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat per sæcula infinita super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS COMMENTARIORUM IN EVANGELIUM SECUNDUM MATTHÆUM

ENARRATIO IN EVANGELIUM

SECUNDUM MARCUM

PROLOGUS

MULTITUDO *sapientium sanitas est orbis terrarum.* Sap. VI, 26.

Sapientis quippe officium est, omnia ordinare, tenebras ignorantiæ ab intellectu audientium propulsare, vitiorum quoque caliginem, quibus vulneratur ac infirmatur natura creata, ab affectu fugare. Sapiens igitur sanat habitantes in terra a vulneribus animæ, quæ ad æternum inducunt interitum. Idcirco hortatur Scriptura : Quum videris sensatum, statim evigila ad illum. Thesaurus enim desiderabilis in ore sapientis, et vir eruditus suavis est animæ suæ. *Eccli.* VI, 36 ; *Prov.* XXI, 20; *Eccli.* XXXVII, 22.

Inter excellentissimos autem veræ atque divinitus revelatæ sapientiæ professores, doctores atque descriptores, rite ac digne collocatur beatus evangelista Marcus, cujus hoc loco elucidandum est evangelium : qui licet ceteris Evangelistis brevior sit in verbo, tamen sententiis par est. Qui in prophetica visione Evangelistarum præfigurativa, merito designatus est per leonem : primo, quoniam a clamore Joannis in deserto exorsus est scribere ; secundo, quoniam circa Christi resurrectionem et ascensionem specialiter immoratur. In resurrectione autem suscepit Christus regnum atque imperium, vel potius imperialis regni exsecutionem ac manifestationem, quæ per leonem regem brutorum significantur. Fuit insuper S. Marcus principis Apostolorum in Baptismate filius, in christiana doctrina discipulus, in sermone interpres : de quo Petrus, Salutat vos, inquit, Ecclesia quæ est in Babylone collecta, et Marcus filius meus. Dum igitur cum S. Petro Romæ resideret, rogatus a fratribus scripsit evangelium sicut a Petro, imo a Spiritu Sancto, didicerat, scriptumque Petro obtulit corrigendum : quod Petrus diligenter examinans, omnique veritate plenum reperiens, approbavit, et fidelibus tradidit sua auctoritate legendum, quemadmodum Clemens testatur. Post hæc Marcus Aquilegiensem et Alexandrinam fundavit Ecclesiam, habuitque in Alexandria Ægypti tantæ perfectionis discipulos, ut Philo eloquentissimus Judæorum, editor libri Sapientiæ, illorum sanctitatem summe admirans, de eorum laudibus scripserit librum. Fuit autem Marcus ex Judaismo conversus, Leviticus genere et sacerdos. I *Petr.* V, 13.

Et sicut ipse in sua conscriptione evangelii studuit brevitati, sic et ego in expositione ejus facturus sum, præsertim quum pene omnia verba ejus in Matthæi evangelio contineantur, jamque exposita sint. Propter hoc utriusque expositionem colligandam institui, ut quæ hic cursorie dicuntur, in Matthæo plenius requirantur.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

SECUNDUM MARCUM

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO PRIMI CAPITULI : INITIUM EVANGELII JESU CHRISTI FILII DEI.

PRÆMITTIT sanctus Evangelista operi A
suo prologum quemdam brevissimum,
vers. 4. qui finitur ibi : Fuit Joannes in deserto
baptizans. Ibi enim inchoatur narratio. Ait
1 ergo : *Initium Evangelii,* id est exordium
bonæ annuntiationis, in qua annuntiatur
salus æterna, et promittitur regnum cœ-
leste, id est evangelicæ legis et christianæ
doctrinæ, *Jesu Christi Filii Dei,* id est
tractantis de Jesu Christo, imo et dati ab
eo qui est Filius Dei, non adoptivus, sed
naturalis. Christus enim est primus et
principalis magister evangelicæ veritatis, B
et de ipso tractat Evangelium ab Evange-
listis conscriptum. Itaque, Initium hujus
Evangelii, hoc est id a quo ego Evangelii
2 descriptionem incipio, est *sicut scriptum
est,* id est, id quod scriptum est, *in Isaia
propheta. Sicut* enim, interdum significat
similitudinem, et interdum denotat veri-
tatem, ut hoc loco.
Malach. III, 1. *Ecce ego mitto angelum meum,* hoc est
Joannem præcursorem, qui angelus, id est
nuntius, appellatur, et propter sui officii
dignitatem, vitæ perfectionem et contem- C
plationis altitudinem, merito angelus di-
ctus est, non quod superioris esset naturæ
seu angelus incarnatus, ut dixerunt hæ-
retici ; *ante faciem tuam,* id est ante te,
et ante tuam declarationem seu tuæ præ-
sentiæ manifestationem, o Christe, videli-
cet, ut te annuntiet et ostendat hominibus.
Hæc enim verba allegantur hoc loco in
persona Dei ad Christum loquentis. *Qui
præparabit viam tuam,* hoc est, actus bo-
nos seu opera virtuosa dispositive inducet
in cordibus Judæorum, per quæ intras
corda hominum. Per talia enim disponun-
tur mentes humanæ ad Christi receptio-
nem, qui secundum Apostolum, per fidem *Ephes.* III, 17.
habitat in cordibus nostris. *Ante te,* hoc
est, antequam ingrediaris corda humana ;
vel, Ante te, id est in conspectu tuo, et
coram te, teque præsente. Per hoc enim
quod Joannes Baptista docendo, baptizan-
do, monstrando ac protestando disposuit
populum Judæorum ad Christi notitiam,
præparavit Christo ingressum ad animas
Judæorum. Denique doctrina atque bapti-
smus Joannis, fuerunt quædam præpara-
tiones doctrinæ et Baptismatis Christi, quo-
niam per baptismum et doctrinam Joannis
disponebantur Judæi ad recipiendum do-
ctrinam et Baptismum Domini Salvatoris.
Potest ergo et ita exponi : Qui præparabit
viam tuam ante te, id est, ad tuæ doctri-
næ ac Baptismi receptionem disponet suos
auditores. *Vox clamantis in deserto : Pa-* 3

rate viam Domini, rectas facite semitas A
Matth. III, 3. *ejus.* Hoc totum in Matthæo diligenter et
prolixe expositum est.

Sed quæstio oritur, quomodo Marcus di-
cat hoc testimonium in Isaia descriptum,
Malach. III, 1. Is. XL, 3. quum prima pars ejus scripta sit in Ma-
lachia, et altera in Isaia. Ad hoc doctores
catholici diversimode respondent. Hierony-
mus enim putat nomen Isaiæ scriptorum
vitio additum. Alii dicunt, quod Marcus
brevitati studens, nomen Malachiæ omisit,
eo quod ultima pars hujus prophetiæ ha-
beatur in Isaia, et quoniam Isaias principa- B
lior fuit, res autem a fine et a principaliori
nomen sortitur. Sed vere et indubitanter
dici potest, quod tota jam allegata aucto-
ritas in Isaia habetur quantum ad sensum,
licet quoad tenorem verborum prima pars
ejus in solo Malachia contineatur. Unde
Marcus in lege et Prophetis etiam huma-
no studio ante suam conversionem eru-
ditus, nomen et verba Isaiæ commemo-
rans, verba Malachiæ interserit tanquam
declarativa verborum Isaiæ. Quis enim est
angelus Dei ante Christum missus, et viam C
ejus adventui præparans, nisi Joannes, vox
clamantis in deserto, Parate viam Domini?

Insuper quæritur, cur Marcus ita alle-
gat, Ecce mitto angelum meum ante fa-
ciem tuam, etc., quum in Malachia sic
scriptum sit, Ecce mitto angelum meum,
et præparabit viam ante faciem meam?
Dicendum, quod Christus et Apostoli atque
Evangelistæ frequenter allegant Scripturas
veteris Testamenti potius quoad sensum
quam formam verborum. Sic nunc efficit
Marcus. Nec discrepat quod Marcus alle- D
gat, a prædictis verbis Malachiæ, sed om-
nino redit in idem, quia per faciem Dei
Patris uno modo intelligitur Christus. Nam
sicut per faciem res ipsa cognoscitur ac
monstratur, sic per Filium cognoscitur et
ostenditur Pater; item, quia ad quemcum-
que venit Filius, venit et Pater, sicque
Joannes parando viam Christo, paravit vi-
am et Patri.

4 *Fuit Joannes in deserto* Judææ trans
Jordanem, *baptizans.* Sicut enim nascen-
do et prædicando, Christi nativitatem et
prædicationem prævenit, sic et baptizan-
do, Christi Baptismum prævenit, servans
ubique suæ ordinem præcursionis. *Et præ-
dicans baptismum pœnitentiæ,* id est Ba-
ptismum Christi ordinatum ad agendam
pœnitentiam: Baptismum, inquam, valen-
tem *in remissionem peccatorum,* quia per
Christi Baptismum diluuntur peccata. Præ-
dicavit autem Joannes Baptismum Christi
cito futurum, quum dixit: Ego vos ba- Matth. III, 11.
ptizo in aqua; ille vos baptizabit in Spi-
ritu Sancto et igni. Verumtamen ipse Jesus Joann. IV, 2.
non baptizavit generaliter, sed discipuli
ejus. De hac materia multa tractata sunt Matth. III.
supra in Matthæo: idcirco prætermitto.

Et egrediebatur ad illum, videlicet ad Jo- 5
annem tunc exsistentem circa Jordanem:
venit enim a deserti latibulis ad ripam Luc. III, 3.
Jordanis, ut populum baptizaret; *omnis
Judææ regio,* id est omnes habitantes in
regione Judæorum, hoc est quidam de om-
nibus, *et Jerosolymitæ universi,* id est ha-
bitatores Jerusalem. Ista distributio intel-
ligenda est pro generibus singulorum, non
pro singulis generum, ut sit hyperbolica
locutio. Juxta quem modum ait Aposto-
lus: Omnes quæ sua sunt quærunt, non Philipp. II, 21.
quæ Jesu Christi. *Et baptizabantur ab illo
in Jordane flumine, confitentes peccata sua*
in generali, non confessione sacramenta-
li, prout Confessio ponitur novæ legis sa-
cramentum.

Et erat Joannes vestitus pilis cameli. 6
Quod hic de vestitu et victu Joannis in-
ducitur, scriptum atque expositum est in Matth. III, 4.
Matthæo. *Et prædicabat dicens: Venit for-* 7
tior me post me, utpote Christus, virtus I Cor. I, 24.
et sapientia Patris: de quo ait Psalmista:
Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. Hic Ps. XXIII, 10.
venit post Joannem, quoniam sicut natus
est de Virgine post Joannem, sic etiam
cœpit se manifestare, docere et miracula
facere, post inchoationem prædicationis Jo-
annis. *Cujus non sum dignus procumbens,*
id est, ante eum inclinans seu procidens,
solvere corrigiam calceamentorum ejus, id
est in re corporali, exteriori et minima ei

servire, propter incomparabilem ejus ex- A
Matth. III, 11. cellentiam super me. Omnia ista plenius
8 elucidata sunt in Matthæo. *Ego baptizavi
vos aqua,* corpora abluendo, non animas
a vitiis expurgando, quia baptismus meus
non confert nec continet gratiam ; *ille ve-
ro baptizabit vos Spiritu Sancto,* id est,
in suo Baptismo gratiam Spiritus Sancti
intus purgantem vobis infundet, dummo-
do volueritis credere in eum : ficte enim
accedentibus non infunditur gratia. In Ba-
ptismo imprimitur tamen character : pro-
pter quod non rebaptizabantur, quoniam B
fictione cessante, Baptismus consequitur
suum effectum.
9 *Et factum est in diebus illis, venit Je-
sus a Nazareth Galilææ* ad Joannem, *et
baptizatus est in Jordane a Joanne :* non
Ibid. 15. quia indiguit, sed ut omnem impleret ju-
stitiam, ut humilitatis daret exemplum, ut
aquis vim regenerativam præstaret, et Jo-
annis baptismum confirmaret, nobisque
10 maximam gratiam mereretur. *Et confe-
* statim stim* ascendens de aqua* Jordanis, *vidit
cœlos apertos, et Spiritum tanquam co- C
lumbam descendentem et manentem in ip-
so.* Hoc tam de Christo quam de Joanne
intelligi potest : uterque enim simul exivit
de aqua Jordanis ; tuncque ambo viderunt
cœlos apertos, et Spiritum Sanctum in for-
ma columbæ super caput Christi descen-
11 dere atque manere. *Et vox de cœlo facta
est,* id est ab angelo loquente in persona
Dei Patris in aere seu cœlo aerio. *Tu,*
Christe, *es Filius meus dilectus, in te com-
placui.* De hac superbenedictæ Trinitatis
apparitione in Christi baptismo, et quo- D
modo intelligenda sit cœlorum apertio,
aliisque notabilibus præsentem concernen-
Ibid. 16, 17. tibus locum, introducta sunt plurima in
Matthæo.
12 *Et statim* post receptionem baptismi,
Spiritus sanctus *expulit,* id est, prompte
ac fervide movit et duxit *eum,* scilicet
Christum, *in desertum.* Christus namque,
secundum assumptam humanitatem, in om-
nibus promptissime atque celerrime obe-
divit instinctui Spiritus Sancti, tanquam
plenissimus septem donis Spiritus Sancti,
per quæ redditur anima bene mobilis a
Spiritu Sancto, juxta illud Apostoli : Qui- *Rom.* VIII,
cumque Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii 14.
Dei. Et ad hoc insinuandum, Evangelista
ait : Expulit eum. *Et erat in deserto qua-* 13
*draginta diebus et quadraginta noctibus;
et tentabatur a Satana.* Hoc totum in Mat- *Matth.* IV,
thæo expositum est. *Eratque cum bestiis* 1-11.
eremi, quæ ei nocere non poterant ; *et
angeli ministrabant ei,* tanquam superi-
ori ac Domino majestatis : sicque ratio-
nalia et irrationalia ei subjecta fuerunt.
Per quod ostenditur duplex in Christo na-
tura, puta humana, ac divina. Quod enim
cum bestiis versabatur, humanæ naturæ
fuit humilitas ; quod vero ab angelis ho-
norabatur, divinæ exstitit majestatis indi-
cium.
Postquam autem traditus est Joannes, id 14
est ab Herode captus et incarceratus, *venit
Jesus in Galilæam, prædicans* generaliter
et publice, *Evangelium regni Dei,* id est
doctrinam novæ legis, in qua annuntiatur
regnum cœleste, quæ etiam sua observa-
tione introducit ad illud. Sciendum quod
ante incarcerationem Joannis, Christus col- *Joann.* I,
legit quosdam discipulos, prædicavit, et 37 *et seq.*; III, 24, 26.
quædam miracula fecit, prout Joannes evan-
gelista testatur. Tamen, quoniam prædica-
tio Joannis præparatoria fuit ad Christi
prædicationem, propterea non prædicavit
publice et communiter, nisi post traditio-
nem Joannis. Ideo Marcus loquitur ac si
Christus prædicationem suam incepisset
post comprehensionem Præcursoris. *Et di-* 15
cens : Quoniam impletum est tempus : hoc
est, plenitudo temporis jam advenit in quo *Galat.* IV, 4.
Pater me misit Filium suum, et tempus
gratiæ a Prophetis prænuntiatum nunc ad-
est. Unde in Actibus ait Petrus : Omnes *Act.* III, 24.
Prophetæ a Samuel et deinceps, annuntia-
verunt dies istos. *Et appropinquabit re-
gnum Dei,* id est, janua regni cœlestis per
meam passionem cito aperietur, et sempi-
terna hereditas tribuetur electis. *Pœnite-
mini,* id est, de peccatis vestris compun-
gimini et dolete, *et credite Evangelio,* id

est evangelicæ prædicationi ac legi quam A
vobis propono.

16-20 *Et præteriens* Jesus *secus mare Galilææ,*
vidit Simonem et Andream fratrem ejus.
Hoc loco describit Evangelista vocationem
quatuor Apostolorum ad Christi discipula-
tum, videlicet Petri et Andreæ, Jacobi et
Joannis; patetque sententia ex his quæ in
Matth. IV, 18-22. Matthæo præhabita sunt. Hic tamen addi-
tur unum verbum quod ibi non ponitur,
20 utpote : *cum mercenariis.* Et est sensus,
quod Jacobus et Joannes reliquerunt pa-
trem suum Zebedæum et mercenarios, id B
est eos qui pro mercede eum juvabant in
opere piscationis.

21 *Et ingrediuntur* Jesus ejusque discipuli
Capharnaum, urbem in Galilæa præcipu-
am, in qua Christus ad tempus habitavit,
et in principio suæ prædicationis multo-
ties docuit, signaque fecit. *Et statim sab-*
batis, id est die sabbati, quo Judæi maxime
concurrebant ad audiendam lectionem le-
gis et Prophetarum, *ingressus in syna-*
gogam, id est domum in qua Judæi ad
orandum et audiendum verbum Dei con- C
fluebant. Loquitur autem de synagoga in
Capharnaum consistente. *Docebat eos,* id
22 est Judæos concurrentes. *Et stupebant,* id
est, multum mirabantur, *super doctrina*
ejus. Cujus subjungitur ratio : *erat enim*
docens eos quasi potestatem habens, hoc
est, valde potenter et efficaciter loquens,
corda audientium compungens et excitans,
quasi ignea proferens verba, suamque præ-
dicationem confirmans miraculis; *et non*
sicut Scribæ, qui docebant, et non opera-
bantur, habentes folia sine fructibus, foris D
perstrepentes, et intus parum aut nihil
proficientes.

23 *Et erat in synagoga eorum homo in spi-*
ritu immundo, id est possessus a dæmone.
Et clamavit dæmon per os hominis a se
obsessi. Doluit enim de salutari doctrina
24 Christi, et se expellendum expavit. *Dicens:*
Quid nobis et tibi, Jesu Nazarene? id est,
cur accessisti ad nos, qui tecum commu-
nionem nullam habemus, neque ad te per-
tinemus? *Venisti perdere,* id est vincere
nos, nostram potestatem frangendo, et pec-
catores salvando, nosque expellendo atque
ad inferos retrudendo? *Scio quia sis San-*
ctus Dei, id est Sanctus Sanctorum, et
Christus in lege promissus, per excellen-
tiam Sanctus vocatus : de quo Daniel, Un- *Dan.* IX, 24.
gatur (inquit) Sanctus Sanctorum; et in
Psalmo, Non dabis Sanctum tuum videre *Ps.* XV, 10.
corruptionem. Denique, quomodo dæmones
et Judæi noverant Jesum esse Christum,
an scilicet certitudinaliter, an conjectura-
liter, sæpe tractatum est in Matthæo. Non
enim dæmones hoc sciebant certitudine
absoluta ac stabili, quemadmodum nec Ju-
dæi. Poterant tamen diaboli hoc certius
agnovisse quam homines; imo et certitu-
dinaliter hoc scivissent, nisi divina dispen-
satione fuissent prohibiti, ut Christi passio
impleretur.

Et comminatus est ei Jesus, dicens : 25
Obmutesce, hoc est, ne amplius perhibeas
testimonium mihi. Quum enim sim veri- *Joann.* XIV, 6.
tas, testimonio tuo non egeo, quum sis *Ibid.* VIII, 44.
mendax, et vera prava intentione proferas,
ut falsa miscendo decipias. *Et exi ab ho-*
mine isto. *Et discerpens,* id est, corporali- 26
ter affligens, *eum spiritus immundus.* Un-
de in Luca legitur, quod projecit eum in *Luc.* IV, 35.
medium : nam invitus exivit. *Et exclamans*
voce magna, quasi victus et violentiam
passus tristissimusque effectus, *exiit ab*
eo. Et mirati sunt omnes qui aderant, non 27
solum in opere miraculoso, sed et in modo
operis; *ita ut conquirerent,* id est, simul
inter se quærerent, *inter se dicentes : Quid-*
nam est hoc? Non enim viderant simile
fieri ab exorcistis Judæorum. *Quæ est do-*
ctrina hæc nova, id est prius inaudita, et
documentis legis ac Prophetarum perfe-
ctior, quæ confirmatur prodigiis tam im-
periosis? *quia in potestate,* id est magna et
propria auctoritate, seu verbo imperiali,
non adjuratorio, *spiritibus immundis im-*
perat, et obediunt ei. Videntur isti plurale
ponere pro singulari. Non enim viderunt
nisi unum obsessum sanari : sed eadem
virtute qua videbant unum a Jesu sana-
tum, credebant et alios posse ab eo sanari.

28 *Et processit rumor,* id est fama, *ejus sta-*
tim in omnem regionem Galilææ.
29 *Et protinus egredientes* Jesus et ejus di-
scipuli *de synagoga, venerunt in domum*
Simonis et Andreæ cum Jacobo et Joanne.
Intravit enim Jesus ad suos familiares ami-
cos et notos, ad pausandum et reficiendum.
30 *Decumbebat autem,* id est jacebat, *socrus*
Simonis, id est mater conjugis Petri, *fe-*
bricitans. Et statim dicunt ei, id est, Chri-
stum rogabant, *de illa,* id est pro curatione
31 ipsius. *Et accedens elevavit eam, appre-*
hensa manu ejus. Et continuo dimisit eam
febris, id est, subito curata est, *et mini-*
Matth. VIII, *strabat eis.* De isto miraculo dicta sunt
14, 15. plura in Matthæo.
32 *Vespere autem facto,* scilicet, *quum occi-*
disset sol, afferebant ad eum omnes male
*[et dæmonia habentes] *habentes,* id est infirmos loci illius*. Audita
enim curatione dæmoniaci et socrus Petri,
conceperunt fiduciam, quod Christus cete-
ros omnes infirmos sanare posset ac digna-
33 retur. *Et erat omnis civitas congregata ad*
januam domus in qua exstitit Jesus, id est
multi de civitate, juxta communem mo-
dum loquendi. Diversi enim ex diversis
causis confluxerunt : quidam ex curiosi-
tate, propter novitatem gestorum; quidam
ex necessitate; quidam, ut pro suis infir-
mis rogarent; quidam, ut tantorum signo-
rum operationem viderent, vel ejus do-
34 ctrinam audirent. *Et curavit multos qui*
vexabantur variis languoribus. In Matthæo
Ibid. 16. habetur, quod omnes infirmos adductos
curaverit. Unde sensus est : Et curavit
multos, id est omnes sibi oblatos, qui fu-
erant multi. *Et dæmonia multa ejiciebat*
ab obsessis, solo verbo seu imperio; *et non*
sinebat ea loqui, id est, non permisit dæ-
mones dicere, *quoniam sciebant eum,* hoc
est, quod noscerent Jesum esse Christum,
secundum modum notitiæ jam expressæ.
Eisdem autem rationibus prohibuit hoc
istis dæmonibus, quibus et dæmoni de quo
vers. 25. paulo ante facta est mentio.
35 *Et diluculo valde surgens,* contra eos
Eccli. qui diu dormiunt : justus enim cor suum
XXXIX, 6. tradet ad vigilandum diluculo ad Domi-

A num; *egressus* de civitate, *abiit in deser-*
tum locum, docens post perpetrationem
miraculorum et sermocinationes præcla-
ras, fugere laudes humanas hominumque
adspectum; *ibique orabat,* ad designandum
quod locus solitarius aptissimus est ad
orandum, quamvis ipse nullo exteriori po-
terat ab unione interna cum Deo impe-
diri, sicut nec aliquo modo poterat ad-
juvari. Unde, quod gratia orationis toties
solitudinem petiit, pro nostra utique fecit
instructione, ut et nos ita agamus.
B *Et prosecutus,* id est prope secutus *est* 36
eum Simon, et qui cum eo erant, id est
discipuli alii : decuit namque ut magi-
strum mente et corpore sequerentur. *Et* 37
quum invenissent eum in loco orationis,
in quo se paululum elongavit ab eis, orans Matth. VI,
Patrem suum in abscondito, *dixerunt ei :* 6.
Quia omnes, de quibus jam dictum est,
quærunt te animarum et corporum incom-
parabilem medicum et efficacissimum sa-
natorem. Nempe, ut dictum est, ob diversas
causas quærebant et concurrebant ad eum.
C *Et ait illis : Eamus in proximos vicos et* 38
civitates, eundo de distanti in distans per
media, et de loco ad locum ordinate, *ut*
et ibi prædicem : ad hoc enim veni per
incarnationem in mundum, videlicet, ut
omnibus ovibus perditis domus Israel si- Ibid. XV, 24.
ne personarum acceptione, verbum salutis
proponam. *Et erat prædicans in synago-* 39
gis eorum, hoc est proximarum civitatum,
et in omni Galilæa, et dæmonia ejiciens.
Consequenter in speciali describitur cu- 40-45
ratio unius leprosi propter magnitudinem
D devotionis suæ ac fidei. Devotio enim et
fides leprosi ostendebantur in hoc, quod
genu flexo dixit ad Jesum : Si vis, potes
me mundare. Porro miraculum istud et
expositio ejus, descripta sunt supra in Ibid. VIII,
Matthæo. Aliquid tamen hic additur, scili- 2-4.
cet : *At ille,* id est leprosus a Christo cu-
ratus, cui præceperat Christus ut nemini
diceret gratiam sanitatis sibi collatæ, *egres-*
sus a Christo, *cœpit prædicare et diffama-*
re, hoc est diversimode promulgare, *ser-*
monem, id est narrationem de sua cu-

ratione. Non tamen inobediens fuit, quia ex dilectione et devotione Christi hoc fecit. Christi autem præceptum intelligendum erat, ne ex vanitate et sine ratione ad jactantiam faceret hoc. Vel, secundum alios, Christus præcepit ut taceret, usque dum ostendisset se sacerdoti, et postea dicere potuit. *Ita ut jam non,* hoc est vix vel difficulter, *posset* Jesus *manifeste in civi-* A

tatem introire, propter multitudinem sibi occurrentem et eum comprimentem vicissim, *sed foris in desertis locis esse.* Poterat tamen Christus omnia, secundum suam absolutam potentiam; sed Evangelista loquitur secundum exteriorem apparentiam et solitum modum loquendi. *Et conveniebant ad eum undique,* diversis ex causis, ut dixi.

ARTICULUS II

ELUCIDATIO CAPITULI SECUNDI : ET ITERUM INTRAVIT CAPHARNAUM POST DIES OCTO.

1 E*T iterum intravit* Jesus *Capharnaum* B
2 *post dies octo;* [*et auditum est quod in*
domo esset;] *et convenerunt multi, ita ut*
non caperet, hoc est, contineri et capi seu
stare non possent, *neque ad januam* domus in qua exstitit Christus. Sed aliqui ipsam domum introierunt. *Et loquebatur eis verbum* vitæ æternæ.

Consequenter describitur curatio paralytici. De qua plenius dictum est in evan-
Matth. IX, 2-7. gelio S. Matthæi : idcirco nunc celerius
3 pertransibo. *Et venerunt* viri aliqui *feren-*
tes ad eum, hoc est ad Jesum, *paralyticum* C
qui a quatuor portabatur una cum lecto
4 in quo jacuit. *Et quum non possent offerre,*
id est præsentare *eum* paralyticum *illi,* scilicet Christo, *præ turba :* quoniam propter turbam non poterant per januam ingredi domum in qua docuit Christus; *nudaverunt tectum ubi erat,* id est, tectum domus illius ascenderunt, et facta illic apertura, per tegulas deposuerunt lectum cum languido. Unde nunc subditur : *et patefacientes,* id est, tectum illud aperientes, *submiserunt grabatum in quo paralyticus* D *jacebat.* Tecta enim in locis illis plana fuerunt, habueruntque januam qua ad ea ascendebatur : per quam aliqui dicunt lectum fuisse submissum cum paralytico isto. Quia tamen hic dicitur quod nudave-

runt tectum, et Lucas quoque ait quod per Luc. v, 19.
tegulas submiserunt infirmum, magis apparet quod in ipso tecto novam fecerunt aperturam.

Cetera quæ hic de isto miraculo recitan- 5-12
tur, patent ex his quæ in Matthæo dicta sunt. Hic tamen dicitur, quod Jesus cognovit spiritu suo cogitationes Scribarum. Et potest per spiritum Christi intelligi Spi-
ritus Sanctus, de quo ait Apostolus : Si Rom. VIII, 9.
quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Cujus utique Spiritus virtute et gratia, Christus ut homo agnovit cogitationes universorum. Et potest quoque per spiritum Christi intelligi intellectus animæ ejus, quo omnia præterita, præsentia et futura cognoscit.

Et egressus est rursus ad mare quod 13
currit per Galilæam. Judæi autem quamlibet magnam congregationem aquarum nominant mare : quem loquendi modum ser-
vaverunt Evangelistæ. *Et quum præteriret* 14
loca illa, *vidit Levi Alphæi,* id est Matthæum filium Alphæi : Matthæus enim alio nomine dictus est Levi; *sedentem ad telo-*
nium. Porro, quæ subjunguntur hoc loco 15-17
de vocatione Matthæi et punctis annexis,
dicta atque exposita sunt in Matthæo. — Matth. IX, 9-13.
Deinceps Marcus describit disceptationem 18-22
discipulorum Joannis et Pharisæorum cum

Matth. IX, 14-17. Jesu ; et littera patet plenissime ex his
quæ in Matthæo dicta sunt.

23-28 *Et factum est iterum quum sabbatis
ambularet* Jesus *per sata.* Hic Evangelista
commemorat quomodo Jesu ambulante per
agros seminatos et blada portantes, discipuli
ejus fame compulsi, spicas sumpserunt
et comederunt : quo viso Pharisæi
increpabant Christum. Quidquid autem hic
scribitur de hoc facto, supra expositum est

A in Matthæo. Sed quærendum est, quomodo *Matth.* XII, 1-8.
Marcus dicat ipsum David intrasse domum
Dei sub Abiathar principe sacerdotum, 26
quum in libris Regum legatur id factum
sub Achimelech pontifice? Et respondendum, I *Reg.* XXI, 1.
quod iste Abiathar fuit filius Achimelech,
succedens ei in sacerdotii principatu;
et patre ejus vivente, egit interdum
vices ipsius : ideo David dicitur introisse
domum Dei sub eo.

ARTICULUS III

EXPOSITIO CAPITULI TERTII : ET INTROIVIT ITERUM IN SYNAGOGAM.

1-5 DEINDE recitat Evangelista quomodo
Christus sanaverit hominem cujus aruit
manus. Et planus est sensus hujus loci
Matth. XII, 10-13. ex his quæ in Matthæo dicta sunt. *Et circumspiciens*
Jesus *eos,* id est incredulos
Judæos ac Pharisæos, *cum ira* per zelum,
id est cum moderato appetitu vindictæ
propter injuriam Deo illatam, vel saltem
cum vultu iram prætendente. Fuit autem
in Christo ira per zelum : quæ tamen
actum rationis in ipso nullatenus perturbabat,
quia in ipso unaquæque potentia
animæ exercuit actum suum, non impediendo
alterius actum potentiæ. In aliis tamen
ira, etiam quæ est per zelum, turbat
aliqualiter oculum mentis, quoniam anima
circa actum unius potentiæ multum intenta
et occupata, impeditur in actu alterius
potentiæ. Hæc autem ira mansuetudini non
repugnat, cujus est passionem iræ ordinare;
sed ira per vitium. *Contristatus super
cæcitate cordis eorum,* misericorditer condolens
eis. Fuit ergo in Christo tristitia
virtuosa ex caritate et pietate descendens,
quia errantibus compatiebatur. Fuit quoque
in eo passio tristitiæ moderata ac naturalis,
quia inferior pars animæ ejus sequebatur
partem superiorem. Quod autem
Is. XLII, 4. in Isaia de Christo inducitur, Non erit tri-

B stis nec turbulentus, intelligendum est de
sæculari, carnali et inordinata tristitia, quæ
non cadit in virum perfectum, quemadmodum
Salomon contestatur : Non contristabit *Prov.* XII, 21.
justum quidquid ei acciderit.

Exeuntes autem Pharisæi, cum Herodianis, 6
id est militibus Herodis, vel, ut
alii dicunt, cum his qui putabant Herodem
esse Christum, *consilium faciebant quomodo
illum perderent,* id est, qualiter Jesum
occiderent.

Et Jesus cum discipulis suis secessit ad 7
C *mare,* dans locum furentibus. *Et dixit di-* 9
scipulis suis ut navicula sibi deserviret,
id est, navem sibi adducerent, eamque intraret,
et staret in mari juxta ripam, *propter
turbam* stantem et accurrentem in
terra, *ne comprimerent eum.* In quo ostendit
se vere fuisse passibilem, atque sæpe
ad tempus vitasse incommoda corporis, ut
tempore divinitus præstituto pateretur. Et
quamvis poterat turbæ pressuram sine
læsione et pœna sustinere per viam mirabiliter,
noluit tamen humanum subsidium
D devitare, ut veritatem assumptæ naturæ
ostenderet. *Multos enim sanabat, ita ut* 10
irruerent in eum ut illum tangerent. Nam
virtus exibat de illo, sanabatque omnes. *Luc.* VI, 19.

Quotquot autem habebant plagas, id est

11 varias infirmitates, *et spiritus immundi,* A
id est diaboli in obsessis; vel, Spiritus im-
mundi, id est obsessi a dæmonibus; *quum*
illum videbant, procidebant ei, sponte vel
coacte reverentiam exhibendo : et si ali-
qui languidi talem infirmitatem habebant,
quod ante suam curationem se coram Jesu
prosternere non valebant, tamen sanitate
recepta, hoc facere poterant. *Et clamabant*
12 dæmones per obsessos, *dicentes : Tu es*
Filius Dei. Hoc conjecturaliter asserebant,
non cum certitudine constanti et absoluta.
Et vehementer comminabatur eis ne ma- B
nifestarent illum, id est, ne ultra dicerent
coram populo Jesum esse Christum Fi-
lium Dei. Contempsit enim testimonium
Marc. I, 25. dæmonum, propter causas introductas. Sed
cur dæmones dixerunt tot bona de Chri-
sto? Dicendum, quod coacte vel malo fine,
et ob alias causas quas non est facile exco-
gitare : et forte, ut ejus passionem impedi-
I *Cor.* II, 8. rent, scientes quod nunquam crucifigerent
Dominum gloriæ ipsi Judæi, si eum agno-
scerent.

13 *Et ascendens* Jesus *in montem, vocavit* C
ad se quos voluit ipse, id est quos præ
aliis ad hoc elegit, videlicet quosdam ex
discipulis; *et venerunt ad eum* in mon-
14 tem. *Et fecit ut essent duodecim cum illo,* id
est, duodecim Apostolos fecit sibi specia-
liter adhærere, ut essent sibi quasi collate-
rales, familiares et proximi; *et ut mitteret*
16 *eos prædicare. Et imposuit Simoni nomen*
aliud, scilicet *Petrus,* quod interpretatur
17 firmus, sive obediens principalis. *Et Jaco-*
bum filium *Zebedæi, et Joannem fratrem*
Jacobi vocavit, *et imposuit eis nomina* D
Boanerges, quod est, filii tonitrui, propter
altisonam et efficacissimam prædicatio-
nem ipsorum, et quia in transfiguratione
Matth. XVII, 5. Christi audierunt, vel potius audituri erant,
vocem Patris dicentis : Hic est Filius meus
dilectus. Hujuscemodi enim vox appellatur
tonitruum, eo modo quo scriptum est in
Job : Quis poterit tonitruum magnitudinis *Job* XXVI,
ejus intueri? Hæc autem mutatio nominum 14.
spiritualem innovationem et gratiam spe-
cialem designavit. Cetera quæ hic dicun- 18, 19
tur, plenius elucidata sunt in Matthæo. *Matth.* X, 3, 4.

Et veniunt ad domum. Et convenit ite- 20
rum turba ad Jesum, ut salutis verbum
audirent, *ita ut non possent neque panem*
manducare, id est, tam ferventer ac per-
severanter insistebat Christus verbo præ-
dicationis, quod discipuli ejus non habe-
bant quietum tempus ad manducandum.
Et quum audissent sui, id est, quum di- 21
scipuli Christi : et maxime quidam ex
consanguineis suis ex parte Matris, de qui-
bus ait Joannes, quod fratres ejus nondum *Joann.* VII,
credebant in eum : quum igitur isti audis- 5.
sent verba Jesu, quæ erant supernaturalia,
ardua, insolita, rudibusque Judæis peni-
tus inaudita, *exierunt tenere eum,* hoc est
comprehendere vel ligare Jesum tanquam
arrepticium vel insanum. *Dicebant enim :*
Quoniam in furorem versus est, id est fu-
riosus effectus. Quoniam enim audierunt
eum talia prædicare, nec a prædicatione
cessare, nec corporalia commoda curare,
opinati sunt quod esset in furorem con-
versus : quemadmodum Festus ait ad Pau-
lum, Multæ litteræ ad insaniam te conver- *Act.* XXVI,
tunt. Voluerunt ergo Jesum tenere, ne ex 24.
insania, sibi ipsi vel aliis nocumentum
inferret. *Et Scribæ qui ab Jerosolymis de-* 22-30
scenderant, dicebant : Quoniam Beelze-
bub habet, id est, dæmone sic vocato obses-
sus est, *et quia in principe dæmoniorum*
ejicit dæmonia. Locus iste in Matthæo ple- *Matth.* XII,
ne atque diffuse expositus est, ita ut illis 24-32.
pensatis, ista facillime intelligantur. Item
quod subditur, Et veniunt Mater ejus et 31-35
fratres, explanatum quoque est in Matthæo. *Ibid.* 46-50.

ARTICULUS IV

DECLARATIO CAPITULI QUARTI : ET ITERUM CŒPIT DOCERE AD MARE.

1 ET *iterum cœpit docere ad mare,* ut A
aquam sapientiæ salutaris juxta maris
3-20 fluenta efflueret. Quæ autem hoc loco di-
cuntur de parabola seminantis, exposita
Matth. XIII, 3-23. sunt in Matthæo.
21 *Et dicebat illis,* hoc est discipulis suis :
Numquid venit lucerna ut sub modio po-
natur, aut sub lecto? quasi dicat, Non.
Ibid. v, 15. Ideo enim lucerna adducitur atque accen-
ditur, ut ponatur super candelabrum, seu
in loco patenti, ut luceat his qui in domo
sunt. Per hoc Salvator significavit, quod
evangelica doctrina, quæ comparatur lu- B
cernæ, non esset occultanda, sed primo
Judæis, deinde omnibus gentibus prædi-
22 canda. *Non enim est aliquid absconditum,*
quod non manifestetur : quia ad minus in
I *Cor.* IV, 5. die judicii Christus omnia abscondita ma-
nifestabit, nisi interim in Confessione ape-
riantur; *neque factum est occultum,* hoc
est, nullum opus Deum latet, *sed ut in*
palam veniat, id est, manifestum fiat. Ideo
namque permittit Deus fieri mala occulta,
ut suo tempore ad honorem divinæ justitiæ
publicentur. Non enim permitteret Deus C
24 mala, nisi posset ex illis elicere bona. *In*
qua mensura mensi fueritis, remetietur
vobis, id est, juxta modum et exigentiam
operum vestrorum, præmium recipietis,
et adjicietur vobis : quoniam Deus remu-
nerat ultra condignum, et bene agentibus
ac Deum honorantibus, adjicit gratiam in
præsenti, et gloriam in futuro.
26 *Et dicebat : Sic est regnum Dei,* hoc est,
ita se habet negotium quod agitur in Ec-
clesia militanti, vel in quocumque fideli
Philipp. III, 20. cujus conversatio est in cœlis, et in quo D
Ephes. III, 17. Christus per fidem et gratiam regnat,
quemadmodum si jaciat homo agricola *se-*
27 *mentem,* id est semen, *in terram, et dor-*
miat, et exsurgat homo ille *nocte ac die,*
etc., hoc est congruis horis diei et noctis,
ad videndum negotia sua. Juxta litteralem
significationem plana est littera.

Figuraliter autem, per hominem semi-
nantem intelligitur Christus; per semen
vero, verbum Dei, quod projicit Christus
in corda nostra; per terram, mens homi-
nis. Quamvis autem Christus non dormiat *Ps.* CXX, 4.
modo, tamen per modum dormientis se
habet, dum homines propriæ libertati re-
linquens, quasi absentem se exhibet. Ideo
enim ait Psalmista : Exsurge, quare obdor- *Ps.* XLIII, 23.
mis, Domine? Quemadmodum ergo homo
agricola mittit semen in terra, sic Christus
per se et suos ministros transfundit ver-
bum Dei in mentes humanas; et sicut ho-
mo talis dormit, et debitis horis surgit, ac
visitat agrum suum; sic Christus ad tem-
pus per modum dormientis se habet, nihi-
lo minus die et nocte visitat occulte suam
Ecclesiam.

Ultro enim, id est sponte ac prompte, 28
terra fructificat, id est, cor hominis semi-
ne verbi Dei fecundatum opera bona pro-
ducit, *primum herbam, deinde spicam,*
deinde plenum frumentum in spica. Per
herbam, intelligi potest opus incipientium,
seu timor servilis; per spicam, opus pro-
ficientium, vel spes vitæ futuræ, aut timor
initialis; per plenum frumentum, opus
perfectorum, seu fervor et actio caritatis.
Quemadmodum itaque terra quodam or-
dinato processu venit ad bladum, sic cor
successive pertingit ad opus perfectum. *Et* 29
quum ex se produxerit fructus, hoc est,
quum cor hominis ad perfectionem deve-
nerit, *statim mittit falcem,* id est, tunc
Christus per mortem abscindit ac tollit ho-
minem virtuosum de mundo, ponens eum

in area regni cœlestis, *quoniam adest mes-*
sis, id est maturitas meritorum, et tempus
colligendi electos in patria.
30 *Et dicebat* Salvator : *Cui assimilabi-*
mus regnum Dei, id est Ecclesiam mili-
tantem, seu statum atque negotium ejus?
Aut cui parabolæ, id est rei per sermonem
parabolicum designatæ, *comparabimus il-*
lud? Quærit Christus, non quasi dubitans,
31, 32 sed attentos nos faciens. *Sicut granum si-*
Matth. XIII, 31, 32. *napis,* etc. Parabola ista plenius habita at-
33 que explanata est in Matthæo. *Et talibus*
multis parabolis (quæ in Matthæo descri-
Ibid. 33 *et seq.* buntur) *loquebatur eis,* id est rudi indo-
ctæque turbæ, *prout poterant audire,* hoc
A est capere. Proportionabat enim aliquali-
ter suum sermonem capacitati audienti-
um. Ideo enim utebatur similitudinibus re-
rum notarum, ut aliquo modo intelligerent
quæ dicebantur, quamvis sensum mysti-
cum et perfectum non poterant capere.
Et ait illis, scilicet discipulis, *in illa die,* 35
quum sero esset factum, id est hora vesper-
tina : *Transeamus contra,* id est ad locum
oppositum ultra mare. *Et dimittentes tur-* 36-40
bam, assumunt eum, ita ut erat in navi.
Consequenter Evangelista describit quo-
B modo Christo cum discipulis navigante,
orta et sedata est procella sive tempestas *Matth.* VIII,
in mari. Quod in Matthæo expositum est. 24-27.

ARTICULUS V

EXPOSITIO CAPITULI QUINTI : ET VENERUNT TRANS FRETUM.

1-17 ET *venerunt* Christus ac discipuli ejus
per navem, *trans fretum maris,* id
est aquam navigabilem, *in regionem Ge-*
rasenorum. Hoc loco Marcus describit sa-
nationem dæmoniaci a legione dæmonum
obsessi : et patet intellectus hujus scri-
Matth. VIII, 28-34. pturæ ex his quæ in Matthæo dicta sunt.
Et deprecabantur dæmones *eum,* videli-
cet Jesum, *multum, ne se expelleret extra*
regionem, id est terram illam. Unde in
Luc. VIII, 31. Luca leguntur rogasse, ne præciperet eis
ire in abyssum. Dæmones enim cupiunt
esse cum hominibus, non ex dilectio-
ne, sed odio ; et Deus interdum permittit
hoc, ad ampliorem coronam et gloriam
electorum.
18 *Quumque ascenderet* Jesus *navim,* ut
reverteretur in terram suam, *cœpit illum*
deprecari qui a dæmonio vexatus fuerat,
et sanatus, *ut esset cum illo,* id est, ut
Jesus permitteret eum secum esse et con-
versari. Voluit enim gratus esse Christo
19 pro beneficio tanto. *Et non admisit eum*
secum esse ; *sed ait illi : Vade in domum*
tuam ad tuos, et annuntia illis quanta
C *tibi Dominus fecerit. Et abiit, et cœpit* 20
prædicare in Decapoli, id est in provincia
decem civitates habente. Præterea recitat 22-43
Marcus quomodo Christus resuscitavit fi-
liam archisynagogi nomine Jairi, et qua-
liter eundo ad suscitationem illius curavit
in via mulierem a profluvio sanguinis.
Utrumque autem miraculum in Matthæo *Matth.* IX,
explanatum est. 18-25.

Patet itaque ex Evangelio, quod Christus interdum prohibuit miracula sua publicare, quandoque vero jussit ea manifesta-
D ri : ad instruendum quod fideles interdum debeant opera sua virtuosa manifestare ad gloriam Dei ædificationemque proximi, ex caritate, prout Paulus sæpissime fecit ; interdum vero debent ea occultare, ex humilitate. Denique aliqui dicunt, quod Christus prædictum dæmoniacum non admisit ad suum discipulatum, propter præcedentis passionis horrorem, et ne dæmoni adscriberentur opera quæ faceret virtute Christi exsistendo cum eo : et ob id furiosi ac dæmoniaci, etiam post curationem, in Ecclesia non promoventur.

ARTICULUS VI

ENARRATIO CAPITULI SEXTI : ET EGRESSUS INDE, ABIIT IN PATRIAM SUAM.

1 E*T egressus inde,* videlicet a domo ar-
chisynagogi, *abiit in patriam suam*
Galilæam. Porro, quod scribitur hic de
2-4 æmulatione, susurratione et scandalizati-
one Judæorum propter doctrinam Christi,
Matth. XIII, 54-57. scriptum et elucidatum est in Matthæo.
Ibi enim ostensum est quomodo Marcus
dicat dixisse Judæos de Jesu, Nonne hic
est faber filius Mariæ ? quum Matthæus
Ibid. 55. scribat eos dixisse, Nonne hic est fabri fi-
5 lius ? Quod vero hic subditur, *Non poterat*
ibi virtutem, id est operationem miracu-
losam, *ullam facere,* etc., intelligendum
est de potentia Christi ordinata, quia non
decuit propter illorum perversitatem, non
6 de potentia sua absoluta. *Et mirabatur*
propter incredulitatem illorum. Qualiter
admiratio locum in Christo habuerit, tra-
ctatum est plenius in Matthæo, ubi Salva-
Ibid. VIII, 10. tor legitur propter fidem centurionis fu-
isse miratus. Quemadmodum vero de illius
fide, sic de istorum perfidia mirabatur.
Et circuibat castella in circuitu docens.
Nam quamvis ingratos incredulosque com-
patriotas reliquisset, processit tamen ad
eos de quorum informatione spes erat.

7-12 *Et convocavit* Jesus *duodecim* Aposto-
los, quorum unus fuit Judas Iscariotes, *et*
cœpit eos mittere binos. Quæ autem hic
recitantur de missione, prædicatione et
Ibid. x, 1 *et seq.* miraculis Apostolorum, exposita sunt in
Matthæo ; ibique concordatum est id in
quo Marcus a Matthæo discrepare videtur.
13 *Et ungebant* Apostoli *oleo multos ægros, et*
sanabantur. Ex hoc elicitur, quod Extre-
ma unctio infirmorum fuit ante passionem
instituta a Christo.

14-29 *Et audivit Herodes rex* famam Christi.
Manifestum enim factum est nomen ejus:
quia non ipse dumtaxat, sed et discipuli
A ejus signa fecerunt. *Et dicebat* Herodes :
Joannes Baptista resurrexit a mortuis.
Scriptura ista continens decollationem Jo-
annis Baptistæ, tota habita atque exposita *Matth.* XIV, 1-12.
est in Matthæo.

Et convenientes Apostoli ad Jesum, re- 30
deuntes videlicet a prædicatione et exse-
cutione officii eis injuncti, *renuntiaverunt*
ei omnia signa *quæ egerant et* verba quæ
docuerant, submittentes se correctioni at-
que judicio sui magistri, ostendentes quo-
que se injunctum negotium fideliter ex-
B secutos. *Et ait illis : Venite seorsum in* 31
desertum locum, et requiescite pusillum.
Pius namque magister ac Dominus disci-
pulorum labori et fatigationi compassus,
concessit eis respirationem, recreationem
et quietem, verumtamen non magnam nec
longam, sed brevem ac modicam : osten-
dens non diu cessandum esse ab opere
bono, nec ultra necessitatem indulgendum
esse corporali quieti, sed usque in finem
invicto animo perseverandum fore in ope-
re virtuoso. Cur autem abduxerit eos ad
C locum secretum, subjungitur. *Erant enim*
qui veniebant ad Jesum ejusque Aposto-
los, *et redibant* ab eis, *multi,* sibi invicem
in itinere obviantes, *et nec manducandi*
spatium habebant discipuli, propter popu-
lorum concursum.

Et ascendentes in navim. Hoc loco Evan- 32-44
gelista enarrat miraculum, quemadmodum
Christus ex quinque panibus duobusque
piscibus saturavit quinque millia homi-
num, exceptis mulieribus et pueris, ita
quod de fragmentis sublati et adimpleti
D sunt duodecim cophini. Hoc autem mira-
culum expositum est in Matthæo. Aliquid *Ibid.* 13-21.
tamen hic additur, scilicet : *Et dixerunt*
ei, id est discipuli Christo : *Euntes ema-*

mus ducentis denariis panes, et dabimus A
eis manducare. Hoc dixerunt ad ostenden-
dum quam impossibile fuerit eis tantam
turbam cibare, tanquam dicerent : Quum
simus pauperes, non habemus pecuniam
sufficientem ad emendum cibaria istis,
quia etsi ducentos denarios haberemus,
non sufficeret. Unde in evangelio Joannis
Joann. VI, 7. legitur : Ducentorum denariorum panes
non sufficiunt eis, ut unusquisque modi-
cum quid accipiat.

45 *Et statim coegit discipulos suos ascen-
dere navim, ut præcederent eum trans fre-* B
tum ad Bethsaidam, urbem Galilææ, *dum
ipse dimitteret,* id est, a se recedere fa-
ceret, *populum.* Ideo autem dicit Evan-
gelista, quod coegit discipulos suos hoc
facere, quia discipuli non libenter navi-
gabant sine eo, imo ubique libenter erant
cum eo propter dulcedinem, pietatem et
46 amabilitatem ipsius. *Et quum dimisisset
eos,* id est populum, *abiit in montem ora-
re.* In quo docuit, quod prædicator verbi
Dei, expleto prædicationis et instructionis
officio, vitare debet strepitum populi, et C
ad orationem recurrere atque quieti in-
tendere, ut gratias agat Deo de eo quod
bene locutus est, oretque Deum pro audi-
torum fructu ac salute, et item pro sui ip-
sius pleniori illustratione, ut habeat semper
in promptu quod aliis fructuose proponat.

47-56 *Et quum sero esset.* Quidquid in isto
capitulo subditur de ambulatione Domini
Jesu supra mare et discipulorum contur-
batione, de miraculis quoque Christi fa-
ctis in terra Genesareth, dictum et decla-
ratum est in Matthæo, paucis demptis, quæ *Matth.* XIV, 23-36.
exponenda sunt jam. *Et volebat* Jesus am-
bulans supra mare, *præterire eos,* puta
discipulos in navi periclitantes. Forte sic
voluit eos præterire, quomodo post resur-
rectionem finxit se longius ire. Nec fuit *Luc.* XXIV, 28.
aliqua simulatio, duplicitas sive deceptio,
quoniam ad designandum aliquid spiritu-
ale hoc egit, videlicet propter ostenden-
dam imperfectionem fidei discipulorum
suorum, ob quam fuit quodammodo spi-
ritualiter elongatus ab eis. *In plateis po-* 56
nebant infirmos. Quidam Sanctorum di-
cunt Petrum fecisse majora signa quam
fecerit Christus, ut Christus prædixit apud
Joannem : Qui credit in me, opera quæ *Joann.* XIV, 12.
ego facio et ipse faciet, et majora horum
faciet, quia ego ad Patrem vado. In hoc au-
tem asserunt Petrum fecisse majora, quia
de eo scriptum est in Actibus : In plateis *Act.* V, 15.
ejiciebant infirmos, ut veniente Petro, sal-
tem umbra illius obumbraret quemquam
illorum, et liberarentur ab infirmitate sua.
Et dicunt quod hoc nusquam legitur de
Christo. Quibus obviare videtur quod hoc
loco recitat Marcus : *Quocumque intro-
ibat, in vicos, vel in villas, aut in civita-
tes, in plateis ponebant infirmos.* Sed qui
dictum illorum cupit tueri, dicere potest
quod Evangelista non ait aliquem langui-
dorum sola obumbratione corporis Christi
fuisse sanatum, sed tactu.

ARTICULUS VII

EXPOSITIO CAPITULI SEPTIMI : ET CONVENIUNT AD EUM PHARISÆI ET QUIDAM DE SCRIBIS.

1-23 CONSEQUENTER Evangelista describit D
invidiosam increpationem Scribarum
ac Pharisæorum, increpantium Salvatorem
eo quod discipuli manducabant manibus
communibus, id est non lotis, justam quo-
que redargutionem eorum a Christo : et
quod hic induci possit pro expositione,
introductum est in Matthæo, ubi scriptura *Matth.* XV, 1-20.
ista exposita est, perpaucis exceptis, quæ
modo tangenda sunt. *Et a foro nisi bapti-* 4

zentur, id est, Scribæ, Pharisæi, ceterique A
Judæi redeuntes a foro seu loco extraneo,
nisi lavent se, *non comedunt. Et alia mul-*
ta sunt quæ tradita sunt illis servare, vi-
delicet, *baptismata,* id est lotiones, *calicum*
18 *et urceorum.— Omne extrinsecus introiens*
in hominem, id est alimentum corporale,
non potest eum coinquinare, id est ho-
minem maculare, seu peccatoribus simi-
lem facere, quantum est ex natura vel
I *Tim.* IV, 4. parte alimenti, quia omnis creatura Dei
19 bona est. *Et in secessum exit, purgans*
materialiter *omnes escas* nutritivas, quæ B
in substantiam aliti convertuntur. Per hoc
enim quod natura egerit superfluum ali-
menti, id quod remanet purificatur, se-
parato superfluo et immundo a mundo et
necessario.

24 *Et ingressus* Jesus *domum, neminem*
extraneorum *voluit scire :* id est, quantum
in se fuit, occultavit se, et non permisit
ut discipuli sui se manifestarent, docens
fugere ostentationem inanem, ut amemus
nesciri. *Et non potuit latere,* secundum
naturalem cursum et ordinem, propter ce- C
lebrem famam ipsius. Nam et honor se-
Matth. V, 14. quitur fugientem, et non potest civitas
abscondi posita supra montem. Loquendo
autem de absoluta Christi potentia, certum
est quod latere potuerit, imo et se invi-
sibilem reddere, etiam stando inter alios.

25-30 *Mulier enim statim,* etc. Hic describi-
tur curatio filiæ mulieris gentilis, Syro-
phœnissa genere, id est natæ de Syria
Ibid. XV, 21-28. Phœnicis : estque locus iste expositus in
Matthæo.

31 *Et iterum exiens* Jesus *de finibus Tyri,* D
venit per Sidonem ad mare Galilææ, in-
ter medios fines Decapoleos, id est regionis
quæ vocatur Decapolis, quasi decem civi-
32 tates habens. *Et adducunt ei* turbæ *sur-*
dum et mutum, et deprecabantur eum ut
imponat illi manum. Iste surdus et mu-
tus, ut dicitur, factus fuit talis a dæmone
ipsum possidente, qui usum linguæ et
aurium impedivit in eo. Unde in Matthæo
Ibid. XII, 22. legitur : Tunc oblatus est dæmonium ha-
bens, cæcus et mutus.

Et apprehendens Jesus *eum* surdum et 33
mutum, *de turba seorsum,* ex humilitate,
vel quoniam turba digna non erat videre
mysterium hujus miraculi, vel ad desi-
gnandum quod spiritualiter surdi ac muti
secrete admonendi sunt atque docendi, ne
ex humano rubore retrahantur ab adver-
tentia et pœnitentia ; *misit digitos suos in*
auriculas ejus : primo, ad ostendendum
quod divinitas in eo latens operabatur per
corpus assumptum, tanquam per instru-
mentum animatum, conjunctum ac pro-
prium, quemadmodum anima rationalis
operatur per corpus a se informatum ; se-
cundo, quia per digitos, ratione articula-
tionis et distinctionis ipsorum, significatur
discretio : ad aperiendum autem aures in-
teriores hominis spiritualiter surdi, discre-
tio magna exigitur. *Et exspuens, tetigit*
suo sputo *linguam ejus :* quia per sali-
vam, sine qua verba formari non possunt
perfecte, sapientia figuratur, sine qua ne-
mo rationabiliter loquitur. Exspuit ergo,
et tetigit Jesus linguam surdi ac muti, ad
insinuandum quod qui mutus est a pro-
latione verborum cœlestium atque salu-
brium, recte ac meritorie loqui non potest,
nisi divina sapientia perfundatur. Propter
quod orat Apostolus, ut detur sibi sapi- *Ephes.* VI, 19.
entia in apertione oris sui.

Et suspiciens in cœlum, ad demonstran- 34
dum quod tota virtus sua esset a Patre, et
quod ab eo auxilium habuerit secundum
quod homo, *ingemuit.* Quare ingemuit ?
Numquid propter difficultatem perpetran-
di miraculi ? Non utique : sed ex compas-
sione qua non solum præsenti infirmo,
sed universis condoluit, qui dæmonum
dominatione premuntur ; et item, ad os-
tendendum quam difficile sanaretur ani-
ma spiritualiter surda ac muta. Unde in
suscitatione Lazari turbavit se ipsum, fre- *Joann.* XI, 33, 35, 38.
mens spiritu, et lacrimas fundens, ad de-
monstrandum quod mole consuetudinis
impiæ pressi obstinati, super quos clausit *Ps.* LXVIII, 16.
puteus os suum, qui figurantur per qua- *Joann.* XI, 39.
triduanum mortuum, difficillime conver-
tuntur et vitam gratiæ sortiuntur. *Et ait*

Jesus *illi* surdo et muto, *Ephphetha, quod* A
35 *est, adaperire. Et statim apertæ sunt au-*
res ejus, id est ad audiendum aptatæ, et
naturali usui redditæ, *et solutum est vin-*
culum, id est impedimentum, *linguæ ejus,*
et loquebatur recte. Sic qui spiritualis vi-
sus illustrationem interiorumque aurium
apertionem a Christo sortitur, loquitur re-
cte, id est juste, sapienter atque salubri-
Coloss. IV, 6. ter, prout monet Apostolus : Sermo vester
semper in gratia sale sit conditus.
36 *Et præcepit illis,* id est turbæ, *ne cui*
dicerent, id est, nulli revelarent curatio- B
nem hanc miraculosam. *Quanto autem eis*
præcipiebat tacere, *tanto plus prædicabant.*
Non tamen rebelles fuerunt, quia utrum-
que bonum fuit secundum considerationes
diversas, et præceptum Salvatoris intelli-
gendum erat, ne ad jactantiam diceretur.
Et eo amplius admirabantur, dicentes : 37
Bene omnia fecit. De quibus omnibus sub-
ditur : *et surdos fecit audire, et mutos lo-*
qui. Quamvis enim Marcus non exprimat
hic nisi de cura unius, tamen quando Chri-
stus istum curavit, sanavit et alios multos
surdos et mutos, ac cæcos et debiles, ut *Matth.* XV, 30.
habetur in Matthæo. Sed Marcus scribit de
uno cujus curatio solennius facta est, et
multa mystica figuravit : eratque mirabi-
lior, quia in uno homine tria signa si-
mul facta videntur, dum obsessus libera-
tur, surdus auditum, et mutus loquelam
recuperat. Non tamen certus sum an iste
surdus et mutus sit idem de quo scribit
Matthæus, asserens eum obsessum a dæ-
mone.

ARTICULUS VIII

ELUCIDATIO CAPITULI OCTAVI : IN DIEBUS ILLIS, ITERUM QUUM MULTA TURBA ESSET CUM JESU.

1-9 IN *diebus illis,* etc. Hoc loco Marcus de- C
scribit quemadmodum Christus ex sep-
tem panibus et paucis pisciculis satiavit
quatuor millia hominum, ita quod septem
sublatæ sunt sportæ fragmentorum : et
Matth. XV, 32-38. istud expositum est in Matthæo.
10 *Et statim ascendens navim cum disci-*
pulis suis, venit in partes Dalmanutha. In
Ibid. 39. Matthæo habetur : In fines Magedan. Lo-
cus enim binomius fuit, secundum quos-
11 dam. *Et exierunt Pharisæi, quærentes si-*
12 *gnum de cœlo. Et ingemiscens spiritu,* id
est, cordialiter illorum cæcitati et perver- D
13 sitati compatiens Jesus, *et dimittens illos,*
15-21 tanquam incorrigibiles, *præcipiebat* disci-
pulis, *dicens : Cavete a fermento,* id est
doctrina, *Pharisæorum, et a fermento He-*
rodis, id est a secta atque malitia Herodia-
norum, de quibus præhabitum est. Cetera
hic omissa patent ex his quæ dicta sunt
in Matthæo, ubi omnia ista multo plenius *Matth.* XVI, 7-12.
quam in hoc capitulo describuntur.
Et veniunt Bethsaidam; et adducunt ei 22
cæcum, et rogabant eum ut illum cæcum
tangeret, scientes quod tangendo eum illu-
minaret. Isti adducentes cæcum, videntur
fuisse turbæ, non discipuli. *Et apprehen-* 23
sa manu cæci, eduxit eum extra vicum, in
quo fuit sibi adductus, ad demonstrandum
quod eum qui divinitus illustrari deside-
rat, necesse est pristinos actus relinquere,
imo se ipsum abnegare, et quasi de terre-
nis ad cœlestia transmeare. *Et exspuens*
in oculos ejus, ad ostendendum quod inte-
riorum oculorum illustratio sit per immis-
sionem sapientiæ profluentis a Christo. Per
salivam nempe sapientia designatur. Vel
ideo exspuit in oculos ejus, ut potestatem
suam ostenderet, quando et per contactum
sputi sui cæcus reciperet visum. *Impositis*

manibus suis super cæcum, et forte super A
oculos ejus, *interrogavit eum,* non quasi
24 ignorans, *si aliquid videret. Et adspiciens,*
ait, id est, cæcus iste videre incipiens et
obscure illuminatus, respondit : *Video homines quasi arbores ambulantes,* id est,
corpora video moveri, sed distinctionem
membrorum et figuras lineamentorum non
25 discerno in eis. *Deinde iterum imposuit*
Jesus *manus super oculos ejus, et cœpit*
videre, et restitutus est, id est, ad usum
oculorum reductus est, *ita ut clare videret*
omnia colorata seu lucida sibi objecta. Per B
impositionem manuum Salvatoris, designatur applicatio suæ divinæ virtutis, qua hominem illustrante, videt clare omnia ad veram salutem spectantia.

Sed cur Christus omnipotens curavit hunc cæcum successive, quem poterat in instanti perfecte curare? Dicendum quod primo, ad ostendendum quod homo paulatim crescit et proficit in gratia, ita quod purgatio præcedit illuminationem, illuminatio quoque perfectionem seu unionem. Secundo, ad ostendendum imperfectionem C fidei, tam cæci istius, quam turbæ ac discipulorum. Quemadmodum enim Prophetæ interdum verbis, interdum signis et factis prophetaverunt; sic Christus aliquando verbis, aliquando factis aliquid designavit
Matth. XXI, 19. aut præmonstravit, ut quum maledixit ficulneæ. Sic igitur in præsenti paulatim illuminavit hunc cæcum, significans homines istos obscuram fidem habere, et clariori lumine indigere.

Præterea S. Marcus describit quomodo 27-38
Christus interrogavit discipulos suos quid homines de ipso sentirent, seu quem eum esse assererent, et quomodo suam passionem palam prædixit, et Petrum oppositum persuadentem dire redarguit, omnes quoque qui aderant, ad suæ passionis imitationem et adversitatum tolerantiam admonebat. Quæ omnia habita atque exposita *Matth.* XVI, 13-27.
sunt in Matthæo.

Aliqua tamen adduntur vel variantur
quantum ad verba, quia hic dicitur : *Qui* 38
enim me confusus fuerit, et verba mea.
Pro quo in Luca habetur : Qui me erubuerit et meos sermones. *Luc.* IX, 26. Et est sensus : Qui turpe æstimat ut a me christianus vocetur, et me esse Filium Dei confiteri non audet, meaque verba observare confunditur. *In generatione ista adultera et peccatrice,* id est inter homines spiritualiter fornicantes recedendo a Deo vero et rebus caducis inhærendo : de quibus fertur in Psalmo, Perdidisti omnes qui fornicantur abs te; *Ps.* LXXII, 27. et in Osee, Fornicati (inquit) *Osee* IV, 12. sunt a Deo suo. Deus enim est sponsus animarum, qui primo desponsavit sibi Synagogam in datione legis, deinde Ecclesiam. *Et Filius hominis confundetur eum,* id est, per modum erubescentis se habebit quantum ad ipsum, non confitendo eum pertinere ad se, neque ad numerum electorum, *quum venerit in gloria Patris sui,* ad quam in ascensione conscendit : et nunc advocatus eorum est qui ipsum non erubescunt in sæculo isto.

ARTICULUS IX

39 (cap. VIII.)

EXPLANATIO CAPITULI NONI : ET DICEBAT ILLIS : AMEN DICO VOBIS, QUIA SUNT QUIDAM, ETC.

CONSEQUENTER Evangelista describit D
1-12 Christi transfigurationem, et Apostolorum interrogationem Christique responsionem de adventu Eliæ. Quæ omnia explanata sunt in Matthæo. *Matth.* XVI, 28; XVII, 1-13. Unum tamen verbum ponitur hic obscure, quum dicitur, *Et*
11 *quomodo scriptum est in Filium hominis, ut multa patiatur et contemnatur :* id est,

sicut de Christo vel contra Christum scri- A
ptum est, quod mortem et contemptum
passurus exstiterit, ita Elias ab Antichristo
patietur. Vel comparatio referenda est ad
Joannem Baptistam, quod et ipse multa
12 perpessus sit. Unde subjungitur : *Dico vo-*
bis, quia Elias jam venit, et fecerunt illi
quæcumque voluerunt, eum multipliciter
persequendo, Herodes scilicet et Judæi, *sic-*
ut scriptum est de eo. De passione Joannis
non recolo aliquid prophetatum in veteri
Testamento in speciali : idcirco quod ait,
Sicut scriptum est de eo, referri potest ad B
id quod ait, Elias jam venit : quia de ad-
Is. XL, 3-5; *Malach.* III, 1. ventu Joannis et prædicatione ipsius Isaias
et Malachias scripserunt.

13 *Et veniens ad discipulos suos, vidit tur-*
bam magnam circa eos. Ideo enim turba
accurrebat, ut videret an possent curare
dæmoniacum eis oblatum. *Et Scribas con-*
quirentes, id est conferentes, *cum illis.*
Interrogaverunt enim Apostolos, quare non
potuerunt dæmoniacum liberare : et forte
illudebant eis, quod non poterant eum cu-
14 rare sicut tentabant. *Et confestim omnis* C
populus videns Jesum, stupefactus est, id
est admiratus, *et expaverunt,* nescientes
ubi fuisset, et quare abisset, vel quomodo
eum perdidissent. Christus enim sæpe im-
perceptibiliter se subtraxit a populo. *Et*
15 *accurrentes, salutabant eum. Et interro-*
gavit eos : Quid inter vos conquiritis ?
Quod interrogationes Christi non proces-
serunt ex ignorantia vel dubitatione, sed
ut convenientius responderet, vel aliis ali-
quid innotesceret, sæpe prætactum est.

16 *Et respondens unus de turba, dixit :* D
Magister, attuli filium meum ad te. Quo-
modo intelligendum est hoc, quum post
pauca subdatur, *Qui respondens, dicit, Af-*
ferte illum ad me ; et attulerunt eum? Di-
cendum, quod pater attulit seu adduxit fi-
lium suum ad Christum, id est ad locum
communem in quo fuit Christus et alii,
nondum tamen adduxit eum in conspectu
ipsius. *Habentem spiritum mutum,* id est
possessum a dæmone, loquelam filii mei
17 impediente. *Qui ubicumque eum appre-*
henderit, id est, infestare cœperit. Non
enim continuo, sed certis horis seu luna-
tionibus eum vexavit. Unde Matthæus dicit
puerum fuisse lunaticum. *Allidit eum,* id *Matth.* XVII, 14.
est, in terram trudit seu projicit; *et spu-*
mat, et stridet dentibus, et arescit. Ex quo
patescit vehementia hujus vexationis. *Et* 19
quum vidisset illum, id est Jesus hunc
puerum, vel puer Jesum, *statim spiritus*
conturbavit, id est diabolus vexavit *eum.*
Videns enim dæmon se expellendum, fecit
quod potuit. *Et elisus,* id est projectus, *in*
terra obsessus, *volutabatur spumans.*

Et interrogavit Jesus *patrem ejus,* ut 20
alii veritatem agnoscerent, et perpetrandi
miraculi magnitudinem ex hoc clarius sci-
rent : *Quantum temporis est, ex quo ei hoc*
accidit ? At ille ait : Ab infantia. Ex quo
videtur, quod non propter culpam suam
puer ista sustinuit : quemadmodum de cæ-
co nato ait Salvator, quod neque ipse pec- *Joann.* IX, 3.
cavit. *Sed si quid potes, adjuva nos.* Ex 21
hoc apparet, quod fides et spes hujus vi-
ri imperfectæ fuerunt. Non enim agnovit
Christum omnia posse, sed dubitando lo-
cutus est : non tamen diffidebat. *Jesus* 22
autem ait illi : Si potes, imo quia potes,
credere, fiet quod postulas. Cujus ratio
subditur : *omnia possibilia sunt credenti :*
non quod credens posset omnia facere, sed
impetrare. Imo, si fuerit fides perfecta,
meretur de congruo adipisci quidquid pe-
tierit, et virtute ac merito fidei mirabilia
maxima fieri valent. *Et continuo excla-* 23
mans pater pueri, cum lacrimis aiebat.
Ex magno enim desiderio curationis filii
sui, lacrimas fudit. *Credo, Domine, adju-*
va incredulitatem meam, id est, supple ac
perfice fidei meæ defectum, ne propter
fidei meæ imperfectionem impediatur cu-
ratio filii mei. Verum, si pater credidit,
quomodo dicit, Adjuva incredulitatem me-
am? Dicendum, quod nomen incredulitatis
significavit non infidelitatem, sed fidei im-
perfectionem.

Et quum videret Jesus concurrentem 24
turbam, comminatus est, id est, verbo mi-
naci, duro et increpatorio locutus est, *spi-*

ritui immundo, dicens illi : Surde et mu-
te spiritus. Dicitur autem diabolus surdus
et mutus, non formaliter, sed effective, hoc
est ratione sui effectus, quoniam obsessum
fecit surdum mutumque. *Ego tibi præci-*
pio, exi ab eo, et amplius ne introeas in
25 *eum. Et clamans* diabolus ex dolore, *et*
multum discerpens, id est, intus discruci-
ans et quasi dilanians *eum* ex furore et
invidia, *exiit ab eo ; et factus est quasi*
mortuus, propter disproportionem spiritu-
um vitalium interiorumque sensuum, *ita*
ut multi ad judicandum prōni atque in-
cauti, *dicerent, Quia mortuus est.* Hanc
autem vexationem Christus permisit a dæ-
mone fieri, ut sua potestas in ejus subita-
nea curatione ostenderetur ad gloriam Dei.
26 Unde subjungitur : *Jesus autem tenens ma-*
num ejus, elevavit eum, et surrexit.
29 *Et prætergrediebantur Galilæam* Jesus
et ejus discipuli, *nec volebat* Jesus *quem-*
quam, id est aliquem extraneorum, *sci-*
re transitum suum : dans prædicatoribus,
prælatis atque doctoribus salubre exem-
plum, ut sæpius subtrahant se a plebe ac
strepitu, vel ut quieti contemplationique
vacent ad horam, vel quia plebs ipsa in-
disposita est audire verbum salutis, et ex-
pedit ei ut fiat dilatio, ne si statim audie-
rit, spernat, et gravius judicetur : propter
quod interim disponenda est ad auditum
verbi cœlestis, per alias vias atque indu-
strias.
30 *Docebat autem discipulos, quoniam Fi-*
31 *lius hominis tradetur et occidetur. At illi*
ignorabant verbum, id est, sermonem is-
tum non intellexerunt, nescientes an Chri-
stus loqueretur parabolice, vel aperte. In
Matth. XVII, 22. Matthæo dicitur, quod contristati sunt ve-
hementer. Ergo intellexerunt verba Chri-
sti : nisi dicantur de sua ignorantia do-
luisse. Ad quod dicendum apparet, quod
quidam discipulorum intellexerunt hæc
verba dicta esse ad litteram de Christi oc-
cisione, alii autem hoc nesciebant, de qui-
bus subjungitur : *et timebant eum inter-*
rogare qualiter intelligenda essent hæc
verba, vel propter magistri tanti reveren-

tiam, vel ne increparentur de sua rudita-
te, sicut paulo ante audierunt : Nondum *Marc.* VIII, 17.
cognoscitis neque intelligitis? adhuc cæca-
tum habetis cor vestrum ?
Et interrogabat Jesus *eos : Quid in via* 32
tractabatis? id est, de quo loquebamini?
At illi tacebant. Reprehendit enim eos cor 33
eorum, et culpam suam proferre timebant
ac erubescebant : erant equidem imper-
fecti. *Siquidem inter se disputaverant,*
quis eorum major esset. Hujus contentionis
causam pandit Matthæus, videlicet, quo-
niam Christus præcepit Petro dare num- *Matth.* XVII, 26.
mum levantibus tributum, pro se et pro
Petro. Ex quo conjecturabant discipuli Pe-
trum omnibus esse prælatum : quod qui-
dam eorum moleste ferebant. Nec mirum
si nunc de prælatione rixati sunt, quando
et in Cœna novissima, ut testatur Lucas,
facta est inter eos contentio, quis eorum *Luc.* XXII, 24.
videretur esse major. Quæ autem sequun- 34-36
tur, in Matthæo exposita sunt. Hic tamen *Matth.* XVIII, 2-5.
additur, quod Jesus complexus fuit pue- 35
rum quem posuit in medio, dicens : Nisi
conversi fueritis et efficiamini sicut par-
vuli. Ex quo certum est, quod puer iste
non fuit ipsemet Jesus, quamvis aliqui
forte Sancti hoc asserant. Imo Hieronymus
et Bernardus de hoc dubiose loquuntur;
sed debemus Scripturam canonicam certi-
tudinaliter sequi.
Respondit illi, videlicet Christo, *Joan-* 37
nes apostolus, *dicens : Magister, vidimus*
quemdam in nomine tuo ejicientem dæ-
monia, qui non sequitur nos, inter nos
conversando, vel nostræ conversationis mo-
dum sectando, *et prohibuimus eum* ab hoc
opere, tanquam indignum, quia non sequi-
tur nos. De isto ejiciente dæmonia, aliqui
dicunt quod credidit Jesum esse Chri-
stum : et ergo virtute suæ fidei per invo-
cationem et adjurationem nominis Christi,
ejecit dæmonia. Alii dicunt quod ita non
credidit, sed experimentaliter videns Apo-
stolos in nomine Jesu ejicere dæmones,
credidit nomen Jesu esse virtuosum atque
idoneum ad dæmones expellendos. Sicque
in nomine ejus expulit dæmones, quem-

admodum in Actibus leguntur septem filii A
archisynagogi principis sacerdotum dæmo-
Act. XIX, 13. nes ejecisse, dicendo : Adjuro vos in no-
38 mine Jesu quem Paulus prædicat. *Jesus autem ait : Nolite prohibere eum,* aut alium sibi consimilem; *nemo enim est qui faciat virtutem,* id est miraculosum effectum, *in nomine meo, et possit cito male loqui de me :* quia in suo opere experitur efficaciam nominis mei; et sive a fide apostatet, sive in infidelitate semper permaneat, non tamen habet occasionem aut frontem male loquendi de Christo, quum B glorietur in signis in nomine Christi per-
40 actis. — *Quisquis potum dederit vobis calicem aquæ frigidæ in nomine meo, quia Christi estis, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Hæc sententia plenius
Matth. X, 42. scripta atque exposita est in Matthæo.

Denique quæ sequuntur, ab eo loco quo
41-48 dicitur, *Quisquis scandalizaverit unum ex his pusillis,* usque ad id, *Omnis enim igne*
Ibid. XVIII, 6-9. *salietur,* explanata sunt in Matthæo. Et quia in verbis his docuit Christus, ad vitanda scandala abscindenda esse corporis C membra, ne hoc imprudenter intelligatur per mutilationem membrorum, subdit :

Omnis enim igne salietur, hoc est, quilibet verba hæc mea adimplens, igne tri-
II Tim. III, 12. bulationis probabitur : Omnes enim volentes pie vivere in Christo, persecutionem patiuntur. Et per hoc sapiens atque discre-
Eccli. XXXIV, 9. Is. XXVIII, 19. tus reddetur. Qui enim non est tentatus, quid scit? Ideo Isaias testatur : Vexatio, inquiens, dabit intellectum, ut recte intelligat, justeque agat. *Et omnis victima sale salietur.* Jussum fuit in lege, in omni sa- D crificio sal offerri. Est itaque sensus, quod sicut in veteri Testamento quælibet oblatio Deo accepta, sali fuit admixta, juxta
Lev. II, 13. illud quod in Levitico dicitur, Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo; sic omnis actio Deo placita, discretione
Rom. XII, 1. formabitur, ut sit rationabile obsequium nostrum. Vel sic : Omnis igne salietur : hoc est, qui verba mea vere impleverit, caritatis fervore perfundetur, ut sibi sapiant divina, et gustet quam dulcis est Dominus. I Petr. II, 3.
Sine caritate enim homo non habet rectum divinorum saporem, nec operatio ejus sapida exstat. De hoc igne ait Salvator : Ignem veni mittere in terram, et quid Luc. XII, 49.
volo, nisi ut accendatur? Ad quod mystice pertinet illud quod in Levitico scriptum est : Ignis est iste perpetuus, qui nunquam Lev. VI, 13.
deficiet in altari. Unde orat Psalmista : Ure Ps. XXV, 2.
renes meos et cor meum.

Bonum est sal, hoc est, discretio bona 49
est ac desiderabilis, quatenus decenter et I Cor. XIV, 40.
secundum ordinem omnia fiant in nobis. *Quod si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis?* Hoc est quod in Matthæo dictum atque expositum est : Quod si sal evanue- Matth. V, 13.
rit, in quo salietur? Sumitur autem hoc loco sal pro homine discreto, præsertim prælato sive doctore, quemadmodum Dominus dixit Apostolis : Vos estis sal terræ. Est Ibidem.
itaque sensus : Si sal insulsum fuerit, id est, si homo discretus, rector seu doctor aliorum, fuerit factus insipiens, male vivendo aut falsitati credendo, in quo illud condietis? hoc est, quem aliorum poteritis per illum instruere sive perficere? Indignus enim prælatus et indiscretus, sibi ipsi et aliis nocet.

Habete in vobis sal, id est discretionem atque prudentiam. Quemadmodum in Proverbiis scriptum est : Dic sapientiæ, Soror Prov. VII, 4.
mea es; et prudentiam voca amicam. Melior quippe est discretio quam vires. *Et* Sap. VI, 1.
pacem habete inter vos. Beati namque pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Et Matth. V, 9.
Apostolus monet : Si fieri potest, quod ex Rom. XII, 18.
vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Porro, quum pax sit caritatis effectus, quemadmodum caritas ita et pax certum indicium est discipulatus et filiationis Christi, hoc est, quod simus filii atque discipuli Christi, qui ait : In hoc cogno- Joann. XIII, 35.
scent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Pax autem servari non potest, nisi homo dominetur animo suo, iram impatientiamque vincendo, et sit sollicitus servare unita- Ephes. IV, 3.
tem spiritus in vinculo pacis. Hæc vero de

spirituali, interna veraque pace sunt in- A
telligenda, quam Christus post passionem
suis discipulis peculiariter commendavit
ac nuntiavit : Pax (inquiens) vobis. De qua *Joann.* xx,
et passioni jam proximus loquebatur : Pa- 19, 21, 26. *Ibid.* xiv,
cem relinquo vobis, pacem meam do vobis. 27.

ARTICULUS X

EXPLANATIO CAPITULI DECIMI : ET INDE EXSURGENS, VENIT IN FINES JUDÆÆ.

1-12 HOC loco S. Marcus describit quemad- B
modum Pharisæi animo tentandi sci-
scitabantur a Christo, an liceret marito
uxorem dimittere : patetque intellectus hu-
Matth. xix, 1-15. jus scripturæ ex his quæ in Matthæo dicta
sunt, quamvis ordo verborum et modus
loquendi hic et ibi parum mutetur. Hic
enim habetur, quod Christus interrogavit
3 Pharisæos : *Quid vobis præcepit Moyses?*
4 *Qui dixerunt : Moyses permisit libellum*
repudii scribere. Ibi vero habetur, quod
Ibid. 7. Pharisæi interrogaverunt a Christo : Cur
Moyses mandavit dare libellum repudii? C
Ad quod dici potest, quod Christus primo
interrogavit eos, ut recitat Marcus; quum-
que Salvator dixisset verbum Moysis non
esse intelligendum ut ipsi putabant, petie-
runt a Christo, cur Moyses illud mandasset
seu permisisset.
15 *Quisquis non receperit,* id est recipere
seu adipisci studuerit, *regnum Dei,* id est
patriam Beatorum, *velut parvulus,* id est
in vera humilitate exsistens, et parvulo-
rum innocentiam sequens, *non intrabit in*
illud post vitam præsentem. Idcirco per D
Prov. ix, 4. Salomonem Sapientia ait : Si quis est par-
16 vulus, veniat ad me. *Et complexans eos,*
id est, Jesus parvulos sibi præsentatos am-
plectens, *et imponens manus super illos,*
benedicebat eos. In quo patet quantum Sal-
vator dilexit humanam naturam, dummodo
innocentia adornetur.

Præterea Evangelista commemorat, quem-
admodum quidam adolescens ac dives pe-
17-27 tivit a Christo, *Magister bone, quid faciam*
ut vitam æternam percipiam? et quomo-
do Christus ei respondit, atque adversus
avaritiam disputavit. Quæ omnia in Mat- *Matth.* xix,
thæo exposita sunt. 16-26.

Et cœpit Petrus ei dicere : Ecce nos di- 28
misimus omnia, et secuti sumus te. Locus
iste in Matthæo expositus est. Aliquid ta- *Ibid.* 27-30.
men hic variatur quantum ad verba. Pauca
verba adduntur, quum dicitur : *Respon-* 29
dens Jesus, ait : Amen dico vobis, nemo
est qui reliquerit domum, aut fratres, aut
sorores, etc., *propter me et Evangelium,*
id est, ut evangelicam observet doctrinam,
qui non accipiat centies tantum nunc in 30
tempore hoc, domos, et fratres, et sorores.
Pro quo Matthæus scripsit : Centuplum ac- *Ibid.* 29.
cipiet. Quod in Matthæo expositum recolo.
Non enim intelligendum est carnaliter, ut
millenarii æstimabant, quasi talis pro uno
patre habiturus sit in hoc sæculo centum
patres, et pro una matre ac conjuge, cen-
tum matres atque uxores; sed accipiet ta-
lia centies multiplicata æquivalenter, et in
potioribus bonis, id est, spiritualia bona,
gratiam, virtutes, dona et fructus Spiritus
Sancti in hoc sæculo obtinebit. *Cum per-*
secutionibus : quia per multas tribulatio- *Act.* xiv, 21.
nes oportet nos ingredi regnum cœlorum.
Sed quomodo persecutiones assignantur
inter præmia, quum potius spectent ad
merita? nisi quod donum Dei est et bene-
ficium magnum, pati pro Christo adversa,
quemadmodum dicit Apostolus : Vobis da- *Philipp.* i,
tum est pro Christo, non solum ut credatis 29.
in eum, verum etiam ut patiamini pro illo.

Erant autem in via ascendentes Jero- 32
solymam, et præcedebat illos Jesus. Et stu-

pebant, hoc est, in doctrina Christi mi- A
vers. 24. rabantur, ut patet in textu; *et sequentes*
discipuli Jesum, *timebant,* propter diffi-
cultatem implendi verba Christi. Dicebant
vers. 26. enim : Quis poterit salvus fieri?

Insuper recitat Marcus quemadmodum
33-45 Christus passionem suam prædixit Apo-
stolis, addens se tertia die resurrecturum,
et quomodo Jacobus et Joannes ex hoc
moti sunt ad petendum a Christo, ut unus
eorum ad dexteram, aliusque ad sinistram
Christi sederet in gloria ejus. Quæ omnia
Matth. xx, 18-28. elucidata sunt in Matthæo, exceptis paucis B
38 quæ subsequuntur. *Potestis baptismo quo*
ego baptizor, id est sanguinis proprii per-
fusione vel tinctione qua ego in passione
perfundar, *baptizari,* hoc est lavari, san-
guinem vestrum propter justitiam effun-
dendo? *Baptismo quo ego baptizor, ba-* 39
ptizabimini re, vel animi præparatione.
Jacobus enim sanguinem suum fudit pro
Christo, ab Herode decollatus. Joannes ve- *Act.* XII, 2.
ro in pace quievit, sed animo martyr fuit,
et multa toleravit pro Christo.

Consequenter describitur illuminatio cæ- 46-52
ci, qui erat filius Timæi, propter quod di-
citur Bartimæus, a BAR, quod est filius, et
TIMÆUS, quasi filius Timæi. Patetque exposi-
tio ex his quæ in Matthæo dicta sunt. In fi- *Matth.* XX, 29-34.
ne autem illius capituli habetur quod erant
duo cæci; sed quoniam unus famosior erat, *Ibid.* 30.
idcirco dumtaxat recitat Marcus de uno.

ARTICULUS XI

EXPOSITIO CAPITULI UNDECIMI : ET QUUM APPROPINQUARET JESUS JEROSOLYMÆ ET BETHANIÆ, AD MONTEM OLIVARUM.

1-10 E*T quum appropinquaret* Jesus *Jero-* C
solymæ et Bethaniæ, ad montem Oli-
varum. Mons quippe Oliveti, in quo crescebant olivæ, inter Jerusalem atque Bethaniam fuit : propterea Christus accedendo hunc montem, propinquus fuit utrique loco. *Misit duos ex discipulis suis.* Scriptura ista, in qua continetur quemadmodum Christus in die Palmarum fecit sibi adduci asinum, et quomodo introivit Jerusalem cum processione solenni, clamantibus turbis, Benedictus qui venit in
Matth. XXI, 1-9. nomine Domini, exposita est in Matthæo. D
Marcus autem non facit mentionem de asina, sicut nec Joannes, quia non omnes omnia scripserunt. Dicit quoque Marcus,
4 quod *invenerunt pullum ligatum ante ja-*
nuam foris in bivio, hoc est in loco duarum viarum.

10 *Benedictum quod venit regnum patris*
nostri David. Aliqui dicunt, quod Judæi ista clamantes, putabant Christum temporaliter regnaturum, quemadmodum David regnavit, ita quod liberaret populum Judæorum a potestate Romanorum et omnium extraneorum. Sed huic dicto videtur repugnare quod subditur, *Hosanna in excelsis,* id est, salva in cœlestibus; item quod sæpe audierunt Christum prædicare regnum cœleste, non terrenum, sed potius paupertatem, abjectionem et humilitatem, omniumque temporalium rerum contemptum. Aliter ergo exponendum est. Eritque sensus : Benedictum, id est, sanctum est, regnum patris nostri David, id est spirituale regnum et gubernatio Christi significata per regnum David, quod venit, id est, jam in Christo exhibetur atque impletur. Unde
ad Virginem Matrem angelus dixit : Da- *Luc.* I, 32.
bit illi Dominus Deus sedem David patris
ejus. Et Isaias : Super solium (inquit) Da- *Is.* IX, 7.
vid, et super regnum ejus sedebit.

Quumque vidisset a longe ficum haben- 13
tem folia, venit, si quid forte inveniret in

ea. Non ignorando seu dubitando accessit A
ad ficum, sed per modum talem se habuit
propter mysticam causam, ut dictum est
Matth. xxi, 19. in Matthæo.
16 *Et non sinebat ut quisquam transferret*
vas per templum. Hoc non est intelligen-
dum de vasis templi, et sacerdotibus ac
Levitis quantum ad talia vasa, sed de va-
sis male negotiantium in templo, humano
usui deservientibus. Denique, secundum
Origenem, hoc opus Christi quo ipse unus
ac pauper tot millia ejecit de templo, eos-
que prohibuit atque compescuit, mirabi- B
lissimum fuit, et mirabilius quam illumi-
natio cæci nati. Egrediebatur namque ex
vultu et oculis Jesu igneus divinusque
fulgor, cujus intuitu omnes terrebantur,
nec audebant resistere.
22 *Respondens Jesus, ait illis,* puta disci-
pulis : *Habete fidem Dei,* id est fidem ca-
tholicam, sanctam atque firmissimam, quæ
habet Deum pro objecto et causa ac fine,
quoniam primæ veritati innititur, a Deo
per creationem infunditur, ad Dei beati-
23 ficam visionem ordinatur. *Amen dico vo-* C
bis, quia quicumque dixerit monti huic,
Tollere et mittere (accipienda sunt verba
ista passive) *in mare, et non hæsitaverit*
in corde suo, sed crediderit plenissime
quia quodcumque dixerit, id est, præce-
perit vel petierit, *fiat,* id est, Deo agente
eveniat seu agatur, *fiet ei :* quemadmodum
Josue x, 12, 13. Josue imperante, sol et luna steterunt in
cœlo immobiles spatio unius diei. De hac
Matth. xxi, 21. materia dictum est plenius in Matthæo.
24 *Propterea dico vobis : Omnia quæcumque*
orantes petitis, credite quia accipietis, et D
evenient vobis, dummodo sit vera oratio,
quæ secundum Damascenum, est petitio
decentium a Deo, hoc est rerum quas de-
cet postulari a Domino. Dum ergo petimus
ea quæ sunt vere salubria, nec ab oratio-
ne cessamus, sed toto affectu Dominum
invocamus stabiliter, quod nemo facit ni-
si qui opera sua pro posse conformat pe-
titioni, faciens quod in se est, et ad gra-
tiam se disponens : tunc procul dubio
obtinemus tandem quod petimus, vel ali-
quid majus ac melius. Et quia non semper
exaudimur pro aliis, quamvis perseveran-
ter salubriterque precemur, ideo notan-
ter dictum est : Accipietis, et evenient
vobis. De hac materia dicta sunt plurima
in Matthæo, in quo scribitur : Omnis qui *Matth.* vii, 8.
petit, accipit; et qui quærit, invenit; etc.
Et quum stabitis, id est, Deo vos præ- 25
sentaveritis, stando, sedendo, jacendo vel
geniculando, *ad orandum, dimittite si quid*
habetis adversus aliquem, id est, si ali-
quis vobis quid forefecit. Semper enim
indulgenda est offensa seu culpa ; et in-
terdum pœna, sed non semper : quia dum
ex remissione pœnæ seu satisfactionis, ju-
stitia perit, disciplina languescit, vel trans-
gressor ad peccandum pronior audacior-
que efficitur, non est pœna dimittenda,
sed secundum ordinem justitiæ exigenda
ad Dei honorem, delinquentis emendatio-
nem et justitiæ observationem, non ad
propriam ultionem. Unde qui pœnam non
dimittit, diligenter se ipsum discutiat, quo
zelo exigat pœnam et satisfactionem ab
injuriante. *Ut et Pater vester qui in cœlis*
est, dimittat vobis peccata vestra, quan-
tum ad culpam et pœnam, vel pœnæ mi-
norationem. Porro, si injuriam passus mal-
let quantum in se est, etiam non exigere
pœnam, dummodo aliunde prodesset, non
minus meretur apud Deum quam si pœ-
nam omnino remitteret. *Quod si non di-* 26
miseritis aliis culpam ad minus, seu ip-
sam offensam, et etiam pœnam quando
caritas id requirit, *nec Pater vester qui*
in cœlis est, dimittet vobis peccata vestra.
Unde Apostolus : Estote (inquiens) invi- *Ephes.* iv, 32.
cem benigni, misericordes, donantes in-
vicem, sicut et Deus in Christo donavit
vobis. De hoc dicta sunt plura in Matthæo. *Matth.* vi, 14, 15.
Postremo, quod subditur, qualiter sa- 27-33
cerdotes, Scribæ et seniores petierunt a
Christo in qua potestate prædicta faceret,
et quomodo Christus ab eis sciscitatus est
a quo fuit baptismus Joannis, declaratum *Ibid.* xxi, 23-27.
est in Matthæo.

ARTICULUS XII

EXPOSITIO CAPITULI DUODECIMI : ET COEPIT ILLIS IN PARABOLIS LOQUI.

IN exordio hujus capituli, ponit Evan-
1-12 gelista parabolam Christi, quam ad sa-
cerdotes, Scribas et seniores locutus est
de vinea, per quam intelligitur Synagoga.
Matth. xxi, 33-46. Hæc autem parabola in Matthæo fuit ex-
posita. Aliqua tamen verba mutantur. Ibi
Ibid. 33. enim habetur : Homo erat paterfamilias,
1 qui plantavit vineam. Hic dicitur : *Vineam
pastinavit homo*. Sed redit in idem. Nam
vineam quam Deus Pater (significatus per
hominem) plantavit, etiam pastinavit, id
est, fovit et coluit per gratiæ infusionem,
per prælatorum custodiam : imo corporale
ac spirituale alimentum contulit Synago-
gæ, quemadmodum per Isaiam testatur :
Is. I, 2. Filios enutrivi et exaltavi. *Et fodit lacum.*
Matth. xxi, 33. Matthæus dicit : Et fodit in ea torcular.
Porro, per lacum intelligitur receptaculum
vini in torculari expressi. Unde per lacum
accipi potest repositorium oblationum seu
gazophylacium. Cetera in Matthæo expo-
sita sunt. De servis enim ad agricolas di-
vinitus missis, Marcus loquitur singulari-
ter, Matthæus pluraliter. Numerus autem
major, minorem includit.

13-17 *Et mittunt ad eum quosdam ex Phari-
sæis et Herodianis*. Hic recitat Evangeli-
sta, quemadmodum sacerdotes et Scribæ
miserunt simulatores et callidos, qui ani-
mo circumveniendi interrogarent a Jesu,
an liceret tributum seu censum dari im-
Matth. xxii, 15-22. peratori : estque locus iste expositus in
Matthæo. Ibi tamen habetur, quod Pharisæi
miserunt istos. Sed non est contradictio,
quia et multi Scribarum ac sacerdotum
fuerunt Pharisæi. Secta quippe Pharisæo-
Act. xxiii, 6; *Philipp.* iii, 5. rum, de qua et S. Paulus se fuisse fatetur,
erat solennior.

18-27 *Et venerunt ad eum Sadducæi*. Conse-
quenter Evangelista commemorat, qualiter
A Sadducæi resurrectionem et angelos es- *Act.* xxiii, 8.
se negantes, atque animos hominum esse
mortales asserentes, quærebant a Christo,
quando plures fratres successive haberent
eamdem uxorem, quis eorum illam habi-
turus esset in resurrectione futura : quam
ipsi non credebant futuram ; sed loque-
bantur sic, supponendo positionem et fi-
dem Pharisæorum, futuram resurrectio-
nem ponentium. Est autem hic locus in *Matth.* xxii, 23-33.
Matthæo expositus.

Insuper scribit S. Marcus, quomodo unus
B Scribarum interrogavit Salvatorem, quod 28-34
esset primum maximumque mandatum :
et hæc quoque explanata sunt in Matthæo. *Ibid.* 35-40.
Et quomodo ibi habetur, quod Scriba iste
interrogavit Christum, tentans eum, et ta-
men hic scriptum sit, quod Jesus laudavit
eum, dicens, Non es longe a regno Dei :
illic concordatum atque tractatum est.

Deinceps narrat Marcus evangelista, 35-37
quemadmodum Jesus interrogavit cujus fi-
lius esset Christus, quomodo scilicet di-
ceretur filius David, quum David appellet
C eum Dominum suum, dicendo : Dixit Do- *Ps.* cix, 1.
minus Domino meo, Sede, etc. Hoc in Mat- *Matth.* xxii, 41-46.
thæo expositum est. *Et dicebat* Jesus : 38-40
*Cavete a Scribis, qui volunt in stolis am-
bulare*, etc. Hæc omnia quæ hic dicuntur
de superbia, ambitione, avaritia, gula et
simulatione Scribarum, plenius habita at- *Ibid.* xxiii, passim.
que exposita sunt in Matthæo.

Et sedens Jesus contra gazophylacium, 41
id est ex opposito arcæ seu repositorii
in quo mittebantur oblationes populi pro
sustentatione ministrorum templi et con-
D servatione ædificii, *adspiciebat quomodo
turba jactaret æs*, id est pecuniam quam
offerebant, *in gazophylacium*. Non ex cu-
riositate adspexit hoc, sed ut hac occasi-

one inferret sententiam doctrinalem pro
pauperum consolatione, et bonæ voluntatis excitatione : quæ statim ponetur. *Et
multi divites jactabant multa,* id est quilibet multum, quia (ut dicitur) sacerdotes
docebant, quod ille simpliciter plus meretur,
42 qui plus offerret. *Quum venisset
autem una vidua pauper, misit duo minuta, quod est quadrans,* utpote modicum
43 valde. *Et convocans discipulos suos, ait
illis : Amen dico vobis, quoniam vidua
hæc pauper plus omnibus* divitibus *misit,*
vel omnibus simul sumptis, vel unoquoque eorum seorsum. Misit autem plus,
non secundum quantitatem atque valorem,
sed secundum proportionem et faculta-

A tem, quemadmodum inopi plus est dare
parvam eleemosynam, quam diviti magnam, et puero majus est bajulare unum
vas bladi, quam viro integrum modium.
Unde subjungitur : *Omnes enim,* præter 44
istam, *ex eo quod abundabat illis, miserunt,* id est, de superfluo oblationem fecerunt ; *hæc vero de penuria sua,* id est
modica tenuique substantia, *omnia quæ
habuit misit,* scilicet *totum victum suum,*
id est omne id pro quo victualia emere
potuit. Ideo, pensata suæ inopiæ proportione ac facultate, plus misit ac meruit : imo absolute plus unoquoque illorum promeruit, si ex majori caritate hoc
fecit.

ARTICULUS XIII

EXPOSITIO CAPITULI TERTIIDECIMI : ET QUUM EGREDERETUR DE TEMPLO,
AIT ILLI UNUS EX DISCIPULIS SUIS.

CONSEQUENTER Evangelista sanctus
1-10 describit, quemadmodum Christo urbem Jerusalem egrediente, unus discipulorum ostendit ei ædificium templi, et
quomodo ex hujus rei occasione Christus
prædixit templum Jerusalem penitus destruendum ; quomodo insuper ex hoc dicto quatuor principales Apostoli moti fuerunt ad interrogandum a Christo quando
templum destrueretur, et de tempore consummationis sæculi ; quid etiam Christus
Matth. xxiv, 1-14. ad ista responderit. Quæ omnia satis explanata sunt in Matthæo.
9 *Videte autem vosmetipsos,* id est, proprias vires pensate,
vos ipsos considerate, quid vobis agendum
atque futurum exsistat perpendite, et contra jacula ventura animas vestras spiritu-
10 alibus armis munite. *Et in omnes gentes,*
id est per totum mundum, *primum,* hoc
est, antequam consummatio sæculi veniat,
oportet prædicari Evangelium, sicut nunc
factum videmus, et ante secundum Chri-

C sti adventum plenius fiet, quando universi
convertentur ad Christum, paucissimis Antichristi obstinatis ministris exceptis.

Et quum duxerint vos ad judicia, vel 11
ad mortem, seu ad concilium malignorum,
tradentes, id est, homines impii taliter vos
tribulationibus exponentes, *nolite præcogitare quid loquamini ; sed quod datum
fuerit vobis in illa hora, illud loquamini.
Non enim vos estis loquentes, sed Spiritus
Sanctus.* Locus iste usque ad id, *quum* 14
autem videritis abominationem desolationis,
D in Matthæo plenius continetur quam Matth. x, 19 et seq.
hic, et ibi expositus est.

Insuper quæ sequuntur de abominatione 14-23
seu idolo desolationis a Daniele prænuntiata, et de tribulationibus ac signis
futurum judicium præcessuris, scripta et
elucidata sunt in evangelio Matthæi. *Sed* Ibid. xxiv, 15-28.
in illis diebus, post tribulationem illam 24-32
Antichristi ministrorumque ejus, *sol contenebrabitur, et luna non dabit splendo-*

rem suum. Omnia ista quæ hic de pro- A
pinquis signis futuri judicii, et secundo
Christi adventu, et punctis annexis, scri-
Matth. xxiv, 29-36. buntur, in Matthæo exposita sunt.
33 *Videte* oculo mentis, id est, intellectua-
liter atque sagaciter considerate conside-
randa, *vigilate* per sollicitudinem cordis
diligentiamque perennem, *et orate* sine in-
termissione, seu congruis horis. *Nescitis
enim quando tempus sit* mortis vestræ ac
futuri judicii. Denique ad talem vigilan-
tiam inducit Salvator per similitudinem
hominis peregre proficiscentis, qui domum B
suam deserens, deputavit unicuique ser-
vorum suorum quid interim faceret, et
janitori domus præcepit ut vigilet. Per ho-
minem istum, intelligitur Christus ascen-
Ibid. xxv, 14. dens in cœlum, quemadmodum in Matthæo
dictum est plenius : qui reliquit quan-
tum ad sensibilem præsentiam, domum
suam, id est Ecclesiam militantem, dedit-
que unicuique fideli aliquid operis, ut be-
ne utatur talentis sibi concessis, et jani-
tori, id est prælatis, præcepit ut vigilanter
custodiant greges sibi commissos. Janitor C
etenim est, cui Dominus ait per Ezechie-
Ezech. iii, 17; xxxiii, 7. lem : Speculatorem te dedi domui Israel.
De cujus manu Deus requirit sanguinem
pereuntium, nisi cecinerit buccina, annun-
tiando verbum Dei subditis suis, et faci-
II Tim. iv, 2. endo quod ait Apostolus : Prædica verbum,
insta opportune, importune ; argue, obse-
cra, increpa, in omni patientia. Hoc est
ergo quod ait Salvator :
34 *Sicut homo qui peregre profectus, reli-
quit domum suam*. Littera autem truncata
est, et supplere oportet hoc modo : Vigila- D
re atque orare debetis, sicut homo qui pe-
regre profectus, id est Christus in cœlum
elevatus, reliquit domum suam, puta Ec-
clesiam, *et dedit servis suis*, id est fideli-
bus, *potestatem cujusque operis*, id est vir-
tutem et jus aliquid operandi secundum
præcepta legis divinæ, *et janitori*, id est
pastori Ecclesiæ, *præcepit ut vigilet :* hoc
est, sic vigilare et orare debetis, ut homo
iste edocuit, et ut vigilandum est servis
quorum dominus abiit, commisso unicui-
que servo opere quod faciat usque ad re-
ditum domini sui.
Vigilate ergo ; nescitis enim quando Do- 35
*minus**, id est Christus judex, *veniat* ad * dominus domus
judicandum vos, judicio particulari, quod
fit in morte singulorum, vel judicio uni-
versali, quod erit in fide mundi ; *sero, an
media nocte, an galli cantu, an mane*, id
est in qua parte vestræ ætatis, vel in quo
spatio temporis. *Ne quum venerit repente*, 36
hoc est subito et improvise, *inveniat vos
dormientes*, id est, ab opere bono torpen-
tes seu imparatos. Si autem intelligantur
hæc de futuro judicio, tunc sermo dirigi-
tur, non ad Apostolos, sed ad fideles qui
in die judicii vivi reperientur, morientur,
et mox cum aliis suscitabuntur. In quo-
rum persona dicit Apostolus : Deinde nos I Thess. iv, 16.
qui vivimus, qui relinquimur, simul ra-
piemur cum illis in nubibus obviam Chri-
sto in aera. Hinc Christus subjungit : *Quod* 37
autem vobis discipulis meis præsentibus
dico, omnibus dico, Vigilate : id est, ad
omnium fidelium præsentium ac futuro-
rum cautelam et informationem annuntio,
ut universi vigili mente Deo ministrent,
semperque parati consistant, quoniam be- Matth. xxiv, 46; Luc. xii, 37.
atus servus quem quum venerit dominus
ejus, et pulsaverit januam, invenerit vigi-
lantem.

ARTICULUS XIV

EXPLANATIO CAPITULI QUARTIDECIMI : ERAT AUTEM PASCHA ET AZYMA POST BIDUUM.

POSTQUAM Evangelista descripsit Chri-
sti prædicationem, vitam atque mira-
cula, hic jam describit ejus passionem, per
quam salvatus et vivificatus est mundus.
1 *Erat autem Pascha,* id est paschalis festi-
vitas, vel esus agni paschalis, *et Azyma,*
id est manducatio panum non fermentato-
rum seu azymorum, *post biduum,* hoc est
post duos dies, a die quo Christus sermo-
nem in præcedenti capitulo comprehen-
sum ad discipulos habuit. Hunc enim ser-
monem fecit tertia feria in hebdomada
passionis, et tunc paschalis festivitas Ju-
dæorum incepit in vespere feriæ quintæ :
in qua hora cœperunt Judæi azymis pani-
bus vesci, et agnum paschalem tunc man-
ducabant. In illa autem tertia feria, sermone
finito, prædixit Christus Apostolis se pas-
surum. Ideo Marcus computando tempus
ab hora hujus prænuntiationis ait : Erat
Pascha et Azyma post biduum.

Denique, pene omnia quæ in isto et
sequenti capitulis de passione Salvatoris
Matth. conscripta sunt, in Matthæo sunt tractata
xxvi, xxvii. atque exposita. Ibi enim insertum est de
dominica passione, quod Matthæus omisit,
et alii tres Evangelistæ suppleverunt. Idcir-
co pauca hic restant dicenda, et quæcum-
que hic omittuntur, in prænotatis Matthæi
capitulis invenientur exposita.

3 *Venit mulier habens alabastrum un-
guenti nardi spicati pretiosi,* id est vas
factum de alabastro seu marmore quo-
dam, plenum unguento pretioso, facto sive
extracto de nardo habente spicas in suo
cacumine. Nardus autem est herba, secun-
dum aliquos, unde elicitur liquor refrige-
rativus et pretiosus, quem aliqui dicunt
Ibid. xxvi, hic vocari unguentum. Istud quoque pleni-
7. us dictum est in Matthæo. Quod autem mu-
A lier ista fregit alabastrum, quando effudit
unguentum super caput Christi, Matthæus
non ponit, sed Marcus. *Erant quidam in-* 4
digne ferentes, videlicet Judas proditor, et
forte aliqui alii discipuli incitati a Juda.
Poterat enim unguentum istud venunda- 5
ri plus quam trecentis denariis. Hoc quo-
que Matthæus non exprimit. Sed apud Jo-
annem legitur Judas dixisse : Quare hoc *Joann.* xii,
unguentum non veniit trecentis denariis, 4, 5.
et datum est egenis ? Et forte utrumque
dixerunt ; vel Scriptura non curavit deter-
B minate exprimere valorem unguenti, seu
taxam pecuniæ, sed aliquid circiter. Hoc
nempe est consuetudo Scripturæ. *Et fre-
mebant in eam* ex impatientia : et si alii
discipuli hoc fecerunt, certum est quod
Christi responsione audita pœnituerunt.

Jesus autem dixit : Sinite eam, id est, 6
in pace eam dimittite. *Prævenit ungere* 8
corpus meum in sepulturam, id est, nunc
corpori meo illud ungendo exhibuit, quod
exhibitura ei fuisset in sepulcro, si potuis-
set. In sepulcro enim optavit ungere cor-
C pus Christi, sed resurrectione illius præ-
venta non potuit. Ista namque de Maria
Magdalene dicuntur : et istud in Matthæo *Matth.*
plenius fuit expositum. xxvi, 12.

Misit duos ex discipulis, dicens : Dicite 13, 14
domino domus : Magister, id est Christus,
dicit tibi per nos : *Ubi est refectio mea,* id
est locus refectionis ? Alii per refectionem
intelligunt agnum paschalem, quem dicunt
a domino domus illius Christo donatum.
Sed sequentia non concordant. Subditur
enim : *Ubi pascha cum discipulis meis*
D *manducem,* id est, in quo loco comedam
agnum paschalem. Unde de loco subjun-
gitur : *Et ipse demonstrabit vobis cœna-* 15
culum grande, stratum. In isto cœnaculo

magno latebant Apostoli post Christi re- A
surrectionem, videlicet in conclavi, in quo
17 et Spiritum Sanctum receperunt. *Vespere
autem facto, venit cum duodecim.* Secun-
dum Lucam, duo discipuli ad parandum
Luc. xxii, 8. pascha missi, fuerunt Petrus et Joannes :
quomodo ergo Christus venit cum duode-
cim? nisi duo discipuli isti dicantur Domi-
no obviasse et secum intrasse; vel loquitur
30 per synecdochen. *Amen dico tibi,* o Petre,
quia tu hodie, id est die hoc non artificia-
li, sed naturali : subditur enim, *in hac no-
cte,* quæ est pars diei naturalis, *priusquam* B
*gallus bis vocem dederit, ter me es nega-
turus.* Quomodo hoc concordet cum verbis
aliorum Evangelistarum, Antequam gallus
Matth. xxvi, 34. cantet, ter me negabis, expositum est in
Matthæo.
33 *Cœpit pavere et tædere,* id est naturalem
horrorem et fugam sive fastidium mortis
habere, in parte animi inferiori, non ta-
Ibid. 37. men inordinate, ut dictum est plenius in
44 Matthæo. — *Tenete eum, et ducite caute.*
Hoc traditor dixit, ne Jesus sua industria
elaberetur e manibus ministrorum, vel
ne aliquis raperet eum de manu eorum.
— *Adolescens autem quidam sequebatur* 51
eum, scilicet Christum jam comprehen-
sum, *amictus sindone,* id est veste alba
ac linea, *super nudo* corpore, non habens
aliud vestimentum. Iste creditur fuisse Jo-
annes evangelista : tamen aliqui asserunt
quod fuit Jacobus Minor. De hoc plenius
dictum est in Matthæo. *Petrus autem a* *Matth.*
longe secutus est eum. Joannes habet, quod xxvi, 58. 54
Petrus secutus est eum, et alius discipu- *Joann.* xviii,
lus, qui erat notus pontifici : per quem 15.
Joannes intelligitur, secundum expositores
communiter. Si ergo præfatus adolescens
fuit Joannes, oportet dicere, quod Joannes
post fugam et sindonis suæ relictionem,
reversus est denuo, recuperataque sindo-
ne, cum Petro a longe secutus est Jesum.
Cœpit Petrus *anathematizare,* hoc est se 71
ipsum maledicto adstringere, et cum ex-
secratione asserere, *et jurare : Quia ne-
scio hominem istum quem dicitis,* id est,
non agnosco hunc Jesum.

ARTICULUS XV

EXPOSITIO CAPITULI QUINTIDECIMI : ET CONFESTIM MANE CONSILIUM FACIENTES SUMMI SACERDOTES, ETC.

CONSEQUENTER Evangelista ostendit C
quo modo ac ordine principales Judæ-
orum procuraverunt Christi occisionem a
1 præside gentili ejusque ministris. *Et con-
festim mane consilium facientes summi
sacerdotes, cum senioribus et Scribis, et
universo concilio,* id est cunctis consuli-
bus atque concilii assessoribus, *vincientes,*
id est ligantes, *Jesum, duxerunt* eum, *et
tradiderunt Pilato.* Porro, quod ait, Vin-
cientes Jesum, non est sic intelligendum,
quod tunc primo eum vinxerunt. Imo,
Joann. xviii, 12. quando comprehenderunt eum, ligaverunt D
eum, ut habet Joannes : sed et Annas mi-
sit Jesum vinctum ad Caipham. Quod ergo *Joann.* xviii,
nunc dicitur, Vincientes Jesum, intelligen- 24.
dum est, vel quod fortius seu inhonestius
ligaverunt eum, quum eum ad Pilatum
ducere voluerunt, forsitan manibus retro
ligatis ; vel quod ad horam dissolverunt
eum, quando mane facto duxerunt eum in *Luc.* xxii,
suum concilium, ut Lucas habet. *Et quum* 66. 8
ascendisset turba, id est, plebs Judæorum
accessisset Pilatum, *cœpit* hæc turba *roga-
re* Pilatum, *sicut semper faciebat illis,* id
est, ut hac festivitate paschali dimitteret
eis vinctum, sicut quolibet anno fecit in-
stante paschali solennitate. Procuraverunt

namque Judæi ab imperatore Romano, ut A
hoc fieret eis, in commemorationem libe-
rationis patrum suorum ex Ægypto.

21 *Et angariaverunt quempiam præter-
euntem,* id est, quemdam per viam illam
transeuntem timore et minis compulerunt,
videlicet *Simonem Cyrenæum,* id est Cy-
renensem, et a loco qui dicitur Cyrene ap-
pellatum, vel quoniam inde exstitit oriun-
dus, vel ob similem causam, *venientem de
villa,* forsitan versus Jerusalem, ita quod
obviaverit Christo egredienti, *patrem Ale-
xandri et Rufi :* qui erant discipuli Chri- B
sti, secundum Hieronymum, propter quod
pater eorum nominatim exprimitur ; *ut
tolleret crucem ejus :* quod fecerunt cru-
delissimi illi, non quod Christo propriam
crucem bajulanti ac lasso compaterentur,
sed ex nimia crudelitate, timentes ne Je-
sus sub onere crucis succumberet, et an-
tequam crucifigeretur, obiret.

23 *Dabant ei bibere vinum myrrhatum,* id
est myrrha, quæ amarissima est, mixtum,
imo et felle ; *et non accepit* multum de
potu hujusmodi. Parum tamen accepit de C
Joann. xix, 30. eo, dicente Joanne : Quum accepisset Jesus
acetum, dixit : Consummatum est. Unde in
Matth. xxvii, 34. Matthæo legitur : Et quum gustasset, no-
luit bibere.

25 *Erat autem hora tertia, et crucifixerunt
eum.* Huic repugnare videtur quod Joannes
Joann. xix, 13, 14. ait, Pilatum sedisse pro tribunali hora fe-
re sexta ; et secundum alios Evangelistas,
Christus crucifixus est hora sexta. Secun-
dum Augustinum, ad hoc dupliciter re-
spondetur : Primo, secundum Augustinum,
quod Marcus asserens Christum hora tertia D
crucifixum, adspexit et retulit hoc ad ani-
mos Judæorum, qui volebant quasi immu-
nes videri a morte Christi : propter quod
tradiderunt eum Pilato. Hinc enim in Ac-
Act. v, 28. tibus leguntur dixisse Apostolis : Vultis
super nos inducere sanguinem hominis
Joann. xix, 14, 15. hujus. Quoniam ergo Judæi hora tertia cla-
maverunt, Tolle, crucifige ; idcirco Marcus
testatur Christum hora tertia crucifixum,
videlicet linguis et machinamentis Judæo-
rum. Secundo dicendum, secundum alios,

quod Christus crucifixus est intra tertiam
et sextam. Ideo interdum legitur hora ter-
tia, interdum hora sexta crucifixus. Medi-
um enim nomine utriusque extremi ex-
primi solet.

Et qui cum eo crucifixi erant, puta 32
latrones in quorum medio pendebat pre-
tium mundi, Sanctus Sanctorum, Filius
Dei, *convitiabantur,* id est, crimen sibi
imponebant, et improperabant *ei* dicen-
do : Si tu es Christus, salvum fac te ipsum Luc xxiii, 39.
et nos. Hoc ideo dicitur, vel quia primo
ambo convitiabantur ei, quamvis unus eo-
rum postmodum sit conversus, visis mi-
rabilibus quæ fiebant, et visa patientia
Christi ; vel eo modo loquendi, quo soci-
etas dicitur facere quod facit pars ejus.

Currens autem unus gentilium impro- 36
perantium Christo. Videtur enim fuisse de
servis Pilati, quia non intellexit verbum
Christi clamantis, *Eloi, Eloi,* etc., quod
fuit Hebræum, et a Judæis intelligebatur.
*Et implens spongiam aceto, potum dabat
ei, dicens : Sinite,* id est, sustinete, *videa-
mus si veniat Elias ad deponendum eum.*
Putabat quippe quod Jesus dicendo, Eloi,
Eloi, invocasset Eliam. Sed quæritur, quo-
modo hic scriptum sit, quod iste offerens
Christo acetum, dixit, Sinite, videamus si
veniat Elias, etc., quum in Matthæo alii Matth. xxvii, 49.
referantur dixisse ad istum, Sine, videa-
mus, etc. Dicendum, quod fieri potuit, ut
alii primo hoc dicerent insultando, deinde
iste verba illorum repeteret, cum Christi
irrisione.

Videns autem centurio, qui ex adverso 39
stabat, hoc est ex opposito crucis, custo-
diens Jesum donec decederet, *quia sic cla-
mans exspirasset,* dicendo alta voce, Pater, Luc. xxiii, 46.
in manus tuas commendo spiritum meum ;
ait : Vere hic homo Filius Dei erat. Con-
sideravit enim centurio, clamorem illum
non fuisse naturalem vel humanum, sed
divina virtute formatum, præsertim quum
alii instante separatione animæ a corpore,
tantæ sint debilitatis, ut vix exiguam va-
leant producere vocem. Quamvis autem
Jesus sit naturalis Filius Dei, non adopti-

vus, non tamen probabile est quod centu- A
rio, homo gentilis, intellexit propria verba
de naturali filiatione. Non enim cognovit
Filium Dei esse verum Deum et unum
Deum cum Patre : sed dixit Jesum esse
Filium Dei, quasi hominem singulariter
sanctum ; vel dixit verba illa, ad confir-
mandum verba Christi, cui objecerunt Ju-
dæi, quod fecisset se Filium Dei.

42 *Et quum sero esset factum, quia erat*
Parasceve, quod est ante sabbatum, id est
dies præparationis duplicium ferculorum,
videlicet pro die illo, et pro die sequenti B
seu sabbato, qui ita solennis fuit, quod
non licuit Judæis præparare escas in eo.
Secundum Bedam, parasceve est nomen
Græcum, et interpretatur præparatio, quia
ut dictum est, in eo præparabant Judæi ci-
baria pro feria sexta et sabbato. Hoc autem
nomen habuerunt Judæi a Græcis qui in-
ter eos conversabantur. *Venit Joseph ab* 43
Arimathæa, nobilis decurio, id est unus de
curialibus, *et audacter,* id est sine timore
Judæorum, *introivit ad Pilatum, et petiit*
corpus Jesu. Jam enim roboratus fuit in
fide, visis quæ in Christi passione ac obitu
acciderant. Ideo quamvis ante fuisset oc- *Joann.* xix, 38.
cultus Christi discipulus, nunc tamen ma-
nifestavit quod fuit. *Pilatus autem mira-* 44
batur si jam obiisset, id est, an Christus
tam cito exstinctus fuisset. Non enim pen-
savit Pilatus quanta tormenta intulerunt
Christo Judæi in nocte, et milites in præ-
torio, in columna, in cruce perforantes
manus ac pedes ejus.

Denique quæ sequuntur, et quæ jam
omissa sunt, copiose tractata et explanata
sunt in Matthæo.

ARTICULUS XVI

ENARRATIO CAPITULI SEXTIDECIMI : ET QUUM TRANSISSET SABBATUM, MARIA MAGDALENE, ETC.

RECITATA Salvatoris vivifica passione, C
consequenter describitur resurrectio
1 ejus gloriosa. *Et quum transisset sabba-*
tum, id est, dies sabbati, qui fuit solennis-
simus, ad occasum venisset, *Maria Mag-*
dalene, et Maria Jacobi mater, *et Salome,*
emerunt aromata : quæ non poterant emere
die sabbati perdurante, sed vespere facto,
in quo solennitatis magnitudo finiebatur;
ut venientes ungerent Jesum, id est corpus
Jesu, ponendo totum pro parte, partem pro
2 toto. *Et valde mane una sabbatorum,* id
est uno dierum illius hebdomadæ pascha- D
lis, cujus omnes dies dicebantur sabbata,
quia festivi. Itaque, Una sabbatorum, id est
prima die post principale sabbatum, *ve-*
niunt ad monumentum, orto jam sole. In
Joann. xx, 1. Joanne legitur, quod Maria venit ad monu-
mentum, quum adhuc tenebræ essent. Et
respondendum, quod fuit aurora, ita quod
aliquid lucis et aliquid tenebrarum appa-
ruit. In superioribus enim locis videbatur
lux solis, in inferioribus tenebræ erant.
Ideo dicit Joannes, quod tenebræ erant ;
Marcus, quod sol fuit ortus : nam medium
ab utroque extremo denominatur.

Et dicebant ad invicem : Quis revolvet 3
nobis lapidem ab ostio monumenti, id est
a loco ubi superpositus fuit lapis corpori
Christi, qui de sepulcro clauso surrexit?
Et respicientes, viderunt revolutum lapi- 4
dem : quem angelus amovit post Christi re-
surrectionem, ut ostenderet sepulcrum es-
se vacuum, et Christum resuscitatum. *Erat*
quippe magnus valde : idcirco mulieres
merito quærebant, quis eis lapidem tan-
tum deponeret, quasi dicerent : Nos eum
amovere non possumus.

5 *Et introeuntes in monumentum,* id est A
in domunculam in qua fuit sepulcrum,
viderunt juvenem, id est angelum in spe-
cie adolescentis, *sedentem in dextris,* id
est in dextera parte sepulcri. Matthæus di-
Matth. xxviii, 2. cit, quod angelus accedens, revolvit lapi-
dem, et sedebat super eum. Unde elicitur,
quod lapis in dextera parte jacebat. Merito
autem angeli sancti in forma juvenili ap-
parent, quoniam inde sunt et illam vitam
annuntiant, ubi nullus senescit, sed sem-
Ephes. iv, 13. piterna juventus consistit, in mensura æta-
tis plenitudinis Christi. Recte quoque sedet B
in dextris, qui prospera venerat nuntiare,
et consolationem æternam cunctis fideli-
bus exhibere. *Coopertum stola candida,* id
est alba ac fulgida veste indutum. Scriptum
Matth. xxviii, 3. est enim apud Matthæum : Erat autem ad-
spectus ejus sicut fulgur, et vestimenta
ejus sicut nix. Apparuit ergo in splendida
veste : primo, ad designandum angelicæ
puritatis splendorem ac sanctitatem ; se-
cundo, quoniam nuntius fuit veræ lucis, et
civis supernæ claritatis ; tertio, ut vestis
suæ candore feminas sanctas mulceret. De- C
Joann. xx, 11, 12. nique in Joanne legitur, quod quum Maria
se inclinasset, et in monumentum prospe-
xisset, vidit duos angelos, unum ad caput,
et unum ad pedes, ubi positum fuit cor-
pus Jesu. Similiter in Luca scriptum est,
Luc. xxiv, 4. quod quum mulieres animo consternatæ
essent, duo viri steterunt juxta eas in ve-
ste fulgenti, id est duo angeli in forma vi-
rorum. Propterea asseruit Augustinus, quod
ibi apparuerunt tres angeli, duo videlicet
in loco ipsius sepulcri, seu intra sepul-
crum, et unus extra sepulcrum, sed intra D
domunculam in qua fuit sepulcrum. *Et
obstupuerunt,* id est, vehementer miratæ
atque exterritæ sunt propter fulgureum
angeli vultum terribilem valde.
6 *Qui dicit illis : Nolite expavescere.* Hoc
angelis proprium est, ut quamvis primo
suo apparatu terrore concutiant homines,
mox tamen consolentur ac roborent eos,
dummodo digni sint. *Jesum,* id est Salva-
torem, *quæritis,* hoc est corpus Jesu, pu-
tantes Jesum adhuc mortuum esse, *Naza-
renum, crucifixum. Surrexit, non est hic*
secundum humanam naturam, qui secun-
dum divinitatem suam implet cœlum et
terram. *Ecce locus ubi posuerunt eum* Jo- Joann. xix, 38-42.
seph et Nicodemus, ut locum esse vacuum
conspicientes, certæ sitis quod resurrexit.
Sed ite, dicite discipulis ejus, et Petro. 7
Specialiter nominat Petrum, vel quia inter
discipulos principalis, vel potius ut detur
ei fiducia veniæ atque audacia veniendi
inter discipulos. *Quia præcedet vos in Ga-
lilæam. Ibi eum videbitis, sicut dixit vo-
bis.* Ista exposita sunt in Matthæo. Matth. xxviii, 7.
At illæ mulieres *exeuntes* domunculam 8
sepulcri, *fugerunt de monumento.* Cujus
ratio subditur : *invaserat enim eas tremor*
corporis, *et pavor* mentis ; *et nemini,* id
est nulli præsentium, scilicet nulli de cu-
stodibus illic jacentibus, ut dictum est in Ibid. 8.
Matthæo, *quidquam dixerunt : timebant
enim,* non solum ex angeli apparitione,
sed etiam ex intuitu militum qui ibi tan-
quam mortui jacebant prostrati. Ibid. 4.
Surgens autem Jesus mane, prima sab- 9
bati, apparuit primo Mariæ Magdalene.
Ex hoc sequi videtur, quod Jesus surrexit
in aurora, ut Augustinus affirmat. Grego-
rius tamen asserit, quod surrexit media no-
cte, quemadmodum Samson, qui fuit figu-
ra Christi, media nocte surrexit, et portas Judic. xvi, 3.
Gazæ asportavit. Sicque quod dicitur, Ma-
ne, non determinat participium Surgens,
sed verbum Apparuit, ut sit sensus : Sur-
gens Jesus, id est Jesus qui surrexit, appa-
ruit mane, prima sabbati. Primum tamen
magis videtur consonum textui. Itaque,
Surgens Jesus a sepulcro, in quo anima
ejus fuerat corpori reunita, *mane,* id est in
aurora, *prima sabbati,* id est die immedia-
te sabbatum subsequente. Judæi namque
denominant dies septimanæ a sabbato, qua-
si a principaliori, dicendo, Prima sabbati,
secunda sabbati, tertia sabbati. *Apparuit
primo Mariæ Magdalene, de qua ejecerat
septem dæmonia,* id est universa pecca-
ta mortalia. Septenario quippe universitas
designatur. De hac apparitione dictum est Matth. xxviii, 9.
copiosius in Matthæo.

10 *Illa vadens, nuntiavit his qui cum eo* A
fuerant, id est, cum Jesu ante passionem
conversabantur, puta discipulis, *lugenti-*
bus et flentibus. Ideo appellatur Apostolo-
rum Apostola. Et sicut a prima muliere
Eva cœpit, et propinata est viro ejus et
omnibus posteris suis damnatio; sic mu-
lier ista primo nuntiavit hominibus salva-
11 tionem quæ est in Christo. *Et illi audien-*
tes quia viveret Jesus, *et visus esset ab ea,*
non crediderunt.

12 *Post hæc autem duobus ex eis,* id est
duobus discipulis, quorum unus dictus est B
Luc. xxiv, 18. Cleophas, *ambulantibus* in via, *ostensus*
est, id est, se ipsum ostendit atque appa-
ruit Dominus Jesus, *in alia effigie,* id est
alia faciei dispositione, physionomia seu
specie, *euntibus in villam,* in qua fuit
Ibid. 13. castellum nomine Emmaus. Ista apparitio
facta est in die dominicæ resurrectionis, et
Ibidem et seq. in Luca descripta est plenius. Quomodo
autem facta est ista alteritas effigiei, non
est facile determinare, videlicet, in quo sub-
jective fuit ista effigies altera, an solum
in oculis discipulorum, an in aere, an in C
corpore Christi apparentis in habitu pere-
Ibid. 18. grini : unde discipuli, Tu solus (inquiunt)
peregrinus es, etc. Corpus autem Christi
glorificatum tunc fuit : unde non videtur
in ipso fuisse effigies alia. Aliqui tamen
dicunt, quod Christus ad horam mutavit
Ibid. ix, 29. faciem suam, quemadmodum in transfigu-
ratione. Alii probabilius dicunt, quod mu-
tatio hæc fuit dumtaxat in oculis discipu-
lorum : quoniam in Luca habetur, quod
Ibid. xxiv, 16. oculi eorum tenebantur, ne eum agnosce-
rent. Sicque videntur fuisse percussi acri- D
IV *Reg.* vi, 18; *Gen.* xix, 11. sia, quemadmodum Syri quærentes Elisæ-
um, et Sodomitæ quærentes domum Lot.
Quod sua incredulitate meruerunt. Sicut
enim discipuli non recte senserunt de
Jesu, sic ipse non ostendit se eis qualis
fuit.

13 *Et illi euntes,* id est, eadem hora in Je-
rusalem redeuntes, *nuntiaverunt ceteris,*
Luc. xxiv, 33, 35. id est undecim Apostolis intra conclave
collectis, et his qui cum ipsis tunc erant,
quomodo Jesus eis apparuisset, eumque in
fractione panis cognovissent; *nec illis cre-*
diderunt. Oppositum videtur, quoniam Lu-
cas habet, quod ipsi duo invenerunt un- *Luc.* xxiv, 33, 34.
decim congregatos et eos qui cum ipsis
erant, dicentes quod surrexit Dominus ve-
re, et apparuit Simoni. Et respondendum,
quod imperfecte credebant, dubitatione
quadam seu nutatione mentis annexa. Un-
de post pauca Lucas illic subjungit : Adhuc *Ibid.* 41.
illis non credentibus et mirantibus præ
gaudio, etc.

Novissime, id est in die ascensionis, ut 14
probabilius æstimatur, *recumbentibus,* id
est manducantibus, *illis undecim* Aposto-
lis, *apparuit* Jesus in conclavi seu cœna-
culo quo pascha edebant. Et quamvis Mar-
cus non exprimat nisi undecim, tanquam
principales discipulos, nihilo minus, ut ali-
qui dicunt, ibi tunc erant alii multi viri et
feminæ, in quorum conspectu Christus eo-
dem die ascendit : erantque circiter cen- *Act.* i, 15.
tum viginti, secundum Lucam, ut ex Apo-
stolorum Actibus colligitur. Sed si istud
intelligendum est de apparitione hac facta
in conclavi, quomodo Marcus dicit de ea,
quod Christus novissime apparuit, quum
postmodum eodem die in monte Oliveti *Luc.* xxiv, 50.
apparuerit eis? Et respondendum primo,
quod sic intelligi potest : Novissime, id est
ultimo die quo inter discipulos conversa-
batur in terra post resurrectionem. Siqui-
dem per dies quadraginta apparuit eis sæ- *Act.* i, 3.
pe : quorum dierum ultimus fuit iste. Vel
quod dicitur, Novissime, referendum est,
non ad tempus apparitionis, sed ad appa-
ritiones præcedentes. Apparuit ergo recum-
bentibus, et comedit cum eis, et docuit
eos, juxta illud : Convescens, præcepit eis *Ibid.* 4.
ab Jerosolymis ne discederent, sed ex-
spectarent promissionem Patris factam de
missione Spiritus Sancti. Tunc quoque di-
scipuli interrogaverunt eum : Domine, si *Ibid.* 6.
in tempore hoc restitues regnum Israel?

Et exprobravit, id est, cum justa ac dira
improperatione redarguit, *incredulitatem*
illorum et duritiam cordis. Verba autem
seu forma exprobrationis non ponitur hic;
sed forsitan talis erat, quomodo duobus di-

Luc. xxiv, 25. scipulis in Emmaus euntibus dixit : O stulti et tardi corde ad credendum ! *Quia his qui viderant eum resurrexisse,* id est, qui Christum post resurrectionem viderunt, ut mulieres, et Petrus ac duo discipuli; vel, His qui viderant eum resurrexisse, id est, ejus resurrectionem viderunt, et ei adfuerunt, videlicet angelis sanctis, *non crediderant.* Ita intelligit S. Bernardus. Apostoli enim non credendo mulieribus quæ angelos viderunt, eorumque verba Apostolis nuntiaverunt, non crediderunt angelis ipsis. Sed quomodo Christus increpavit Apostolos de incredulitate et cordis duritia, in die ascensionis, quando utique crediderunt, et devoti valde fuerunt? Dicendum, quod increpavit eos de præcedenti incredulitate atque duritia; et forte, quia adhuc non satis creduli erant. Aliqui vero dicunt, quod non increpavit Apostolos, sed quosdam discipulos congregatos cum eis. Sed Evangelista apertissime dicit, quod apparuit undecim, exprobravitque incredulitatem illorum et duritiam cordis.

15 *Et dixit eis : Euntes in mundum universum,* non statim post ascensionem vel Spiritus Sancti receptionem, sed in die divisionis Apostolorum. Itaque, Euntes separatim et successive, in mundum universum, id est ad principales partes mundi, *prædicate Evangelium omni creaturæ,* id est omni homini. Homo enim dicitur omnis creatura, non formaliter aut substantialiter, sed virtualiter et per convenientiam, quia cum omni creatura habet aliquid commune, et omnes differentiæ rerum seu cuncta genera entium in ipso concurrunt. Constat enim ex materiali et immateriali substantia, habetque in se accidentia sensibilia et insensibilia. Omnia quoque quodammodo ordinantur ad hominem. Unde hoc quod Sapiens ait, Hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis, uno modo exponitur de homine. (Sap. i, 7.) Nam et anima rationalis continet in se omnes formas inferiores, quemadmodum numerus major minorem, et tetragonum trigonum, et insuper convenientiam habet cum angelis in intellectuali perfectione; corpus quoque humanum continet elementa, et ad cœliformem æqualitatem reducitur, secundum philosophos.

16 *Qui crediderit* fide formata seu dilectione ornata, et quum opportunitas adest, per dilectionem operante. (Galat. v, 6.) Qui enim dicit se Deum cognoscere, et mandata ejus non custodit, mendax est; (I Joann. ii, 4.) et, Fides sine operibus mortua est. (Jacob. ii, 17, 20, 26.) *Et baptizatus fuerit* Baptismo fluminis, flaminis, vel sanguinis. Non enim sufficit fides sine Baptismo, si adsit possibilitas suscipiendi Baptismum : quæ si defuerit, debet homo habere propositum et affectum recipiendi ipsum, et de præterita negligentia pœnitere, si distulit quando recipere potuit. *Salvus erit,* in præsenti per gratiam, et in futuro per gloriam, modo in spe, et tunc in re. *Qui vero non crediderit, condemnabitur :* quoniam sine fide impossibile est placere Deo, (Hebr. xi, 6.) quidquid fecerit vel habuerit homo. Nam justus ex fide vivit, (Habac. ii, 4; Rom. i, 17.) et quidquid non est ex fide, peccatum est, secundum Apostolum. (Rom. xiv, 23.)

17 *Signa autem,* id est miracula, quibus fides probatur esse a Deo, quæ naturali nequit ratione probari. Quum enim Deus esse non valet testis falsitatis, aut confirmator erroris, constat illam fidem esse divinam, ad cujus confirmationem Deus tanta operatus est signa, quorum multa omnem creatam potestatem excedunt. Itaque, *Signa eos qui crediderint, hæc sequentur,* id est, virtus et gratia faciendi signa sequentia eis præstabitur. Non est autem absolute de universis fidelibus intelligendum, sed de quibusdam, præsertim in exordio nascentis Ecclesiæ, et etiam interim usque in præsentem diem, secundum divinæ sapientiæ ordinatissimum moderamen, et necessitatem seu utilitatem Ecclesiæ. De quibus Dominus : Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado. (Joann. xiv, 12.)

In nomine meo, id est in mea potestate, et per invocationem nominis mei, *dæmonia ejicient* ab obsessis. Imo in Actibus

Act. xix, 12. scriptum est, quod ad contactum vestium A
Pauli, spiritus nequam egrediebantur. *Lin-
guis loquentur novis,* id est, recentibus
atque diversis loquelis utentur : ut patet
Ibid. ii, 4. in Apostolis, qui recepto Spiritu Sancto,
cœperunt loqui variis et omnium gentium
linguis. Quæ etiam gratia data est aliis
pene innumeris, in primitiva Ecclesia :
aliter non potuissent Evangelium prædi-
care in tam diversis atque distantibus lo-
18 cis. *Serpentes tollent,* id est, calcabunt,
occident, sive portabunt : quemadmodum
Ibid. xxviii, 5. Paulus viperam manu sua apprehendens B
excussit in ignem. Nomine autem serpen-
tium reliqua venenosa animantia intelli-
Ps. xc, 13. guntur, quemadmodum scriptum est : Su-
per aspidem et basiliscum ambulabis, et
conculcabis leonem et draconem. Hoc quo-
Luc. x, 19. que Salvator promisit : Ecce, inquiens,
dedi vobis potestatem calcandi super ser-
pentes et scorpiones, et supra omnem vir-
tutem inimici ; et nihil vobis nocebit. *Et
si mortiferum quid biberint, non eis no-
cebit :* quemadmodum patet in Joanne apo-
stolo. *Super ægros manus imponent, et* C
bene habebunt, id est, sanabuntur.

Liberalis atque magnifici promissionis
est, plus conferre quam promisit. Sic Chri-
stus multa majora per Apostolos multos-
que alios fecit, quam sint ea quæ hic reci-
Act. v, 15. tantur, præsertim quum ad umbram Petri
legantur infirmi fuisse sanati. Porro in
Ibid. xix, 11, 12. Actibus scribitur : Virtutes non modicas
fecit Deus per manus Pauli, ita ut a cor-
pore ejus deferrentur super languidos su-
daria vel similia, et recedebant ab eis
languores. D

Hæc igitur signa, corporaliter quidem
ab aliquibus comparative paucis facta no-
scuntur, nec opus est ea nunc iterari,
quum in suo effectu satis resplendeant.
Quid equidem ita mirabile, sicut conversio
totius mundi ad tam incomprehensibilem
fidem ac arduam legem ? Spiritualiter ve-
ro a multis multoties facta sunt, et quo-
tidie fiunt. Spiritualiter namque dæmonia
ejicit, qui peccatorem mortalibus vitiis ir-
retitum convertit, ita ut sit templum Spi-
ritus Sancti, qui paulo ante vas erat di-
aboli. Novis insuper linguis loquitur, qui
solita vaniloquia, scurrilia vitiosaque ver-
ba devitans, incipit loqui salutaria ver-
ba, Deum laudare, proximum informare,
jugiterque orare, quemadmodum monet
Apostolus : Implemini (inquiens) Spiritu Ephes. v,
Sancto, loquentes vobismetipsis in psal- 18-20.
mis, et hymnis, et canticis spiritualibus,
cantantes et psallentes in cordibus vestris
Domino, gratias agentes pro omnibus sem-
per. Hoc fecit qui ait : Benedicam Domi- Ps. xxxiii,
num in omni tempore, semper laus ejus 2.
in ore meo. Et alius : Laudabo, ait, nomen Eccli. li,
tuum assidue, et confitebor tibi quum ad- 15, 17, 18.
huc junior sum, antequam oberrem. Ser-
pentes autem tollit, qui diabolicas suggesti-
ones, et venenatas tentationes suppeditat.
Mortiferum vero sine nocumento bibit, cui
omnia etiam mala cooperantur in bonum ; Rom. viii,
vel qui aliorum pravis exemplis non in- 28.
ficitur, nec pervertitur cum perversis. Su- Ps. xvii, 27.
per ægros autem manus imponit et sanat
eosdem, qui pusillanimes et imperfectos
bonis operibus roborat, verbo consolatio-
nis sustentat, et suis exemplis provocat ad
meliora ac viciniora saluti. Hebr. vi, 9.

Et Dominus quidem Jesus postquam lo- 19
cutus est eis verba prædicta, et alia plura
quæ scripta sunt in Actibus, *assumptus* Act. i, 4-8.
est in cœlum, id est, propria virtute as-
cendit ad cœlum empyreum. Qui enim Ephes. iv,
descendit, ipse est et qui ascendit super 10.
omnes cœlos. De quo ait Psalmista : Psal- Ps. lxvii,
lite Domino qui ascendit super cœlum cœ- 33, 34.
li ad orientem ; itemque, Ascendit Deus Ps. xlvi, 6.
in jubilo, Dominus in voce tubæ. Denique
Christus ascendit non solum divina vir-
tute, sed et humana, per dotem agilitatis.
Corpus namque glorificatum obedit ad nu-
tum voluntati atque imperio animæ. In
Luca scriptum est, quod Jesus eduxit eos Luc. xxiv,
qui erant in conclavi foras in Bethaniam, 50, 51.
et elevatis manibus, benedixit eis, ac fe-
rebatur in cœlum. Sed et in Actibus ha-
betur, quod videntibus illis, elevatus est, Act. i, 9, 10.
et nubes suscepit eum ab oculis eorum.
Quumque intuerentur in cœlum euntem

illum, ecce duo viri adstiterunt juxta illos A in vestibus albis. Hæc autem nubes, et angeli apparentes atque cum Christo ascendentes, non adfuerunt propter Christi indigentiam, sed reverentiam, ad demonstrandum quod cœlestia et inferiora, corporalia ac spiritualia, ad Christi obsequium essent parata.

Et sedet a dextris Dei. Secundum humanitatem assumptam, sedet a dextris Dei, id est in potioribus bonis Patris, de quibus Ps. xv, 11. ait Propheta : Delectationes in dextera tua Ps. viii, 8; I Cor. xv, 26. usque in finem. Omnia enim creata sub- B dita sunt Christo homini et ejus humanitati, et anima Christi perfectissime fruitur increatis divitiis summæ Trinitatis. Præterea, secundum divinitatem suam, sedet a dextris Dei, id est ad Patris æqualitatem, cum quo unus Deus est : sedens non corporaliter, secundum quod Deus ; sed, Sedet, id est, omnipotenter quiescit et re- Ps. cix, 1. gnat. Hinc David prædixit : Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis. Et Apoc. iii, 21. Christus : Ego (inquit) vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus.

20 *Illi autem* Apostoli *profecti* in omnem terram, secundum dispositionem divinam, *prædicaverunt ubique,* id est in principalibus partibus orbis, quemadmodum Chri- Act. i, 8. stus legitur eis dixisse : Eritis mihi testes in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ. Prædicaverunt ergo ubique, videlicet Petrus in Italia, Paulus in Græcia, Andreas in Achaia, Joannes in Asia, Jacobus Major in Hispania, Philippus in Scythia, Bartholomæus in Armenia, Matthæus in Æthiopia, Thomas in India, Jacobus Minor in Jerusalem, Simon et Thaddæus in Ægypto et Babylonia, Matthias in Judæa.

Domino cooperante : qui omnia opera Is. xxvi, 12. nostra operatur in nobis, secundum Isaiam; qui operatur in nobis et velle et per- Philipp. ii, 13. ficere, pro bona voluntate. *Et sermonem* evangelicæ prædicationis *confirmante,* id est, verum esse monstrante, *sequentibus signis,* quæ fecit per sanctos Apostolos. Unde dicit Apostolus : Quomodo effugie- Hebr. ii, 3, 4. mus, si tantam neglexerimus salutem, quæ in nos confirmata est, contestante Deo signis, et portentis, et virtutibus, et Spiritus Sancti distributionibus ? Et rursus : Sermo meus et prædicatio mea non fuit I Cor. ii, 4, 5. in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei, cujus testimonia Ps. xcii, 5. C credibilia facta sunt nimis. Nam quanto catholica fides in se ipsa incomprehensibilior mirabiliorque consistit, tanto divinitus approbata et confirmata est signis pluribus atque majoribus, ut simus semper immobiles in fidei veritate, ad laudem I Cor. xv, 58; Coloss. i, 23. et reverentiam Creatoris ac Salvatoris nostri, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS COMMENTARIORUM IN EVANGELIUM SECUNDUM MARCUM

ENARRATIO IN EVANGELIUM
SECUNDUM LUCAM

PROLOGUS

DOCTRINAM *quasi antelucanum illumino omnibus, et enarrabo illam usque in longinquum, et illuminabo omnes sperantes in Domino, et relinquam illam quærentibus sapientiam.* Eccli. XXIV, 44-46.

Quemadmodum ait Ambrosius, Scriptura divina mundanæ evacuat sapientiæ disciplinam, quæ verborum magis est fucata ambitu, quam rerum ratione subnixa, hoc est, verbis magis inaniter decoratur, quam ratione et veritate firmetur. Nam et multi errores atque contrariæ opiniones inveniuntur in philosophica scientia. Porro in sacra Scriptura, summa concordia inviolataque veritas continentur. In sancta demum Scriptura etiam illa reperiuntur, quæ philosophi miranda putabant. Tria enim præcipua æstimaverunt, videlicet triplicem sapientiam, naturalem, moralem, et rationalem : quæ in Scripturis divinis multo excellentius esse et contineri noscuntur, tam in veteri quam in novo Testamento. Quod in tribus Salomonis libris ostenditur, qui in libro Proverbiorum, moralem seu ethicam, in Ecclesiaste, naturalem, in Canticis canticorum, rationalem simul et moralem sapientiam scripsit. In novo etiam Testamento, sapientia naturalis in evangelio S. Joannis, moralis in evangelio secundum Matthæum, rationalis in evangelio B. Lucæ præcipue fulget. Lucas namque magis historicus est, et Christi miracula plenius refert, quibus evangelica veritas comprobatur. Matthæus vero præcepta vivendi, et moralia Christi documenta prosecutus est clarius. Joannes autem de Christi divinitate sublimius loquitur. Quælibet tamen sapientia ista, in quolibet Evangelista habetur.

Pro cujus clariori intelligentia oportet advertere, quia ut octavo de Civitate Dei recitat Augustinus, studium sapientiæ circa duo versatur, videlicet circa actionem et contemplationem. Propter quod una pars sapientiæ, activa seu practica, altera contemplativa vocatur : quarum activa ad vitæ compositionem instituendosque mores spectat, contemplativa ad conspiciendas rerum naturas et naturæ causas intendit. Socrates itaque activæ, Pythagoras contemplativæ plus institit. Sed Plato utramque conjungens, philosophiam perfecisse laudatur, quam in tres partes divisit, videlicet : in moralem, quæ circa actionem versatur ; in naturalem, quæ contemplationi deputatur ; in rationalem, qua verum a falso discernitur, quæ licet actioni et contemplationi sit necessaria, amplius tamen ad contemplationem pertinet. Ideo ista tripartita philosophiæ divisio non contrariatur distinctioni qua dictum est, omne studium sapientiæ in actione et contemplatione consistere.

Denique, secundum Augustinum, libro præfato, celebriores Platonici aliquid tale de Deo senserunt, ut in ipso inveniatur causa subsistendi, et ratio intelligendi, et ordo vivendi : quorum trium primum ad naturalem, secundum ad rationalem, tertium ad moralem pertinet philosophiæ partem seu speciem. Quum ergo hæc tria multo præclarius de Deo sublimi et benedicto consideret theologia desuper revelata, quam philosophia humano studio adinventa, palam quod triformis illa sapientia in Scripturis divinis eminentius quam in libris philosophicis sit contenta.

Præterea, omnium philosophorum moralia documenta nequaquam Christi moralibus queunt comparari doctrinis, eo quod Christi moralis instructio ad privati seu proprii improbique amoris, qui omnium vitiorum origo est, plenariam eradicationem atque ad sui ipsius humillimum ducat contemptum, et ad Divinitatis intentissimam ac purissimam dilectionem : de qua perfectione, doctrina et re, ignari ac muti fuerunt philosophi. Nec enim humanæ rationis naturali lumine ad hujuscemodi doctrinam ac perfectionem pertingitur, saltem eo modo quo a Christo docetur, videlicet prout ad supernaturalem felicitatem perducit. Insuper, nulla humana scientia tam certe et efficaciter suas comprobat conclusiones, ut evangelica sapientia fidei sacræ articulos, qui in Evangelio, per legis et Prophetarum oracula, per Christi miracula, per revelationes cœlestes, per plurimos testes, aliisque fortissimis viis efficacissime comprobantur. Rursus, nequaquam philosophia tam excellenter de Creatoris ac creaturarum natura, proprietate, perfectione et operatione pertractat, ut evangelica theoria, cui omnis naturalis scientia cum ineffabili humilitate debet esse deserviens et subjecta. Idcirco ait Apostolus : Arma militiæ nostræ non carnalia, sed potentia Deo, destruentes omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, et in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam. (II *Cor.* x, 4-6.)

Ex quibus auctoritas, certitudo, et excellentia sacræ Scripturæ, præsertim evangelicæ sapientiæ innotescunt. Cujus sapientialis descriptor fuit gloriosus evangelista lucidissimus Lucas, ita quod verba thematis præinducta eloqui potest. Nam instar exuberantissimi fontis evangelicæ veritatis doctrinam omnibus elucidavit, et sapientiæ rivos sibi desuper impertitos, liberalissima caritate cunctis diffudit, docuitque universos sperantes in Domino, et singulis veræ sapientiæ avidis copiosa reliquit cœlestis sophiæ fluenta. Hic Lucas rite sic appellatus, futuro præsagio cum Daniele sortitus est nomen. Ipse etenim vere fuit in primitiva Ecclesia, imo nunc usque est luculentissimus Lucas luciformis, lucifluus, de plenitudine lucis suæ universum orbem irradians : qui cum excellentia quadam venustiorique stilo evangelium suum conscripsit, præ ceteris quoque Evangelistis est historicus ; scripsitque Evangelium post Matthæum et Marcum, et quæ ab illis omissa fuerunt de Christi ejusque præcursoris annuntiatione, conceptione, nativitate, circumcisione, infantia, eleganter supplevit. Fuit autem de Antiochia oriundus, et in Bithynia migravit ad Christum

De quo refert Græcus expositor : Quum autem Lucas bonæ indolis esset, capacitatisque strenuæ, Græcorum scientiam consecutus est, et grammaticam atque poesim adeptus perfecte. Rhetoricam autem et persuadendi leporem assecutus ad plenum, neque philosophiæ muneribus caruit. Denique et medicinam acquisivit. Et quoniam ingenii velocitate satis de humana gustaverat sapientia, ad altiorem convolat. Accelerat ergo ad Judæam, et visibiliter atque verbo tenus Christum adit. Quumque veritatem agnosceret, efficitur Christi discipulus, plurimum cum magistro hoc conversatus. — Ex quo patet, quod Lucas Christum in carne vidit atque audivit, ejusque discipulus fuit. Theophilus quoque testatur, quod non fuit discipulus Christi ab initio, scilicet prædicationis Christi, sed tempore procedente. Hieronymus autem fatetur, quod stilus Lucæ evangelistæ, tam in Evangelio quam in Actibus Apostolorum, ornatior est ceterorum stilo Evangelistarum et Apostolorum, et eloquentiam redolet sæcularem. Talis etiam est stilus Isaiæ inter Prophetas : sed et liber Job rhetorice scriptus est.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

SECUNDUM LUCAM

ARTICULUS PRIMUS

DE PERFECTIONE EVANGELICÆ LEGIS.

E*CCE Deus excelsus in fortitudine sua, et nullus ei similis in legislatoribus.* Job XXXVI, 22.

Quemadmodum in prima secundæ Thomas ostendit, lex est regula atque mensura actuum, per quam quis ad agendum vel non agendum bene se habet sive inducitur. Legis enim est, actus hominum regulare debito ordine secundum exigentiam finis a legislatore intenti.

Multiplex autem lex ponitur, videlicet : lex æterna, quæ est dictamen et ratio divinæ sapientiæ, in quantum est directiva actionum ac motuum omnium creaturarum. De qua lege Deo Sapiens ait : Quum sis justus, juste omnia disponis ; virtus enim tua justitiæ initium est. Hæc itaque lex realiter idem est quod summa et increata Sapientia, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens cuncta suaviter : quæ lex, secundum Anselmum in libro de Veritate, omnis rectitudinis et virtutis, omnis veritatis ac legis origo est, et fontale atque causale principium. — Alia est ergo lex naturalis, quæ est participatio legis æternæ, naturis rerum creatarum naturaliter indita, per quam quælibet tendit in proprium finem sibi a divina sapientia præstitutum, et operatur proprias actiones. Porro lex ista naturalis in homine est dictamen seu ordinatio vel censura practicæ rationis, per quam homo ad aliquid agendum vel omittendum inducitur. Istaque lex sufficeret homini, si homo non ordinaretur nisi ad naturalem felicitatem ac finem ; sed quia ad supernaturalem beatitudinem (quæ est visio Dei per speciem, seu facie ad faciem, secundum Apostolum) creatus et ordinatus est, ideo supernaturali indiget lege, quæ dicitur lex divina, per quam de vera ac supernaturali beatitudine instruatur, atque de præceptis et actibus perveniendi ad illam illuminetur. Quæ lex est mensura ac regula actuum humanorum in ordine ad felicitatem supernaturalem æternam. Siquidem per hanc legem ratio cognoscit et dictat quid de Deo sentiendum, quomodo ei obsequendum, ad quem finem sit omne nostrum exercitium referendum. De qua ait Psalmista : Lex Domini immaculata, convertens animas.

Insuper, præter legem æternam et naturalem ac divinam, ponitur lex humana, quæ est quoddam rationis dictamen, quo diriguntur actus humani in ordine ad finem boni communis in vita præsenti ad convivendum pacifice : quæ lex ex natu-

A B C

Sap. XII, 15, 16. — *Ibid.* VIII, 1. — I *Cor.* XIII, 12; II *Cor.* III, 18. — *Ps.* XVIII, 8.

rali lege progreditur, estque determinatio A et explicatio ejus circa particularia hominum opera. Quemadmodum enim ratio speculativa ex primis ac indemonstrabilibus principiis elicit varias diversarum scientiarum conclusiones : sic ratio practica ex primis principiis operativis, seu agendorum, quæ ad naturalem pertinent legem, procedit ad particulariora, inquirendo et discutiendo quid in certis negotiis sit agendum; et hujusmodi particulares dispositiones per rationem inventæ, dicuntur leges humanæ, observatis aliis conditionibus B quæ ad legem concurrere debent. Lex enim concernit bonum commune. Dicit quoque Isidorus, quod lex humana, quantum possibile est, debet esse honesta, ut religioni conveniat ; justa, ut secundum rationem procedat; possibilis, ut a subditis portari valeat et impleri. Erit demum secundum consuetudinem patriæ, et loco ac tempori debet congruere.

Denique lex divina dividitur in legem veterem seu Mosaicam, et novam seu evangelicam. Quæ divisio non est per diversas C seu oppositas species, quum utriusque sit unus finis, scilicet Christus, seu Deo conjungi ac frui; in utraque etiam principalia præcepta, puta moralia, sunt eadem : sed est sicut dividitur aliquid per perfectum et imperfectum, quæ tamen unius sunt speciei, ut homo per virum et puerum. *Rom.* x, 4.

Nunc ergo ostendenda est legis evangelicæ super omnem aliam legem creatam excellentia atque perfectio. Porro, quod omnem legem humanam excedat, certum et clarum est, et infra probabitur. Quod D vero legem Moysis perfectione dignitateque superet, primo ostenditur ex parte legislatoris. Vetus enim lex a Deo data est, non immediate, sed mediate, imo per gradum duplicem ministrorum, puta per angelum et per Moysen. Deo namque jubente ac destinante, locutus est angelus Moysi, jubenteque angelo ex parte Dei, Moyses legem ab angelo immediate acceptam proposuit populo. Imo non unius dumtaxat ministerio angeli, sed plurium angelorum, data est vetus lex, juxta illud Apostoli : Lex propter transgressores posita est, ordinata per angelos in manu mediatoris. Unde in Actibus Stephanus exprobrans ingratis Judæis : Accepistis legem in dispositione angelorum, et non custodistis. Evangelica vero lex a vero Deo, videlicet Jesu Christo Unigenito Patris æterni (de quo Christo in sua Canonica scribit Joannes : Hic est verus Deus et vita æterna) immediate collata est. *Exod.* xix, 3 *et seq.*; xx, etc. *Galat.* iii, 19. *Act.* vii, 53. I *Joann.* v, 20.

Secundo ostenditur idem, quia vetus lex comparatur ad novam sicut imperfectum ad perfectum, sicut medium ad finem, sicut dispositio ad formam seu habitum; imo lex evangelica se habet ad veterem legem sicut meridies ad auroram, lumen ad umbram, veritas ad figuram, domina ad ancillam. Quum enim finis legis divinæ, videlicet veteris ac novæ, sit ad veram felicitatem perducere seu Deo uniri ac frui, illa lex divina vocatur perfecta, quæ ea includit per quæ beatitudo acquiritur, ad quam sine gratia gratum faciente nemo perducitur. Vetus autem lex gratiam non continuit, sed promisit. Evangelica vero lex gratiam includit et confert, quoniam sacramenta ejus gratiam non solum figurant, seu signant, sed etiam conferunt, et efficiunt quod designant. Ideo dicit Apostolus: Nihil ad perfectum adduxit lex, introductio vero melioris spei, per quam approximamus ad Deum ; rursus : Lex pædagogus noster fuit in Christo Jesu ; itemque : Si data esset lex quæ posset vivificare, vere ex lege esset justitia; sed conclusit Scriptura omnia sub peccato. Hujus autem ratio assignatur, quoniam sacramenta veteris legis gratiam non continebant nec conferebant; sed ipsa lex dispositiva fuit ad evangelicam legem, eam præfigurando, Christum prænuntiando, idololatriam reprobando, ideo Christi lege promulgata cessavit. Propter quod dicit Apostolus : Priusquam veniret fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem quæ revelanda erat; ubi autem venit fides, jam non sumus sub pædagogo. Similiter loqui- *Hebr.* vii, 19. *Galat.* iii, 24. *Ibid.* 21, 22. *Ibid* 23, 25.

Hebr. VII, 18. tur ad Hebræos : Reprobatio quidem fit A præcedentis mandati propter infirmitatem et inutilitatem.

Tertio, idem probatur, quia lex evangelica bona cœlestia et futura in patria manifeste prænuntiat, figurat, promittit, atque ad ea immediate introducit. Horum autem bonorum lex vetus non habuit significationem expressam et propinquam, sed obscuram atque remotam, prout scriptum *Ibid.* X, 1. est : Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum. Hinc, juxta divum Dionysium, status evangelicæ B legis medius est inter statum Synagogæ seu veteris legis, ac patriæ : ita quod sacramenta et cærimonialia novæ legis habent imaginem perfectam et evidentem similitudinem bonorum cœlestium, quorum umbram gerebant sacramenta ac cærimonialia veteris Testamenti, quia in veteri lege bona illa ventura promittebantur, et figurabantur sub velamine et confuse. Denique dicitur lex evangelica gratiam continere et dare, per inclusionem sacramentorum suorum, hoc est, in quantum includit Chri- C sti sacramenta, quæ sunt spiritualiter medicinalia vasa. Et quoniam lex vetus talia sacramenta gratiæ contentiva non habuit, ideo propria virtute non justificavit, sed fide et gratia Christi tunc venturi, per cujus fidem opera hominum sub lege positorum meritoria erant. Hinc ab Apostolo dicitur *Rom.* V, 20; VII, 9. lex illa subintrasse, ut abundaret delictum, et quod per eam peccatum revixit ; item- II *Cor.* III, 7. que, quod fuit administratio mortis, non utique causaliter et directe, sed occasionaliter et consecutive, et quoniam gratiam D non præstabat ; rursusque, quia peccatum post legislationem gravius fuit quam ante, et quoniam talis est nostra perversitas, quod nitimur in vetitum, et ea quæ nobis prohibentur, magis optamus.

Quarto declaratur id ipsum, videlicet excellentia et perfectio legis evangelicæ super omnem aliam legem divinam atque humanam, quoniam proprietates et actus legis eminentius ei conveniunt quam alicui alteri legi. — Quum enim legis officium sit homines facere virtuosos, et primo oporteat declinare a malo : ideo primo ad *Ps.* XXXVI, 27. legem pertinet vitia exstirpare per comminationem seu inflictionem pœnarum, seu alio modo : quod propter vitiosos, protervos, et ad mala proclives, potissimum necessarium est ; et quantum ad hoc dicit Apostolus : Justo non est lex posita, sed I *Tim.* I, 9. injustis, et non subditis, impiis et sceleratis. Hoc autem lex humana perfecte non efficit : nam quia communitati proponitur, in qua plures sunt imperfecti, vitiosi, ad malaque proni, quædam mala permittit ne deteriora contingant, videlicet meretrices et usurarios, quæ tamen divino relinquit judicio punienda, secundum quod asserit Augustinus : Lex quæ regendis civitatibus datur, multa concedit ac impunita relinquit, quæ per divinam providentiam vindicantur. Lex quoque Mosaica divinitus data, quia populo rudi ad maxima mala proclivi dabatur, quædam mala permisit, ut dare libellum repudii et ad usuram *Deut.* XXIV, 1; XXIII, 19, 20. extraneis accommodare, ut patet in Deuteronomio, ne majora mala incurrerentur, videlicet ne Judæi uxores suas occiderent, neque fratribus suis ad usuram concederent. Hinc Christus ait Judæis : Ad duritiam *Matth.* XIX, 7, 8. cordis vestri, Moyses permisit vobis dare libellum repudii. Lex autem evangelica tanquam perfecta, nullum prorsus malum permittit, sed omne peccatum excludit, et puniendum testatur, imo de omni verbo *Ibid.* XII, 36. otioso rationem Deo reddendam fatetur. — Secundo, ad legem pertinet virtutes inducere, seu mores componere : quod lex humana non facit perfecte. Homo enim interiora aliorum non intuetur, idcirco de secretis cordium judicare non valet : ideo lex humana non nisi exteriores actus habet ordinare et judicare. Interiores vero affectus et cogitatus reformare et rectificare, ad legem spectat divinam ; sed et lex Mosaica non facit hoc plene. Propter quod dicunt doctores, quod cohibet manum seu opus, non animum : quod intelligendum non est, quasi voluntatem malam nequaquam prohibeat, vel in cogitationibus vi-

tium non consistat, quum Moyses dicat in
Exod. xx, 17; Deut. v, 21. Exodo, Non concupisces uxorem proximi tui, non bovem, non ancillam, non agrum, nec omnia quæ illius sunt; sed hoc ideo dicitur, quia lex Moysis, non tam plene et evidenter prohibet inordinatum affectum et cogitatum, nec tantum versatur circa interiorem reformationem sicut lex nova. Verumtamen in multis ordinavit interiores affectus, nec solam respicit inordinatam affectionem in vitiis avaritiæ atque luxuriæ, ut aliqui dicunt, sed et in aliis multis. Un-
Lev. xix, 17, 18. de in Levitico legitur : Ne oderis fratrem tuum in corde tuo, nec memor eris injuriæ civium tuorum. Et in Deuteronomio
Deut. iv, 9. habetur : Custodi te ipsum et animam tuam sollicite, ne obliviscaris verborum Domini Dei tui, et ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. Rursus in Deu-
Ibid. vi, 5. teronomio præcipitur : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua. Nihilo minus, si tota lex Moysis percurratur, patebit quod comparative loquendo, paucissima de interiorum directione et ordinatione loquatur, sed circa exteriora permaxime occupetur. Quod autem modicum est quasi pro nihilo computatur, sicque dici potuit, quod lex vetus manum non animum cohibebat. — Præterea, quoniam virtus ad beatitudinem ordinatur, ideo ad legem tertio pertinet, ad felicitatem perducere. Vera autem hominis beatitudo est supernaturalis : ad quam lex humana seu naturalis nequit perducere, sed supernaturalis dumtaxat. Rursus, ad felicitatem supernaturalem non pertingitur, nisi per gratiam gratificantem, quam (ut patuit) lex Moysis non continebat, nec conferebat, idcirco nec ipsa ad felicitatem sua virtute perduxit : quod lex Christi per sua efficit sacramenta, quæ de latere Christi in cruce dormientis fluxerunt, efficaciamque sortita sunt, ita quod per ea virtus et meritum passionis Christi hominibus applicatur. Ideo in evan-
Joann. i, 17. gelio Joannis inducitur : Lex per Moysen data est, gratia et veritas, per Jesum Christum facta est. — Insuper, quoniam lex pro communi datur utilitate, quarto spectat ad eam, ut omnibus promulgetur, et clare ac intelligibiliter proponatur, quia in communitate major pars grossa est, nec subtilia, difficilia, profundaque penetrat. Lex autem evangelica compendiosissime ac succincte datur atque proponitur. Mosaica vero lex multis velaminibus tegi- II Cor. iii, 14, 15.
tur, et figuris involvitur ; in qua etiam eadem sæpius repetuntur, et difficillimum fuit singula ejus præcepta memoriter continere, efficaciterque implere. Propter quod Petrus apostolus ait in Actibus de onere legis, Quod neque nos neque patres nostri Act. xv, 10.
portare potuimus.

Adhuc autem evangelicæ legis eminentia constat ex hoc, quod vetus lex aperte atque communiter non promisit nisi bona terrena, de cœlesti præmio evidenter non loquens. Evangelica vero lex, cœlestia bona, spiritualem opulentiam, æternam ac deiformem beatitudinem apertissime et copiosissime pollicetur. Unde in principio prædicationis evangelicæ dicitur : Pœniten- Matth. iii, 2; iv, 17.
tiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. — Postremo, lex Christi ad observantiam sui inducit amore boni ; lex autem Moysis, timore pœnarum : ideo, secundum Augustinum, brevis differentia legis et Evangelii est amor et timor. Unde Apostolus : Non dedit nobis Deus spiri- II Tim. i, 7.
tum timoris, sed virtutis et dilectionis et sobrietatis.

Itaque de legislatore nostro unico Dei Filio vere accipitur, quod in principio hujus articuli dictum est : Ecce Deus excel- Job xxxvi, 22.
sus in fortitudine sua, et nullus ei similis in legislatoribus. De quo Isaias ait : Domi- Is. xxxiii, 22.
nus judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse veniet et salvabit nos. Interea, quo major est dignitas legiferi hujus, et quo major est caritas, beneficentia et dignatio ejus ad nos, in hoc quod pro nostra salute, in propria persona descendit ad nos, et proprio ore legem nobis deprompsit; quo etiam major est excellentia atque perfectio legis istius : eo gravior est nostra ingratitudo, perversitas et im-

pietas, si legislatori huic inobedientes fue- A
Hebr. x, 28, 29. rimus. Propter quod dicit Apostolus : Irritam quis faciens legem Moysis, sine ulla contradictione, duobus vel tribus testibus moritur : quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, et Spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Hinc ergo quo noster legifer exstat sublimior, et quo benignius se habuit circa nos, quo item præclariorem nobis contulit legem, eo diligentiores, ferventiores, efficacioresque simus in observatione suæ legis condigna, cum metu et reverentia serviententes : scientes, quia cui plus datum est, plus requiretur ab eo; et servus sciens voluntatem domini sui nec faciens, plagis vapulabit multis. *Philipp.* II, 12. *Luc.* XII, 48. *Ibid.* 47.

ARTICULUS II

ELUCIDATIO PROLOGI SANCTI LUCÆ IN EVANGELIUM SUUM, SCILICET : QUONIAM QUIDEM MULTI CONATI SUNT. ITEM ET PRIMI CAPITULI : FUIT IN DIEBUS HERODIS REGIS JUDÆÆ, SACERDOS QUIDAM NOMINE ZACHARIAS.

PRÆMITTIT libro suo brevem prologum S. Lucas, in quo causam se ad scribendum moventem insinuat, dicens :
1 *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationes,* hoc est ordinate describere historias seu sermones, *quæ in nobis completæ sunt rerum,* id est operum, documentorum, mysteriorumque Christi, quæ inter nos ejus discipulos sunt peracta atque exhibita. Ex quo sequi videtur, quod et S. Lucas unus de discipulis Christi fuit, ejusque prædicatione et operibus miraculosis personaliter adfuit, saltem ad tempus, sicut prætactum est, et aliqui asserunt; vel dicit hæc in persona discipulorum qui adfuerunt, quibus ipse postea associatus sit. Aliqui autem ita exponunt : Quæ in nobis completæ sunt rerum, id est, quæ a nobis plene conscriptæ sunt : quia videlicet Lucas supplevit multa a Matthæo et Marco omissa. Isti multi qui conati sunt evangelium scribere, fuerunt quidam hæretici, sicut Basilides, et Apelles, ac alii quidam. Quidam enim evangelium scripsit, quod a duodecim Apostolis scriptum confinxit; alius, quod a Thoma editum affirmavit; alii, a Matthia. Sic et quidam sub nomine Pauli scripserunt epistolas, ut ipsemet in suis tangit epistolis. *II Thess.* II, 2. Hæc autem ex præsumptione fecerunt, et ut hæreses suas taliter persuaderent : qui recte conati fuisse dicuntur, quia non Spiritus Sancti illuminatione adjuti, sed propriis viribus confisi fuerunt, ideo habuerunt laborem, non fructum. Qui vero divinitus illustratur, prompte et faciliter scribit seu loquitur, et fructuose prosequitur : nempe, quo desuper plus illuminatur, dirigitur et juvatur, eo celerius, facilius et fructuosius operatur, et quod humiliter incipit, salubriter prosequitur atque consummat.

Denique ad componendos codices sacros, ad expositiones catholicas faciendas, necesse est homini divinitus illuminari, luceque sapientiæ cum exuberantia quadam perfundi, loquendo de sapientia quæ inter dona gratiæ gratis datæ annumeratur : de qua protestatur Apostolus, Alii (inquiens) *I Cor.* XII, 8. per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ. Quo igitur homo divinitus copiosius edocetur, eo in conscribendo, dictando, exponendo est promptior. Ibi namque in docendo nulla est mora, sed tetigisse est docuisse. Sic utique scripsit

Jeremias, de quo ait Baruch ejus notarius : *Jer.* xxxvi, 18. Ex ore suo loquebatur Jeremias, quasi legens omnes sermones istos, et ego scribebam in volumine atramento. Hinc ait Ambrosius : Sine conatu sunt donationes, et gratia Dei, quæ ubi se infuderit, rigare consuevit, ut non egeat sed redundet scriptoris ingenium. Non conati sunt quatuor Evangelistæ, sed divino Spiritu ubertatem dictorum factorumque ministrante, sine ullo molimine cœpta compleverunt.

Insuper, secundum Origenem, Evangelista ait, Completæ sunt rerum, quia non phantastice, ut dixerunt hæretici, exercuit Christus corporalem suum adventum, sed quum veritas esset, revera negotium prosecutus est. Affectum autem suum indicat Lucas, dicendo : Quæ in nobis completæ sunt rerum, hoc est, quæ in nobis manifestissime sunt ostensæ. Certa enim fide et ratione cognoverat ista, nec in aliquo fluctuabat.

2 *Sicut tradiderunt nobis,* id est, nobis dixerunt, nosque docuerunt, *qui ab initio* evangelicæ prædicationis Christi, *ipsi viderunt* corporalibus atque mentalibus oculis opera Christi magnifica, puta Apostoli, *Luc.* x, 23. quibus loquitur Christus : Beati oculi qui vident quæ vos videtis. De quibus ait Joannes : *Joann.* i, 14. Verbum caro factum est et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre. Unde in exordio primæ suæ Canonicæ idem scribit : *I Joann.* i, 1. Quod fuit (inquit) ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ. — Sed huic obviare videtur, quod secundum Hieronymum, Lucas potissimum discipulus fuit Pauli, quemadmodum Marcus Petri; et in legenda Lucæ habetur, quod sicut Marcus ex informatione Petri, sic Lucas ex instructione Pauli, qui opera Christi non vidit, evangelium scripsit. Et respondendum, quod Lucas primo ab aliis Apostolis qui a principio prædicationis Christo adhæserunt, instructionem accepit; deinde Paulo exponente, plenius est instructus. Hinc ait Theophi-

A lus : Veritatem, vel Paulo exponente, vel aliis Apostolis qui ab initio viderant, consecutus est. Insuper, juxta Bedam, non solum Lucas et Marcus, sed Matthæus quoque et Joannes, multa de infantia Salvatoris et pueritia ac genealogia ipsius aliis narrantibus didicerunt. — Rursus quæritur, si Lucas ex Apostolorum instructione evangelium scripsit, et similiter Marcus ex beati apostoli Petri informatione, quomodo ex inspiratione et eruditione Spiritus Sancti scripsisse feruntur? Et respondendum, B quod Spiritus Sanctus infallibiliter eos in scribendo direxit, et adeptam eorum ab Apostolis aliis instructionem sua deifica illuminatione perfecit, certificavit et gubernavit, eosque ad scribendum induxit.

Et ministri fuerunt sermonis, id est evangelicæ prædicationis, quam Christo jubente, et Spiritu Sancto implente, fideliter prædicaverunt : huicque prædicationi ministraverunt, in quantum ei subjecti fuerunt et ex Christi imperio eam prædicando aliis exhibuerunt. Hinc in Actibus Spi- C ritus Sanctus effatur : Segregate (inquiens) *Act.* xiii, 2. mihi Paulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Et Petrus testatur : Nobis *Ibid.* x, 42. præcepit Deus prædicare populo et testificari, quia Jesus Christus est qui constitutus est judex vivorum et mortuorum. Et Apostoli quoque dicunt : Nos vero orationi *Ibid.* vi, 4. et ministerio verbi instantes erimus. Potest quoque de increato Dei Patris Verbo intelligi, cui ministraverunt Apostoli : de quo ad Hebræos Paulus, Vivus (inquit) est *Hebr.* iv, 12, 13. sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni D gladio ancipiti; et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus.

Visum est et mihi, id est, rationabile 3
mihi apparuit tam ex inspiratione divina quam ex ratione humana. Consideravit etenim Lucas per propriam rationem, quod expediens esset a se evangelium scribi, in quo ab aliis prætermissa insererentur. *Assecuto omnia a principio.* Quod ait, Omnia a principio, referri potest ad participium, Assecuto; eritque sensus : Visum est mihi assecuto, id est, per cognitionem

adepto omnia quæ Christus a principio A suæ prædicationis fecit ac docuit, hoc est, universorum operum documentorumque Christi cognitionem adepto, tam per illuminationem divinam quam per Apostolorum informationem. Non quod simpliciter omnia in specie ac individuo facta et documenta Salvatoris aliquis Evangelistarum descripserit, sed omnia ad fidelium instructionem requisita, seu omnia in genere, vel quædam de omnibus, ut sit distributio pro generibus singulorum, non pro singulis generum : juxta quem modum ait Psal- B
Ps. ix, 2. mista, Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua; et
Act. i, 1. in Actibus Lucas, Primum (inquit) quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere. Quod autem non simpliciter omnia, constat ex
Joann. xxi, 25. eo quod in Joanne legitur : Multa alia fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum mundum arbitror posse capere eos qui scribendi sunt libros.

Denique verba hæc, Omnia a principio, referri possunt ad id quod subditur, Di- C ligenter ex ordine tibi scribere, ut sit sensus : *Visum est et mihi assecuto,* id est, Christum et Apostolos, potissimum Paulum, corporaliter ac spiritualiter imitato, vel saltem ipsos Apostolos, corporaliter etiam, non spiritualiter tantum, *omnia* Christi mysteria, verba et gesta, juxta sensum prætactum, *a principio* annuntiationis præcursoris Christi, vel a principio incarnationis Christi, *diligenter :* hoc enim exigit altitudo materiæ libri hujus et dignitas ejus de quo tractat volumen D hoc, utpote excellentia Christi, de quo tanquam de vero Deo, non nisi circumspecte ac reverenter loquendum est; et ut Jere-
Jer. xlviii, 10. mias fatetur, Maledictus qui facit opus Dei negligenter : imo quanto diviniora, altiora ac salubriora sunt quæ scribuntur, tanto reverentialius diligentiusque scribenda sunt, non præcipitanter et intimorate, jactanter aut præsumptuose. Et *ex ordine,* id est ordinate, videlicet secundum ordinem seu processum rei gestæ : quod confert ad prolixitatem vitandam et ad intelligentiam clariorem habendam. Utque Apostolus loquitur, Quæ a Deo sunt, ordinata sunt. *Rom.* xiii, 1.
Sapientis enim est ordinare, atque in verbis, factis et scriptis se ordinate habere. Propter quod dicit Apostolus : Omnia ho- I *Cor.* xiv, 40.
neste et secundum ordinem fiant in vobis.

Tibi scribere, non solum ad tuam, sed ad omnium Christianorum utilitatem : sicut ait Dominus, Quod uni dico, omnibus *Marc.* xiii, 37.
dico; *optime Theophile.* Circa quod scribit Theophilus * : Scribit autem ad Theophi- **alias* Theophylactus
lum virum inclytum, fortassis et principem, quia quod dicit, Optime, dicebatur principibus atque præsidibus, sicut Paulus Festo præsidi dixit : Optime Feste. Contra *Act.* xxvi, 25.
quod arguit quidam, quia (ut dicit) talis modus loquendi proprius est ad prælatos, qui debent alios in bonitate excellere; iterum, non est verisimile quod omissis episcopis, quorum est alios informare, scripserit principi sæculari. Hæ autem instantiæ non procedunt. In Scripturis enim canonicis non invenitur, quod aliqui prælato quis ita loquatur. Quod vero consuetudo fuerat tunc principibus sæcularibus taliter loqui, patet ex eo quod etiam in Actibus Lysias tribunus sic scribit principi tali : Optimo *Ibid.* xxiii, 26.
præsidi Felici, salutem. Præterea in primitiva Ecclesia sæculares principes erant communiter valde religiosi, ideo satis probabile est quod alicui tali scripserit ista. Eidem quoque Theophilo scripsit Actus *Ibid.* i, 1.
Apostolorum. Porro Theophilus interpretatur amans Deum, vel amatus a Deo. Quisquis ergo amat Deum, vel ab eo amari se cupit, sibi putet hoc evangelium scriptum, et tanquam munus sibi a Deo donatum accipiat, sibique commendatum pignus conservet.

4 *Ut cognoscas eorum verborum,* id est evangelicorum sermonum, *de quibus eruditus es* per Christi discipulos, vel sola instructione vocali, vel etiam per evangelia Matthæi et Marci jam scripta (quæ forsitan vidit, quamvis hoc certum non sit), *veritatem,* ut scilicet certius pleniusque instruaris de Christi verbis et factis atque

mysteriis. Frequenter autem in Scripturis, A
verbum pro facto seu re significata per
verbum accipitur, ut dum in libris Regum
Is. xxxix, 2, 4. loquitur Ezechias : Non fuit verbum in
domo mea, quod non ostenderim eis.

CONSEQUENTER Lucas incipit narratio-
5 nem. *Fuit in diebus Herodis regis Judææ*
sacerdos quidam nomine Zacharias. Con-
venienter Lucas a præcursore Christi evan-
gelium suum exorsus est : quia ex his
quæ de Præcursore leguntur, fides non pa-
rum corroboratur, et ea quæ de Christi B
mirabilibus leguntur, credibiliora reddun-
tur. Itaque tempore quo Herodes in Judæa
regnabat, fuit hic Zacharias. Tres autem
fuerunt Herodes de quibus fit mentio in
Scripturis. Primus fuit Herodes de quo
nunc sermo : qui dictus est Ascalonita,
quia in Ascalone urbe Palæstinæ suum
Matth. ii, 16. construxit palatium; qui necavit infantes.
Secundus fuit filius ejus, dictus Herodes
Luc. xxiii, 11; *Marc.* vi, 17, 27. Antipas, qui Christum in passione derisit,
et decollavit Joannem. Tertius fuit Hero-
Act. xii, 1, 2, 4, 23. des Agrippa, qui Jacobum decapitavit, et C
Petrum incarceravit, atque ob suam su-
perbiam ab angelo sancto percussus, ver-
mibusque consumptus est. Tres quoque
leguntur fuisse Zachariæ qui sancti fue-
runt. Primus fuit Zacharias filius Joiadæ
II *Par.* xxiv, 20. pontificis, de quo in libris Regum habetur.
Secundus fuit Zacharias, unus duodecim
Prophetarum, cujus liber sententiosissi-
mus pulcherrimusque consistit. Tertius,
de quo nunc agitur.

Apte autem de primo Herode jam ver-
bum fit, ut tacite demonstretur, quod sub D
illius imperio Christus veraciter venit. Ja-
cob enim in Genesi prophetavit, quod do-
minatu Judæorum ad alienigenam prorsus
Gen. xlix, 10. translato, nasceretur Messias : Non aufe-
retur, inquit, sceptrum de Juda, et dux de
femore ejus, donec veniat qui mittendus
est, et ipse erit exspectatio gentium. Hero-
des autem de genere exstitit Idumæorum,
et ab imperatore Romano factus est rex
Judic. ii, 6, 16. Judæorum. Qui quum ingressi fuissent ter-
ram promissionis, primo regebantur per
judices usque ad Saul exclusive, seu Sa- I *Reg.* x, 24.
muelem inclusive; deinde per reges usque
ad captivitatem Babylonicam. Postea per IV *Reg.* xxv.
pontifices regebantur usque ad Hyrcanum
regem simul atque pontificem : quo ab
Herode primo occiso, regnavit Herodes, et
Judæi de cetero sub alienigenarum prin-
cipatu fuerunt, sicut nunc usque sunt.

De vice Abia, id est de semine Abia sa-
cerdotis, et loco ejus in templo ministrans,
seu ei in ministerio templi succedens, prout
tunc patribus sacerdotibus mortuis, filii
loco illorum in templi ministerio succes-
serunt. Porro, ut in libro Paralipomenon
legitur, David rex cultum cupiens ampliare
divinum, constituit viginti quatuor sacer- I *Par.* xxiv, 3-19.
dotes principales de totidem familiis sa-
cerdotalibus ex semine Aaron natis. Tunc
enim inventæ sunt sedecim familiæ de *Ibid.* 4.
Eleazaro filio Aaron natæ, octo autem de
Ithamar filio Aaron : de quarum qualibet
ordinavit David unum summum sacerdo-
tem, qui toti suæ præesset familiæ, atque
in sua ministraret hebdomada; ceciditque
sors octava super Abia, cui linealiter suc- *Ibid.* 10.
cessit hic Zacharias. Verumtamen omni-
bus istis præfuit unus summus sacerdos,
qui pontifex dicebatur, princepsque sacer-
dotum.

Et uxor illi de filiabus Aaron, et nomen
ejus Elisabeth. Uterque itaque, scilicet Za-
charias et Elisabeth, Aaronitæ fuerunt.
Et quamvis in veteri fuerit Testamento
præceptum, ut viri de suis tribubus acci- *Num.* xxxvi, 7, 8.
perent conjuges, et econtra, ne sortium di-
stributio seu hereditatum divisio confun-
deretur in jubilæo, id est quinquagenario
anno, in quo omnis hereditas ad priorem *Lev.* xxv, 10.
ac proprium possessorem redibat; hoc ta-
men in tribu sacerdotali non servabatur,
sed homines tribus illius aliarum tribuum
hominibus poterant matrimonialiter copu-
lari. Non enim ut ceteri hereditatem habe- *Deut.* xviii, 1, 2; *Josue* xiii, 14; xxi, 2 *et seq.*
bant, sed Dominus Deus fuit eorum heredi-
tas, quia de ejus sacrificiis sustentaban-
tur, nec certa loca hereditaria habuerunt,
nisi ad habitandum, pecoraque alenda : sic
nempe Jeremias propheta atque sacerdos,

Jer. XXXII, 9. agrum se habuisse testatur. In hoc ergo A
dignitas Præcursoris ostenditur, quod utro-
que parente Aaroniticæ sacerdotalisque
exstitit stirpis, imo filius sacerdotis prin-
cipalis in sua familia. Sacerdotalis quippe
et regia tribus tunc principales fuerunt,
et matrimonialiter copulari consueverunt,
Exod. VI, 23. quemadmodum a principio uxor Aaron fuit
Elisabeth, filia Aminadab de tribu Juda.
Verumtamen Thomas allegat Theophilum
hic dicentem: Non permittebatur Zacharias
de alia tribu accipere uxorem.

6 *Erant autem justi,* triplici utique justitia, B
scilicet vitæ, et veritatis, ac virtutis, *am-
bo :* ita quod non solum carnis propaga-
tione, sed et virtutum imitatione soboles
Aaron erant, de quo fertur in Psalmo :
Ps. CV, 16. Aaron sanctum Domini; *ante Deum,* id est,
vere, non ficte, sed divino judicio tales
erant : quales et nunc omnes sunt qui
Deo in omnibus placere desiderant, ejus-
que jugiter in cunctis gloriam et honorem
intendunt. Sunt autem quamplurimi ante
Galat. V, 26. homines justi, sicut hypocritæ, et omnes
Job XXXVI, 13. inanis gloriæ cupidi, simulatores et callidi, C
qui provocant iram Dei : de quibus ait
Matth. VI, 2, 5. Salvator, Receperunt mercedem suam.

Sed quum scriptum sit in libro Psalmo-
Ps. CXLII, 2. rum, Non justificabitur in conspectu tuo
Job IX, 2. omnis vivens; et Job dicat, Non justifica-
bitur homo compositus Deo; itemque Sa-
Eccli. VII, 5. piens, Non te justifices ante Deum : quo-
modo quisquam mortalium justus dicitur
ante Deum? Et respondendum, quod ho-
minem viatorem ante Deum justificari, ju-
stumve esse aut dici, intelligi potest tri-
pliciter: Primo, quod pura sit ejus justitia, D
nihil habens culpæ admixtum : et sic non
justificatur ante Deum omnis vivens in
Jacob. III, 2. carne mortali, quia in multis offendimus
Is. LXIV, 6. omnes et quasi pannus menstruatæ sunt
universæ justitiæ nostræ, ut dicit Isaias.
Secundo, quod comparatione æquitatis di-
vinæ justus dicatur : et hoc rursus stare
Job IV, 17. non valet, juxta illud Job, Numquid homo
Dei comparatione justificabitur? Tertio,
quod a Deo justus judicetur, et coram eo
justus sit, secundum modum humanæ con-
ditioni proportionatum : sicque electi et
omnes in gratia exsistentes, aliquo modo
justi sunt ante Deum. Proprie tamen justi
dicuntur notabiliter virtuosi, præsertim ho-
mines perfecti et sancti seu divini atque
heroici, quorum corda in affectum bonita-
tis et æquitatis conversa, omni se custodia *Prov.* IV, 23.
coram Deo custodiunt : de quibus loquitur
Christus, Beati mundo corde. *Matth.* V, 8.

Insuper, decuit valde Christi præcurso-
rem de sanctis nasci parentibus, ut testifi-
catio ejus de Christo, suæque sanctitatis
conversatio, ex sanctitate parentum suo-
rum credibiliores judicarentur. Proles nam-
que frequenter parentum sequitur boni-
tatem. Unde et nunc parentum Joannis
describitur sanctitas, ut ipse Joannes qua-
si hereditario jure videatur assecutus ju-
stitiam.

Incedentes, id est, ad beatitudinem festi-
nantes, propinquantes, seu spiritualiter
transeuntes, *in omnibus mandatis,* obser-
vando præcepta Decalogi quæ vocantur
moralia. Recte autem ait, In omnibus, quia
non sufficit aliqua observare, si unum
prætermittatur, secundum illud Jacobi :
Quicumque totam legem impleverit, offen- *Jacob.* II, 10.
dat autem in uno, factus est omnium reus.
Et justificationibus, id est in observantiis
præceptorum judicialium, quæ erant quæ-
dam determinationes præceptorum morali-
um quoad modum servandi justitiam circa
proximos, in observantiis quoque præce-
ptorum cærimonialium, quæ erant deter-
minationes præceptorum moralium quan-
tum ad modum ac ritum colendi Deum.
Sine querela, id est irreprehensibiliter: ita
quod nullus contra eos movit, movereve
potuit rationabiliter querelam seu accusa-
tionem, quia et si quotidie venialiter pec-
caverunt, de hoc tamen quotidie satisfece-
runt : implentes illud Apostoli, Nemini *II Cor.* VI, 3.
dantes ullam offensionem, ut non vitupe-
retur ministerium nostrum. Unde ad Phi-
lippenses hortatur : Omnia (inquiens) fa- *Philipp.* II, 14, 15.
cite sine murmurationibus, ut sitis sine
querela et simplices filii Dei, in medio
nationis pravæ atque perversæ. Sic de Ju-

(*Judith* viii, 8.) dith in libro ejus scriptum est, quod erat in omnibus nominatissima, nec erat qui malum loqueretur de ea.

Denique sunt quædam virtutes morales, quibus homo proximis suis acceptus redditur et suavis, videlicet : mansuetudo, humilitas, patientia, modestia, liberalitas, eutrapelia. Unde Augustinus ait in regula : In omnibus motibus vestris, nihil sit quod cujusquam offendat adspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem. Itaque, qui inter alios conversatur, non per indiscretum rigorem se illis exhibeat onerosum, imo socialiter se gerat ac dulciter, salvo semper ordine æquitatis. Hinc Seneca loquitur (Seneca, de Virtutibus.) : Sic te geras sapienter, ut nemo te habeat tanquam asperum, nec spernat ut vilem. (Aristot. in Ethicis.) Qui autem ita non agunt, ab Aristotele duri et agrestes vocantur. Siquidem durior hominum æquitas querimoniam provocat, secundum Ambrosium. Ad hanc pietatem specialiter dare se debent, qui ex naturali inclinatione in irascibili abundantes, semper ad æquitatis rigorem feruntur.

Porro, in verbis his paucis, Zacharias et Elisabeth magnifice commendantur, et in verbo abbreviato continetur sensus exuberans. Tanta namque fuit eorum justitia, ut jugum illud legis (quod adeo grave (*Act.* xv, 10.) fuit, ut de ipso Petrus testetur, quia nec nos nec patres nostri illud portare potuimus : quibus verbis præcipua difficultas, non absoluta impossibilitas observandi insinuatur) plene portasse probentur ; fueruntque similes Josue, de quo legitur : (*Josue* xi, 15.) Non præterivit Josue de universis mandatis Domini, ne unum quidem verbum. Qui ergo Zachariam ejusque conjugem appetit imitari, impleat illud Apostoli (*Rom.* xii, 17.) : Providentes bona, non tantum coram Deo, sed coram omnibus hominibus. — Præterea, secundum Ambrosium : Quum mandatis cœlestibus obedimus, in eis incedimus ; dum autem congrue judicamus, justificationes Domini tenere videmur. Nulla quoque querela est, ubi et mentis bonitas concordat et facti. Origenes etiam ait : Potest aliquid justum injuste fieri, ut quum eleemosyna datur jactantiæ causa, quod non est sine querela.

7 *Et non erat illis filius,* id est aliqua proles : filius enim hoc loco non tam sexum quam germen designat, sic quod a filia non distinguitur : secundum quam acceptionem ad patrem refertur. Frequenter autem Dominus subtrahit sobolem etiam justis, ut tota eorum spes, affectio, consolatio et occupatio, in Deo stabiliantur. *Eo quod esset Elisabeth sterilis.* Hæc est una causa, specialisque ratio ex parte uxoris, quod filium non habebant, quoniam illa ex naturali dispositione exstitit infecunda, etiam tempore juventutis. Alia vero causa subjungitur : *et ambo processissent in diebus suis,* id est, ad tantum senium devenissent, quod ad prolificandum naturaliter inhabiles exstiterunt. Hinc conceptio Joannis ex parte matris suæ fuit miraculosa seu supernaturalis dupliciter, utpote ex parte sterilitatis et senectutis ; ex parte vero patris sui fuit miraculosa simpliciter, quia ob senium ejus. Sic et sanctorum Patriarcharum conjuges steriles fuisse leguntur, ut patet in Genesi de Sara conjuge Abrahæ, Rebecca conjuge Isaac, Rachel uxore Jacob. (*Gen.* xi, 30 ; xxv, 21 ; xxix, 31.)

8 *Factum est autem quum sacerdotio fungeretur Zacharias,* id est, actus officii seu ordinis sui sacerdotalis exsequeretur in templo, *in ordine vicis suæ,* id est hebdomada sua ordinaria, seu contingente ipsum ex ordine quo sacerdotes præfati sibi invicem in officio sacerdotis succedebant, *ante Deum,* id est in conspectu et præsentia seu beneplacito Dei ; vel, Ante Deum, id est in templo ubi Deus specialiter habitavit, quemadmodum scriptum est (*Ps.* x, 5.) : Dominus in templo sancto suo ;
9 *sorte exiit,* id est secundum exigentiam sortis suæ, quæ fuit octava, ut patuit. Distributiones enim hebdomadarum, in quibus sæpe ministrabant viginti quatuor sacerdotes in templo, datæ fuerunt per sortes : sicque quivis illorum secundum exigentiam et ordinem sortis suæ exivit, vel domum suæ habitationis, vel locum prope templum, in quo

loco se sacerdotalibus vestibus induit. Sacerdotes siquidem isti, hebdomada qua ministrabant in templo, castitati vacabant, nec proprias domos ingrediebantur, sed in domunculis circa templum sitis quæ exedræ vocabantur, cubabant. *Ut incensum poneret, ingressus in templum Domini.* Incensum pro holocausto accipi solet, puta pro sacrificio quod ad divinæ majestatis honorem totaliter comburebatur, ad figurandum quod rationalis creatura debet se Creatoris sui obsequio totaliter mancipare : quo tamen sacrificio specialiter præfiguratus est status religiosorum, qui se totos divino offerunt cultui, Deoque vovent. Interdum vero pro incenso thymiamatis sumitur.

Sancti patres Ambrosius et Beda hic sentire videntur, sobrie tamen, non multum assertive, quod Zacharias iste fuerit summus sacerdos seu pontifex, quia incensa ponere intra Sancta sanctorum semel in anno soli licebat pontifici. (*Exod.* xxx, 10; *Hebr.* ix, 7.) Unde et Gorra ait, quod ingressus est templum, scilicet primo in Sancta, secundo in Sancta sanctorum, cum thure et sanguine ; postea rediit in Sancta ad altare incensi : quod secundum Josephum et omnes Sanctos inde loquentes, fuit in loco templi qui dictus est Sanctum vel Sancta ; secundum Augustinum vero fuit intra Sancta sanctorum. Sed quoniam Josephus et ceteri Judæorum pontificia ac sacerdotia describentes, de summo sacerdotio hujus Zachariæ nullam (ut dicitur) faciunt mentionem, alii magis et forte probabilius putant, quod non fuit summus sacerdos, nec Sancta sanctorum intravit, sed Sancta, et incensum quod posuit, est illud quod omni die fiebat in altari incensi. (*Exod.* xxx, 7, 8.) Peracto enim sacrificio in altari holocaustorum, quod erat in atrio ubi ministrabant sacerdotes minores, sacerdos qui ministravit et sacrificavit ibidem, manibus suis ac pedibus primo lotis, (*Ibid.* 19, 20; *Lev.* xvi, 11-13.) sumpsit prunas de altari holocaustorum, intransque primam templi partem quæ dicitur Sancta, cremabat in illa thymiama super altare incensi, et tunc fuit sacrificium consummatum. Per illam namque evaporationem seu thurificationem, designabatur offerentis devotio. Et quoniam sacrificia illa legalia non erant per se Deo accepta, sed ex offerentium devotione et fide, idcirco in præfata incensione fuit sacrificii consummatio jam prætacta. Denique his favere videtur, quod in libro Paralipomenon sacerdotibus loquitur Ezechias : Nolite (inquiens) negligere, filii mei; (II *Par.* xxix, 11.) vos elegit Dominus ut stetis coram eo, et ministretis ei, colatisque eum et cremetis ei incensum. Hoc ergo incensum, quod juniores sacerdotes facere potuerunt, posuit Zacharias, incendendo thymiama per prunas prædictas, et illud incensum ponendo super altare incensi, quod item altare aureum appellatur. (*Exod.* xl, 5.)

10 *Et omnis multitudo populi erat orans foris,* id est extra templum, puta in atrio, quia non licuit secundum legem populo ingredi Sancta, aut Sancta sanctorum, hoc est primam aut secundam partem templi. Porro, in templo fuit quotidie duplex sacrificium, (*Ibid.* xxx, 7, 8.) unum de mane, aliud in vespere : et juxta hoc fuit quotidie duplex hora incensi, videlicet mane, et vespere. Nihilo minus per antonomiam hora incensi dicebatur dies Expiationis, quia tunc solennius offerebatur omni populo confluente, (*Lev.* xvi, 17.) foris tamen manente, ad insinuandum quod sacerdos profundius debet penetrare divina quam populus : quod potissimum pertinet ad prælatum atque pastorem, cujus comparatione populus grex vocatur. (*Jer.* x, 21; *Ezech.* xxxiv, 2, 3, etc.; *Mich.* vii, 14.) Et de hac hora incensi quidam exponunt quod subditur : *hora incensi.* Glossa etenim ait : Ista solennitas septimo mense celebrabatur, hoc est decima die Septembris, (*Lev.* xvi, 29, 12-14.) et dies Expiationis seu propitiationis nominabatur, quando solus pontifex intrabat secundum tabernaculum, scilicet Sancta sanctorum, cum sanguine. Sed hæc Glossa procedit secundum expositionem Ambrosii et Bedæ, opinantium Zachariam fuisse pontificem. Unde et Beda ait : Incensum in Sancta sanctorum a pontifice deferri, exspectante extra templum

omni populo, decimo die septimi mensis, et hanc diem Expiationis seu propitiationis vocari Dominus jussit : cujus diei mysterium Apostolus ad Hebræos pandens, (*Hebr.* IX.) Jesum ostendit pontificem verum, utpote per pontificem legalem significatum : qui Jesus in sanguine proprio cœli secreta introiit, ut propitium nobis faceret Patrem, et interpellaret pro peccatis eorum qui adhuc præ foribus orantes exspectant.

Itaque advertendum, quod præter incensum præfatum quod ab inferioribus sacerdotibus ponebatur, fuit adhuc aliud incensum, quod soli pontifici licuit exercere, seu ponere intra Sancta sanctorum in die Expiationis. Verum hoc non ponebatur ad (*Lev.* XVI, 12-15.) offerendum, sed ut nebula inde ascendens operiret oraculum, dum contra illud adspergebat sacerdos sanguine vituli, et hirci pro populi peccatis oblati. De quo incenso non est hic sermo, secundum eos qui dicunt Zachariam non fuisse pontificem : quod quamvis concederetur, non tamen proprie affirmare censentur, quod fuit sacerdos simplex, et de minoribus unus, quia ut patet ex dictis, ad minus fuit unus de viginti quatuor principalioribus sacerdotibus, itemque in sua familia quæ de Abia descendit, superior, quamvis comparatione pontificis, simplex et minor possit dici sacerdos.

11 *Apparuit autem illi angelus Domini,* scilicet Gabriel, ut infra patebit. Denique, secundum Ambrosium, in Scripturis Deus et angeli apparere dicuntur, quoniam improvise et repentine videntur, ita quod eorum adspectus prævideri non valet seu præsentiri sive præsciri. *Stans* in corpore quod assumpsit, *a dextris altaris incensi :* de quo altari atque incenso jam habitum est. Stetit equidem juxta dextram partem altaris super quod Zacharias incensum ponebat. Et apte ad dextram stetit, quoniam dignior situs angelo lucis congruebat, et per dextram prosperitas, pietas et consolatio, designantur. Angelus autem saluberrima et gaudiosissima annuntiare advenit, quia non solum Joannis, sed et Christi

A denuntiavit ortum sive adventum, summam quoque divinæ pietatis gratiam instare disseruit. Rursus, quoniam sacerdoti apparuit, et Christi, qui est summus sacerdos verumque sacrificium, nuntiavit adventum, rite in templo angelus apparebat; (*Hebr.* IV, 14; VII, 26, 27; IX, 11-14.) item, ad ostendendum, quam gratum sit Deo sacerdotem in templi obsequio devote ac sedule occupari, quanta etiam sit dignitas ordinis et officii sacerdotalis.

Et Zacharias turbatus est, videns angelum tam splendentem, *et timor irruit* 12
B *super eum,* hoc est, incidit, et ex superiori causa incidit cordi ejus ex insolita visione. Connaturale est namque fragilitati humanæ ex visione cœlestium civium aut spirituum defunctorum vehementer mirari, immutari, turbari, vereri, quia ignotum, rarum, insolitumque consistit quod accidit, et quia alterius conditionis seu altioris potestatis est quod apparet : ita quod homo frequenter primo occursu ignorat quid sit, aut cur venerit, propter quod sæpe de proprio pavet periculo, atque de
C rei exitu contremiscit. Angeli quoque cum inconsueto splendore atque fulgureo vultu apparere solent. Unde et Daniel ait ad angelum : Domine, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ; sed et halitus (*Dan.* X, 16, 17.) meus intercluditur, et nihil in me remansit virium. Hinc Prophetæ mirabilibus Dei conspectis, cadere consueverunt, juxta illud Ezechielis : Vidi, et cecidi super faciem meam. (*Ezech.* II, 1.) Ambrosius quoque hic ait : Utinam et nobis ad altaria sacrificium deferentibus adsistat angelus, imo præbeat
D se videndum. Non enim dubites adsistere angelum, quando Christus immolatur. Iterum ait : Perturbamur et a nostro alienamur affectu, quando præstringimur alicujus superioris potestatis occursu. Idem fatetur Chrysostomus, dicens : Non potest homo quantumcumque sit justus, absque timore cernere angelum. Hinc Zacharias adspectum non tolerans præsentiæ angeli, nec fulgorem illum valens sufferre, turbatur.

Quibus consonat Origenes : Nova (inqui-

ens) facies humanis se obtutibus præbens, turbat mentem, animumque consternat. Hinc angelus sciens hanc humanam esse naturam, primum perturbationi medetur.
13 Nam subditur : *Ait autem ad illum angelus : Ne timeas, Zacharia.* Ait quippe Athanasius in vita S. Antonii : Non difficilis est bonorum spirituum malorumque discretio. Si enim post timorem successerit gaudium, a Domino venisse sciamus auxilium, quia securitas animæ signum est majestatis præsentis ; si autem incussa formido permanserit, hostis est qui videtur. Hinc asserit Beda : Sicut humanæ (inquiens) defectionis est terreri, sic angelicæ dignitatis est de suo adspectu paventem blandiendo consolari. Econtra dæmones, quos de sua præsentia territos sentiunt, ampliore terrore commovent.

Itaque, *Ne timeas,* id est, timor immoderatus qui actum impedit rationis, omnisque turbatio mentis tollens quietem,
Is. LXI, 10. recedat a te, estoque consolatus et gaudens in Domino. Id itaque angelicæ bonitatis, caritatis, pietatisque est, ut hominem bonum, non induratum ac reprobum, sua visione inquietatum, tremefactum, turbatum, victum, dejectum, tranquillet, consoletur, confortet : quemadmodum diabolicæ impietatis est, incussum augere timorem, ut rectæ rationis impediatur ju-
II *Cor.* XI, 14. dicium. Verumtamen, sæpenumero Satanas in angelum lucis transfiguratus, hominibus apparuisse legitur, et nihilo minus verba blanda ac consolatoria protulisse, ut per hoc desuper venisse crederetur, sicut in vita S. Martini narratur ; sed mentem interius directe consolari et confortare non valet, quia nec immediate atque directe agit in eam, quemadmodum angelus eam illuminando.

Exaudita est deprecatio tua, quam nunc in sacrificando et incensum ponendo corde et ore fudisti. Dicunt aliqui, quod non solum pro Christi adventu, sed et pro filio exoravit. Augustinus vero in libro de Quæstionibus Evangelii, contradicit et dicit : Nemo orat accipere, quod se accepturum

A desperat. Usquequo autem desperavit se filium habiturum, quod nec angelo filium promittenti crediderit. Probabile tamen est, quod jam ante frequenter pro hac re deprecatus sit Dominum : sicut et Isaac ora- *Gen.* XXV, 21.
vit pro sobole, cernens quod conjux sua sterilis esset, ut patet in Genesi; Anna I *Reg.* I, 10, 11.
quoque, ut in libro Regum legitur, et alii Sancti veteris Testamenti. Tunc enim grande coram hominibus fuit opprobrium, conjugii fructu carere. Insuper Zacharias, ut aliqui dicunt, oravit etiam pro liberatione B Judæorum a dominatu Herodis et alienigenarum, tributoque Romanorum. Certius autem tenendum est, quod pro adventu Messiæ totis oravit præcordiis, et pro spirituali salute.

Et quoniam Deus liberalissimus dator ac exauditor est et munificentissimus benefactor, abundantia pietatis suæ merita supplicum excedens et vota seu desideria, non solum demonstrat se Zachariam audisse, imo et plura quam petiit se daturum testatur, utpote filium tam electum, tanta- C que gratiarum charismata universæ Israeliticæ plebi per eum. Nam subditur : *et Elisabeth uxor tua pariet tibi filium.* Convenienter angelus nomen conjugis Zachariæ expressit, ne de alia se putaret filium habiturum, eo quod ista vetula esset ac sterilis. *Et vocabis,* id est, esse dices, seu vocando exprimes, *nomen ejus Joannes**. *alias *Joannem*
Vel, Vocabis nomen ejus nominatum, id est rem ipsam seu filium tuum, Joannem, id est nomine hoc nominante, quod est Joannes. Itaque propter certitudinem pro- D phetiæ nomen filii nascituri exprimitur, et propter sanctitatem ac dignitatem ejus futuram, item ob nominis interpretationem rei significatæ convenientem. Joannes namque, in quo est gratia interpretatur. Recte ergo Joannes vocari præcipitur, cui tanta fuerat gratia danda, ut de ipso Christus testatus sit : Inter natos mulie- *Matth.* XI, 11.
rum non surrexit major Joanne Baptista.
Qui et Christum, per quem gratia et veri- *Joann.* I, 17.
tas facta est, cecinit adfuturum, et monstravit præsentem. Denique, sex hominum

nomina prænuntiata leguntur in veteri Te- A
Gen. xvii, 19. stamento, videlicet : Isaac, Samsonis (in
Judic. xiii. libro Judicum, secundum aliam translationem, ut aliqui dicunt : translatio namque
III Reg. xiii, 2. Hieronymi ita non habet), Josiæ, ut in libris Regum patet. Hi tres sancti fuerunt.
Gen. xvi, 11; Num. xxiv, 7; Is. xlv, 1, 4. Item Ismaelis, Agag, et Cyri, quos reprobos fuisse asseritur : quod de duobus ultimis constat.

14 *Et erit tibi gaudium et exsultatio,* id est, in nativitate ejus tanta tibi in mente lætitia erit, quod redundabit in corpus, vultuque hilaris apparebis, et ex magnitu- B dine gloriationis tuæ tota tua natura suaviter reflorebit : non ob id dumtaxat, quod filius tibi sit natus, sed quoniam filius talis ac tantus, tamque præelectus a Deo; sicque implebitur in te illud Sapientis :
Prov. xxiii, 24. Exsultat gaudio pater justi; et qui genuit sapientem, lætabitur in eo. Rursusque scri-
Ibid. x, 1. ptum est : Gloria patris, filius sapiens. Præterea, quantum de bono gloriandum sit
Eccli. xvi, 1, 3, 4. filio, patet per illud Ecclesiastici : Ne jucunderis in filiis impiis, si multiplicantur; melior est unus timens Deum, quam C mille filii impii; et utile est mori sine filiis, quam relinquere filios impios. Dicit quoque Ambrosius : Admonentur hoc loco parentes gratias agere Deo, tam pro ortu quam pro meritis filiorum : non enim mediocre Dei munus est dare liberos propagatores generis, successionis heredes. Divinum igitur munus fecunditas est parentis.

Et multi in nativitate ejus gaudebunt, videlicet cognati tui, amici atque vicini. Quos multæ causæ ad congratulationem hanc induxerunt : Primo, quoniam Zacha- D rias et Elisabeth omnibus singulariter cari fuerunt, idcirco eorum prosperitati et gaudio congaudebant. Secundo, propter novitatem magnitudinemque miraculi, quod videbant in puero supernaturaliter edito. Tertio, quia in puero nato consideraverunt divinam fuisse visionem impletam, quam habuit Zacharias. Quarto, quia sperabant hunc puerum magnæ fore utilitatis et gratiæ, ita quod totus populus Judæorum ex ipso proficeret atque divinitus juvaretur per ipsum. Denique singulis annis in natalitio ejus omnes Christiani specialiter gloriantur, quod tanti Sancti societatem sortiti sunt, et quia in peccato natus non fuit ut ceteri Sancti communiter, sed mundatus et sanctificatus fuit in utero matris. A Sarracenis quoque ejus nativitas festivatur. Hinc ratio gaudii subditur :

Erit enim magnus, magnitudine spiritua- 15
li, quæ est magnitudo gratiæ et sapientiæ ac virtutis, ita quod esse majorem, est esse perfectiorem; *coram Domino,* id est vere, ita quod Deus judicabit eum talem. Quidam vero magni sunt, non utique coram Deo, sed coram propriis oculis et coram hominibus, sicut hypocritæ et superbi, quorum cuilibet dicitur : Depone magnitudi- Job xxxvi, 19.
nem tuam absque tribulatione. Quis autem beatissimi hujus Joannis magnitudinem possit exprimere? Sed angelus consequenter eam declarat; et Christus unico testimonio complexus est multa : Inter natos Matth. xi, 11.
(inquiens) mulierum non surrexit major Joanne Baptista. Insuper, secundum Ambrosium, sicut corporis, ita et animæ numeramus ætates, non ratione temporis, sed qualitate et gradu virtutis : ut vir perfectus ille dicatur, qui pueritiæ caret errore, et lubricum adolescentiæ animi maturitate transcendit; pusillus autem, qui nullum adhuc virtutis habet processum. Postremo, secundum quatuor dimensiones corporales, spiritualis quoque magnitudo in quatuor proportionaliter consistit, puta in altitudine conversationis seu contemplationis, vel dilectionis divinæ, in latitudine caritatis fraternæ, in profunditate humiliationis, in longitudine perseverantiæ usque in finem : secundum illud Apostoli ad Ephesios, Ut Ephes. iii, 18.
possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit longitudo, et latitudo, et sublimitas, et profundum.

Vinum et siceram non bibet. Secundum Bedam, per siceram Judæi intelligunt omnem potum inebriativum, de quacumque sit confectus materia : per quod austeritas vitæ Joannis parcitasque signantur. In libro Judicum quoque hæc pocula leguntur Judic. xiii. 4, 5, 7, 14.

Samsoni prohibita, quoniam nazaræus Dei A
fuit ab utero matris usque ad diem mortis.
Joannes vero sublimius fuit nazaræus Dei,
id est Deo consecratus toto tempore vitæ
suæ, ideo per omne tempus suæ vitæ ab
Num. VI, 4, 20. his abstinuit potibus : sicut in lege abstinebant ab his Nazaræi tempore consecrationis separationisve suæ, et postea vinum
bibere potuerunt, ut in libro Numerorum
describitur. Decuit autem Joannem tantæ
abstinentiæ esse, ut testimonium ejus de
Christo credibilius redderetur, insinuaretque per vitæ suæ rigorem, quod Christus B
in primo suo adventu temporalium abundantiam et corporum oblectamenta non
esset daturus, ut obtenebratissimi præstolantur Judæi.

Et Spiritu Sancto replebitur, hoc est
gratia, donisque Spiritus Sancti, *adhuc ex
utero matris suæ,* id est in utero maternali, seu antequam egrediatur ex eo : qua
gratia a peccato originali purgabitur, et
donis Spiritus Sancti anima ejus ornabitur, atque ad operandum meritorie disponetur, quemadmodum Dominus loquitur C
Jer. I, 5. de Jeremia : Antequam exires de ventre
sanctificavi te. Et per utriusque in utero
sanctificationem omnimoda sanctificatio,
innocentia ac puritas Christi in utero virginali est præfigurata. Verumtamen major et gratiosior fuit sanctificatio Joannis
quam Jeremiæ, sicut et ejus nativitas ac
persona propinquiores fuerant Christo :
quod et ex ipso modo loquendi sacræ Scripturæ elicitur. Non enim de Jeremia assertum est, quod Spiritu Sancto repleretur
in utero. Præterea, quum Spiritus Sanctus D
sit verus incircumscriptusque Deus, certum est quod per essentiam sit ubique.
Nihilo minus in peccatoribus esse negatur, quia per gratiam eis non inest. Pro-
Prov. XV, 29. pter quod in Proverbiis legitur : Longe est
Sap. I, 5. Dominus ab impiis; itemque : Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet
se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu. Hinc Spiritus Sanctus illis dicitur infundi et dari, quibus dona ejus ad gratiam
gratum facientem spectantia infunduntur
ac dantur, quos et inhabitat quamdiu in
caritate et gratia manent; illos vero fertur
implere, quos singulari et abundanti perficit gratia. Ideo dicit Ambrosius : Cui
Spiritus Sanctus infunditur, magnarum est
plenitudo virtutum.

Deinde efficacia doctrinæ Joannis osten-
ditur. *Et multos filiorum Israel convertet* 16
ad Dominum Deum ipsorum, id est ad
Christum, de quo protinus subditur : *Et* 17
ipse præcedet ante illum, hoc est ante
Christum : cujus fuit præcursor, ejus adventum annuntiando, ipsumque monstrando, ac aliis modis populum ad Christi
fidem disponendo, utpote baptizando, impios increpando, et omnes ad se confluentes ad virtutes hortando, prout infra in *Luc.* III, 3 *et seq.*
textu narrabitur. Per hoc autem quod angelus Christum nominat Dominum Deum
Israel, confunditur hæresis Arii, negans
quod Christus sit verus Deus; insania quoque Manichæi dicentis, alium esse Deum
legis seu Judæorum, et alium Evangelii
seu Christianorum; perfidiaque Photini,
Christum ex Maria incepisse, nec ante fuisse, dicentis. Itaque, ante Christum præcessit et suo baptismo Christi Baptismum,
sua passione Christi occisionem, suo ad
limbum descensu Christi descensum ad
eumdem, præcucurrit et præsignavit. *In
spiritu et virtute Eliæ,* id est tali gratia
et fortitudine a Spiritu Sancto concessis,
in quali Spiritus Sancti gratia et virtute
Elias fecit opera virtuosa quæ de ipso in
libris Regum scribuntur, atque secundum
Christi præcedet adventum, ut Malachias *Malach.* IV, 5, 6.
habet; vel, In spiritu prophetiæ et gratiæ,
et virtute justitiæ, quibus fulsit et vixit
Elias. Uterque equidem Propheta et eremita ac fervens zelator justitiæ fuit. Et
sicut Elias redarguit Achab regem et Jeza- III *Reg.* XVIII, 18; XXI, 20 *et seq.*
bel conjugem ejus, sic Joannes Herodem
et Herodiadem. In asperitate quoque vestitus et victus convenientiam præcipuam
habuerunt. Secundum Augustinum autem,
non ait, In anima Eliæ, quoniam animæ
non transcorporantur, sed, In spiritu et
virtute Eliæ : Spiritus enim qui fuit in

Elia, venit in Joannem, et similiter virtus A ejus.

Ut convertat corda patrum in filios, id est, Judæos sui temporis faciat Patriarchis et Prophetis olim defunctis amabiles et conformes, inducendo eos ad fidem et gratiam ac Christi Baptismum : per quæ patres illi reputabunt istos vere amandos, et corda sua convertent per amorem ad istos. Vel, per corda patrum intelliguntur veræ ac spirituales intelligentiæ Scripturarum : quas intelligentias præfati patres sortiti sunt. Tunc ergo Joannes corda patrum illorum convertit ad filios, id est ad Judæos quibus personaliter prædicavit, quando illorum spiritualem scientiam istis communicavit seu prædicavit. Rursus, patres intelligi possunt progenitores seu majores discipulorum Apostolorumque Christi : qui primo contra Evangelium sæviebant, postea vero per Joannem et Apostolos sunt conversi, et filiis suis præfatis concordes effecti. Denique, istud Elias est facturus circa secundum Christi adventum, sicut
Malach. IV, 5, 6. per Malachiam Dominus contestatur : Ecce ego (inquiens) mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis; et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum. *Et incredulos,* id est perfidos Judæos, convertet *ad prudentiam justorum,* hoc est veram sapientiam, evangelicamque doctrinam, et spiritualem intelligentiam Scripturarum, ne legem carnaliter intelligant,
II *Cor.* III, 6. nec litteram, quæ occidit, sequantur. De
Rom. VIII, 6. qua prudentia ad Romanos asseritur : Prudentia spiritus vita et pax. Sed et vera discretio, prudentia est justorum, qua Deo rationabiliter obsequuntur, juxta illud Apo-
Ibid. XII, 1. stoli, Rationabile obsequium vestrum.

Quid autem sit ita convertere corda patrum in filios, atque incredulos ad justorum prudentiam, subditur : *parare Domino plebem perfectam.* Per hanc instructionem seu illuminationem et conversionem Judæorum, eos disponit ad evangelicæ legis observantiam stabilem et sinceram, per quod fiant plebs Christi perfecta. Quod maxime fuit impletum in Judæis post Christi ascensionem et Paracleti missionem per Apostolos in Jerusalem conversis, qui, sicut in Actibus Apostolorum habetur, Deo perfectissime servierunt : ad quam conversionem Joannes dispositive fuerat operatus. (*Act.* II, 41-47; IV, 32, etc.) Nam multos illorum qui per Apostolos fuerunt plene conversi, ipse aliquo modo convertit, et ad fidem Christi disposuit, (*Luc.* III, 3-18.) Christum venisse docendo, atque in nomine Christi venturi baptizando. Aliqui quoque ex Joannis discipulis Christo se con-
B junxerunt, sicut Andreas, et facti sunt (*Joann.* I, 40.) plebs Christi perfecta. Hinc infra Zacharias loquitur ad Joannem : Præibis ante (vers. 76, 77.) faciem Domini parare vias ejus, ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum. Multi equidem per prædicationem Joannis crediderunt in Christum, quamvis postea circa Christi passionem atque in ea fuerint per sacerdotes, Scribas et Pharisæos seducti, et a Christo aversi : qui rursus misso Spiritu Sancto per Apostolos plenissime sunt con-
C versi.

Et dixit Zacharias ad angelum : Unde 18
hoc sciam? id est, quo signo cognoscam certissime vera esse quæ promisisti? Mos etenim erat Judæis, audito aliquo admirando, quærere signum certificans, scilicet supernaturalem effectum, quo Deus testaretur seu declararet verum esse quod dicebatur, ut patet in Gedeone, Ezechia et aliis multis. (*Judic.* VI, 17; IV *Reg.* XX, 8.) Hæc autem locutus est Zacharias dubitando, quia non ad Dei omnipotentiam, sed ad naturæ cursum, natura-
D lemque ordinem et causalitatem respexit, sicut sequentia pandunt eloquia. *Ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis :* quasi dicat, Præ senio steriles sumus. Non videtur Zacharias fuisse ambiguus de angeli qualitate, an scilicet fuerit spiritus bonus, an nequam : imo cognovit quod esset angelus lucis, quia in sacro loco ac cultu divino apparuit, tamque salubria nuntiavit, Dei honorem et communem salutem concernentia ; et ex modo loquendi ac consolandi, quem ha-

buit angelus, hoc ipsum pensavit. Quum
ergo ista cognoverit, culpabile fuit quod
discredens expetiit signum : ideo repre-
henditur et punitur, tamen piissime.
19 *Et respondens angelus, dixit ei : Ego*
Dan. x, 13, 20. *sum Gabriel,* de quo in Daniele legisti,
quam fidelis sim populi tui adjutor : idcir-
co de veritate verborum meorum ambige-
re non debebas ; *qui adsto ante Deum,* id
est, vultui Dei incessanter intendo, et quor-
sum versus processero, a beatifica Divini-
tatis contemplatione nusquam avertor, ne-
que recedo : ideo adsto ante Deum, tanquam
ad obediendum paratus, atque in bono im-
mobiliter confirmatus, et invariabili Deo
stabiliter inavertibiliterque intentus : pro-
pterea mentiri non valeo. Hoc modo omnes
angeli sancti Deo adstare dicuntur. Inter-
dum vero Adstare sive Adsistere, strictius
sumitur, prout egressionem seu emissio-
nem ad exteriora officia seu ad viatores
excludit. Sicque superiorum ordinum an-
geli Deo adsistere, inferiorum ministrare
Ibid. vii, 10. dicuntur, juxta illud Danielis : Millia mil-
lium ministrabant ei, et decies millies cen-
tena millia adsistebant ei. Sumendo autem
Adstare primo modo, etiam apud Tobiam
Tob. xii, 15. angelus quidam fatetur : Ego sum (inqui-
ens) Raphael angelus, unus ex septem qui
adstamus ante Deum. In Apocalypsi habe-
Apoc. i, 4. tur : Gratia vobis et pax a Deo, et a septem
spiritibus qui in conspectu throni ejus
Job i, 6; ii, 1. sunt. Sic demum scriptum est in Job, Fa-
ctum est quum quadam die venissent filii
Dei ut adsisterent coram Domino : quod
ibi de inferioribus angelis dicitur.
Et missus sum loqui ad te, et, pro id
est, *hæc tibi evangelizare :* quod est bo-
num quid annuntiare. Itaque, si missus
fuit a Deo, stetitque realiter coram Zacha-
ria in templo, quomodo pro eodem tem-
pore fuit adstans ante Deum ? Qui enim
adstat ante Deum, videtur esse in cœlo :
angelus autem in pluribus locis simul esse
non potest. Et respondendum, quod Deus
tanquam immensus ubique est : unde ut
mens creata ei adsistat seu adstet, non
oportet quod ipsa in cœlo sit ; imo quo-
A cumque vadat, veniat vel exsistat, intra
incircumscriptibilem Deum manet, cui om-
nis ille adstare asseritur, qui ei prompte
obsequitur, aut contemplando infigitur.
Contemplatio autem certum non exigit lo-
cum. Hinc ait Psalmista : Mane adstabo Ps. v, 5.
tibi et videbo.
Et ecce. Per hanc vocem, Ecce, adverbi- 20
aliter, demonstratur aut insinuatur notabi-
le esse quod dicitur seu monstratur. *Eris
tacens,* ita quod usu loquendi carebis, *et
non poteris loqui,* quia et facultatem lo-
B quendi amittes. Eratque facile angelo in-
strumenta loquelæ taliter immutare, quod
verba formari non poterant, sicut in Gene-
si legitur, angelum tetigisse nervum Ja- Gen. xxxii, 25, 31.
cob, qui protinus claudicavit. *Usque in
diem quo hæc fient,* id est usque ad diem
nativitatis, vel potius circumcisionis pueri,
quando vocatum est nomen ejus Joannes,
ut dixerat angelus. Non enim Zacharias lo-
quelam recepit ante diem circumcisionis
Joannis, ut infra describitur. Itaque ange-
lus Deo sibi inspirante, dedit Zachariæ si-
C gnum ut petiit, sed non tale quale optavit :
et juste atque utiliter signum pœnale ac
instructivum ad fidem sumit in subtracti-
one loquelæ, ut qui discredendo fuit locu-
tus, tacendo disceret esse verbis cœlesti-
bus credulus. Nempe, ut ait Chrysostomus,
dum Deus aliquid indicat, oportet illud in
fide suscipere : nam super hujuscemodi
disceptare, contumacis est animæ. Itaque
signum istud in quantum fuit pœnale, da-
tum est Zachariæ in pœnam suæ incredu-
litatis, ut subditur : *pro eo quod non cre-
D didisti verbis meis, quæ implebuntur in
tempore suo,* id est tempore congruo, di-
vinitusque præfixo, juxta illud Sapientis :
Omnia tempus habent, et suis spatiis trans- Eccle. iii, 1.
eunt universa sub sole. Verumtamen pu-
tandum non est, quod Zacharias putaverit
verba angeli esse falsa ; nec penitus fuit
incredulus, sed partim discredens atque
ambiguus, nimis convertendo se ad natu-
ralium cursum ordinemque causarum, non
ad considerationem omnipotentiæ Dei, et
certitudinem nuntii.

21 *Et erat plebs exspectans Zachariam :*
quia ut dictum est, foris mansit in atrio,
nec Sancta ingredi potuit, neque recedere
debuit, donec completo sacrificio, sacerdos
qui pro ipsis oravit, egrederetur. *Et mira-
bantur quod tardaret ipse in templo* præ-
ter solitum. Non enim consuetum fuit tam
diu insistere tali sacrificio, et causam di-
22 lationis ignoraverunt. *Egressus autem* de
templo, et loco altaris incensi, *non poterat
loqui ad illos, et cognoverunt quod visio-
nem vidisset,* id est, cœlestem apparitionem
seu angelicam revelationem habuisset, *in
templo.* Hoc etenim consideraverunt ex
mora præfata, et mirabili vultus sui alte-
ratione ex colloquio angeli, ex amissione
quoque loquelæ. Voluit enim Deus sciri a
populo quod ei angelus apparuisset, qua-
tenus postea cognita plenius veritate, et
qualiter angelus nativitatem prænuntias-
set Joannis, populus jam inciperet disponi
ad fidem adventus Messiæ, quem et Zacha-
rias iste utique prædicavit venisse. Unde
Sap. VIII, 1; XII, 15. et supersapientissimo Deo omnia optime
moderante ac dispensante, permissus est
Zacharias incredulitatem incidere ; atque
loquela privatus est, quatenus fama Joan-
nis cordibus Judæorum tenacius ac cele-
brius infigeretur, sicque postea testimoniis
ejus de Christo celerius crederent. *Et ipse
erat innuens illis,* id est, visibili signo seu
nutu indicavit eis, ut essent contenti atque
abirent, et forte, quod aliquid sibi divini-
tus contigisset ; *et permansit mutus* usque
in diem circumcisionis Joannis. Ita et qui-
libet obmutescere debet, facta sibi reve-
latione superna, nec illam mox prodere,
quousque Deus eam voluerit aliis pandi.
23 *Et factum est, ut impleti sunt dies officii
sui,* id est completa hebdomada qua mini-
stravit in templo, infra quam mansit, ut
dictum est, circa templum, *abiit in do-
mum suam,* quæ, ut legitur, non fuit in
civitate Jerusalem, sed in alia quadam.
Quum ergo sacerdotes veteris legis, quo-
rum sacerdotium vile, carnale, ac typi-
cum fuit, respectu sacerdotii Christi seu
evangelicæ legis, ita ab ingressu propria-
rum domorum, ab accessu quoque legiti-
marum abstinuerint conjugum, atque circa
templum manentes, puritati ac devotioni
ita vacaverint tempore sui officii, quam
damnabiles et scelerati sunt sacerdotes
jam Christi, qui vel quotidie vel frequen-
ter sacramenta Christi contrectant, aliis-
que ministrant et celebrant, et tamen car-
nalibus vitiis inquinantur, et non suis
miscentur !

Post hos autem dies, scilicet Zacharia 24
in domum suam reverso, *concepit Elisa-
beth uxor ejus :* quæ vel per revelationem
supernam, vel per signa mariti, vel alio-
rum relatu cognovit, quod vir suus visio-
nem vidisset, et non ex carnalis voluptatis
amore aut propria motione, sed desiderio
prolis, et ex inspiratione divina, eam in
tanta senectute accederet : idcirco reniti
non debuit. Concepit autem, secundum ex-
positores, mense Septembri, octavo calen-
das Octobris, luna undecima, in æquino-
ctio autumnali. *Et occultabat se mensibus
quinque, dicens : Quia sic fecit mihi Do-* 25
minus, id est, fecunditatem hanc superna-
turaliter mihi donavit, *in diebus* senii mei,
quibus respexit, id est, suo pio, omnipo-
tenti, causalissimoque respectu dignatus
est *auferre opprobrium meum inter homi-
nes,* id est confusionem quæ mihi ab ho-
minibus imminebat, eo quod sterilis es-
sem. Sterilitas quippe in lege maledictioni *Deut.* VII, 14.
subjacuit : non quod infecundi essent apud
Dominum maledicti, quum nec Elias nec
Jeremias viri sanctissimi duxerint conju-
ges ; sed maledictio illa fuit quoddam hu-
manum opprobrium, quoniam pudor fuit
conjugatis, nuptiarum fructu carere. Imo
Ambrosius ait : Pudor est feminis nuptia-
rum præmia non habere, quibus hæc sola
est causa nubendi. Hoc tamen pro tempore
gratiæ ita intelligendum non est, quasi non
sit conjugatis magis meritorium amore Dei
et castitatis penitus continere, quam pro-
les generare, sed quia homines reputant
inhonestum in matrimonio prolem non
procreare. Apud Deum vero quædam ste-
rilitas felix asseritur, juxta illud Sapien-

Sap. III, 13. tis : Felix sterilis et incoinquinata, quæ nescivit torum in delicto.

Denique, quamvis sancta Elisabeth læ-
tata sit valde de conceptione filii tam illu-
stris, et quod supernaturaliter fecunda ef-
fecta est, itemque, quia consideravit quod
filius nasciturus esset magnæ perfectionis
futurus, et quia a nota sterilitatis fuerat
liberata; erubuit tamen, quod in senectute
sua acciderit istud, quando de lege com-
muni non est tempus commixtionis, prout
Eccle. III, 5. in Ecclesiaste scriptum est : Tempus am-
plectendi, et tempus longe fieri ab ample-
Gen. XVIII, 12. xibus. Sic et Sara ait in Genesi : Postquam
consenui, et dominus meus vetulus est,
voluptati operam dabo? tanquam diceret,
Indecens est. Verum divina voluntas nulla
lege præstringitur, nullo ordine coarcta-
tur, sed omnis legis et ordinis causa su-
pertranscendit : ideo quidquid jusserit, bo-
num, justum, et decens est, quocumque
tempore id agi mandaverit. Itaque ex pu-
dore seu erubescentia occultavit se Elisa-
beth mensibus quinque, scilicet donec be-
atissima virgo Maria conciperet, et proles
Elisabeth exsultans in gaudio prophetaret,
ut Origenes exponit.

Porro, hoc loco ostendit Ambrosius, homines quosdam incontinentes, feminas imprægnatas et gravidas cognoscere non erubescentes, esse pecoribus irrationabiliores

A ac turpiores. Sunt enim pecora, quæ muto quodam opere quasi loquuntur generandi sibi studium esse, non desiderium coeundi. Siquidem ubi semel gravem sibi senserint alvum, jam concubitum non admittunt, nec amantis lasciviam, sed curam parentis assumunt. Porro homines nec conceptis fetibus, nec Deo parcunt; illos contaminant, hunc exasperant. Ad cohibendam petulantiam tuam, manus tui Creatoris in utero fetum formantis adverte. Ille operatur ibidem, et tu uteri illius secretum
B incestas libidine : vel pecudem imitare, vel Deum verere. — Postremo, ex hoc loco Ambrosius et Beda eliciunt, quantæ curæ fuerit verecundia Sanctis : quia et ipsa Elisabeth de re bona ac licita in tantum erubuit, quod quinque se mensibus occultavit, eo quod res quæ sibi acciderat, apud ignorantes speciem habere potuit mali. Nempe, ut ait Ambrosius, unicuique officio præscripta est ætas, et quod uno tempore decet, alio tempore non decet : suntque tempora quædam præscripta conjugio,
C quando dare operam liberis procreandis decorum sit, dum anni vigent, et spes prolis exsistit; ubi vero matura senectus successerit, pudor est gestare indicia coitus, quamvis legitimi, gravarique onere alienæ ætatis, et tumescere alvum non sui temporis fructu.

ARTICULUS III

PROSECUTIO EXPOSITIONIS HUJUS CAPITULI PRIMI, AB EO LOCO QUO HABETUR : IN MENSE AUTEM SEXTO, MISSUS EST ANGELUS GABRIEL.

PRÆCURSORIS annuntiatione et conceptione descriptis, tanquam quibusdam præambulis, nunc Salvatoris annuntiatio atque conceptio describuntur. Tanta siquidem miraculorum excellentia Præcursorem Deus ornavit in sua annuntiatione, nativitate, ut testimonia ejus de Christo

D credibiliora consisterent : quæ et ideo describuntur, ut quæ de Christo leguntur, certius firmiusque credantur.

In mense autem sexto a conceptione Jo- 26
annis, qui conceptus dicitur circa finem
Septembris. Christus autem circa finem
Martii, scilicet vicesima quinta die ejus,

nuntiatus, conceptus et passus est, secundum Bedam. Martius vero a Septembri est sextus, non computando minutias ultimæ partis Septembris, scilicet octo ultimos dies ipsius, infra quos Joannes conceptus est : qui et hic non computantur, quia consuetudo Scripturæ est, non facere vim in minutiis numerorum ac temporum. *Missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem*
27 *Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis Maria.* Summum atque dignissimum descripturus mysterium sacer Evangelista, videlicet unigeniti Filii Dei beatissimam ac benedictissimam incarnationem, omnia ordinatissime ac distincte prosequitur, cunctaque plane elucidat, ut eadem audientes sive legentes, illa quæ gesta sunt quasi præsentia oculis animi proponamus, atque cum summa attentione, devotione, distinctione, singula quæque pensemus : quatenus in recordatione tam ineffabilis beneficii Dei super nos, cordialiter accendamur, intime Deo regratiemur, et nostræ salvationis modum atque historiam mente pura ac jucundissima recolamus.

Itaque, circa descriptionem incarnationis Filii Dei, primo commemorat nuntium, quod non homo aut vates, sed *angelus* fuit : quem etiam nominatim expressit, quod *Gabriel* exstitit, de quo jam dictum est. Qui in veteri Testamento legitur Danieli apparuisse ; cui superior angelus, scilicet Michael princeps tunc Synagogæ, locutus est : Gabriel, fac intelligere istum, scilicet Danielem, visionem. (*Dan.* VIII, 16.) De quo Gabriele Daniel ait : Quumque adhuc orarem, ecce vir Gabriel cito volans tetigit me in hora sacrificii vespertini. (*Ibid.* IX, 20, 21.) Hunc angelum docet Evangelista immediate missum a Deo uno ac trino, non (ut fieri solet) ab angelo superiori, quemadmodum Zacharias propheta accidisse testatur : Ecce angelus qui loquebatur in me, egrediebatur, et alius angelus egrediebatur in occursum ejus, et dixit ad eum : Curre et loquere ad puerum istum. (*Zach.* II, 3, 4.) Missum, inquam, *in civitatem Galilææ* nomine *Nazareth.* Per quod illud Isaiæ de Christo prædictum monstratur impletum : Nazaræus de radice ejus ascendet. (*Is.* XI, 1.) Sic enim Hebraica continet veritas, sicque allegat Matthæus : pro quo Hieronymus transtulit, Flos de radice ejus ascendet. (*Matth.* II, 23.) Apte quoque in Galilæa, non in Judæa, nuntiatus est Christus, ad designandum quod Christus relicta Judæa, transmigraturus fuit ad gentes, convertendo illas ad fidem per apostolicam prædicationem. Galilæa etenim, transmigratio interpretatur.

Denique, *missus est ad virginem desponsatam viro* nomine *Joseph.* Cur autem de virgine desponsata voluerit Christus nasci, multæ rationes traduntur : quæ quia in omnium commentariis leguntur, prætermitto, quasdam brevissime solum tangendo, videlicet : ne pudicissima Virgo de fornicatione diffamaretur, et ne Christus de fornicaria natus diceretur. Itemque, ne Judæi eum juste contempsisse quasi illegitime genitum viderentur ; et ut diabolus minorem haberet occasionem æstimandi quod Jesus esset Messias, eo quod de conjuge viri esset exortus, quem noverat de virgine nasciturum. Postremo, ne virgo Maria tanquam adultera lapidaretur, quia et de sacerdotali fuit prosapia. Puella quippe illius prosapiæ fornicans, tanquam adultera lapidabatur, ut patet in Levitico. (*Lev.* XXI, 9; *Deut.* XXII, 20, 21.) *Nomen* quoque *virginis* fuit *Maria :* quæ interpretatur maris stella, quoniam ipsa luce a se prodeunte seu nata mundum hunc illustravit. Maria quoque interpretatur amarum mare. Ipsa nempe non solum in Christi passione, sed et ante frequenter, amaritudine maternæ compassionis, angustiæ, et timoris fuit repleta, sicut et infra habetur : Tuam ipsius animam pertransibit gladius. (*Luc.* II, 35.) Sicut enim amarissime torquebatur, videns Filium crucifigi, sic frequentissime affligebatur, considerando hunc crucifigendum, atque videndo persecutiones ipsius. Rursus, Maria interpretatur domina : et ipsa utique est cœli regina, domina mundi, quoniam Genitrix Dei.

Fuit autem sponsus Virginis castissimus Joseph, *de domo,* id est semine, tribu, seu familia, *David :* de qua tribu fuit etiam Virgo beata. Viri enim mulieribus suæ tribus matrimonialiter jungebantur : præsertimque feminæ in parentum hereditate succedentes, non poterant nubere nisi viris suæ tribus, ne sortium distributio confunderetur. Virgo autem gloriosa unica fuit suo patri : propter quod ei in hereditate successit.

Num. XXXVI, 6-10.

Præterea contemplandum quomodo Christus in omnibus quæ abjecta videntur et humiliora elegit. Unde non in Jerusalem civitate metropoli, sed in oppido Nazareth concipi voluit, ut non humana potestate, sed divina virtute, christiana religio agnoscatur firmata ac introducta. Sed et ipsa Galilæa tam despecta fuit Judæis, ut principes dicerent Nicodemo : Scrutare Scripturas, et vide quia a Galilæa non surgit Propheta. Hoc insuper mirabile fuit, quod mundo persuaderi potuit hanc virginem esse, quæ tot annis viro cohabitavit. Denique istud dignationis erat eximiæ, quod Unigenitus Dei eodem angelo annuntiante concipi voluit, quo annuntiante conceptus fuit ejus præcursor, et quod non aliquem aut aliquos de summo ordine angelorum ad tanti mysterii denuntiationem transmisit. Ex quo etiam S. Thomas et alii multi concludunt, quod superiorum ordinum angeli ad exterius ministerium nunquam mittuntur, quum angelus hujus summæ rei nuntiator de choro Archangelorum exstiterit. Quum enim Unigenitus Patris æterni in mundum descenderit, nostramque naturam assumpserit, ut in omnibus verbo et opere humilitatem doceret, ac per eam nos ad veram salutem reverti oportere instrueret, non supremi ordinis agmina ad suam incarnationem misit denuntiandam, sed uno ac consueto nuntio fuit contentus.

I Cor. I, 27, 28. *Joann.* VII, 52.

Postremo S. Bernardus circa hunc locum sentire videtur, quod angeli sancti mysterium Incarnationis ignoraverunt, ita quod consilium Dei super humani generis salvatione per Verbi incarnationem, nulli patuerit angelorum priusquam Gabrieli hæc legatio dominicæ annuntiationis committeretur. Et id quidem etiam quibusdam Catholicis tempore Bernardi displicuit ; et Hugo de S. Victore hinc scripsit Bernardo, ut de hoc intentionem suam plenius aperiret. Cui sanctus Pater rescripsit plenissime ac diserte : Primo, quod verbum illud non asserendo protulerit. Secundo, quod et si asserendo id protulisset, nihilominus stare posset : quia intelligi posset, non de ipso mysterio seu ejus substantia secundum se, nam hoc Prophetis dudum per angelos fuerat revelatum ; sed de mysterio Incarnationis, quantum ad aliquas ejus conditiones, certasque circumstantias, puta quantum ad locum, tempus, modum, personam, ut quod de hac Virgine et hac hora Verbum incarnaretur. — Itaque advertendum, quod (ut S. Thomas determinat) mysterium Incarnationis, videlicet quod Unigenitus Dei humanam esset assumpturus naturam, cunctis angelis a principio felicitatis eorum innotuit quoad substantiam mysterii, atque in generali, non autem quantum ad determinatas conditiones, sive in speciali. Omnia namque angelorum ministeria ad incarnationem Verbi potissimum ordinantur : omnes autem sunt administratorii spiritus. Idcirco de isto mysterio omnes a principio communiter sunt edocti ; sed postea, quantum ad circumstantias ejus, in ipsius distinctiori notitia profecerunt, imo, ut septimo capitulo Cœlestis hierarchiæ divinus et sanctus Dionysius scribit, a Christo tempore ascensionis inde plenius sunt instructi. Sicque potest salvari, quod super Genesim ad litteram loquitur Augustinus : Sic erat absconditum istud mysterium, ut nec angelis innotuerit.

Hebr. I, 14.

Insuper, juxta Gregorium, congrue ad Mariam Gabriel mittitur, qui Dei fortitudo interpretatur, quoniam Christum Dei virtutem et sapientiam, qui potestates superavit aerias, nuntiavit jam incarnandum. Rursus, secundum Bedam, angelum ad Virginem a Deo mitti condecuit, ad denunti-

I Cor. I, 24.

andum Salvatoris adventum, quoniam in Gen. III, 1. principio serpens a diabolo mittebatur ad feminam ad inducendum mundi interitum. Præterea, Christum totius puritatis et integritatis auctorem, corruptorumque et confractorum reformatorem, decuit nasci de virgine integerrima atque purissima, et ut designaret membra sua de virgine Ecclesia spiritualiter nascitura seu regeneranda. Postremo, secundum Hieronymum, bene ad virginem mittitur angelus, quoniam angelis semper cognata est virginitas, et in carne præter carnem vivere, non terrena et humana, sed cœlestis atque angelica vita est.

28 *Et ingressus angelus ad eam :* non dubium quin in locum secretum, ubi illa sanctissima contemplationi et orationi vacavit, forte in thalamo seu oratorio; estque probabile, quod tunc devotissime pro totius humani generis salvatione et Christi adventu oravit; *dixit,* cum ingenti reverentia ac humili apparatu sacratissimam Virginem Dei sui mox Genitricem futuram salutans, imo et dignitatem ejus admirans: *Ave, gratia plena,* id est, gratia habituali gratum faciente, ejusque charismatibus ac donis, virtutibus quoque ei annexis, præeminenter repleta. Fuit ergo jam septem donis Spiritus Sancti excellenter valde ornata, virtutibus theologicis mirabiliter decorata, virtutibus cardinalibus ac moralibus eleganter fulcita, variis quoque donis gratiæ gratis datæ polita, atque in omnibus his protinus multo amplius adimplenda. *Dominus,* Trinitas superbenedicta, *tecum,* tanto singularius, quanto gratiosius. Quo enim gratia Virginis exstitit plenior, eo consistentia Dei in ea fuit singularior atque præclarior. Dominus vero Unigenitus Dei mox fuit cum ea, et in ea singularissimo ac eminentissimo modo futurus, utpote corporaliter quieturus in medio virgineorum viscerum ejus, verus et unicus Filius ejus.

Benedicta tu in mulieribus, id est, præ omnibus amplius benedicta, quia magis electa, majoribus gratiæ donis referta, et A quodammodo quasi infinita dignitate mox sublimanda in Filii Dei conceptione. Etenim esse comparentalem Patri æterno, verum Deum habere Filium, illum concipere, parere et fovere, a quo Spiritus Sanctus verus Deus procedit, omnium creatorem salvatoremque unicum fructum filialem habere, nonne quodammodo infinita est dignitas? Rursus, esse matrem et virginem, nec hoc tantum, sed esse matrem talis tantique filii et virginem, nonne tanto exstat sublimius, quanto et singu- B larius? Si magna perfectio exstat causalitas, quanta perfectio est esse causam seu genitricem causæ causarum? Et mater utique causa est filii. Porro quum benedictio Dei sit collatio munerum ejus, et multiplicatio eorumdem, tanto benedictior est Maria, quanto majora ac singulariora divinitus sortita est dona. Ipsa quoque tam magnifice ab angelo salutatur, non solum ob id quod tunc fuit, sed ob id quod mox erat futura, quodque in prædestinatione fuit æterna.

C *Quæ quum audisset, turbata est in sermone ejus,* 29 hoc est in tam excellenti, inopinata, et antea nusquam audita salutatione angelica. Turbatio ista nec imperfectionis fuit, nec culpæ, sed admirationis ac verecundiæ virginalis. Fuitque vehemens quædam immutatio, concussio sive commotio potentiæ affectivæ. Nempe quum Virgo sacratissima in oculis suis minima esset, ac laudabiliter pudorata, vehementissime de tanto suo mirabatur præconio, seque laudari, et cunctis præferri mulieribus eru- D buit atque obstupuit, eo utique amplius, quo minus de se tale aliquid suspicabatur aut sentiebat. Quo enim fuerit homo humilior, eo sua laudatio et exaltatio sibi ipsi mirabilior, et sæpe gravior quoque videtur. Hujuscemodi sancta turbatio, excellentiori etiam modo fuit in Christo, juxta illud Joannis : Jesus ut vidit Mariam, Joann. XI, 33. scilicet Magdalenam, plorantem, infremuit spiritu, et turbavit se ipsum. Et alio loco ipsemet protestatur : Nunc, inquiens, ani- Ibid. XII, 27. ma mea turbata est. Est autem et alia tur-

batio immoderata et vitiosa, quieti pacique A
mentis contraria, rationis impeditiva, quæ
longe fuit a Christo et Virgine præele-
cta : imo de hac turbatione loquendo, la-
borare debemus habere animum impertur-
batum. — Præterea considerandum, quod
sancta Maria in sermone angeli fertur tur-
bata, non in visione ipsius, quia (ut dici-
tur) solita erat conspicere angelos. Verum-
tamen aliqui probabiliter adstruunt, quod
angelus vice hac apparuit ei cum lumine
multo præclariore, apparatu ac habitu ve-
nustiore, secundum quod magnitudo cau- B
sæ suæ legationis exegit, ideoque aliqua-
liter turbata in ejus apparitione exstiterat.

Et cogitabat qualis esset ista salutatio.
Non dubitavit quin esset vera, et vere an-
gelico ore prolata. Non enim caruit gratiosa
Puella gratia discretionis spirituum. Cogi-
tabat tamen qualis esset, quid prætende-
ret, quo tenderet, cur exhibita esset : et id
fuit prudentiæ, quod sic cogitavit. Nec sta-
tim respondit, tam magnifica salutatione
reputans se indignam, quia consideravit
se secundum id quod fuit in se, et quod C
habuit ex se. Juxta quem modum ait Apo-
I *Cor.* xv, 9. stolus, Non sum dignus vocari Apostolus ;
I *Tim.* I, 15. et, Venit Jesus Christus peccatores salvos
facere, quorum ego primus sum : nihilo
I *Cor.* IV, 4. minus ait, Nihil mihi conscius sum ; et,
II *Cor.* XII, 11. Nihil minus feci ab his qui sunt supra mo-
dum Apostoli : illud sibi et propriæ volun-
tati, istud Deo et gratiæ ejus attribuens.
De eadem enim re secundum diversas ejus
considerationes, diversa feruntur judicia.

30 *Et ait angelus ei : Ne timeas, Maria.*
Nominatim pudicissimam Virginem expri- D
mit, ejus teneritudini, turbationi, virgineo-
que pudori quasi compatiens, et blande
ac familiariter alloquendo eamdem conso-
lans. Quamvis ergo timor et pudor Mariæ
non fuerunt culpabiles, imo laudabiles ;
tamen abjiciendi monentur, ut meliores
diviniores que actus succedant, videlicet
contemplatio cœlestium secretorum, gra-
tiarum actio pro eisdem, tranquillissima
quoque serenitas mentis in Deo. Cur au-
tem timere non habeat, subditur : *Inveni-*
sti enim gratiam apud Deum, hoc est, Deo
accepta et placita ei es inventa, pietatem
quoque et gratiam quam ab eo quærebas,
adepta es, imo et amplius multum.

Ecce rem novam et magnam, *concipies* 31
in utero, hoc est, fecundaberis sine virgi-
nalis reseratione signaculi, operante in te
virtute Spiritus Sancti, *et paries filium* tui
ipsius Creatorem, omniumque filiorum ho-
minum Salvatorem ; *et vocabis nomen ejus*
Jesum. Cujus appellationis Christi ratio-
nem angelus Joseph exposuit, dicens : Ipse *Matth.* I,
enim salvum faciet populum suum a pec- 21.
catis eorum. Jesus enim, salvator, salus,
aut salutaris interpretatur. Hinc de sua
nuncupatione ait Filius de Patre per Isa-
iam : Dominus ab utero vocavit me, de *Is.* XLIX, 1.
ventre matris meæ recordatus est nominis
mei. Denique, hujus Jesu Domini nostri re
et nomine figura fuerunt, Jesus filius Na- *Eccli.* XLVI,
ve, alias Josue et Osee dictus ; itemque Je- 1; *Num.* XIII, 9, 17.
sus filius Josedec pontifex. Nam ille filios *Agg.* I, 1.
Israel in terram promissionis induxit, iste
in spiritualibus præfuit : ita et Jesus nunc
spiritualiter præsidens cordibus electorum,
eos in terram Ecclesiæ militantis ac tri-
umphantis perducit.

Hic erit magnus. Nam secundum divi- 32
nitatem, ab æterno fuit, incommutabiliter
est, indeficienterque erit magnus, non mo-
le, sed perfectione, potestate, et dignitate ;
atque tam magnus, ut dicat Psalmista :
Magnus Dominus et laudabilis nimis, et *Ps.* CXLIV, 3.
magnitudinis ejus non est finis. Porro se-
cundum naturam humanam, non differt
ab aliis hominibus quantum ad essentialia
speciei ; sed per dona gratiæ hypostaticam-
que unionem suæ humanitatis cum Verbo,
tantæ est magnitudinis, dignitatis, et per-
fectionis, ut major sit toto universo seu
omni creatura intellectuali ac inferiori. Un-
de ob hanc magnitudinem etiam in utero
matris, vir fuit, juxta illud Jeremiæ : No- *Jer.* XXXI,
vum creavit Dominus super terram : Femi- 22.
na circumdabit virum. *Et Filius Altissi-*
mi vocabitur, non adoptivus ut ceteri, sed
naturalis, coæternus, unicus, coæqualis,
juxta illud : Dominus dixit ad me, Filius *Ps.* II, 7.

Ps. CIX, 3. meus es tu; et rursus, Ex utero ante lu- A
ciferum genui te. Unde tam Patrem quam Filium ineffabilem esse Salomon docens, *Prov.* XXX, 4. ait : Quod nomen ejus, et quod nomen filii ejus, si nosti? Nec obstat, quod nunc vocari jubetur Dei Filius Jesus. Non enim Salomon ideo illa ait, quod Pater et Filius omni careant nomine, sed quia deficit omne nomen, prout nos illud comprehendere possumus, a superbenedicta et superviventi et superessentiali dignitate Patris ac Filii, defectu immenso. Nec aliud de majestate Spiritus Sancti quis sentiat. B

Et dabit illi, secundum humanam naturam, *Dominus Deus,* Pater æternus, seu tota Trinitas adoranda, cujus indivisa sunt dona ac opera, *sedem,* hoc est regiam dignitatem ac potestatem, *David patris ejus,* hoc est, quam David in typo habebat. Quidquid enim potestatis et eminentiæ fuit in David, multo sublimius datum est Christo *Matth.* XXVIII, 18. homini, secundum quod ait : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Hinc Christus vere rex Israel fuit, plenariamque potestatem super Judæos accepit in spiri- C
tualibus ac corporalibus, quamvis ea quantum ad temporalem ac corporalem præsidentiam usus non fuerit. Propter quod *Joann.* XVIII, 36. dixit Pilato : Regnum meum non est de *Ibid.* VI, 15. hoc mundo. Et quum vellent eum Judæi facere regem, fugit. *Et regnabit in domo Jacob,* hoc est in cordibus verorum ac electorum Israelitarum, non solum corporaliter a Jacob patriarcha descendentium, sed omnium quoque ejus virtutes sequentium, *in æternum :* puta, in via per dona gratiæ et per suos vicarios præsidet Chri- D
stus fidelibus, et regnat in eis qui suæ obediunt legi, in patria autem per dona
33 gloriæ et per se ipsum. *Et regni ejus non*
erit finis. Sive regnum dicatur plebs fidelis, puta Ecclesia, quæ frequenter regnum cœlorum vocatur, sive dominium Christi in ea, sive triumphans Ecclesia, vel præsidentia Christi in ipsa : constat quod regni ejus non erit finis. Nam status Ecclesiæ militantis usque in finem mundi durabit : quo hic finem sumente, transferentur electi ad patriam, in qua finis divinæ gubernationis non erit. — Hæc eadem per Isaiam prædicta noscuntur : Super solium (inquit) *Is.* IX, 7. David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud in judicio et justitia, amodo et usque in sempiternum. Etenim de Christi principatu super Judæos, Ezechiel, *Ezech.* XXXIV; *Jer.* XXIII; *Zach.* VIII. Jeremias, Zacharias, ceterique Prophetæ concorditer sunt locuti.

Dixit autem Maria ad angelum : Quo- 34
modo fiet istud, quod scilicet Filium Dei concipiam, *quoniam virum non cognosco,* hoc est, nequaquam cognoscere decrevi, et vovi quantum in me est? Jam enim, ut dicunt doctores, virginitatem promisit, tamen sub honestissima conditione, utpote nisi Deus aliter de ea disponeret. Aliqui vero affirmant, quod antequam desponsaretur, habuit virginitatis custodiam in proposito et affectu, non tamen promisit; postea autem desponsata Joseph simile habenti propositum, simul cum ipso votum emisit. Quærit autem de modo, non de facto secundum se, quia non dubitavit, sed de virginitatis observatione sollicita, sciscitata est operis modum. Verumtamen, teste Ambrosio, legit Maria illud Isaiæ, Ecce vir- *Is.* VII, 14. go concipiet; modum vero non legit. Ex quo concluditur, quod litterata fuit, et in lege atque Prophetis humano quoque studio erudita. Nam et Origenes testatur, quod legis habebat scientiam.

Et respondens angelus, dixit ei : Spiri- 35
tus Sanctus superveniet in te : hoc est, non naturali via, non virili concursu, non potestate angelica, sed superveniente, id est de- superveniente et supra id quod nunc contulit tibi, tunc abundantius influente Spiritu Sancto, concipies, quia ipse te fecundabit, ex tuis purissimis sanguinibus corpus Verbo Dei aptando, formando, et subito organizando : quemadmodum per Zachariam ait, Ego cælabo sculpturam *Zach.* III, 9. ejus. Unde ad innuendum quod Christus de matre sit editus, viro eam non fecundante, sed virtute cœlesti in ea agente, scriptum est in Isaia : Ascendet coram eo *Is.* LIII, 2. sicut virgultum, et sicut radix de terra si-

tienti. Quod autem ibidem loquatur ad litteram Isaias de Christo, certum est omni capitulum illud rite pensanti. *Et virtus Altissimi,* hoc est omnipotens Deus Pater, *obumbrabit tibi,* id est, suam potestatem immensam tuæ capacitati contemperabit, ut ejus influentiam ferre queas. Itaque, non secundum plenitudinem suæ claritatis immensam tibi irradiabit, sed velut umbram suæ resplendentiæ causans in te, effectum suæ potestatis exercebit in te proportionabiliter ad tuam declivitatem, faciendo in te immediate per se, quod in aliis efficit per viri causalitatem seu formativam virtutem. Verba hæc ab aliis multipliciter exponuntur, sed quæ in omnium commentis satis leguntur, præterire decrevi. Quod autem Spiritus Sanctus superveniat non locum mutando, sed influendo, ac operando, certissimum reor.

Insuper, innotescit ex his, quod multi sint plenitudinis gratiæ gradus. Nam et Virgo beata ante hæc verba, dicta est gratia plena : nihilo minus in conceptione Filii Dei maxime aucta est gratia Dei in ea, in tantum ut tunc fomes dicatur omnino exstinctus in ea, qui et ante ita fuerat debilitatus, quod nunquam in culpabilem surrexerit motionem. Attamen nunc præcipue sermo est de collatione gratiæ gratis datæ, videlicet maternitatis Dei seu maternæ fecunditatis in Virgine, quantum ad Christum. Quemadmodum autem prophetia et apostolatus, ita et ista materna fecunditas, donum est gratiæ gratis datæ. Propter quod, juxta Augustinum, beatior fuit Maria Christum concipiendo mente quam corpore, et ista corporalis conceptio sine illa spirituali ei non profuisset. Postremo, plenitudo, perfectio, atque immensitas, soli Deo competunt absolute et proprie, creaturis vero comparative, improprie, particulariter, in certoque genere.

Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, id est Christus ex te nasciturus : qui secundum divinitatem substantialiter sanctus est, et sanctitas ipsa, atque immensæ sanctitatis superessentialis essentia ; se-

A cundum naturam quoque assumptam ma-
joris est sanctitatis, quam omnes pariter
prædestinati ; *vocabitur Filius Dei :* sicut
nunc dictum est, Hic erit magnus, et Fi- vers. 32.
lius Altissimi vocabitur. Itaque ex tam divina et supernaturali conceptione Christi, innotescit fidelibus quod ipse sit Filius Dei, cui soli talis servabatur conceptio. Fonti etenim puritatis, et confractorum reparatori, corruptorumque integratori, purissima debebatur conceptio, nativitasque mundissima, ut Matris integritatem et pu-
B ritatem non minueret, sed sacraret et confirmaret, quatenus ante partum, in partu, et post partum intacta consisteret, clausa atque mundissima.

Præterea, quum in verbis inductis superbenedicta Trinitas distincte exprimatur ab angelo, clarum est Virginem sapientem, etiam ante hanc angelicam allocutionem, habuisse summæ Trinitatis fidem expressam, ac distinctam notitiam. Alioqui, quid angelus verbis istis insinuaret, non intel-
lexisset ; sed dicere potuisset, quod in Ac-
C tibus quidam responderunt Apostolo sci-
scitanti, Si Spiritum Sanctum accepistis, Act. xix, 2.
credentes? Sed neque si Spiritus Sanctus
est, audivimus.

Consequenter, ut Mariæ credulitas augeatur, anima exhilaretur, devotio inflammetur, sicque ardentissima, jucundissima ac devotissima mente consentiat, atque concipiat Unigenitum Dei, proponit ei angelus sanctus exemplum, ut mirabilis conceptio futura, per conceptionem mirabilem fa-
ctam approbetur, et caritativa Puella suæ
D cognatæ beneficiis congratuletur. *Ecce Eli-* 36
sabeth cognata tua, et ipsa concepit filium
in senectute sua, quamvis duplex habue-
rit impedimentum, scilicet senectutis, na-
turalisque sterilitatis ; *et hic mensis,* scili-
cet Martius, in quo tibi appareo, *est sextus*
illi, ex quo concepit, *quæ vocatur sterilis :*
quia jamdudum sic vocabatur, nec usus
sic eam vocandi fuit abolitus ; *quia non* 37
erit impossibile apud Deum omne verbum :
hoc est, quidquid sermone significatur,
Deus potest implere, si contradictionem

non implicet, illudque facere, potestatis sit magis quam infirmitatis. Unde, quod Deus in sua natura non potest peccare, infirmari, comedere, currere, moveri, dormire, potestatis est, non infirmitatis. Huic
Jer. xxxii, 17. verbo consonat illud Jeremiæ : Domine Deus, non erit tibi difficile omne verbum. Quum enim potestas Dei sit infinita, omnipotens utique est, et quidquid voluerit, potest in instanti peragere, nec potest in tot aut tanta, quin possit infinite in plura atque majora.

His auditis, pia et docilis Virgo cito præbet consensum. Tamque incomparabiliter commendata nescit extolli, sed eo profundius humiliavit se ipsam, quo ampliorem circa se Dei advertit clementiam, suis nil viribus tribuens. Quemadmodum enim vitiosi suis laudibus stulte atque inaniter intumescunt, sic virtuosi inde plus se ipsos dejiciunt. Quo equidem quis majora a Deo sortitus est bona, eo debet illi gratior esse,
38 itemque subjectior. *Dixit autem Maria,*
de beneficio suæ cognatæ collato exhilarata : *Ecce ancilla Domini* ego sum, idcirco ad omnia ei placita offero me paratam. Audiens quoque se in Domini Dei sui matrem electam, non aliud quam ejus se appellat ancillam. *Fiat mihi secundum verbum tuum,* hoc est, Spiritu Sancto superveniente, Filium Dei concipiam, ut dixisti. His verbis consensit : quibus prolatis immediate Unigenitum Patris æterni concepit. Itaque in instanti Spiritus Sanctus ex ejus purissimo sanguine corpus formavit, et perfecte quantum ad membrorum distinctionem organizavit; in quo item instanti anima Christi est creata, carni unita, atque utrumque Verbo hypostatica seu personali unione est conjunctum. Itaque in eodem instanti fuit sanguinis separatio, consolidatio, figuratio, animatio, et deificatio. Verumtamen distinctio membrorum oculis perceptibilis vix fuisset ob corporis parvitatem.

Præterea, mox ut Virgo assensit, celebratæ sunt in utero ejus nuptiæ hypostaticæ unionis, videlicet conjunctio humanæ naturæ cum Verbo : de quibus Gregorius ait, quod tunc Deus Pater Filio nuptias fecit, quum ei in utero Virginis naturam sociavit humanam. Tunc quoque celebratæ sunt nuptiæ Sponsi cœlestis cum sua Sponsa singulari, quæ est Mater virginea, Virgo Christifera, quæ Filium Dei concipiendo, facta est Sponsa ipsius singularis. Porro tota Trinitas superbenedicta (cujus quum una consistat essentia, indivisa sunt opera) naturam humanam Filio suppositaliter copulavit. Solus vero Filius naturam istam assumpsit, eamque in se ipso suppositavit : ita quod ipsummet Verbum æternum, est assumptæ humanitatis hypostasis, quæ in Verbo subsistit personalitate increata Verbi. Estque in Christo una personalitas tantum, et filiatio una dumtaxat, quum sit una persona : filiatio autem concernit personam. Duæ vero generationes ponuntur in eo, sicut et duæ naturæ : generatio enim concernit naturam.

Et discessit angelus ab ea. Et arbitror quod non velut improvise et ex abrupto ab ipsa abierit, sicut a ceteris Sanctis legitur sæpius recessisse seu disparuisse ; sed cum grandi reverentia, maxima congratulatione, jucundissimo apparatu, quasi licentiam postulans recedendi a Domina sua, quam ut sui ac omnium Creatoris Matrem, jam orsus est honorare, provise abscessit atque disparuit.

Exsurgens autem Maria a loco oratio- 39
nis, a quiete contemplationis, ab habitaculo mansionis, *in diebus illis,* statim quum Dei Unigenitum concepisset, *abiit in montana,* id est per loca alta, montuosa, et aspera, quibus plena est Judæa, *cum festi-*
natione, in civitatem Juda ; et intravit in 40
domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth. Celeriter ivit, dans exemplum virginibus cunctisque feminis, ne libenter tardent in publico, neque in communibus sine rationabili causa itineribus inveniantur. Et quia jam plena fuit Spiritu Sancto, spiritualique gaudio, caritatis fervore, et sanctæ devotionis dulcedine, festinanter processit, præsertim quia et cognatæ suæ congaudere optavit et obsequi, ejusque fetum ex

sui præsentia Filii desideravit donis am- A
plioribus perornari. — Porro, per civitatem
Juda, quidam intelligunt ipsam Jerusalem,
per quam asserunt transisse Mariam, ur-
bem versus in qua habitaverunt parentes
Joannis, quam dicunt fere per quatuor aut
quinque milliaria fuisse ultra Jerusalem.
Nihilo minus per civitatem Juda, urbs ha-
bitationis parentum Joannis intelligi po-
test. *Et salutavit Elisabeth :* ut habetur in
Eccli. XXII, 31. Ecclesiastico, Amicum salutare non con-
fundar. Et quia humillima fuit, et forte
prior suam salutavit cognatam. Forma au- B
tem salutationis digesta seu scripta non
est. Secundum Ambrosium autem, conde-
cens est, ut quanto castior virgo, tanto
humilior sit.

41 *Et factum est, ut audivit salutationem
Mariæ Elisabeth, exsultavit infans in ute-
ro ejus.* Exsultatio ex aliqua prævia cogni-
tiva apprehensione solet oriri. Communiter
itaque tenent doctores, quod per omnipo-
tentiam Dei acceleratus est usus rationis
in Joanne nondum progenito : ita quod re-
velante Spiritu Sancto, noverit Unigenitum C
Dei jam incarnatum, atque in utero Virgi-
nis tunc præsentem; tuncque præsertim
in eo impletum sit quod angelus nuntia-
vers. 15. vit, quia Spiritu Sancto replebitur adhuc
ex utero matris suæ. Hinc secundum Am-
brosium et Glossam, sicut Elisabeth Mariæ,
ita Joannes Christi sensit adventum. Aliqui
vero dixerunt, quod Joannes Christi præ-
sentiam non cognovit, nec tunc usus sit
ratione, sed miraculose movebatur, et in-
star exsultantis se habuit in utero matris,
ad declarationem dignitatis Christi Genitri- D
cisque ejus. Augustinus vero tangit utrum-
que hunc modum, neutrum autem assertive
determinat; sed primus verior reputatur.

Et repleta est Spiritu Sancto Elisabeth.
Dicunt quidam, quod Maria ante conce-
ptum, Elisabeth vero post conceptum re-
pleta sit Spiritu Sancto. Verumtamen, quum
de Elisabeth nondum fecundata jam dixe-
rit Evangelista quod erant ambo, videlicet
maritus ejus et ipsa, justi ante Deum, etc.,
certum quod etiam ante prolis suæ conce-
ptionem fuit quodammodo, imo et eminen-
ter, plena Spiritu Sancto, utpote in nume-
ro perfectorum annumerari condigna; sed
consuetudo Scripturæ est, ut dicat tunc
hominem Spiritu Sancto repleri, quum
gratia notabiliter exuberantiori perfundi-
tur, quemadmodum de primitiva Ecclesia,
quæ in die Pentecostes repleta fuit Spiritu
Sancto, scriptum est in Actibus : Quum *Act.* IV, 31.
orassent, motus est locus in quo erant, et
repleti sunt Spiritu Sancto.

Itaque, sancta Elisabeth tam grande mi-
raculum in prolis suæ nondum natæ ex-
sultatione perpendens, Christi quoque et
beatissimæ Virginis præsentiam veneran-
dam advertens, totis in Deo gloriabatur
præcordiis, et gratia ampliori mirabiliter
implebatur, spiritumque prophetiæ susce-
pit. *Et exclamavit voce magna :* ex pleni- 42
tudine devotionis et interioris lætitiæ in
vocem prorupit sublimem. Ex abundantia *Matth.* XII, 34.
namque cordis os loquitur. *Et dixit : Be-
nedicta tu inter mulieres,* hoc est præ fe-
minis universis, sicut expositum est. Si-
quidem verba ista eumdem habent sensum
cum verbis illis angelicis, Benedicta tu in *vers.* 28.
mulieribus. *Et benedictus fructus ventris
tui,* id est Christus jam filius tuus effe-
ctus : de quo ait Psalmista, Benedictus qui *Ps.* XCVII, 26.
venit in nomine Domini; et, Terra nostra *Ps.* LXXXIV, 13.
dabit fructum suum. De quo scriptum est
in Isaia : In die illo erit germen Domini *Is.* IV, 2.
in magnificentia et gloria, et fructus ter-
ræ sublimis. — Porro Christus secundum
utramque naturam benedictus est, sed di-
versimode. Nam ut Deus, per naturam seu
substantialiter benedictus et sanctus est,
juxta illud Danielis : Benedictus es, Domi- *Dan.* III, 52.
ne, Deus patrum nostrorum. Dicitur enim
Deus in se ipso benedictus, quia essenti-
aliter sanctus, omnique benedictione ac
laude dignissimus, totius quoque benedi- *Eccli.* XLIII, 33.
ctionis et gratiæ collativus. Secundum na-
turam vero humanam, dicitur benedictus
per gratiam, quoniam plenitudinem gratiæ
sumpsit, non ad mensuram, puta in copia *Joann.* III, 34.
tanta, quod tota creatæ mentis capacitas
fuit in eo completa.

43 *Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Do-
mini mei ad me,* scilicet Mater Christi ?
quasi dicat, Digna non sum, nec meis hoc
meritis tribuo. In quo humilitas Elisabeth
innotescit, quæ quum esset grandæva, et
tanto sacerdoti in conjugem sociata, ac su-
pernaturaliter fecundata, indignam tamen
se a juvencula fabro lignario desponsata
visitari professa est. Quod et verum fuit,
habendo respectum ad excellentiam digni-
tatis gratiæque Mariæ, et ad id quod Eli-
sabeth fuerat per naturam : vel etiam ad
opera ejus bona, secundum quod a libero
procedebant arbitrio ; sed in quantum ex
supernaturalibus habitibus gratiæ gratum
facientis, et virtutum infusarum, itemque
actuali motione Spiritus Sancti procede-
bant, non tantum digna fuit a Matre Do-
mini visitari, sed et Divinitate beatifice in
patria frui, communi obstaculo per Christi
passionem ablato : juxta modum quo ope-
ra virtuosa dicuntur æternæ meritoria vi-
tæ, et de condigno, secundum opinionem
probabilem, quamvis aliqui dicant oppo-
situm.

Præterea, nunc occurrit memoriæ quod
vers. 41. circa verba præscripta, Repleta est Spiritu
Sancto Elisabeth, scribit Ambrosius : Non
prius repleta mater (puta Elisabeth) quam
filius ejus. Quod intelligendum est de illa
repletione abundanti prætacta. Additque :
Sed quum filius (scilicet Joannes) repletus
est Spiritu Sancto, replevit et matrem.
Quæritur, quomodo Joannes nondum na-
tus, matrem suam Spiritu Sancto imple-
verit. Et certum quod non auctoritative,
quum hoc Deo sit proprium ; nec mini-
sterialiter, sicut in dispensationibus seu
administrationibus sacramentorum, mini-
stri Ecclesiæ dicuntur suscipientes replere.
Aliqui dicunt, quod per modum causæ me-
ritoriæ instrumentalis hoc fecit, ita quod
in ipso acceleratus fuit per gratiam usus
rationis, liberi quoque arbitrii. Quidam ve-
ro affirmant, quod nullo prædictorum mo-
dorum id accidit, sed ideo matrem suam
fertur implesse, quoniam privilegio ejus
datum est matri suæ hujuscemodi divi-
A norum charismatum incrementum. Potest
etiam probabiliter dici, quod occasionali-
ter matrem suam Spiritu Sancto implevit,
quoniam illa filii sui miraculosam exsulta-
tionem experiens, ex hoc in Deum mente
effusa est, cjusque cor caritate apertum ac
dilatatum patulumque effectum, factum
est gratiæ capax majoris, quemadmodum
aliquis videns alium in magna devotione
consistentem, devotione accenditur.

Ecce enim, o Maria, *ut facta est,* hoc est 44
audita, *vox salutationis tuæ,* qua me tam
B caritative atque humiliter salutasti, *in au-
ribus meis,* statim *exsultavit in gaudio,*
formaliter sive causaliter, *infans in utero
meo :* ita quod illa exsultatio fuit gaudium,
vel exsultatio ad corpus per redundantiam
pertinens, quæ ex mentis gaudio nasceba-
tur. Itaque Joannes Sponsi amicus, de Spon-
si gaudebat præsentia, secundum quod
ipse postea ore tenus fatebitur : Amicus *Joann.* III, 29.
sponsi, qui stat et audit vocem ejus, gau-
dio gaudet propter vocem sponsi. Propter
quod ait Ambrosius : Joannes exsultavit
C ratione mysterii, utpote quoniam Unigeni-
tum Dei jam novit incarnatum, veraciter-
que præsentem. Ex quo evidens reor, quod
et Joannes interiori auditu internam Chri-
sti allocutionem seu illustrationem adver-
tit. Dicit autem Gorra hoc loco : Ecce quan-
tæ virtutis est beatæ Virginis salutatio, quæ
confert gaudium, confert et Spiritum San-
ctum, confert revelationem divinorum se-
cretorum, confert et prophetiæ actum. Ve-
rum intelligendum est hoc de collatione
per modum causæ meritoriæ. Maria enim
D tam ardenter et humiliter salutando cogna-
tam, præfata bona meruit ei quodammodo.

Insuper, sicut et Beda fatetur, certum
est quod non nisi revelante Spiritu San-
cto, Elisabeth novit quod Maria esset jam
Mater Christi effecta, ab angelo salutata,
ejusque verbis crediderit, quod item ex-
sultatio Joannis esset ob Christi corpora-
lem præsentiam. Hinc ei Elisabeth addi-
dit : *Et beata quæ credidisti.* Concordat 45
quod ait Salvator : Beati qui non viderunt, *Ibid.* XX, 29.
et crediderunt. Porro Gregorius super Eze-

chielem : Simul, inquit, de præterito et præsenti ac futuro per prophetiæ spiritum tacta est Elisabeth, quæ beatam Mariam promissionibus angeli credidisse cognovit, et matrem nominans, quia Redemptorem in utero portaret, intellexit; et quum omnia perficienda prædiceret, quid et in futuro sequeretur, adspexit. Itaque cognitio fidei, est inchoatio quædam cognitionis beatæ in patria ; ipsum quoque credere ex caritate, meritorium est beatitudinis consummatæ, ad illam se habens sicut meritum ad præmium. Denique, sicut aperta visio est felicitas patriæ, sic cognitio fidei beatitudo est viæ. Beatitudo etiam viæ est imperfecta, et dispositio ad perfectam patriæ felicitatem.

Cur autem beata fuit credendo, subjungitur : *quoniam perficientur* in te *ea quæ*

A *dicta sunt tibi a Domino,* hoc est, completum sortientur effectum seu plenarium complementum, et quod credidisti per fidem, videbis per speciem. Christum quoque quem concepisti, paries, et usque ad virilia incrementa perduces. Dicit autem Augustinus, quod Virgo beata felicior fuit Dei Filium mente per fidem spiritualiter concipiendo, sive credendo, quam eumdem ventre corporaliter concipiendo. Ambrosius quoque : Quæcumque, inquit, crediderit anima, scilicet fide caritati unita, B concipit et generat Dei Verbum ; et si secundum carnem una est Mater Christi, secundum fidem tamen omnium fructus est Christus.

Et ait Maria. Hic describitur canticum, 46
hymnus, laus, seu gratiarum actio Virginis gloriosæ.

ARTICULUS IV

EXPOSITIO EVANGELICI CANTICI CHRISTIFERÆ VIRGINIS MARIÆ, VIDELICET : MAGNIFICAT ANIMA MEA DOMINUM ; ET EXSULTAVIT SPIRITUS MEUS, ETC.

QUIBUSDAM veteris Testamenti Sanctis concessum est, ut perceptis beneficiis Dei præcipuis, canticum Deo componerent et offerrent. Sic nunc agit S. Maria. Considerans enim ineffabilia Dei beneficia super se, et in se, laudes gratiasque referre non distulit, præsertim quia ex ea incarnari dignatus fuit Unigenitus Dei. Cujus rei typus in Anna præcessit, quæ supernaturali Dei munere Samuelem enixa, cecinit carmen, primo Regum contentum,
1 *Reg.* II, 1. Exsultavit cor meum in Domino : quod in aliquibus cum carmine Virginis divinæ coincidit.

Itaque, devotissima atque gratissima mente fatetur Domina mundi, Regina cœli, Genitrix Dei : *Magnificat anima mea Dominum.* Magnificentia et excellentia cantici hujus, primo ex parte actricis perpen-

C ditur, quæ quanto gratiosior, illuminatior, atque divinior erat, eo præclarius canticum edidit; secundo, ex sententiæ ubertate ac majestate ; tertio, ex igne devotionis in ipso exuberantis. Sic ergo : Magnificat, inquit, anima mea Dominum. Tanquam dicat : Tu me, o Elisabeth, laudas, extollis, magnificas ; verum ego, sciens quod a me ipsa nil habeo, universa bona Deo adscribo, ipsum laudo, me deprimo, illum magnifico, id est, magnum, summum, immensum fateor, contestor, demonstro, D illum totis viribus magnificenter honoro, omni zelo venerari desidero, me parvi pendo. Dicimur itaque Deum sanctificare, magnificare, glorificare, dum verbis et actibus ejus sanctitatem, majestatem, beatitudinem, protestamur, extollimus, demonstramus. Impii vero dicuntur nomen

Dei polluere, parvi facere, inhonorare, quoniam quantum in ipsis est, verbis et factis ostendunt, seu ita se habent, quasi Deus non esset honore et gloria omnique reverentia dignus, sed parvi pendendus, neque curandus; alios quoque ad Dei offensam, irreverentiam, injuriamque inducunt. Hinc per Ezechielem Deus frequenter improperat filiis Israel, quod polluerint nomen suum sanctum in gentibus. *Ezech.* xxxvi, 20; xliii, 8, etc.

Fecit ergo Maria quod sanctus pater ejus, propheta David, admonuit : Magnificate Dominum mecum. *Ps.* xxxiii, 4. Porro, secundum Ambrosium, magnificamus Dominum seu Dominus magnificatur, non quod ei quidquam accrescat, sed quia magnificatur in nobis, hoc est, per suos in nobis effectus, seu actus nostros ejus auxilio exhibitos, magnus ostenditur. Propterea addit Ambrosius : Imago enim Dei Christus est, et ideo, si quid justum religiosumque fecerit anima, imaginem Dei, ad cujus similitudinem est creata, magnificat. *Gen.* i, 27. Quod sumptum videtur ex verbis Origenis dicentis : Salvator noster est imago Dei invisibilis, *Coloss.* i, 15. et anima nostra est imago illius imaginis : quum ergo illam, cogitatione, sermone, et operatione magnifico, tunc imago Dei in me grandis efficitur, et ipse Dominus cujus imago est anima mea, amplius in me magnificatur.

Præterea, advertendum quod in cantico isto, nomine Dei et Domini intelligi potest absolute ipse Deus unus ac trinus, seu quælibet divina Persona : quamvis nonnulli per Deum ac Dominum specialiter Filii personam intelligant, asserentes quod Virgo dignissima in cantico isto Filium suum commendat. Et non ait, Magnifico, sed, Magnificat anima mea Dominum, ad innuendum quod ex præcordiali id agat devotione. Quo arguuntur qui sine reverentia Deum orant et laudant, nec eum sicut verum Deum tota cordis honorant custodia : de quibus per Isaiam Dominus loquitur, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. *Is.* xxix, 13; *Matth.* xv, 8.

47 *Et exsultavit spiritus meus,* scilicet anima mea rationalis, *in Deo salutari meo,* ex contemplatione ac dilectione sui ipsius in se, et beneficiorum ejus circa me. Exsultatio autem seu gaudium, ex contemplatione et caritatis actu, seu actuali dilectione procedit. Quo igitur in divinorum contemplatione illuminatior, eorumdemque amore ferventior fuit Maria, eo plenius exsultavit, non in se, sed in Domino tanquam in causa, objecto et fine, sicut Apostolus scribit : Qui gloriatur, in Domino glorietur. *I Cor.* i, 31. Porro Dominus dicitur ratione gubernationis; Deus, ratione causalitatis et creationis; Salutare vel Salutaris, ratione justificationis seu recreationis, et glorificationis : qui singulariter fuit et est Deus, ac Dominus, et Salutare Mariæ, propter præcipua beneficia ejus ad eam, et maximam devotionem, dilectionem et cultum illius ad illum. Quamvis autem anima et spiritus hominis realiter idem sint, tamen ratione sunt differentes : nam anima dicitur quoniam informat et animat corpus, illudque bene regendo, Deum magnificat; spiritus vero vocatur ob subtilitatem naturæ, et quoniam contemplatur cœlestia, sicque competit sibi exsultare, et præ ingenti lætitia, quasi extra se saltare in Deum. Hinc Virgo Deipara distincte locuta est : Magnificat anima mea Dominum; et exsultavit spiritus meus in Deo.

Postremo, ut totis viribus Deum magnificemus, magnificent eum nostra memoria, ejus beneficia jugiter recolendo, nostra intelligentia, ejus veritatem et excellentiam contemplando, nostra voluntas, ejus bonitatem amando ac appetendo, nostra interpretativa seu expressiva, eum ore laudando.

Et quia pro suis beneficiis gratiarum actio et vox laudis Deo debentur, consequenter Virgo præclara cantici sui rationem *Is.* li, 3.
subjungit : *Quia respexit* per approbatio- 48
nem, oculo suæ pietatis immensæ, *humilitatem ancillæ suæ,* hoc est me humilem ejus ancillam, meamque humilitatem ac parvitatem. Et merito specialiter suæ meminit humilitatis magis quam virginitatis,

caritatis, aut reliquarum virtutum, quibus præeminenter fulgebat : quia per humilitatem præcipue meruit taliter exaltari, eratque per eam præsertim disposita ad concipiendum Unigenitum Dei, secundum quod in Incarnationis mysterio consideratur incarnati majestas : quæ tanta est, ut non nisi ab humillima et pene incomparabiliter humili puella, decuit eum incarnari et concipi. Virginitas autem fuit dispositio magis remota, nec ipsa sine humilitate Domino placuisset. Verumtamen in Incarnationis mysterio, utriusque naturæ immediatam et hypostaticam unionem pensando, Virgo sacra per caritatem, ejusque ardentissimum actum, fuit summe et immediate disposita ad unigeniti Filii Dei conceptionem. Nam caritas præstantissima ac divinissima Deoque placentissima virtus est, conjunctionem, transformationem et insolubilem colligationem efficiens. Quamvis itaque tota Trinitas superbenedicta Mariæ humilitatem superclementer adspexit, præcipue tamen Filius, ex ea humanam induendo naturam, faciens se ejus prolem, atque subjiciens ei se ipsum. Sed et Deus Pater eam adspexit in tantum, ut eumdem cum ea habere Filium dignaretur : similiter Spiritus Sanctus, illo eam germine fecundans adorando, a quo ipse vere æternaliterque procedit. Secundum Origenem, humilitas in Scripturis una de virtutibus dicitur quæ a philosophis modestia nominatur ; sed et nos eam possumus appellare quodam circuitu, quum aliquis non est inflatus, sed ipse se dejicit.

Ecce enim ex hoc tempore, et ratione tanti beneficii mihi collati, ex hac quoque mea humilitate, *beatam me dicent omnes generationes,* hoc est quidam ex omnibus, ut sit distributio pro generibus singulorum. Omnes quippe ex Judæis et gentilitate conversi, beatam, imo et beatissimam profitentur Virginem tam incomparandam; sed et Sarraceni, qui legem Mahometi suscipiunt, dicunt eam præ universis mulieribus omnium sæculorum electam, sicut et Christum Filium ejus fatentur suo le-

A gislatore Mahometo majorem. Sic et Lia, de qua orta est virgo Maria, cernens se tam fecundam : Hoc, inquit, pro beatitudine mea ; beatam quippe me dicent mulieres : sicut in Genesi legitur. *Gen.* XXX, 13.

Quia fecit mihi magna qui potens est, 49
hoc est, præclarissima mihi beneficia est largitus, in sanctificatione, in gratiarum augmentatione, in totius perfectionis collatione, et nunc potissimum in Incarnatione, in qua veri Dei vera Mater effecta, quodammodo infinitæ dignitatis prærogaB tivam sum consecuta ab eo qui potens est, imo omnipotens est, et adeo potens, ut ejus respectu, omnis creatura sit impotens, nec sine illius manutenentia per momentum subsistere valens (illi equidem idem est esse et potentem esse : cujus essentia est sua potentia independens, illimitata, et penitus infinita; cui sunt omnia æque facilia ; qui dominatur in virtute sua in æternum ; a quo omnis potestas, dicente Apostolo, Non est potestas nisi a Deo : unde scriptum est, Sapiens corde C est, et fortis robore, qui facit magna et inscrutabilia et mirabilia, quorum non est numerus), qui per me mundum liberare dignatus est, et præ omni creatura me honoravit, ita quod Deum omnium Creatorem ac Dominum concepi et porto. *Ps.* LXV, 7. *Rom.* XIII, 1. *Job* IX, 4, 10.

Et sanctum nomen ejus nominatum : id est, ipsemet nomine nominante designatus, in se ipso essentialiter purus, virtuosus et sanctus est, imo sanctitas prima, fontana, exemplaris, immensa : in quo quidquid perfectionis, sanctitatis atque virtutis D est cogitarive potest, cum immensa plenitudine supersimplicissime continetur. De quo ait Psalmista : Adorate in monte sancto ejus, quoniam sanctus Dominus Deus noster ; et iterum, Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile et sanctum est. Unde scriptum est : Deus sanctus et fortis æmulator est, nec ignoscet sceleribus vestris. In Job quoque dicitur : Absit a Deo impietas, et ab Omnipotente iniquitas. Denique tam sanctus est Deus noster omnipotens, ut ejus comparatione, omnis *Ps.* XCVIII, 9. *Ibid.* 3. *Josue* XXIV, 19. *Job* XXXIV, 10.

Is. LXIV, 6. sanctitas et æquitas nostra sit quasi pan- A
Job XXV, 5. nus menstruatæ. Ecce enim luna non splen-
det, et stellæ non sunt mundæ in conspe-
Ibid. IV, 18. ctu ejus : qui et in angelis suis reperit
pravitatem. Siquidem, quid est ipsa divi-
na essentia, nisi sapientia superessentialis,
veritas exemplaris, virtus prima, æquitas
summa, caritas infinita, lux incircumscri-
pta, puritas impermixta ? Nemo ergo se
jactet, aut aliquid putet, aut alium sper-
nat, nec ad publicos transgressores se com-
paret ; sed in divinæ sanctitatis conspectu
atque præsentia se semper constituens, B
quidquid in se virtutis est aut esse posse
adverterit, illius intuitu pro nihilo habeat,
seque in profundo humilitatis incessanter
conservare conetur.

Hucusque sancta Maria recoluit benefi-
cia sibi singulariter data ; nunc generali-
50 ter sibi ac aliis præstita exprimit. *Et mi-
sericordia ejus,* id est suæ æternæ pietatis
effectus et gratia, extenditur et fuit *a pro-
genie,* quæ ab initio mundi ante diluvium
Ps. XXXII, 5. fuit, *in progenies* posteriores. Misericordia
enim Domini plena est terra. Vel, A pro- C
genie Judæorum, in progenies gentium.
Salus namque gentibus communicata, ex
Judæis fluxit et cœpta est, quemadmodum
Joann. IV, 22. Christus testatur : Salus ex Judæis est.
Nam et Christus ex eis incarnari elegit, et
per Apostolorum (natione Judæorum) do-
ctrinam conversus est mundus. *Timenti-
bus eum* timore filiali ac casto. Nam tali-
bus tantum finaliter prodest gratia Dei, et
ipsi dumtaxat participes sunt fructus ac
meriti dominicæ passionis, quæ licet se ad
universos extendat per suam sufficientiam, D
non tamen per efficientiam, sed ad solos
Ps. CII, 17. electos. Hinc ait Psalmista : Misericordia
autem Domini ab æterno et usque in æter-
num super timentes eum. In Ecclesiastico
Eccli. I, 28. quoque habetur : Qui sine timore est, ju-
stificari non potest. Verumtamen nullus
tam reprobus est, ut divinæ clementiæ pe-
nitus expers consistat ; sed misericordia
ad salutem veram perducens, solis timen-
tibus Deum filiali et reverentiali timore,
qui est fuga mali culpæ, impenditur.

Fecit potentiam, id est, potenter opera- 51
tus est et potentes egit effectus, *in brachio
suo,* id est sua sublimi virtute, juxta illud
in Exodo : Eduxit filios Israel in brachio *Exod.* VI, 6;
excelso. Vel, In brachio suo, id est per *Act.* XIII, 17.
Unigenitum suum incarnatum : et tunc
refertur ad Patrem, de cujus Filio loqui-
tur Isaias : Brachium Domini cui revela- *Is.* LIII, 1.
tum est ? Quem Apostolus nominat Dei *I Cor.* I, 24.
virtutem. Porro per Filium Pater universa
creavit, per ipsum redemit mundum, pro-
stravit diabolum, fregit infernum, aperuit
cœlum, infinita quoque per ipsum fecit
miracula. Unde et Filius protestatur : A me *Joann.* VIII,
ipso facio nihil ; Pater vero in me ma- 28; XIV, 10.
nens, ipse facit opera. Nihilo minus Chri-
stus ut Deus, propria operabatur virtute,
quæ in tribus supersanctis Personis una
est in se, indivisa quoque in opere. Deni-
que magnificentissimum opus Dei in In-
carnatione seu Verbo incarnato apparuit,
dum naturæ duæ in infinitum distantes, in
unam convenerunt personam, dum Chri-
stus de clauso Virginis utero prodiit, dum
Sacramentum altaris instituit. Magnam de-
mum Deus potestatem exercuit, tam hu-
milem juvenculam faciendo suam Matrem,
angelorumque Dominam, et omni pura
creatura, prout in esse creato subsistente,
præstantiorem.

Quoniam universæ viæ Domini miseri- *Ps.* XXIV, 10.
cordia et veritas seu æquitas, commendato
Deo ratione suæ clementiæ, commendat
eum nunc Virgo sapientissima ab effecti-
bus suæ justitiæ. *Dispersit superbos,* id
est, per varios errores ac vitia dispergi
permisit, et per diversa supplicia perdidit
ac damnavit effective elatos, quorum spi-
ritus tumet inique, qui Deo subjici et pa-
rere omittunt, nec curant sub ejus omni- *I Petr.* V, 6.
potenti manu se humiliare ; *mente,* id est
intentione et libito, *cordis,* id est intel-
lectus *sui,* quo cuncta discernit, judicat
et disponit. Hinc in Ecclesiastico scribi-
tur : Radices gentium superbarum arefecit *Eccli.* X, 18.
Deus. Qui per Sophoniam quoque mina-
tur : Visitabo super omnem qui arrogan- *Soph.* I, 9.
ter ingreditur ; et apud Isaiam, Incurvabi- *Is.* II, 17.

tur sublimitas hominum, et humiliabitur A altitudo virorum. Dæmones quoque superbientes Christus in mundum veniens dispersit, vicit, et de hominum cordibus expulit. Sed et superbos Judæos videmus ab eo in omnem regionem dispersos.

52 *Deposuit potentes de sede.* Non de quibuscumque potentibus dicitur hoc, quum Job xxxvi, 5. in libro Job dicatur, Deus potentes non abjicit, quum ipse sit potens ; sed de potentibus sua potestate vitiose utentibus, de Eccli. x, 17. quibus scriptum est in Ecclesiastico : Sedes ducum superborum destruxit Deus, et B sedere fecit mites pro eis. Verum, quum hujusmodi potentes videamus usque ad senectutem regnare, quomodo Deus deponit eos de sede dignitatis ac præsidentiæ ? Et respondendum, quod saltem in morte ; et frequenter propter eorum peccata occiduntur, plagantur, seu ante tempus na- Ibid. 11, 12. turalis periodi auferuntur : Omnis enim potentatus brevis vita ; sicut et rex hodie est, et cras morietur. De quibus loquitur Is. xl, 24. Isaias : Et quidem neque satus, neque radicatus in terra truncus eorum ; repente C flavit in eos et aruerunt. Hinc scriptum Job iv, 8, 9. est : Vidi impios Domino flante periisse ; Ibid. xxii, 16. et rursus in libro eodem, Iniqui ante tempus suum sublati sunt. Insuper, potentes Judæorum magistros Deus de sede doctrinæ amovit. Judiciariam quoque potestatem pauperibus tribuit in die judicii exercen- Matth. xix, 28. dam : Sedebitis, inquiens, super sedes duodecim.

Et exaltavit humiles, nunc per dona gratiæ gratum facientis et gratis datæ, quia et tales frequenter ad prælationem erexit ; D in futuro autem per dona gloriæ et sublimationem usque ad cœlum empyreum. Jacob. iv, 6. Propter quod ait Scriptura : Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam ; et Luc. vi, 20. denuo, Beati pauperes spiritu, scilicet humiles, quoniam vestrum est regnum cœlorum (quo nihil est altius). Potissimum autem Christus exaltavit suos Apostolos Ps. xliv, 17. vere humillimos : quos constituit principes super omnem terram ; de quibus scri- Ps. xlvi, 10. ptum est, Quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt. Ceteros quoque primitivæ Ecclesiæ filios, suos discipulos, non mediocriter exaltavit, non in futuro dumtaxat, sed etiam in præsenti, dans eis virtutem calcandi super serpentes et scorpiones, omnemque inimici virtutem. Luc. x, 19.

Esurientes, id est spiritualia bona avide cupientes, *implevit bonis,* id est gratiæ donis, internis divitiis, refectionibus mentis. Pauperes quoque corporaliter famescentes Deus alit et implet, quemadmodum scriptum est : Oculi omnium in te sperant, Domine. et tu das escam illorum in tempore opportuno ; itemque : Omnia a te exspectant ut des illis escam in tempore ; dante te illis colligent. De esurientibus autem primo modo ait Salvator : Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur ; et in Apocalypsi, Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. 53 Ps. cxliv, 15. Ps. ciii, 27, 28. Matth. v, 6. Apoc. xxi, 6.

Et divites, id est divitiarum corporalium inordinatos amatores, terrena cœlestibus præferentes, *dimisit inanes,* id est a spiritualibus bonis vacuos, suisque vanitatibus inhærentes. De quibus loquitur Christus : Possibilius est camelum transire per foramen acus, quam divitem intrare in regnum cœlorum. Jacobus quoque in sua Canonica : Agite nunc, divites, plorate, ululantes in miseriis, quæ advenient vobis. De quo infra habetur : Væ vobis divitibus, qui nunc habetis consolationem vestram. Divitiæ enim pene ad omnia vitia præbent fomentum, ad superbiam, gulam, luxuriam, otiositatem scelerum matrem. Propter quod beatus scribit Apostolus : Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli, et desideria multa, inutilia et nociva, quæ mergunt hominem in interitum et perditionem. Ideo ait Scriptura : Nihil est iniquius quam amare pecuniam ; hic enim animam suam habet venalem. Verumtamen sunt aliqui divites virtuosi, sua opulentia bene liberaliterque utentes, misericorditer distribuentes, non delicate viventes, nec ad terrena inordinate affecti, sicut hortatur Psalmista : Divitiæ si affluant, nolite cor Matth. xix, 24. Jacob. v, 1. Luc. vi, 24. I Tim. vi, 9. Eccli. x, 10. Ps. lxi, 11.

apponere. Sed quam pauci sint tales, li- A
quet ex eo quod scriptum est in Ecclesi-
Eccli xxxi, 8, 9. astico : Beatus dives qui inventus est sine
macula, qui post aurum non abiit, nec
speravit in pecuniæ thesauris : quis est
hic? et laudabimus eum. Fecit enim mi-
rabilia in vita sua. Nemo ergo se com-
mittat periculo, sed acquiescat Apostolo :
I Tim. vi, 8. Habentes, inquit, victum et quibus tega-
mur, his contenti simus. Hinc in Proverbiis
Prov. xxx, 8. Salomon deprecatur : Mendicitatem et di-
vitias, Domine, ne dederis mihi ; tribue
tantum victui meo necessaria.

Quidam per esurientes bonis impletos,
intelligunt gentiles conversos, quibus ver-
bum Dei cum magno desiderio audien-
tibus, maxima gratiarum charismata con-
tulit Deus ; per divites vero inanes reli-
ctos, intelligunt magistros Judæorum, in
Scripturis abundantes, qui in sua cæcitate
dimissi sunt.

Consequenter tangit beata Virgo bene-
54 ficia Judæis exhibita. *Suscepit* ipse Domi-
nus, *Israel puerum suum,* id est, Israeli-
ticum populum sibi nunc gratiose ac pie C
applicuit et conjunxit, de ipso naturam
assumendo humanam : per quod totum
populum illum quantum in se fuit, salva-
re proposuit. Propter quod ad Hebræos
Hebr. ii, 16. scribit Apostolus : Nusquam angelos, sed
semen Abrahæ apprehendit. *Recordatus
misericordiæ suæ,* id est, memorem se os-
tendens pietatis et gratiæ, quam populo
Philipp. ii, 7. huic promisit, quod scilicet de eo formam
servi acciperet. In incommutabili autem
Deo nec recordatio, nec oblivio proprie
locum habent ; sed per modum recordan- D
tis se habet, dum misereri non differt, per
55 modum obliviscentis, dum differt. *Sicut
locutus est ad patres nostros Abraham et
semini ejus in sæcula.* Primo enim Abra-
hæ, deinde Isaac, postea ipsi Jacob, facta
Gen. xxii, 18; xxvi, 4; xxviii, 14. legitur in Genesi divina illa promissio : In
semine tuo benedicentur omnes gentes.
Ps. cxxxi, 11. Deinceps dictum est David : De fructu ven-
tris tui ponam super sedem tuam. Gene-
raliter quoque sancti Patriarchæ ac vates
de Christi adventu locuti sunt, quemad-
modum in Actibus Petrus affirmat : Om- Act. iii, 24.
nes Prophetæ a Samuele et deinceps an-
nuntiaverunt dies istos. Porro clausula illa,
In sæcula, referri potest ad verbum illud,
Suscepit, item ad, Recordatus, necnon et
ad complexum istud, Semini ejus : nam
illa gratiosa susceptio electorum, et recor-
datio Dei circa eos semenque Abrahæ, in
prædestinatis manet perpetuo, et nunquam
periturum habet effectum.

Ecce canticum istud dulcissimum, quam
sententiosum est sub brevitate verborum.
B Quod Spiritus Sancti consilio statuit Ec-
clesia in Vesperis decantandum, ut Ho-
ra illa dum advesperascit et inclinata est Luc. xxiv, 29.
dies, incipiat se mens nostra ab exteriori-
bus ad interiora colligere, ad Deum eri-
gere, ejusque bonitatem beneficiaque pen-
sare, ei ex toto affectu gratias agere, ipsum
cum jucunditate laudare, atque pro viri-
bus verbo et opere in omnibus honorare.
Itaque ad summi Dei honorem et tantæ
Virginis reverentiam, non sine mentali at-
tentione et actuali sanctæ devotionis fer-
vore, canticum istud promamus : imo et
tunc recordemur, cum quanta devotione
et alacritate beatissima Virgo carmen is-
tud cecinerit, et quam ineffabilem ei gra-
tiam præstiterit Deus ; sicque eidem Vir-
gini congratulemur in Domino.

Postremo, quilibet nostrum canticum
hoc in propria potest decantare persona,
dicendo intimis ex medullis : *Magnificat
anima mea Dominum, et exsultavit spiri-
tus meus in Deo,* etc., juxta expositionem
præhabitam. Sic autem Deum laudare, est
actus omnino angelicus et præclarus. *Quia
respexit humilitatem ancillæ suæ,* id est
animæ meæ, quæ in oculis suis vilis et
modica est ; vel, Ancillæ suæ, id est crea-
turæ, quæ ego sum : creatura enim Crea-
toris sui ministra est. *Ecce enim ex hoc
beatam me* creaturam *dicent,* ut pie con-
fido, *omnes generationes* electæ. Nil enim,
ut ait Hieronymus, felicius Christiano, cui
regna promittuntur cœlorum. In patria
quoque unusquisque electorum ab aliis
beatus dicetur. Sed et Christiani veraciter

sibi invicem dicere possunt grata et hu- A
Baruch iv, 4. mili mente illud Baruch : Beati sumus
nos, quoniam quæ Deo placita sunt, ma-
Ps. xxxii, 12. nifesta sunt nobis ; denique : Beata gens
cujus Dominus Deus ejus, populus quem
elegit in hereditatem sibi. *Quia fecit mihi*
magna. Hoc dicendo, cogitet unusquisque
beneficia Dei circa se generalia et spe-
cialia, bona naturæ, dona gratiæ, promis-
saque gloriæ, quanta pro se Filius Dei
fecit, assumpsit ac pertulit, quoties sibi
in peccatis pepercit, quod ad istam pœni-
tentiæ gratiam se adduxit. Cetera specia- B
lem expositionem non exigunt, sed juxta
interpretationem præscriptam a quolibet
queunt proferri.

MANSIT *autem Maria cum illa* (Elisa- 56
beth) *quasi mensibus tribus, et reversa est*
in domum suam, in Nazareth. Communi-
ter dicunt doctores, quod non recesserit
Maria quousque nasceretur Joannes. Unde
in Scholastica fertur historia, quod ipsa
infantem levavit de terra, ut scribitur in
Libro justorum, id est Nazaræorum, ut
quidam explanant. Verumtamen aliqui, ut
Theophilus et Græcus, affirmant quod im-
minente partu Elisabeth, Maria abierit,
eo quod jam aliæ feminæ ad Elisabeth
confluxissent, et quoniam in partu muli-
erum virgines adesse non solent. Evan-
gelista quoque primo scribit recessisse
Mariam, quam de partu Elisabeth.

ARTICULUS V

EXPLANATIO RESIDUÆ PARTIS HUJUS PRIMI CAPITULI, IN QUA ET CANTICUM ZACHARIÆ ELUCIDATUR.

SUBINDE nativitas Præcursoris descri- C
57 bitur. *Elisabeth autem impletum est*
tempus pariendi, id est, ipsi Elisabeth
58 mensis nonus advenit, *et peperit filium. Et*
audierunt vicini et cognati ejus, quia ma-
gnificavit Dominus misericordiam suam
cum illa, id est, valde clementer egit cum
ipsa, pietatis suæ effectus circa eam exer-
cens tam gratiose, quod scilicet non ob-
stante naturali sterilitate ac senio, prolem
concepisset ac peperisset, essetque a ste-
rilitatis opprobrio liberata ; *et congratula-*
bantur ei, ex dilectione qua eam ejusque D
maritum amabant : quia sine querela inter
alios conversabantur Zacharias et Elisa-
beth. Unde sua conversatione pacifica, be-
nigna et justa, utpote ex justitia et pietate
convenienter temperata, universis se ex-
hibuerunt amabiles : propter quod eorum
prosperitati congratulati sunt alii.
59 *Et factum est in die octavo* a nativitate
infantis, *venerunt circumcidere puerum.*
Illo etenim die secundum legis præceptum
circumcisio fieri consuevit, juxta illud in
Genesi : Infans octo dierum circumcidetur. Gen. xvii, 12.
Et vocabant eum nomine patris sui Zacha-
riam. Primogenitis namque, et præsertim
unigenitis, solet frequenter nomen patris
imponi. Istis autem spes non erat quod
Zacharias et Elisabeth amplius prolifica-
rent. Porro, sicut in novo Testamento no-
men imponitur in Baptismo, ita tunc in
circumcisione. Sed quum Joannes sanctifi-
catus esset in utero, et ab originali purga-
tus, cur circumcisus fuit, quum circumcisio
esset remedium contra originale pecca-
tum? Respondent quidam, quod circumci-
sus sit non ob indigentiam remedii, sed
propter observationem præcepti ; item ne
alii scandalizarentur, et causa singularita-
tis vitandæ, et quia fortasse per circum-
cisionem illam ita pœnalem ad gratiam
disponebatur majorem.
Et respondens mater ejus, dixit : Ne- 60

quaquam nomine patris appellabitur, *sed* A
vocabitur Joannes. Quod enim sic esset
vocandus, imo et ab angelo jam vocatus,
vocarique jussus, cognovit per spiritum
prophetiæ sancta Elisabeth, quia id nulli
homini, nisi viro ejus in templo fuerat in-
timatum, qui ex tunc mutus permansit :
nisi forte quis opinetur quod Zacharias
scripto id suæ insinuaverit conjugi, sicut
in sequentibus enarratur hoc ceteris indi-
casse. Forte enim quæ sibi in templo fue-
rant revelata atque illata, taliter indicavit
61 uxori. *Et dixerunt ad illam : Quia nemo* B
est in cognatione tua, id est inter consan-
guineos tuos, *qui vocetur hoc nomine :* id-
circo miramur quod ita vis eum vocari.
62 *Innuebant autem,* hoc est, signis seu
nutibus sensibilibus per modum quæstio-
nis significabant, *patri ejus, quem,* id est
quo nomine, *vellet vocari eum.* Quia nunc
dicitur quod innuebant patri ejus, docto-
res eliciunt quod Zacharias ob suam in-
credulitatem præfatam non mutus tantum,
sed et surdus fuerat factus : si enim audis-
set, non nutu, sed verbo ejus voluntatem C
63 interrogassent. *Et postulans,* nutu quo-
dam, non verbo, *pugillarem,* id est cala-
mum scriptoris, seu tabulam quæ pugillo
potest includi, *scripsit, dicens* verbo scri-
pto, non vocali : *Joannes est nomen ejus.*
Quasi dicat : Non ego, aut mater, infanti
nomen impono, sed divinitus per angelum
impositum pando. *Et mirati sunt univer-*
si videntes in processu negotii miracula
miraculis jungi, totque insolita fieri, item
quod Zacharias et conjux ejus sic concor-
dabant, qui simul a conceptione Joannis D
conferre non poterant.
64 *Apertum est autem illico os ejus et lin-*
gua ejus : id est, mox quum fidem suam
scripto indicasset, restitutus est ori et lin-
guæ Zachariæ pristinus usus loquendi ;
nec dubium quin interim os ejus aperie-
batur ad cibum sumendum, sed non ad
loquendum. Quemadmodum autem suæ in-
credulitatis demerito fuit loquela privatus,
ita suæ fidelis confessionis merito, loque-
læ est restitutus. Propter quod dicit Am-
brosius : Linguam quam incredulitas vin-
xerat, fides solvit. *Et loquebatur, benedicens*
Deum benedictione laudis et gratiarum ac-
tionis, qui eum ob suum excessum pater-
naliter castigavit, et clementer sanavit, jux-
ta illud Tobiæ : Benedico te, Domine Deus *Tob.* XI, 17.
Israel, quia tu castigasti me, et tu sanasti
me. Sed et ob alias causas benedixit Deum,
sicut mox in suo cantico elucescit.
Et factus est timor super omnes vicinos 65
eorum : id est, vicini Zachariæ et Elisabeth,
visis tot mirabilibus, ex consideratione di-
vinæ potentiæ conceperunt timorem, admi-
rationem, stuporem. Causam enim, scilicet
omnipotentiam Dei, in suis supernaturali-
bus perpenderunt effectibus, et tanquam
vere præsentem, ac vitia punientem atten-
derunt. Sic et in Evangelio scriptum est,
quod turbæ visis Christi miraculis, timue- *Matth.* IX, 8.
runt. Denique, homo propriæ fragilitatis
et culpæ sibimet conscius, considerata Al-
tissimi potestate, non immerito expavescit.
Propter quod apud Jeremiam scriptum
est : Non est similis tui, Domine ; magnus *Jer.* X, 6, 7.
es tu, et magnum nomen tuum in fortitu-
dine : quis non timebit te, o Rex gentium?
Et super omnia montana Judææ divulga-
bantur omnia verba hæc : id est, fama ho-
rum mirabilium de punitione et curatione
Zachariæ, de Joannis mirabili conceptione,
nativitate, appellatione, Judæis in omnibus
locis suæ regionis montuosis mirantibus
insinuabatur. Magna namque et rara so-
lent undique divulgari, quia libenter au-
diuntur : siquidem nova placent, et inso-
lita admirationem inducunt. Homo autem
naturaliter est animal admirativum, varie-
tatisque cupidum, præsertim quum omnes
homines naturaliter scire desiderant.
Et posuerunt omnes qui audierant in 66
corde suo, id est, mentibus suis ista tena-
citer impresserunt, atque memoriæ dili-
genter commendaverunt, *dicentes,* vel qui-
libet intra se, seu unus ad alium, imo modo
utroque : *Quis, putas, puer iste erit?* qua-
si dicerent : Notabilis valde consistet, et
crescet in virum eximium. Talia enim mi-
rabilia non consueverunt contingere, nisi

circa valde electas personas. Ideo subditur:
Etenim manus Domini erat cum illo : id
est, virtus, gratia, auxilium, operatio su-
pernaturalis ipsius Dei, fuit cum Joanne
in ejus sanctificatione, exsultatione in ute-
ro matris, ceterisque præfatis : ex quibus
probabiliter arguebant, quod tempore pro-
cedente futura esset manus Dei cum ipso.
67 *Et Zacharias pater ejus impletus est
Spiritu Sancto, et prophetavit, dicens.*
Quocirca scribit Ambrosius : Vide quam
bonus Deus, et facilis indulgere peccatis.
Non solum ablata restituit, sed etiam in-
sperata concedit : ille dudum mutus pro-
phetat. Denique, etiam ante hanc horam
impletus fuit Zacharias Spiritu Sancto ;
sed nunc impletus asseritur, quia in donis
gratiæ gratificantis ac gratis datæ, jam emi-
nenter profecit, et gratiam prophetalem
recenter sortitus est. Recteque prius fertur
Spiritu Sancto repletus, quam vaticinatus,
eo quod prophetare opus sit Dei, juxta il-
II *Petr.* I, 21. lud Petri : Non voluntate humana allata est
aliquando prophetia; sed Spiritu Sancto
inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.

68 Benedictus *Dominus Deus Israel.* In can-
tico isto Zacharias gratias refert Deo super
variis beneficiis ejus, potissimum de Ver-
bi incarnatione ac passione, generisque
humani, potissimum Israelitici, salvatione.
Quamvis autem in cantico isto, per Domi-
num Deum Israel intelligi possit Deus ab-
solute, seu Trinitas tota superbenedicta,
quælibetque divina Persona; appropriatius
tamen de Filio totum exponitur.

Itaque, *Benedictus* est, et æternaliter
benedictus sit, atque ab omnibus jugiter
benedicatur, *Dominus* universorum, ratio-
ne possessionis, gubernationis ac præsi-
dentiæ omnium. De quo in Genesi Abra-
Gen. XIV, 22. ham ait : Levo manum meam ad Dominum
Deum possessorem cœli et terræ. De quo
Job XXXIV, 13. etiam scriptum est in libro Job : Quem
constituit alium super terram ? aut quem
posuit super orbem quem fabricatus est ?
Præterea, nomen et ratio Domini, soli om-
nipotenti Deo plene, summe, pure ac pro-

A prie competit : quippe qui solus univer-
sale, primordiale, independens, ac nulli
subjectum habet dominium; omnium vero
sequentium angelorum hominumque do-
minia sunt particularia, secundaria, indi-
gentia, ac servituti permixta, quia Deo
supposita. Hinc apud Isaiam, Jeremiam
quoque et Amos, ait Scriptura : Dominus *Is.* XLVII, 4;
exercituum nomen ejus ; et in Psalmo : *Jer.* X, 16; *Amos* IV, 13.
Dominus nomen illi. Qui iterum ait per *Ps.* LXVII, 5.
Isaiam : Ego Dominus : hoc est nomen me- *Is.* XLII, 8.
um ; gloriam meam alteri non dabo. *Deus*
B *Israel :* qui omnium Deus generaliter fu-
it jure creationis; specialiter autem Deus
tunc dicebatur Israel, id est Israelitici po-
puli, de Jacob (qui alio nomine dictus est *Gen.* XXXV, 10.
Israel) nati : quoniam præcipua ac specialia
beneficia populo illi donavit, quemadmo-
dum scriptum est, Qui annuntiat verbum *Ps.* CXLVII, 19.
suum Jacob, justitias et judicia sua Israel ;
et quia a populo illo specialiter colebatur,
ceteris ad idololatriam lapsis. Unde in Deu-
teronomio Moyses huic populo ait : Te ele- *Deut.* VII, 6, 8.
git Dominus, ut sis ei populus peculiaris
C de cunctis populis qui sunt super terram,
quia dilexit vos Dominus.

Quia visitavit, id est, per incarnationem
accessit, et sicut piissimus ac peritissimus
medicus operari aggressus est, *et fecit re-
demptionem plebis suæ,* id est liberationem
Israeliticæ plebis ab invisibilibus hosti-
bus, a damnatione æterna, a reatu origina-
lis peccati, imo ab omni peccato, quantum
in ipso est : quemadmodum per Osee lo-
quitur, De manu mortis liberabo eos, de *Osee* XIII, 14.
morte redimam eos. De quo etiam per Isa-
D iam dictum est : Dominus rex noster, ipse *Is.* XXXIII, 22; XXXV, 4.
veniet et salvabit nos. Qui et apud Zacha-
riam hortatur : Lauda et lætare, filia Sion, *Zach.* II, 10.
quia ecce venio, et habitabo in medio tui.
Christi equidem incarnatio, nostra est dei-
ficatio, ut asserit Leo Papa. Itaque ejus
incarnatio, inchoatio fuit nostræ redempti-
onis atque salutis, quæ per Christi passio-
nem completæ sunt. Non enim per solam
suam incarnationem nos salvare decrevit,
sed salvationem nostram per suam passio-
nem consummare instituit. Unde quod Za-

charias locutus est, Fecit, more prophetico A accipi potest per modum futuri, id est, facturus est, quoniam sua passione fuit redemptionem istam plene facturus, utpote nostra crimina deleturus, nosque Deo reconciliaturus, secundum illud Isaiæ : *Is.* LIII, 5. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; *Ibid.* 6. et rursus, Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Etenim Christus sua passione ac obedientia pro omnibus satisfecit ; sed si fructum suæ passionis consequi debemus, oportet ut meritum B ejus nobis per sacramenta, seu modo alio, applicetur et communicetur. Hinc Christus *Luc.* XIX, 10. de se ipso testatur : Venit Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat.

Denique, per plebem suam seu populum Dei, intelligi potest non solum plebs Judæorum, sed tota gens electorum : qui sunt populus Dei per prædestinationem æternam, et spiritualiter Israel, id est Deum videns, seu fide contemplans. De quo po- *Galat.* VI, 16. pulo dicit Apostolus : Pax super Israel Dei. Verumtamen, per plebem suam, hoc loco C litteralius intelligitur populus Judæorum, ad quorum redemptionem Christus primo, directe, ac principaliter venit, secundum *Matth.* XV, 24. quod asserit : Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel. Quibus verbum Dei spernentibus, justa facta est Apostolorum transmigratio ad instruendos gentiles, pro quorum salvatione Christus quasi secundario venit. Propter quod Pau- *Act.* XIII, 46. lus et Barnabas dixerunt Judæis : Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repulistis illud, convertimur ad D gentes.

69 *Et erexit,* id est, suscitavit, levavit et declaravit, *cornu salutis,* hoc est annuntiationem beatitudinis veræ atque cœlestis, *nobis,* id est ad nostram salvationem, ut ei credendo salvemur, *in domo David pueri sui,* hoc est in tribu seu familia David prophetæ, de cujus semine ortus est Christus, juxta illud Apostoli ad Romanos: *Rom.* I, 3. Qui factus est ex semine David secundum carnem.

Sed quomodo Deus Israel, scilicet Christus, erexit hoc cornu salutis ? Et respondendum, quod per hoc, quod jam ore angelico revelavit Zachariæ statim se in- vers. 17. carnandum, venturum et salvaturum genus humanum : cujus utique Christi incarnationem novit Zacharias in Virgine Davidicæ stirpis peractam. Itaque per cornu, publica denuntiatio magnæ rei significatur, quia per cornua solent magnalia notificari: et jam non solum per angelum, sed et per Mariam Deus de hac re prophetavit. Hinc vers. 54. dicit Theophilus : Videbatur Deus dormire, peccata multa respiciens, neque hæc curans; sed in novissimis temporibus incarnatus, excitatus est, contrivitque dæmones nos odientes. — Insuper, per cornu, potestas seu altitudo exprimitur, eo quod cornua sint in animali partes eminentes ac solidæ : eritque sensus, quod Deus robur apicemque salutis, hoc est inviolabilem et cœlestem felicitatem, nobis denuntiavit, in domo David, id est in Christo de progenie David exorto, per quem et in quo beatitudo hæc datur, quia non nisi in Christum credenti præstatur, quemadmodum in Actibus princeps Apostolorum disseruit : Non est aliud nomen sub cœlo *Act.* IV, 12. datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.

Postremo, per cornu designatur rex, regia potestas, seu regnum, præsertim in Apocalypsi et Daniele. Unde in Apocalypsi legitur : Vidi de mari ascendentem besti- *Apoc.* XIII, 1. am habentem capita septem, et cornua decem; et in Daniele : Bestia quarta habebat *Dan.* VII, 7, 8. cornua decem; et ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum, et tria de cornibus primis evulsa sunt a facie ejus. Itaque, hic per cornu intelligi potest Christus Rex regum, seu regnum ipsius. Hoc enim cornu erexit, id est, per incarnationem apparere fecit, et declaravit primo in domo David, id est in progenie Davidica, de qua natus est Christus, qui primo in terris visus et conversatus est inter quos- *Baruch* III, 38. dam de sua hac genealogia progenitos. Sic ergo, *erexit* Deus Pater seu Trinitas, vel

Christus secundum quod Deus, *cornu salutis,* id est Christum regem nostræ salutis : erexit, inquam, eum *nobis,* secundum quod homo est. Christus nempe secundum divinitatem, erexit se ipsum secundum humanitatem. Quidam istam erectionem referunt ad Christi resurrectionem vel ascensionem, quia tunc Christus cornu salutis, id est potestatem et gloriam beatitudinis, erexit seu publice demonstravit, resurgendo ad vitam immortalem, patres quoque educendo de limbo, et regna ascendendo cœlestia. Sic Zacharias loquitur de futuro per modum præteriti, ut mos est Prophetarum.

Hoc itaque Deus fideliter egit, non improvise; sed sicut prædixit, vere implevit.
70 Hinc subditur : *Sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt, Prophetarum ejus,* hoc est, sicut prænuntiavit per sanctos Prophetas qui a principio mundi fuerunt, qui verbis, signis, figuris seu factis, de Christo locuti sunt, et ejus mysteria prædixerunt : quia in nulla mundi ætate defuit prophetia de Christo, ut Augustinus declarat. Nam et Adam de Christo verbis et rebus locutus est; similiter ceteri Patriarchæ ac vates. Propter quod in Actibus Petrus testatur (*Act.* III, 18) : Deus qui prænuntiavit per os omnium Prophetarum pati Christum suum, implevit sic. Et alibi ait (*Ibid.* X, 43) : Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent. Tantum quippe mysterium, decuit diu ante ac multipliciter prænuntiari, ut ejus dignitas agnoscatur, et factum credibilius ostendatur, firmiusque credatur. Unde in hoc fides nostra certissime confirmatur, quod omnia quæ de Christo credimus et tenemus, taliter prophetata probamus. Sed et ipsi Hebræorum doctores fatentur, quod omnes Prophetæ non sunt locuti, nisi super dies Messiæ, id est pro tempore Christi : quia videlicet quidquid locuti sunt, ad Christum finaliter retulerunt, et de ipso principaliter sunt effati. Unde nunc singulariter dicitur, Per os sanctorum, eo quod omnes uno spiritu concorditer sint locuti.

71 *Salutem ex inimicis nostris, et de manu omnium qui oderunt nos.* His verbis exponit, quid sit quod dixit, Erexit cornu salutis nobis. Ut sit sensus : Erexit, etc., sicut locutus est, id est, sicut per Prophetas promisit erigere seu procurare nobis, salutem, id est salvationem, ex inimicis nostris, præsertim invisibilibus, hoc est liberationem a dæmonibus, imo etiam a carne et mundo, omnique veræ beatitudinis impedimento. Unde in epistola Joannis scriptum est (I *Joann.* III, 8) : In hoc apparuit Filius Dei ut dissolvat opera diaboli. Porro, quod ait, De manu omnium qui oderunt nos, quidam exponunt de gentilibus, quos Christus convertit : et sic inter illos et Judæos conversos pax fuit, inter quos ante inimicitia erat (*Ephes.* II, 14-16). Potest quoque de cunctis perversis hominibus accipi, a quibus liberantur electi : non quod ab illis in vita hac non tribulentur aut trucidentur; sed quia per timorem inordinatum eis non subjiciuntur, nec ad vitia inducuntur, et per temporalem quam ab illis patiuntur persecutionem, ad gloriam perducuntur æternam, sicque æternaliter liberantur ab omni infestatione illorum, quemadmodum plenius Augustinus declarat super illud Psalmi, A timore inimici eripe animam meam (*Ps.* LXIII, 2). Hoc est quod apud Michæam promissum est primitivæ Ecclesiæ (*Mich.* V, 9) : Exaltabitur manus tua super hostes tuos, et omnes inimici tui interibunt. Et ibidem de Christo prædictum est (*Ibid.* 5, 6) : Et erit iste pax, quum venerit, et quando calcaverit in domibus nostris.

72 Sic ergo erexit nobis salutem, *Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris,* id est ad hoc, ut Patriarchis et justis olim defunctis consummatam misericordiam, utpote plenam felicitatem, impenderet, educendo eos de limbo, et constituendo in cœlesti palatio, quemadmodum apud Zachariam Christo dicitur (*Zach.* IX, 11) : Tu quoque, in sanguine testamenti tui, emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua. Vel, Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, id est ad hoc, ut misericorditer impleat quod ipsis se præstiturum prædixit. Ideo quoque hæc verba dicuntur, quia non

ob nostram justitiam, sed propter suam A compietatem immensam Christus hæc nobis largitus est, nostramque assumpsit naturam, sicut ad Titum scribit Apostolus : *Tit.* III, 4, 5. Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit. *Et memorari testamenti sui sancti,* id est ad hoc, ut per operis exhibitionem ostendat se memorem sancti testamenti, hoc est pacti seu fœderis sui firmissimi quod fecit et iniit cum Patriarchis et vatibus veteris Testamenti, quibus promisit Christus se incarnandum atque in mundum venturum, secundum *Is.* LII, 6. illud Isaiæ : Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum. Cujus testamenti ostendit se memorem, naturam assumendo humanam ex Virgine.

Sic ergo memoratus est testamenti sui,
73 quod est, *Jusjurandum,* quia juramento firmatum, *quod juravit,* jurando per se ipsum, *ad Abraham patrem nostrum :* quem- *Gen.* XXII, 16-18. admodum in Genesi habetur : Per memetipsum juravi, dicit Dominus : quia fecisti hanc rem, et non pepercisti unigenito tuo propter me, multiplicabo te, et benedicam tibi; et benedicentur in semine tuo omnes gentes. Ubi per semen Abrahæ intelligi- *Galat.* III, 8, 16. tur Christus, secundum Apostolum. Sicque verbis illis promisit Deus Pater Unigenitum suum ex semine Abrahæ incarnandum ; vel ipsemet unicus Dei Patris Filius verbis illis promisit se taliter incarnandum. Pater autem dando nobis Filium suum per Incarnationis mysterium, etiam et D se ipsum præstitit nobis per gratiam ampliorem.

Hinc subditur : *daturum se nobis.* Filius *Matth.* XXVIII, 10 ; *Luc.* II, 11 ; I *Joann.* II, 1. *Baruch* III, 38. *Joann.* VI, 56 ; *Matth.* XXVI, 26. quippe dedit se nobis, exhibendo se fratrem, salvatorem, advocatumque nostrum : imo et aliis modis communicavit se nobis, quia nascendo et conversando in mundo fecit se socium hominum, in Cœna dedit se nobis in cibum, moriendo in pretium liberativum, in patria demum dat se ipsum in objectale ac beatificum præmium. Quod S. Thomas in hymno de Sacramento compendiose tetigit, dicens :

> Se nascens dedit socium,
> Convescens, in edulium,
> Se moriens, in pretium,
> Se regnans dat in præmium.

Hinc etiam Abrahæ in Genesi ait : Ego pro- *Gen.* XV, 1. tector tuus et merces tua magna nimis. Denique illis dicitur Deus se dare, quibus caritatem et gratiam suam infundit : illi etenim habent et possident Deum tanquam B suæ dilectionis et occupationis objectum. In quo plena liberalitas, summa dignatio, purissimaque Dei ad nos dilectio demonstratur, quoniam dando nobis dona sua, pariter præstat se ipsum, videlicet ad habendum, ad possidendum, ad intuendum, ad diligendum, ad perfruendum, ad conservandum, ad auxiliandum, ad defendendum, ad commanendum in sempiternum. Illa namque est liberalissima dilectio, qua quis alteri præstat se ipsum. Ideo ait Psalmista : Dominus pars hereditatis meæ, et ca- *Ps.* XV, 5. C licis mei. Et in libro Threnorum legitur : Pars mea Dominus, dixit anima mea ; pro- *Thren.* III, 24. pterea exspectabo eum. Nunc autem ad litteram sermo est de datione qua Unigenitus datus est nobis, per hoc quod nostram assumpsit naturam, ad peragendam nostram salutem. Unde in Isaia habetur : Parvulus natus est nobis, et filius datus *Is.* IX, 6. est nobis.

Deinde ratio hujus subjungitur. *Ut sine* 74
timore inordinato, carnali, sæculari, servili, *de manu inimicorum nostrorum* invisibilium seu visibilium, *liberati* per Christi adventum ac passionem, *serviamus illi,* scilicet vero Deo servitute latriæ, de qua in Deuteronomio habetur : Dominum Deum *Deut.* VI, 13. timebis et illi soli servies. Est latria virtus Deo cultum cærimoniamque impendens. *In sanctitate,* hoc est puritate men- 75
tali, omni terrena et carnali affectione exclusa, utpote in perfecta cordis conversione ad Deum, universis animæ affectibus reformatis, ordinatis, atque in Deum reductis. Sic nempe supersancto penitusque

immensæ munditiæ Deo est obsequendum.
Lev. xi, 43, 44. Propter quod in Levitico loquitur : Nolite
contaminare animas vestras : ego enim
sum Dominus Deus vester; sancti estote,
quoniam ego sanctus sum. In Deuterono-
Deut. xviii, 13. mio quoque dicitur : Perfectus et absque
macula eris cum Domino Deo tuo.

Porro quod ait, Sine timore, referri potest ad illud quod sequitur, Liberati, et
ad verbum, Serviamus. Primo modo est
sensus, quod sine nostro periculo ac timore Christus nos liberavit, quum tamen
plures de hostium manibus non absque
ingenti suo pavore atque periculo eruantur. Christus quoque absque sui ipsius inordinato timore nos liberavit. Quamvis pas-
Marc. xiv, 33. sione instante, naturali timore concussus
sit, hoc tamen sponte et potestative seu
ex prævio rationis judicio contigit, et eumdem timorem, quum voluit, abjecit, atque
Ibid. 42. intrepidus obviam profectus est hostibus.
— Si autem referatur ad verbum hoc, Serviamus, iste est sensus, quod Christus ideo promisit daturum se nobis, ut liberati
per ipsum ab hostibus, serviamus ei absque inordinato timore, in sanctitate : non
quod nullos adversarios habeamus, quum
II Tim. iii, 12. omnes qui volunt pie vivere in Christo
persecutionem patiantur; sed quod illos
inordinate non metuamus, nec peccando
subdi cogamur, nec dæmonum manus, ut
antea, incidamus, nec inferni suppliciis
deputemur, imo ab omni gloriæ obstaculo
eruamur, merito dominicæ passionis, dummodo nos ipsi obicem non ponamus. Hæc
est spiritualis securitas, internaque pax,
et vera libertas militantis Ecclesiæ, quantum ad eos qui fide et opere Christiani
Act. ii, iv, v. consistunt : quæ in primitiva Ecclesia maxime abundabant, sicut in Actibus Apostolorum docetur. Unde apud Isaiam Do-
Is. xxxii, 18. minus prænuntiavit : Sedebit, inquiens,
populus meus in pulchritudine pacis, et
in tabernaculis fiduciæ, et in requie opu-
Soph. iii, 14, 15. lenta. Et in Sophonia legitur : Lauda, filia
Sion; exsulta in omni corde, filia Jerusalem : avertit Dominus inimicos tuos, non
timebis malum ultra. Insuper, per Jere-
A miam quum Dominus protulisset, Suscita- Jer. xxiii, 5.
bo David germen justum, id est Christum
filium David, ut omnes exponunt, mox
subditur, In diebus illis salvabitur Juda, Ibid. 6.
et Israel habitabit confidenter : quia videlicet conversi ad Christum, non timuerunt eos qui corpus occidunt, utpote pa- Matth. x, 28.
rati mori pro fide et veritate ac Deo, eo
quod essent repleti caritate et gratia Christi, per quam optimæ et invictissimæ fuerunt fiduciæ.

Denique, ideo venit Christus, ut per ejus
B passionem redempti, serviamus ei secundum evangelicæ legis tenorem. Hæc autem
est lex perfectionis. Propter quod ait apud
Matthæum : Estote ergo et vos perfecti, Ibid. v, 48.
sicut Pater vester cœlestis perfectus est.
Ad quod exigitur, ut homo non solum
habeat se reverenter et pure ad Dominum,
sed etiam juste ad proximum, dando cuique quod suum est, et proximos suos ædificando in omnibus, juxta illud Apostoli :
Quæ pacis sunt, sectemur, et quæ ædifi- Rom. xiv, 19.
cationis sunt, in invicem custodiamus. Et
C rursus : Ne ponatis offendiculum fratri, Ibid. 13, 15.
vel scandalum; noli illum perdere pro
quo Christus mortuus est. Ideo subditur :
et justitia, id est actibus justitiæ tam distributivæ, quam commutativæ. Imo per
justitiam intelligi potest quælibet virtus,
secundum quod justitia dicitur omnis virtus, seu virtus communis. Omnis etenim
virtus est quædam justitia, quia per eam
debitum quoddam exsolvitur, seu Deo ut
justum est ministratur : sicut per caritatem Deum diligimus ut tenemur, per mi-
D sericordiam proximo subvenimus ut obligamur. Deo autem non solum in justitia
quæ est virtus specialis, sed in omni virtute servire debemus, præsertim fide, spe
et caritate, quibus directe colitur Deus,
tanquam immediatum propriumque objectum illarum.

Coram ipso, hoc est recta intentione et
cum attentione interna : ut in Dei præsentia nos constituamus, eumque ut regem
ac judicem omnia intuentem pensemus;
et ita ei soli finaliter placere optemus,

ejus honorem et gloriam in omnibus exquiramus, timorate ac reverenter cuncta *Matth.* VI, 1-6. agentes, simplici corde, non velut hypocritæ coram hominibus bona agendo ob propriam utilitatem seu laudem : ut illud *Ps.* CXVIII, 168. Psalmistæ veraciter dicere mereamur, Servavi mandata tua et testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo; et illud III *Reg.* XVII, 1. Eliæ, Vivit Dominus, in cujus conspectu sto hodie.

Itaque, Serviamus ei, non uno die, vel raro, aut modico tempore, sed incessanter et perseveranter, ut subditur : *omnibus* *Matth.* X, 22. *diebus nostris*. Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Ideo mo- *Galat.* VI, 9. net Apostolus : Bonum facientes, non deficiamus; tempore enim suo metemus non deficientes. Nihil demum tam stultum, quam tempus, non solum infructuose, sed etiam vitiose expendere. Jugiter igitur Deo altissimo obsequamur, semperque perfectius atque amorosius obsequi studeamus, *Jer.* XLVIII, 10. pensantes quod scriptum est : Maledictus qui facit opus Dei negligenter.

Postremo, inquiritur quomodo per Christum liberatum sit genus humanum, quum tam pauci salventur, tamque multi pereant. Respondendum, quod Christus sua passione pro totius mundi seu populi satisfecit peccatis, quantum in ipso est : ita quod meritum suum tantum fuit, quod pro omnium peccatorum deletione sufficiens sit; sed non subvenit, nisi his quibus applicatur seu communicatur per fidem, caritatem, aut sacramenta. Sua quoque sanctissima conversatione ac passione meruit omnibus nobis gratiam copiosam; specialiter tamen pro originali peccato satisfecisse asseritur, quoniam propter reatum illius, a gloria totum genus differebatur humanum. Conversatio demum et passio Christi, ex tam perfectissima caritate ac obedientia orientes, tam acceptæ Deo Patri seu superbenedictæ Trinitati fuerunt, quod pro totius mundi liberatione et justificatione ita fuerunt idoneæ, meritoriæ et prædignæ, præsertim propter hypostaticam seu personalem unionem hu- A manitatis Christi cum Verbo, ex qua infinitam quodammodo promerendi ac satisfaciendi idoneitatem efficaciamque sortita est.

Et tu, puer, Propheta Altissimi vocaberis. 76
Secundum Origenem, Zacharias plenus Spiritu Sancto, duas prophetias generaliter nuntiat : primam de Christo, quæ se extendit hucusque; alteram de Joanne, quæ incipit hic, ubi prædicit quod gratia prophetiæ fuerit danda Joanni, ita quod erit atque vocabitur Propheta Christi, qui B secundum Apostolum ad Romanos, est su- *Rom.* IX, 5. per omnia Deus benedictus in sæcula. Verumtamen apud Joannem legitur, iste Joannes interrogatus, Propheta es tu ? re- *Joann.* I, 21. spondisse, Non sum. Ad quod dupliciter respondetur : Primo, secundum Glossam ibidem, quod Judæi interrogantes, per Prophetam intellexerunt Eliseum : quod advertens Joannes, intentioni eorum rite respondit. Secundo, quod prophetam, id est prophetam dumtaxat, esse se negat, quia et plus quam propheta fuit, non solum *Matth.* XI, 9. C denuntiando futura, sed et Christum demonstrans præsentem.

Rursus inquiritur, cur Zacharias allocutus sit infantem octo dierum, in quo usus nondum exstitit rationis. Ad quod respondet Ambrosius, quod Zacharias agnovit infantem illum supernaturaliter intelligere sua verba, sicut in utero suæ Matris intellexit Filii Dei incarnationem atque præsentiam corporalem. Ait quippe Ambrosius : Potuit Joannes vocem patris sui natus audire, qui Mariæ salutationem, an- D tequam nasceretur, audivit. Sciebat Zacharias alias esse aures Prophetæ, quæ spiritu Dei, non corporis ætate, reserantur. Habebat Joannes intelligendi sensum, qui exsultandi habebat affectum. Alii (sicut Beda) dicunt, quod non propter Joannis advertentiam, sed eorum qui aderant instructionem, ista prædixit : nam et inanimata et bruta alloquimur, ea ad Dei præconium invitando, non ut illa intelligant, sed ut nos ipsi ac audientes ad Dei laudem sic provocemur.

Præterea multis nominibus invenitur Jo- A (Joann. III, 29.) annes appellatus. Dictus namque est amicus Sponsi, præcursor Christi, Baptista, (Malach. III, 1; Joann. V, 35; Matth. XI, 9, 14.) angelus, lucerna ardens et lucens, propheta et plus quam propheta, atque Elias, propter gratiæ varia dona sibi collata.

Præibis enim ante faciem Domini, id est ante corporalem ac manifestam præ- (Apoc. XIX, 16.) sentiam Christi, qui est Rex regum et Dominus dominantium. Joannes etenim natus est ante Christum ; insuper orsus est prædicare et baptizare ante eumdem, præcessit etiam eum in limbum : idcirco præcursor vocatur. Quidam per faciem Domini intelligunt Christum Filium Patris, ut dicatur similitudo et facies Patris, quia (Joann. XIV, 6-10.) per eum Pater cognoscitur. Per faciem enim notitia designatur : notitia autem in divinis Filio appropriatur, quemadmodum sapientia et veritas, quia per modum intellectualis emanationis procedit a Patre. *Parare vias ejus,* hoc est disponere homines ad Christi fidem, caritatem ac susceptionem : quod egit Joannes prædicando, monstrando et baptizando. Insuper, viæ Christi, id est viæ seu media per quæ Christus venit ad hominum corda, fuerunt prædicatio et baptismus Joannis, quæ ipse paravit, id est, sapienter exhibuit, sicut quis præparat mensam. Vel, viæ istæ sunt Baptismus et prædicatio Christi, ad quæ duo Joannes suo documento atque baptismate homines disponebat. Rursus, viæ istæ sunt opera virtuosa, seu præceptorum custodiæ, ad quæ homines Joannes induxit, vitia exstirpando, ac virtutes dispositive seu instrumentaliter inducendo. Propter quod per Malachiam Dominus loquitur de (Malach. III, 1 ; Matth. XI, 10.) Joanne : Ecce ego, inquiens, mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam. Rursus, viæ istæ sunt misericordia qua Deus venit ad nos, et pœnitentia qua imus ad eum. Ad primam paravit Joannes, Christi gratiam et Baptismum insinuando ; ad secundam, pœnitentiam exhortando, et rigorose vivendo. — Præterea, secundum Chrysostomum, quemadmodum reges quosdam habent qui eminus seu longe eos præcedunt, et item commilitones qui de propinquo præcedunt; sic Christus habuit Prophetas alios, eum longe ante prænuntiantes et præcedentes, Joannem vero eum de proximo præcedentem ac præsentem, deinde monstrantem.

Deinde, secundum Theophilum, Zacharias exponit quomodo Joannes viam Domini præparavit, puta docendo. *Ad dan-* 77
dam scientiam salutis plebi ejus, hoc est ad exhibendum seu prædicandum populo Judæorum notitiam qua ad veram felici- B tatem pertingitur, seu notitiam Christi, qui est salus nostra. (Act. IV, 12.) Hæc est scientia salutaris, doctrina moralis, declaratio adventus mysteriorumque Christi, et sacramentorum Ecclesiæ. Itaque non ait, Ad dandam salutem, sed, Scientiam salutis, quia Joannes salutem non dedit, sed prædicavit. Propter quod apud Joannem habetur : (Joann. I, 8.) Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Hanc scientiam cœpit Joannes dare, quam Christus et Apostoli postea plenius contulerunt : de qua ad C Philippenses ait Apostolus, (Philipp. III, 8.) Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Domini nostri Jesu Christi. Hanc autem scientiam dedit, *in remissionem peccatorum eorum,* videlicet plebis suæ, puta credentium. Hæc autem scientia dispositive ac incitative valuit ad diluenda peccata, quia per eam ad pœnitentiam Christique fidem explicitam populus inducebatur. Solus autem Deus dimittit peccata effective, secundum illud : (Marc. II, 7.) Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Passio Christi D [hoc facit] meritorie, juxta quod in Apocalypsi habetur : (Apoc. I, 5.) Christus dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Fides autem formata hoc agit formaliter, prout in Actibus dicitur : (Act. XV, 9.) Fide purificans corda eorum. Opera vero pœnitentiæ hoc faciunt satisfactorie.

Per viscera misericordiæ, id est inti- 78
mam, secretam, viscerosam, seu amorosam misericordiam, *Dei nostri* unigeniti, scilicet propter nos incarnati, *in quibus* visceribus misericordiæ *visitavit nos,* id est, per

incarnationem ad nos descendit, et nostram sibi conjunxit naturam, nos quoque ægrotos velut medicus pius nunc accessit. Itaque viscera in Deo, spiritualiter et metaphorice appellantur caritas et misericordia ejus, quibus inductus est succurrere
Galat. II, 20. nobis, sicut de Christo ait Apostolus : Qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.
Ephes. II, 4; *Galat.* IV, 4. Rursus quoque de Patre : Propter nimiam (inquit) caritatem qua dilexit nos Pater, Filium suum misit. Itaque, quia non propter merita nostra, sed ob suam pietatem et caritatem Deus hæc beneficia nobis largitus est, recte ait : Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos. Unde in epistola Joannis legitur :
I *Joann.* IV, 10. In hoc est caritas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos. Hæc viscera Dei olim quasi
Is. LXIII, 15. latebant, juxta illud Isaiæ : Multitudo viscerum tuorum et miserationum tuarum super me continuerunt se.

Itaque, Visitavit nos *oriens ex alto,* hoc est, de summo cœlo ad terram descendens, de sinu Patris, imo de corde Patris in uterum Virginis veniens, ab altitudine suæ
I *Tim.* VI, 16. habitationis, qua inaccessibilem lucem inhabitat, ad peregrinos et exsules se incli-
Ps. XVIII, 7. nans, quemadmodum scriptum est : A summo cœlo egressio ejus. Christus quoque,
Zach. VI, 12. Oriens nuncupatur : qui candor est lucis
Sap. VII, 26. æternæ, et gloriæ splendor paternæ, ex su-
Hebr. I, 3. persplendidissimo Dei Patris corde æternaliter oriens et emanans, deinde per humanitatem assumptam hominibus innotescens atque resplendens. Qui in Ecclesiastico te-
Eccli. XXIV, 7. statur : Ego, inquiens, in altissimis habi-
Ibid. 6. tavi ; et rursus, Ego feci in cœlis, ut oriretur lumen indeficiens. De quo secundum formam servi, Deus Pater per Zachariam
Zach. III, 8. ait : Ecce ego adducam servum meum Orientem. De quo per eumdem Zachariam :
Ibid. VI, 12. Ecce vir, Oriens nomen ejus.

At vero, sicut a parte cœli orientali, quæ oriens dicitur, lux solis terrigenis oritur, ita a Christo lux gratiæ nobis profluxit, Solque sapientiæ, Deus unus et trinus, per ejus humanitatem nos illustravit. Hinc sub-

A ditur : *Illuminare his,* hoc est ad illuminandum eos, *qui in tenebris* ignorantiæ et erroris seu infidelitatis, *et in umbra mortis sedent,* id est in vita impia : quæ umbra mortis vocatur, quia a Deo separat mentem, sicut mors naturalis seu corporalis a corpore segregat animam, juxta illud Isaiæ : Iniquitates vestræ diviserunt inter *Is.* LIX, 2.
vos et Deum vestrum. Vel umbra mortis, est sæculum præsens, quod quum sit vallis lacrimarum, peregrinatio et exsilium, umbra et similitudo mortis respectu pa-
B triæ nominatur ; imo et vita præsens, umbra mortis vocatur, dicente Gregorio : Vita temporalis æternæ vitæ comparata, mors est potius dicenda, quam vita. Quidam per umbram mortis, oblivionem intelligunt, quia sicut mors tollit ab exsistentia in natura, sic oblivio ab exsistentia in memoria.

Insuper aliqui per sedentes in tenebris, accipiunt patres in limbo detentos, qui fuerunt in tenebris, hoc est carentia lucis gloriæ, et loco obscuro : ad quorum illuminationem Christus post mortem in cru-
C ce statim descendit, eosque mox ibi lumine gloriæ illustravit, ita quod tunc Deum per speciem videre cœperunt, secundum doctores. Tunc namque pro originalis peccati reatu fuerat satisfactum, pretiumque redemptionis solutum, pro quo reatu dumtaxat sancti illi differebantur a gloria. Per sedentes vero in umbra mortis, intelligunt viatores et peccatores. — Proprie quoque per sedentes in tenebris, intelliguntur gentiles idololatræ, ad quorum illuminationem Christus descendit, sicut apud Joannem lo-
D quitur : Alias oves habeo, quæ non sunt *Joann.* X, 16.
ex hoc ovili, et illas oportet me adducere. De hac re multa in Isaia leguntur, ut est illud : Populus qui ambulabat in tenebris, *Is.* IX, 2.
vidit lucem magnam ; habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Rursus per Isaiam prophetam Pater loquitur Christo : Dedi te in lucem gentium, ut ape- *Ibid.* XLII, 6, 7.
rires oculos cæcorum, et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris. Sed et per Isaiam Christus de Patre testatur : Glorificatus sum in ocu- *Ibid.* XLIX, 5, 6.

lis Domini, et dixit : Parum est ut sis mihi A
ad suscitandas tribus Jacob, et ad fæces
Israel convertendas ; dedi te in lucem gentium,
ut sis salus mea usque ad ultimum
terræ. Hinc quoque Joannes de ipso ait :
Joann. I, 9. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem
venientem in hunc mundum.

Ad dirigendos pedes nostros, hoc est af-
Ps. XXXIX, 3. fectus : de quibus cantamus, Statuit supra
petram pedes meos ; et in Canticis lo-
Cant. V, 3. quitur Sponsa, Lavi pedes meos ; *in viam
pacis,* hoc est ad conversationem justam
ac virtuosam, quæ est iter ad pacem pe- B
ctoris in præsenti, atque ad pacem æternitatis
in futuro. Ad hanc duplicem pacem
præstandam, Christus potissimum venit et
passus est. Propter quod testabatur Apo-
Joann. XIV, 27. stolis : Pacem, inquiens, relinquo vobis,
pacem meam do vobis. Hinc de Christo ait
Ephes. II, 17. Apostolus : Veniens evangelizavit pacem
his qui longe, et his qui prope, hoc est
Is. LVII, 19. gentilibus ac Judæis : quæ verba ex Isaia
accepta sunt.

Denique, quum pax ista spiritualis ac
Galat. V, 22. vera, fructusque Spiritus, secundum Apo- C
stolum ad Galatas, sit quies, tranquillitas
seu quietatio mentis in Deo, seu gaudium
imperturbatum in eo ; certum est quod
per conversationem virtuosam homo ad
pacem pertingat, vitiorum ac passionum
tumultus inquietudinesque sedando et exstirpando.
Præcipue tamen pax a caritate
procedit, quasi efficienter. Caritas namque
unionem et concordiam parit, quietem
quoque et gaudium in amato, dum ei con-
Ps. CXVIII, 165. jungitur, designat. Hinc ait Psalmista : Pax
multa diligentibus legem tuam. Ex justitia D
vero procedere dicitur, quasi prohibens a
removente, quia justitia impedimenta pacis
aufert et perimit, juxta illud Isaiæ :
Is. XXXII, 17. Erit opus justitiæ pax. Rursus, pax ponitur
effectus prudentiæ, tanquam virtutis
dirigentis ad pacem per veram discretionem,
qua quis ordinate se habet : unde
nec perturbatur. Ideo ad Romanos ait Apo-
Rom. VIII, 6. stolus : Prudentia spiritus, vita et pax.
Hanc itaque pacem amemus, hanc exquiramus
et conservemus, quum dicat Salva-
tor : Beati pacifici, quoniam filii Dei vo- *Matth.* V, 9.
cabuntur.

Postremo, canticum istud sententiosum
ac dulce devotissime concinamus, grata et
affectuosa mente ineffabilia Dei beneficia,
præsertim Verbi æterni incarnationem, intime
recolentes, et grates Deo innumerabiles
præcordialissime referentes.

Puer autem, puta Joannes, *crescebat* 80
mente et corpore, sed multo plus mente,
proficiendo ineffabiliter omni charismate
gratiarum, ab eo tempore quo ratione uti
continue cœpit; *et confortabatur spiritu,*
hoc est a Spiritu Sancto, seu donis et gratia
ejus; vel, Spiritu, id est in anima sua
seu spiritu rationali, sicut ait Apostolus :
Optimum est gratia stabiliri cor. *Et erat* *Hebr.* XIII, 9.
in desertis, hoc est eremi et solitudinis locis,
ut ibi Deo per contemplationem et fervidam
dilectionem liberius frequentiusque
vacaret, quotidiana peccata, quæ ex humana
cohabitatione sæpe contingunt, magis
vitaret, solis supernis intenderet, vitam
rigorosiorem exemplarioremque duceret,
atque per hoc magis idoneus fieret Christi
testis, ac pœnitentiæ exhortator. Hinc
asserit Beda : Prædicator pœnitentiæ futurus,
ut liberius auditores suos a mundi
illecebris avertat, primævam in desertis
peragit vitam. Et Origenes : Erat, inquit,
in desertis, ubi purior aer est, cœlum apertius,
ac familiarior Deus : ut quia nondum
baptismi et prædicationis tempus advenit,
vacaret orationibus, et cum angelis conversaretur,
appellaret Dominum, et illum
audiret dicentem, Ecce adsum. Denique in
Hymno cantatur : Antra deserti teneris sub
annis, civium turmas fugiens petisti, etc.
Usque in diem ostensionis suæ ad Israel,
hoc est, quousque Deo jubente venit, et
manifestavit se populo Israelitico, prædicans
et baptizans circa Jordanem. Quo autem
tempore facta sit illa ostensio, infra
capitulo tertio dicitur : Anno quintodeci- *Luc.* III, 1.
mo imperii Tiberii Cæsaris. Itaque cœpit
Joannes facere et docere, sicut et Christus, *Act.* I, 1.
tanquam verus ejus præcursor, præco, servus,
amicus, discipulus.

ARTICULUS VI

EXPOSITIO CAPITULI SECUNDI : FACTUM EST AUTEM IN DIEBUS ILLIS, EXIIT EDICTUM A CÆSARE AUGUSTO.

DESCRIPTA Præcursoris nativitate ac circumcisione, nunc Christi nativitas
1 et circumcisio describuntur. *Factum est autem in diebus illis,* hoc est tempore quo crescebat et confortabatur Joannes, vel circiter, *exiit edictum a Cæsare Augusto,* hoc est, Octavianus imperator præcepit : qui Octavianus fuit successor Julii primi imperatoris, qui invasit imperium, illud præliis adipiscendo, quum fugasset Pompeium. Julius autem dictus est Cæsar, vel quia mortua matre, per materni uteri excisionem extractus est, secundum Isidorum, vel quia Cæsareæ natus est, aut quia victoriosus fuit hostium cæsor. Filia autem Julii fuit uxor Octaviani, qui a prædecessore suo retinuit nomen hoc, Cæsar, et insuper cognominatus fuit Augustus, quia rempublicam, et imperium Romanum, omnesque opes maxime auxit Romæ. *Ut describeretur universus orbis,* hoc est, nomina regionum, et urbium, villarum, vicorum, et habitatorum omnium horum, redigerentur in scriptis, et deferrentur ad Romam, sibique insinuarentur. Voluit enim hic imperator scire magnitudinem suæ potentiæ ex quantitate subditorum suorum, videlicet quot provinciis, urbibus, vicis et villis, imo et quot hominibus dominaretur; ut etiam sciret magnitudinem et valorem tributi quod sibi in singulis suæ ditionis provinciis solvebatur, et qualiter provincias melius conservaret in pace, providendo singulis de præsidibus, judicibus seu dominatoribus.

Interea, secundum Ambrosium et Glossam, Octavianus non imperavit universo orbi, imo nec Gothis, neque Armeniis, secundum Ambrosium ; nec videtur possibile, quod ad omnes mundi provincias potuerit potestatem suam extendere aut venire : idcirco, quod totus orbis dicitur ad ejus jussionem descriptus, hyperbolica locutio est, qua aliquid dicitur per excessum, ad insinuandum magnitudinem rei, quemadmodum apud Joannem Pharisæi dicunt de Christo et populo eum in die Palmarum sequente: Ecce totus mundus abiit post eum. *Joann.* XII, 19. Ad innuendum ergo quod Augustus latissime imperavit, dicitur toti orbi dominatus, illumque describi jussisse. Revera namque latissime imperavit, nec aliqua ei regio quivit resistere, sed victoriosissimus ac fortunatissimus fuit. Propter quod in senatu postea, scilicet tempore Trajani imperatoris, fuit clamatum : Nullus felicior Octaviano, nullus melior Trajano.

Denique, quinquaginta septem annis et medio Octavianus legitur imperasse, et quadragesimo secundo sui imperii anno edictum istud constituisse : ita quod sub ejus imperio inaudita pax fuit in sæculo, omnibus uni homini subditis, ad præfigurandum quod Christus tunc veniens, veram pectoris æternitatisque pacem omnibus in se credentibus esset daturus, eosque in patria æternæ felicitatis collocaturus. Unde tunc litteraliter fuit impletum, quod in primo Christi adventu esse implendum prædictum fuit per Isaiam atque Michæam : Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces; non levabit gens contra gentem gladium. *Is.* II, 4; *Mich.* IV, 3.

Hæc descriptio prima facta est a præ- 2
side Syriæ Cyrino. Ante hanc generalem mundi descriptionem, præcesserant particulares certarum regionum descriptiones,

II *Reg.* XXIV, 2. sicut in libro Regum legitur David jussisse A
Joab, ut populum regni sui numeraret at-
que in scriptis redigeret; sed ista quam
Octavianus fieri jussit, fuit prima, loquen-
do de generali orbis descriptione. Itaque
hæc descriptio prima, scilicet universalis,
quam alia similis non præcessit, facta est
a præside Syriæ. Vel hæc descriptio ab
Augusto præcepta, facta est prima, hoc
est, primo exsecutioni mandata est, seu fi-
eri cœpit, a præside Syriæ nomine Cyrino.
Quem Cyrinum Augustus præfecit Syriæ et
Judææ, secundum Græcum expositorem ; B
sed Cyrinus in Syria orsus est exsequi im-
peratoris edictum, eo quod Syria, ut dici-
tur, sit umbilicus seu medium terræ ha-
bitabilis, in cujus medio dicunt fuisse
Judæam.
3 *Et ibant omnes,* videlicet principales de
qualibet domo, vel etiam ceteri qui ire va-
lebant, *ut profiterentur,* hoc est, verbo et
facto protestarentur subjectos se Romano
imperio, *singuli in suam civitatem,* hoc
est in urbem de qua nati fuerunt, vel ad
4 quam amplius pertinebant. *Ascendit au-* C
tem et Joseph a Galilæa de civitate Naza-
reth, in qua Christus fuit conceptus; et
ibidem Virgo beatissima cum Joseph suo
ministro, sponso et viro, tunc habitavit.
Fertur quoque Joseph ascendisse, quoniam
civitas illa inferior fuit loco quem adiit.
De qua subditur : *in Judæam civitatem,*
hoc est in urbem ad tribum Juda spectan-
tem : ut Judæa adjective sumatur, quem-
Joann. III, 22. admodum in Joanne, quo dicitur, In Judæ-
am terram : civitatem, inquam, *David,* [*quæ*
vocatur Bethlehem,] id est, de qua exstitit D
I *Reg.* XVI, 1, 11, 12; XVII, 12. oriundus. Ibi enim pater suus moratus est,
et ipse cum illo, ut in libris Regum ha-
III *Reg.* VIII, 1. betur. Sion quoque dicitur civitas David,
quoniam ibi specialem sibi constituit man-
sionem, puta palatium, et quia Jerusalem
fuit metropolis regni David. Sion autem
quandoque pro Jerusalem, quandoque pro
illa parte Jerusalem ubi palatium fuit ac
templum, accipitur. *Eo quod esset de do-*
Matth. I, 6-16; *Luc.* III, 23-32. *mo, et,* pro id est, *familia David,* ut patet
in Matthæo, et infra capitulo tertio. Vel
per domum intelligitur genus seu cognatio
in communi; per familiam, pars cognatio-
nis. Multæ namque familiæ de eodem pa-
tre prodibant, quando multos filios habuit.
Circa quod ait Græcus : Per hoc quod Evan-
gelista ostendit Joseph fuisse de cognatione
David, contentus fuit ipsam quoque Virgi-
nem de eadem fuisse cognatione promul-
gare, quum divina lex præciperet conjuga- *Deut.* XXV, 5.
les copulas ex eadem progenie contrahi. *Ut* 5
profiteretur cum Maria desponsata sibi
antequam illa conciperet Christum. Missus *Luc.* I, 26, 27.
est enim Gabriel angelus ad virginem de-
sponsatam viro, cui nomen Joseph, ut di-
ctum est. *Uxore prægnante,* hoc est partui
jam propinqua. Veraciter enim uxor ipsius
fuit, quamvis eam nunquam cognoverit.
Unde apud Matthæum, angelus ait ad eum,
ante Christi nativitatem ex Virgine : Noli *Matth.* I, 20.
timere accipere Mariam conjugem tuam.
Siquidem verum inter eos matrimonium
fuit, quamvis non sit carnali copula con-
summatum.
Porro, professio illa fiebat verbo et fa-
cto, quia dicebant se imperatori subjectos,
atque in signum veritatis, ponebant denari-
um imperatoris imagine insignitum super
proprium caput, quem statim porrigebant
imperatoris ministro, qui nomina profi-
tentium mox descripsit. Estque dubium
apud quosdam, an solus vir profitebatur.
Quod si dicatur, tunc quod ait Evangelista,
Cum Maria, refertur ad verbum, Ascendit,
non ad verbum, Profitebatur.
Factum est autem, quum essent ibi, pu- 6
ta in Bethlehem, *impleti sunt dies ut pa-*
reret Virgo benedicta, novem mensibus
jam elapsis : quæ revelante Spiritu Sancto
noverat se in Bethlehem parituram, ut il-
lud Michææ impleretur, quo Dominus ait :
Et tu, Bethlehem Ephrata, ex te mihi egre- *Mich.* V, 2-4.
dietur qui sit dominator in Israel; et ma-
gnificabitur in medio universæ terræ. De
quo fertur in Psalmo : Et dominabitur a *Ps.* LXXI, 8.
mari usque ad mare, et a flumine usque
ad terminos orbis terrarum. Et Daniel ait :
Omnes populi, tribus et linguæ servient *Dan.* VII, 14.
ei. *Et peperit filium suum primogenitum,* 7

scilicet Jesum Christum, qui dicitur primogenitus per exclusionem prioris, non per respectum sequentis seu posterioris : ut dicatur primogenitus, ante quem alius non est natus, etiam si nullus post eum nascatur. Sic enim primogenitus in lege accipitur, dum omne primogenitum Domino offerri jubetur. (*Exod.* xiii, 2.) Certum est enim, quod multi tunc unigeniti erant in populo Judæorum, qui tamen Deo offerebantur propter illud præceptum.

Denique, quoniam Christus nasci dignatus est ex Virgine, ut per spiritualem regenerationem fratres multos acquireret, hinc, ut sic, aptius dictus est primogenitus, quam unigenitus. Hinc Beda affirmat : Unigenitus est in substantia deitatis, primogenitus in substantia humanitatis ; primogenitus in gratia, unigenitus in natura. Excellentissimam namque gratiam secundum assumptam humanitatem accepit, ita quod de plenitudine ejus accepimus omnes, ut Joannes habet. (*Joann.* i, 16.) Iterum Christus dicitur primogenitus, quoniam dignior universis. Unde in Apocalypsi vocatur primogenitus mortuorum; (*Apoc.* i, 5.) et ad Colossenses de eo scribit Apostolus : Qui est principium, primogenitus ex mortuis. (*Coloss.* i, 18.) Rursus vocatur primogenitus omnis creaturæ, (*Ibid.* 15.) quia secundum divinam suam naturam, natus est ante omnia sæcula, ab æterno. Secundum humanitatem quoque prælatus est omni creato, non solum per hypostaticam suæ humanitatis unionem cum Verbo, sed et per excellentissimam gratiæ et gloriæ plenitudinem, quam a primo incarnationis instanti suscepit.

Itaque, Peperit filium suum, Deique Patris unicum natum, quem sicut sine carnali delectatione, cum ingenti spirituali lætitia, in alta exsistens contemplatione concepit, ita sine corporali dolore, cum interno dulcore, in sublimi exsistens contemplatione, quasi in ictu oculi, peperit, natumque protinus ut Deum verum atque altissimum humillime fortis ac jucundissima adoravit; *et pannis eum involvit,* propriis manibus, nec utens nec indigens auxilio obstetricum, dicente Hieronymo : Nulla ibi obstetrix, nulla muliercularum sedulitas intercessit; ipsa pannis involvit infantem, ipsa mater et obstetrix fuit. Itaque, si alicubi hujus oppositum inveniatur, tanquam mendacium respuatur. Communiter autem asseritur, quod pannis, id est vilibus atque veteribus panniculis, eum involvit. Verumtamen in Revelationibus beatissimæ Brigittæ, virgo Maria inducitur loqui ad Brigittam, quod scivit se parituram in Bethlehem, ut impleretur Scriptura, idcirco de mundissimis et decentissimis lineis panniculis sibi providit, quibus et filium suum mox reverenter involvit. Nempe, ut legitur ibi, credibiliter utique, sacratissima Virgo mox paritura genua devotissime flexit, et mente ad Deum erecta, velut in momento puerum est enixa, viditque eum ante se in terra jacentem, et paulo post præ frigore palpitantem : cui illa tenerrime condolens, susceptum et amplexatum, deosculabatur, stringens eum ad pectus suum et calefaciens ipsum ; deinde candidissimis involvit panniculis, agens quod subditur :

Et reclinavit in præsepio juxta se posito : quod vel Joseph faber lignarius ibi tunc fecit (propter bovem et asinum quos secum fertur duxisse, vehens Virginem super asinum, et bovem pro necessariis in itinere vendere volens, quamvis aliqui putent animalia illa, aut saltem bovem, aliunde fuisse adducta); vel præsepe jamdudum fuit ibi constructum in loco, de quo subditur : *quia non erat ei locus in diversorio,* hoc est, alium aptiorem locum, quo puerum poneret, ibi Virgo sancta non reperit.

Porro, diversorium, secundum Isidorum, dicitur, quia diversi ibi conveniunt ; atque, ut asserit Beda, fuit domus seu spatium inter duos vicos, ex utroque latere habens murum, et ex utraque parte portam, desuper quoque ob aeris intemperiem coopertum : quo festis diebus cives ad conferendum et solatiandum convenerant, quo etiam urbem ingredientes animalia

sua ad tempus locare solebant : sicque a A divertendo diversorium est vocatum, quoniam illic homines divertebant. Alii dicunt, quod fuit hospitalaria, ad quam ab extra venientes divertebant ad hospitandum, præsertim egeni. Unde, quia tunc Bethlehem fuit hominibus plena, et ditiores hospitia occupaverant meliora, Joseph ut verecundus, simplex et pauper, cum Virgine divertit ad locum præfatum. Quod utique non casualiter factum est, sed Deo præordinante ac moderante, propter multiplicem rationem, videlicet : ad commen- B dandam paupertatem ac humilitatem, mundique contemptum edocendum, quia ad hæc instruenda verbo ac opere, ipsemet Filius Dei advenit ; item ad implendam Scripturam, quoniam per Habacuc de Christo prædictum est, secundum translatio- *Habac.* III, 2. nem Septuaginta interpretum : In medio duorum animalium cognosceris.

Ps. XXIII, 10. Itaque Dominus virtutum, Rex gloriæ, Deus majestatis immensæ, assumpturus et redempturus naturam humanam, in cun- *I Cor.* I, 27, 28. ctis elegit, quæ secundum mundum abje- C ctiora sunt et corpori graviora. Pauperem etenim elegit matrem, in alieno, angusto vilique loco natus et reclinatus est, tempore hiemali et media nocte voluit nasci, ut mundi damnaret superbiam, reprobaret lasciviam, penuriam vero in se decoraret, et pauperes consolaretur : quatenus ejus *Galat.* V, 24. exemplo carnem nostram cum vitiis et concupiscentiis crucifigamus, aspera et ardua viriliter aggrediamur. Væ ergo vanissimis sæculi dilectoribus, qui de sua nobilitate et opulentia stultissime gloriantur D et jactant se : qui tandem sero et infructu- *Sap.* V, 8, 9. ose dicturi sunt illud Sapientis : Quid profuit nobis superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra. Ubi jam qui lectorum gaudent mollitie, qui ibi satisfaciunt desideriis carnis? Quibus dicitur per Amos *Amos* VI, 4. prophetam : Væ qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris. *Ps.* XCVIII, 1. Ecce qui sedet super Cherubim, et in cœlestibus Thronis quiescit, duri præsepis propter nos continetur angustia. — Denique, quoniam homo comparatur jumento, vel divinæ legis jugum pie ac obedienter ferendo (juxta illud Psalmi, Ut jumentum *Ps.* LXXII, 23. factus sum apud te, et ego semper tecum ; quod in persona justi dicitur ibi); vel irrationabiliter seu bestialiter conversando, quemadmodum scriptum est, Homo quum *Ps.* XLVIII, 13, 21. in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus : hinc Christus ut fieret horum refectio jumentorum, factus est fœnum, eo modo quo in Isaia scribitur, Omnis caro fœnum, voluitque *Is.* XL, 6; *I Petr.* I, 24. eis in præsepe primo proponi.

Postremo, ut aliqui dicunt, præfatum diversorium fuit intra urbem Bethlehem in fine, juxta unam portarum, sub concava rupe, non habens desuper tectum nisi rupem ex monte dependentem.

Et pastores erant in regione eadem, sci- 8
licet in Judæa. Hic autem Evangelista ostendit, quomodo Christi nativitas cœpit hominibus revelari. *Vigilantes et custodientes vigilias noctis,* hoc est, consuetas nocturnas vigilationes sollicite conservabant, *super gregem suum,* id est circa pecora quæ alebant in rure, etiam tempore noctis, sicut in locis illis fieri consuevit. Dicitur quoque, quod tunc erant juxta turrim quamdam inter Bethlehem atque Jerusalem, ubi Jacob de Mesopotamia rediens cum suis moratus est gregibus, ubi *Gen.* XXXV, 21. mortua et sepulta est Rachel, ut patet in *Ibid.* 19. Genesi : quæ dicebatur, turris Gregis. De qua illud Michææ exponitur : Et tu, turris *Mich.* IV, 8. Gregis nebulosa filiæ Sion, ad te veniet potestas prima, regnum Jerusalem, hoc est Christus, virtus prima, summa, omnipotens : quem ibidem angelus nuntiavit pastoribus, qui tres fuisse dicuntur ; et ibi postea fuit constructa ecclesia, ubi illorum monstrantur (ut fertur) sepulcra. Ad quem etiam locum Christum postea venisse non irrationabiliter creditur.

Et ecce angelus Domini stetit juxta il- 9
los : assumpsit enim corporis humani effigiem, et visibiliter eis apparuit ; *et claritas Dei circumfulsit illos,* id est, lux

quædam divinitus missa, aerem prope pastores sic clarificavit, quod ipsi luce illa undique operiebantur, secundum quod paulo post interius spirituali luce perfusi sunt, ad cognoscendum veritatem de Christo : quemadmodum in Actibus de Pau-
Act. IX, 3. lo habetur, Subito circumfulsit eum lux de cœlo. Denique angelus forte tanti fuit splendoris in corpore quod assumpsit, quod ab ipso tanta lux diffundebatur ; vel præter claritatem ab ipso diffusam, etiam lux desuper Deo agente dispergebatur : per quam copiosam lucis diffusionem figurabatur, quod Christus sol sapientiæ atque justitiæ esset in mundo hoc natus. Unde in veteri Testamento non leguntur angeli cum tanta claritate apparuisse. *Et timuerunt timore magno,* propter tam grandem inconsuetamque visionem, et ne forte illusio esset, vel quid prætenderit visio ignorantes. De causis quippe hujuscemo-
In Luc. I, 12. di timoris dictum est plenius in expositione primi capituli. Unde et in Judicum libro, Manue viso angelo, dixit conju-
Judic. XIII, 22. gi suæ : Morte moriemur, quia vidimus Dominum.

10 *Et dixit illis angelus,* qui sua visione territos consolari solet et confortare, ut dictum est : *Nolite timere,* id est immoderato ac dejiciente timore, qui usum impedit rationis, estque passio inordinata quæ per rationem et fiduciam seu fortitudinem est frenanda ac moderanda. Cur autem timere non debeant, sed gaudere, adjecit : *Ecce enim evangelizo,* id est, bonum denuntio, *vobis gaudium magnum,* id est causam atque materiam spiritualis boni ac præcipui gaudii, seu multum esse gaudendum, *quod erit omni populo :* id est, tam Judæis quam gentilibus inerit gaudium istud, cunctis videlicet fidelibus et electis : ut sit distributio accommoda pro generibus singulorum, quia de omni genere seu natione hominum aliqui inde gavisi sunt. Juxta quem sensum loquitur
Joann. XII, 32. Christus apud Joannem : Omnia traham ad me ipsum.

11 *Quia natus est vobis,* id est ad veram
A vestram salutem, *hodie,* id est die hoc naturali, scilicet in hac nocte (quæ est pars naturalis diei, qui dicitur viginti quatuor horas habere : sicque hebdomada dicitur spatium septem dierum), *Salvator,* utpote unigenitus Filius Dei : qui secundum naturam suam divinam, est Salvator per auctoritatem et efficientiam principalem, tanquam creator et dator salutis et gratiæ, prima ac omnipotente virtute. Qui in Isaia testatur : Deus justus et salvans non est *Is.* XLV, 21.
præter me ; atque per Osee ait, Ego Domi- *Osee* XIII, 4.
B nus Deus tuus, et salvator non est præter me. Porro, secundum humanitatem assumptam, est ipse salvator per efficientiam instrumentalem, et velut meritoria causa gratiæ ac salutis. Sicque in Actibus ait de Christo Apostolus : Acquisivit Ecclesiam *Act.* XX, 28.
sanguine suo. De quo in Isaia prædictum est : Ecce Deus vester, ipse veniet et sal- *Is.* XXXV, 4.
vabit vos. Sua enim passione nostra abstersit peccata, et gratiam et salutem nobis promeruit : quod etiam suæ sanctissimæ conversationis meritis fecit.

C *Qui est Christus.* Christus Græce, Latine dicitur unctus. Christus autem unctus est, non corporali oleo, aut humana unctione, sicut olim in lege in ejus figuram ungebantur reges atque pontifices, quum ipse sit summus rex ac pontifex, finis et con- I *Tim.* VI, 15; *Hebr.* IV, 14; *Rom.* X, 4; *Hebr.* XII, 2.
summator legis, secundum Apostolum ; sed unctus est, secundum humanitatem, divina et spirituali unctione, hoc est plenitudine gratiæ, omnique gratiarum charismate, virtute, dono, ac sanctitate, imo et lumine gloriæ, ac beatifica fruitione a
D primo incarnationis instanti, juxta illud Psalmi : Unxit te Deus, Deus tuus, oleo *Ps.* XLIV, 8.
lætitiæ præ consortibus tuis. Quæ unctio facta est a tota superbenedicta Trinitate, cujus indivisa est actio ad extra. Hinc per Isaiam loquitur Christus secundum naturam assumptam : Spiritus Domini super *Is.* LXI, 1.
me, eo quod unxit me. Denique Christus, prout in novo Testamento communiter utimur nomine isto, significat seu supponit increatam Personam in duplici natura, videlicet divina et humana, subsistentem,

hoc est Unigenitum Dei incarnatum. *Dominus.* A Christus secundum utramque naturam dicitur Dominus, sed diversimode : quia ut Deus, est Dominus per independentem auctoritatem, primamque potestatem, et universalem præsidentiam prorsus perfectam; sed secundum naturam humanam, est Dominus etiam omnium creaturarum per potestatem et gratiam temporaliter datam, creatam, instrumentalem, atque finitam seu limitatam, secundum quod in
Matth. xxviii, 18. Matthæo ait : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. De quō in Actibus B
Act. x, 36. Petrus inquit : Hic est omnium Dominus. *In civitate David,* scilicet Bethlehem.

Ecce quomodo, juxta Apostolum, infir-
I *Cor.* i, 27, 28. ma et contemptibilia seu abjecta, stultaque mundi elegit Deus, ut confundat magnos, fortes et sapientes in oculis suis. Siquidem non pontificibus et sacerdotibus templi in mollibus stratis jacentibus, non Scribis de legis scientia tumidis, non Pharisæis de sanctitate præsumentibus, non nobilibus, divitibusque superbis, sed pastoribus, idiotis, egenis, humilibus, angelus, deinde C angelicus apparet exercitus. Illis angelus Christum denuntiat : quod angelicus exercitus jubilando confirmat. Per quod etiam figurabatur, quod non otiosis, sed studiosis verisque dominici gregis custodibus, seu dignis et virtuosis pastoribus, præcipue his qui nocturnis temporibus laudibus vacant divinis, supernæ illuminationes, angelicæ visitationes, cœlestes consolationes præstantur. Nam et per hoc quod pastores illi taliter vigilabant super pecora sua, insinuatur quod pastores ovium Christi, D utpote Christianorum, jugi sollicitudine atque custodia debent intendere sibi commissis, easque pascere oratione, doctrina, exemplo, ut illud Isaiæ dicere possint :
Is. xxi, 8. Super speculam Domini ego sum, stans jugiter per diem ; et super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus. Oportet namque pastores sic intendere aliis, ut se ipsos custodire ab omni peccato non negligant. Propterea in Actibus loquitur
Act. xx, 28. eis Apostolus : Attendite vobis et universo gregi in quo posuit vos Spiritus Sanctus pastores.

Præterea contemplandum, quod sicut in Christo est natura summa, puta divinitas, et infima in ordine intellectualium creaturarum, hoc est humanitas, sic in omnibus quæ de Christo leguntur, est quædam venustissima decentissimaque permixtio sublimium et declivium, cœlestium et terrestrium, divinorum et humanorum, altissimorum et infimorum. Nempe, quod a puella concipitur, in stabulo nascitur, pannis involvitur, in præsepio ponitur, circumciditur, et in Ægyptum fugatur, et cetera quæ in Evangelio scripta sunt, patitur : nonne hæc omnia ad parvitatem inferioritatemque pertinent? Verum, quod ab angelo nuntiatur, a virgine generatur, ab angelico exercitu commendatur, et cetera quæ in Evangelio scripta sunt, supernaturalia operatur, excellentiæ est divinæ.

Præterea aliqui sic legunt, Natus est nobis, non, Vobis, ut angelus fateatur Christum natum non solum ob hominum salvationem, sed ob angelicæ quoque reparationem ruinæ.

Et hoc vobis signum. Juxta Apostolum, 12
Judæi signa quærunt : idcirco pastoribus I *Cor.* i, 22.
tanquam Judæis dat angelus signum, non utique propter illorum incredulitatem, sed potius propter illorum et omnium saluberrimam instructionem. Nam subditur : *Invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio.* Tanquam dicat : Quamvis Christus natus sit omnium rex et princeps altissimus, attamen, quod admirabilissimum est, in maxima paupertate et humilitate nasci et conversari elegit, non in opulentia temporalique regno, ut præstolabantur Judæi : sicut usque in præsens exspectant regem Messiam in primo suo adventu temporaliter regnaturum, et totum mundum sibi ac populo Judæorum potentissime subjecturum, secundum exteriorem atque terrenam dominationem ; quum tamen sancti Prophetæ primum
Christi adventum in paupertate et humi- *Jer.* xiv, 8, 9; *Zach.* ix, 9.
litate futurum descripserint, ut judicare-

tur et pateretur, hominesque sua passione salvaret. Hoc igitur signo angelus docuit, quod Christus advenit ut omnium terrenorum verbo et opere edoceret contemptum, et ad divinorum amorem corda fidelium prorsus transferret. Hoc quoque signo angelus ipsos pastores egenos, omnesque pauperes, vehementissime consolabatur. Itaque, juxta Bernardum : Panni Christi positi sunt in signum, sed in signum cui quotidie a multis contradicitur. Qui enim pretiositate, superfluitate, seu multitudine et cultura atque mollitie vestium gloriantur, contradicunt huic signo. Itaque scripta sunt hæc ad eruditionem nostram, ut Christi paupertatem humilitatemque cognoscentes, eum in paupertate
Ps. LXI, 11. et humilitate sectemur, saltem sic, ut divitiæ si affluant, cor non apponamus.

13 *Et subito,* id est præfato angelo cum pastoribus adhuc loquente, secundum Origenem, vel repente post hoc, *facta,* id est exhibita, *est* et in aere apparuit, *cum angelo* pastores docente (quem aliqui putant Gabrielem fuisse, et ceteris tunc apparentibus principaliorem, ideo tantum mysterium nuntiantem), *multitudo cœlestis exercitus,* id est copiosum agmen angelicorum spirituum : qui milites summi Regis consistunt, quoniam contra ejus adversarios, puta aerias potestates, victorialiter dimicant, eosque vincunt et arcent, et ad omne æternæ majestatis prosequendum imperium promptissime, repente feruntur. Insuper, Christo duci, qui ad superandas aerias potestates advenit, humiliter serviebant. Itaque ad veritatis certificationem, et ad nati pueri dignitatem insinuandam, tam multi, imo secundum Origenem, tam innumerabiles angeli apparuerunt. *Laudantium Deum* ardentissima, devotissima atque lætissima mente, *et dicentium* consona voce ac suavissima melodia per ora corporum assumptorum :

14 *Gloria,* id est summa excellentia, seu clara cum laude notitia, seu beatitudo atque lætitia, proprie autem gloria, hoc est clarificatio divinæ majestatis in cordibus intellectualium creaturarum cum debita laude, sit *in altissimis Deo,* id est Deo qui *Ps.* CXIII, 16, sec. Hebr.
in cœlis est. Præsertim in cœlo empyreo esse et habitare asseritur, in quantum ibi evidentius ac magnificentius operatur, clariusque conspicitur, quamvis secundum se sit penitus supersimplicissimus, incircumscriptus, immensus, nullam ad locum habitudinem habens. Vel, Gloria, id est præfata clarificatio divinæ dignitatis, sit in altissimis, id est mentibus Beatorum, Deo, ut ipsi in omnibus honorem et gloriam Deo exhibeant. Unde secundum hoc, verbum istud est verbum congratulationis magis quam exhortationis, quemadmodum illud, Laudate Deum, omnes angeli ejus : *Ps.* CXLVIII, 2.
juxta illud Apostoli, Soli Deo honor et *I Tim.* I, 17.
gloria.

In hoc ergo conformemus nos angelis sanctis ac Deo, ut soli Deo gloriam adscribamus, itemque ab omnibus tribui cupiamus. Nam ipsemet ait per Isaiam : Gloriam *Is.* XLVIII, 11.
meam alteri non dabo. Et sic cum Psalmographo digne cantabimus : Non nobis, *Ps.* CXIII, 1, sec. Hebr.
Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Sed nonne et nos gloriam desiderare possumus et debemus, præsertim quum propter felicitatem seu gloriam sempiternam omnia finaliter sint agenda ? Et respondendum, quod gloriam optare debemus in Deo, secundum Deum, et propter Deum : in Deo, ut in objecto, datore et causa ; secundum Deum, hoc est secundum voluntatem ipsius, non secundum propriam cupiditatem, videlicet ordinate, ut competit menti creatæ ; propter Deum, id est finaliter ad laudem et honorationem ejus, ad quem et ad cujus honorificentiam nos ipsos et quidquid in nobis aut nostrum est, referre debemus. Ideo dicit Apostolus : Qui gloriatur, in Domino glorietur ; *I Cor.* I, 31.
et Psalmista, In Domino laudabitur *Ps.* XXXIII, 3.
anima mea. Sed vani, vitiosi et frivoli homines, in se et propter se volunt laudari, gloriamque sortiri, furtum Domino facientes, quia quod ejus est, sibi usurpant.

Et in terra sit *pax* vera et spiritualis : quæ est tranquillitas mentis in bono ho-

nesto, præsertim in Deo fonte totius boni honesti seu virtuosi, de qua circa expo- Cf. *Luc.* I, 79. sitionem primi capituli plenius dictum est; *hominibus bonæ voluntatis :* loquendo de voluntate non optativa tantum, quæ est velleitas imperfecta, de qua Salomon *Prov.* XIII, 4. loquitur, Vult et non vult piger; sed de voluntate imperativa et efficaci, quæ dum opportunitas adest seu exigit, procedit in opus. Talem autem voluntatem bonam habentes, sunt boni, et in statu salutis seu in caritate et gratia, quoniam talis voluntas seu volitio, reputatur a Deo pro opere. Sumitur equidem nunc voluntas pro actu interiori voluntatis quæ est volitio, non pro potentia tantum, vel pro potentia tali actu formata. Denique a voluntate potissimum dicitur homo bonus vel malus, quoniam prima radix merendi ac demerendi consistit in voluntate, secundum quod libertas primo, directe ac proprie competit voluntati. Peccatum autem in tantum est voluntarium, quod si non esset voluntarium, non esset peccatum, secundum Augustinum. Et similiter dicendum est de actu virtutis. Hinc bonum et malum dicuntur esse in voluntate, verum et falsum in intellectu. Hinc congrue pax annuntiatur hominibus bonæ voluntatis. Insuper pax ista non competit malis, juxta illud *Is.* XLVIII, 22. in Isaia : Non est pax impiis, dicit Dominus. — Potest quoque hic pax accipi pro reconciliatione generis humani facta cum Deo per Christum, quam angeli tunc instare dicebant. Unde ad Romanos inquit *Rom.* V, 10. Apostolus : Reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus.

Patet autem ex verbis his, quia de spirituali pace intelligenda sunt, quæ Prophetæ denuntiaverunt de futura pace in Christi adventu, quæ est pax bonæ voluntatis. Per bonitatem enim voluntatis dicitur homo simpliciter bonus, potius quam per aliarum animæ virium bonitatem. Voluntatis namque est, alias potentias ad actus suos movere : ideoque bonitas et malitia ejus in illas redundant, quemadmodum virtus seu influentia causæ moventis, in A ea quæ ab ipsa moventur. Porro pax temporalis quæ fuit in mundo in Christi adventu, figura exstitit hujus principaliter intentæ spiritualisque pacis, de qua ad Colossenses ait Apostolus : Pax Christi ex- *Coloss.* III, 15. sultet semper in cordibus vestris. De qua etiam per Michæam prædictum est : Pax *Mich.* V, 5. erit in terra nostra, dum venerit, et quando calcaverit in domibus nostris; atque in Psalmo, Orietur in diebus ejus justitia et *Ps.* LXXI, 7. abundantia pacis. Hæc est pax interna justorum vere christianorum, quæ eis per B exteriores inquietudines seu tribulationes auferri non valet, dicente in Proverbiis Salomone : Justus quasi leo confidens, abs- *Prov.* XXVIII, 1. que terrore erit; et rursus, Non contri- *Ibid.* XII, 21. stabit justum quidquid ei acciderit. Hinc de primitiva Ecclesia Deus per Isaiam prædixit : Sedebit populus meus in pulchri- *Is.* XXXII, 18. tudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta. Hæc est vera ac sancta securitas, qua perfecti pro Deo omnia adversantia pati parati, non timent eos qui *Matth.* X, 28. corpus occidunt. Propter quod per Jere- C miam scriptum est : In diebus illis sal- *Jer.* XXIII, 6. vabitur Juda, et Israel habitabit confidenter. Unde in Actibus Apostolorum Paulus et alii quidam fiducialiter egisse leguntur. *Act.* IX, 27, 28; XIV, 3. Et iterum : Discipuli replebantur gaudio *Ibid.* XIII, 52. et Spiritu Sancto. Itaque, si Deo placere appetimus, veram cum omnibus, quantum *Rom.* XII, 18. possibile est, pacem et concordiam habeamus, præsertimque mentem in Deo quietam, fixam et imperturbatam servemus : quod fieri poterit, si vere mites, patientes, humilesque fuerimus, et cunctis terrenis D contemptis, Deum ferventer amemus.

Postremo, inquiritur a quo residuum hujus angelici cantici editum sit. Ad quod Albertus et aliqui alii dicunt, quod a Symmacho Papa; alii credibilius asserunt, quod ab Hilario sancto episcopo. Legitur nempe in gestis Romanorum Pontificum, quod Telesphorus Papa instituit, ut solis episcopis liceret canticum istud incipere. Postea vero Symmachus Papa instituit, ut etiam ceteri sacerdotes possent illud incipere in festis diebus, quia de sacerdote

Malach. ii, 7. scriptum est apud Malachiam : Angelus
Domini exercituum est.

15 *Et factum est, ut discesserunt ab eis
angeli in cœlum,* id est, quum abstraxis-
sent se adspectibus pastorum, et redissent
in cœlum, quo solent reverti, ministe-
rio propter quod missi sunt consummato,
Tob. xii, 20. quemadmodum Tobiæ Raphael ait : Tem-
pus est ut revertar ad eum qui me misit ;
pastores loquebantur ad invicem. Quamvis
enim primo territi ac stupore repleti fuis-
sent, tamen ex consolatione angelica ac
dulcissima perceptione rei tam gaudiosæ
confortati fuerunt, et læti alacresque effe-
cti, dixerunt : *Transeamus usque Bethle-
hem :* quæ, ut dicitur, per milliare dista-
bat a loco quo ista viderunt pastores ; *et
videamus* corporaliter, quod nunc oculis
fidei credimus, *hoc verbum quod factum
est,* id est rem verbis ad nos dictis signi-
ficatam, scilicet puerum natum, qui est
Christus Dominus, rex Messias. Verbum
quippe in Scripturis, interdum pro verbo
mentali, interdum pro verbo vocali seu
scripto, quandoque pro re significata, ac-
cipitur, quemadmodum in libris Regum
Is. xxxix, 2, 4. loquitur Ezechias : Non fuit verbum in
domo mea quod non ostenderim eis. *Quod
Dominus fecit,* id est, per angelos ad nos
locutus est ; vel, quam rem fecit : qui Do-
minus Pater seu Trinitas tota, fecit Chri-
stum secundum humanitatem assumptam,
secundum quam Christus dicitur creatu-
ra, quamvis simpliciter loquendo dici non
debeat creatura, sed Deus verus, omnium-
Rom. i, 3. que Creator. Ait namque Apostolus : Fa-
ctus est ex semine David secundum car-
nem. Verumtamen ista particula, Quod
Dominus fecit, in Græcis et antiquis cor-
rectisque codicibus non habetur, nec est
de textu. *Quod Dominus ostendit nobis,* id
est, quem puerum manifestavit nobis per
angelum natum esse. — Potest quoque de
increato Verbo exponi, ut sit sensus : *Vi-
deamus hoc Verbum,* id est Dei Unigeni-
Joann. i, 1. tum, de quo dicitur, In principio erat Ver-
bum ; *quod factum est,* id est incarnatum,
Ibid. 14. juxta illud, Verbum caro factum est ; *quod*

A *Dominus fecit :* quia Verbum hoc factum
est homo a Deo Trinitate, quamvis abso-
lute loquendo non sit factum, sed geni-
tum et æternum. Unde expositio ista vi-
detur impropria, nec certum est quod ex
præinductis angelicis verbis intellexerunt
pastores rudes ac simplices, quod Christus
diceretur et esset Verbum Dei. *Quod Do-
minus ostendit nobis,* id est, natum esse
jam notificavit.

Et venerunt festinantes : quia ferventes 16
erant in Dei et pueri nati amore ; deside-
B rabantque fervide tam magnum novum,
videlicet Christum natum, conspicere, cu-
jus majestatem ex angelici exercitus ap-
paritione et testificatione et gratulatione
pensabant. Gaudebant quoque de totius
mundi salvatione jam imminente, et Scri-
pturarum impletione. Sed et ad greges
suos, quos sine custode reliquerant, redire
velociter satagebant : ideo festinabant. Ita-
que et nos Christum cum festinatione, id
est diligenter ac ferventer, quæramus :
quem nemo cum torpore et desidia digne
C quærit. Siquidem ad Deum festinare et
currere, est ardenter diligere, et ex spiri-
tuali amore quæ bona sunt alacriter age-
re ; et quo amamus ferventius, eo prope-
ramus currimusque celerius.

Et invenerunt Mariam : quam divinus
Ignatius in suis ad eam epistolis toties vo-
cat Christiferam ; *et Joseph* Virginis spon-
sum, custodem, ministrum, ejusque inte-
gerrimæ virginitatis verissimum testem, *et
infantem,* id est parvulum : qui licet mo-
re aliorum parvulorum, infans, quasi non
D fans, seu loqui non valens, vocatus sit ;
tamen a prima suæ nativitatis hora diser-
tissime ac sapientissime loqui valebat, non
Hebræa dumtaxat, sed et omnium gentium
lingua : nam et dona gratiæ gratis datæ,
ut prophetiam, genera linguarum, scien- I Cor. xii, 8-10.
tiam, interpretationemque sermonum, a
primo incarnationis instanti accepit ; *po-
situm in præsepio :* in quo, secundum Gor-
ram, impletum est spiritualiter illud ad-
mirabile in Job scriptum : Numquid volet Job xxxix, 9.
rhinoceros servire tibi, aut morabitur ad

præsepe tuum? Rhinoceros quippe est animal fortissimum, quod unum in fronte fert cornu, propter quod unicornis vocatur, et capitur in gremio virginis, in quo caput reclinat quando fugatur : et Christum designat, qui in virginalis uteri gremio captus, atque in nostrum redactus servitium dicitur.

17 *Videntes autem* puerum involutum et collocatum ut prædixerat angelus, *cognoverunt de verbo quod dictum erat illis de puero hoc,* id est, consideraverunt sermonem eis ab angelo de infante isto prolatum esse veracem ; vel, Cognoverunt de Verbo increato, quod dictum erat illis de puero hoc, id est, quod angelus prædicavit eis esse hunc puerum. Verbum enim factum, fuit infans unius diei, et angelus dixit quod puer ille esset Christus Dominus, unigenitus Dei Filius : sicque corporalibus oculis corpus Christi videntes, interioribus oculis ejus divinitatem per fidem noverunt. Nam, ut Ambrosius asserit, dum caro videbatur, Verbum videbatur, videlicet Christus, qui in una persona est Deus et homo.

18 *Et omnes qui audierant, mirati sunt.* Hoc quidam exponunt sic : Omnes qui audierant ab angelo ista Christi mysteria, scilicet quomodo natus esset, mirati sunt, quod Christus omnium Dominus in tam vili stabulo esset natus et in præsepio reclinatus, et tamen ab angelico exercitu tam solenniter prædicatus. Ex quo sequeretur, quod non pastoribus tantum angeli præfati apparuerunt, nec angelica illa laus a solis pastoribus sit audita. Verumtamen, quantum ex textu perpenditur, videntur soli pastores angelos illos vidisse atque audisse : ut sit sensus, quod omnes qui audierunt a pastoribus, sint mirati. Unde expositorie subditur : *et,* pro id est, *de his quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos* de puero isto, quod scilicet angelus de eo dixisset, et qualiter angelorum militia hymnum Domino cecinisset. De his, inquam, mirati sunt merito, quia supernaturale fuit, quod in una persona tanta majestas et tanta humilitas, tanta dominatio et tanta inopia convenissent, quod Rex cœlorum natus esset in terra, quod Desideratus cunctis gentibus advenisset, (*Agg.* II, 8.) quem Patriarchæ atque Prophetæ tam ineffabiliter optaverunt. Insuper sunt mirati de tam constanti, certa ac fervida protestatione pastorum, qui inaudita fingere nescierunt, sed simplici facundia, quæ vera sunt prædicaverunt.

19 *Maria autem :* cujus est tanta suavitas, juxta Bernardum, ut nunquam piæ memoriæ portas ingrediatur absque insitæ sibi dulcedinis adspersione ; *conservabat omnia verba hæc,* quæ jam de Christo conscripta sunt, hoc est, ea memoriæ diligentissime commendavit, *conferens in corde suo,* id est, intellectualiter ea revolvens, ubertimque repetens, atque ad invicem comparans. Itaque quietissima ac purissima Virgo delectabiliter consideravit, quomodo angelus sibi Christum annuntiasset, quomodo eum concepisset ac peperisset, quomodo angeli apparuerunt pastoribus, et quid pastores se vidisse atque audisse protestabantur, non solum Virgini gloriosæ et S. Joseph, sed et ceteris multis, quibus opportune poterant loqui. Hæc omnia sancta Virgo sapienter ac diligentissime consideravit, et ad Prophetarum de Christo prolata vaticinia comparavit : sicque vehementer profecit in fide, imo, secundum Ambrosium, a pastoribus fidem collegit, id est fidei incrementum, non quod unquam in fide ambigens fuerit, sed quia in cunctis quotidie profecit virtutibus. Hinc discipuli Christi, ab ipsa post Christi ascensionem de aliquibus dicuntur instructi. Præsertim inclytus iste evangelista Lucas ab ea edoctus asseritur, maxime in his quæ ipse solus de Christi infantia refert : non quod a Spiritu Sancto non sit de illis instructus, imo et Spiritus Sanctus eum per Mariam dignissimam sic instruxit, et supernaturali irradiatione de omnibus informavit, certificavit, infallibiliterque direxit. Eadem enim veritas a diversis et pluribus modis addiscitur, quia ab uno

clarius et distinctius disci potest, quam A
ab alio, quantum ad se et ad circumstan-
tias suas.

Præterea, juxta Ambrosium, discamus
in omnibus sanctæ Virginis castitatem,
quæ non minus ore pudica quam corpo-
re, argumenta fidei conferebat in corde.
Etenim virginalis pudicitiæ jura custodi-
ens, secundum Bedam, secreta Christi quæ
noverat, nemini tunc divulgavit, sed con-
ferebat quæ legerat facienda, cum his quæ
jam noverat facta. Verumtamen, puto quod
familiaribus aliquibus et pie interrogan- B
tibus aliqua secrete aperuit, prout ratio
postulavit et caritas. Itaque et nos beatis-
simæ Virginis exemplo, omnia divina at-
que salubria quæ audimus, videmus, sci-
mus, seu legimus, memoriter teneamus,
sagaciter conferamus, et juxta hæc, nostram
conversationem in omnibus regulemus, ut
Ps. CXVIII, 11. cum Psalmista dicere mereamur : In corde
meo abscondi eloquia tua, ut non peccem
Luc. XI, 28. tibi. Nam et Christus testatur : Beati qui
audiunt verbum Dei et custodiunt illud.

20 *Et reversi sunt pastores* ad pecora sua, C
quæ oves fuisse dicuntur, quamvis forte
et aliqua alia pecora fuerunt : sicut et filii
Jacob diversarum specierum pecora cu-
Gen. XLVII, 3. stodiebant, et tamen in Genesi pastores se
ovium nominant; *glorificantes,* id est, glo-
riosum confitentes seu magnifice honoran-
tes, *et laudantes Deum,* pro beneficiis suis,
de quibus subjungitur : *in omnibus* ma-
gnalibus Dei, *quæ audierant* ab angelo
exercituque angelico de Christi nativitate,
etc., *et viderant* propriis oculis in Bethle-
hem, *sicut dictum est ad illos.* Hoc potest D
referri ad id quod ait, Glorificantes et lau-
dantes Deum : ut sit sensus, quod Deum
glorificabant atque laudabant sicut di-
ctum est ad illos, id est, sicut audientibus
eis angeli sancti fecerunt, dicendo : Gloria
in altissimis Deo. Potest quoque referri
ad id quod ait, Quæ audierant : eritque
sensus, quod glorificabant Deum in omni-
bus quæ audierant et viderant sicut di-
ctum est ad illos : id est, eo modo vide-
rant sicut ab angelo fuit eis prædictum, et
ideo Deum laudabant quia sic esse inve-
nerunt.

Postremo, quod pastores corporaliter pe-
regerunt, nos spiritualiter faciamus. Hor-
temur nos mutuo, dicentes : Eamus usque
Bethlehem, id est, per devotam et affectu-
osam considerationem uniamus cor no-
strum loco in quo natus est Christus, et
mentaliter intueamur quantam pauperta-
tem et humilitatem pro nobis assumpsit
Rex gloriæ, simusque grati beneficiis ejus
verbo et opere, ipsum veraciter imitando,
et cum angelicis spiritibus ardenter ac re-
verenter laudando.

Subinde circumcisionem Christi Evan-
gelista describit. *Et postquam consummati* 21
sunt, id est impleti, *dies octo* a nativitate
Christi, computando seu includendo tam
nativitatis quam circumcisionis diem ip-
sius, *ut circumcideretur puer,* infantulus
Jesus, de quo loquitur Isaias : Puer natus *Is.* IX, 6.
est nobis. Ly *ut,* tenetur hic concomitan-
ter, quanquam etiam teneri posset aliquo
modo causaliter, quoniam tanta est digni-
tas Salvatoris, ut ad ipsum et ad gesta ipsi-
us, tempora ordinentur : quod de tempori-
bus quibus vixit in sæculo isto specialiter
dici potest. *Vocatum est nomen ejus Jesus,*
quod interpretatur salvator, ad insinuan-
dum quod ipse esset verus mundi Salva-
tor, omnes in se credentes generaliter et
complete atque finaliter a morte peccati,
interituque inferni eripiens, et ad cœle-
stem felicitatem perducens. Unde in Mat-
thæo, quum angelus dixisset ad Joseph,
Vocabis nomen ejus Jesum, causam no-
minationis adjecit, dicendo : Ipse enim *Matth.* I, 21.
salvum faciet populum suum a peccatis
eorum. De quo Isaias scribit : Dominus *Is.* LIII, 6, 5.
posuit in eo iniquitatem omnium nostrum:
cujus livore sanati sumus. Et in Actibus
Petrus inquit : Non est aliud nomen da- *Act.* IV, 12.
tum hominibus sub cœlo, in quo oporteat
nos salvos fieri. Unde quod aliqui in vete-
ri Testamento vocati sunt nomine isto, ut *Eccli.* XLVI, 1.
Josue, qui alio nomine dictus est Jesus, et
Jesus filius Josedec, fuit alia ratione, et in *Ibid.* XLIX, 14.
figura Jesu Christi. Josue quippe salvavit *Josue* XI, 23.

filios Israel a Chananæis, et Jesus filius Josedec pontifex Judæorum, fuit unus reducentium eos de Babylone : quæ fuerunt particulares et imperfectæ liberationes, figurantes liberationem perfectam a Jesu Christo peractam. Itaque nomen istud, Jesus, fuit Christo novum et proprium, prout impositum est ad designandam liberationem completam. Ad quod multi allegant illud Isaiæ : Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit. Verumtamen, hoc ad litteram dicitur de Ecclesia seu Synagoga ad Christum conversa, non de Christo, quamvis possit aptari ad ipsum. *Quod vocatum,* id est expressum et prænuntiatum, seu vocari commissum, *est ab angelo:* nam apud Matthæum angelus legitur dixisse ad Joseph, Vocabis nomen ejus Jesum ; et idem ait ad Virginem sanctam ; *priusquam in utero conciperetur,* id est in ventre Mariæ virgineo de Spiritu Sancto. Ait enim angelus ad eam : Ne timeas, Maria, ecce concipies in utero et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Recteque dicitur, Quod vocatum est ab angelo, non, Impositum, quia jam ante a Deo fuit impositum, qui præordinavit Christum ita vocandum, et per angelum ac Mariam et Joseph ita vocavit eumdem, quemadmodum Christus per Isaiam testatur : Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei.

I *Esdr.* II, 2; III, 2.

Is. LXII, 2.

Matth. I, 21.

Luc. I, 31.

Ibid. 30, 31.

Is. XLIX, 1.

Præterea, ut aliqui dicunt, Jesus dicitur Salvator : Primo, a potentia salvandi : sicque convenit sibi nomen hoc ab æterno, videlicet secundum suam divinitatem, qua ab æterno habuit potestatem salvandi. Secundo, ab habitu salvandi : et sic impositum fuit sibi ab angelo, et competit ei a primo suæ conceptionis instanti, in quo secundum humanitatem suam accepit gratiam tam perfectam, qua postea fecit et pertulit ea per quæ actualiter mundum salvavit. Tertio, ab actu salvandi : sicque vocatum fuit nomen istud in circumcisione, et competit Christo ratione suæ passionis; in circumcisione autem primo sanguinem suum fudit pro nobis. Insuper

A intuendum, quod salvare competit Christo secundum utramque suam naturam : quia secundum divinitatem competit ei auctoritative et principaliter, secundum humanitatem vero instrumentaliter, ut supra dictum est plenius : ideo secundum utramque naturam Jesus potest vocari. Siquidem de Deo uno ac trino scriptum est in Habacuc : Ego autem in Domino gaudebo, et exsultabo in Deo Jesu meo. Sed nunc tractatur de nomine isto prout competit Christo secundum naturam humanam.

Habac. III, 18.

B Denique, secundum Epiphanium, pluribus de causis Christus voluit circumcidi : Primo, ut ostenderet se veraciter incarnatum, non phantastice seu apparenter, ut Manichæus confinxit. Secundo, ut monstraret quod corpus suum divinitati consubstantiale non esset, ut Apollinaris rudissime dixit; item ad declarandum quod non detulit illud de cœlo, ut Valentinus asseruit. Rursus et tertio, ne Judæi haberent occasionem contra Christum, dicendo quod legem transgressus esset, circumcisionem
C non accipiendo. Quarto, ut legem impleret et approbaret, atque exemplum humilitatis ac obedientiæ daret : propter quod postea fatebatur, Non veni legem solvere, sed implere. Jussum autem fuit divinitus in Genesi : Infans octo dierum circumcidetur in vobis. Quinto, ut virtute ac merito suæ circumcisionis, fideles suos a duritia præcepti illius exoneraret, et ipsam circumcisionem in Baptismum dulciter commutaret. Sexto, ut Judæorum scandalum evitaret. Septimo, propter communitatis et
D uniformitatis commendationem, ut et nos singularitatem vitemus, nec pro peccatis nostris puniri spernamus, videntes quod Christus, qui remedio culpæ non eguit, circumcisionem, quæ fuit remedium contra originale peccatum, ineffabili humanitate suscepit. Unde ad Hebræos Apostolus : Debuit, inquit, per omnia fratribus assimilari. Postremo, circumcisionem accipiendo, abstulit diabolo occasionem suspicandi quod ipse esset Christus.

Matth. V, 17.

Gen. XVII, 12.

Hebr. II, 17.

Itaque et nos, universa quæ pro nostra

salute Christus assumpsit, fecit ac pertulit, A diligentissime consideremus, eique grati esse nitamur, ac spiritualiter circumcidamur, omnem inordinationem ac superfluitatem intus ac foris, videlicet in vestibus, verbis, operibus, otiis, omissionibus, itemque in cogitationibus, affectionibus, intentionibus, vitare conantes, nec aspera pœnitentiæ exercitia abominantes, sed viriliter amplectentes, quum et Christus in tam infantili ætate tam acerbum pro nobis dolorem subierit. Ut enim Rabbi Moyses testatur, in circumcisione fuit gravissimus dolor, in B tantum quod multi infantes inde obierint. Hinc secundum eumdem, voluit Dominus pueros circumcidi die octava, quando adhuc modicam habent imaginationem, ut per hoc minus affligerentur. Quum ergo puer Jesus fuerit optimæ atque tenerrimæ complexionis ac perfectissimæ imaginationis a principio incarnationis, quemadmodum et plenissimæ intellectualis cognitionis, facile possumus advertere, quam gravissimam senserit pœnam in circumcisione, quam intime etiam ac pœnose ei compatiebatur affectuosissima atque piissima Genitrix ejus. Unde et nos compati utrique debemus.

At vero circa illud, Vocatum est nomen ejus Jesus, loquitur Origenes : Nomen Jesus gloriosum, omnique cultu dignissimum, nomen quod est super omne nomen, non decuit primum ab hominibus appellari, neque ab eis afferri in mundum, sed ab excellentiori natura. De cujus etiam nominis suavitate ait Bernardus : Nomen hoc Jesus, est mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. *Philipp.* II, 9.

ARTICULUS VII

PROSECUTIO EXPOSITIONIS HUJUS CAPITULI SECUNDI, AB EO LOCO : ET POSTQUAM IMPLETI SUNT DIES PURGATIONIS EJUS SECUNDUM LEGEM MOYSIS.

DESCRIPTA Christi circumcisione, prosequitur Evangelista de ejus virgineæ C Matris purificatione, omissa descriptione apparitionis Christi qua Magis innotuit, *Matth.* II, 1-12. quam a Matthæo evangelista agnovit satis
22 descriptam. *Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus,* puta Mariæ, *secundum legem Moysis,* id est, quadraginta impletis diebus a Christi nativitate : in quorum ultimo infantulus fuit, secundum legem Moysis, in templo præsentandus, seu Domino offerendus; infra quos etiam dies mater, secundum legem Mosaicam, ab ingressu D templi abstinuit, et quadragesimo die templum ingrediens, purificabatur. Præcepit etenim lex in Levitico, ut mulier, quæ suscepto semine masculum peperisset, immunda esset septem diebus, immunda equidem a consortio hominum ingressuque *Lev.* XII. templi; et die octavo circumcideretur infantulus, ipsa quoque tunc munda efficeretur quoad consortium hominum; insuper post septem dies præfatos, maneret mulier adhuc triginta tribus diebus in sanguine purgationis suæ, abstinens ab introitu templi, non a consortio hominum ; sic quadragesimo die offerret vel præsentaret puerum in templo, offerens simul munera secundum legem pro se et pro illo. Porro, si feminam peperisset, duplicabantur dies, tam quoad templi ingressum, quam ad consortium hominum.

Sed quoniam Virgo beatissima, non semine suscepto concepit, verum virtute Spiritus Sancti, constat quod legi illa non fuit adstricta, nec eguit purgatione, quæ nec in peccato concepit, nec unquam peccavit, nec aliis matribus communem sustinuit

fluxum, imo mente et corpore immacu- A
latissima atque purissima peperit. Itaque
dies isti dicuntur dies purgationis Mariæ,
non secundum realem exsistentiam, sed
secundum hominum æstimationem, quem-
Luc. III, 23. admodum Joseph pater Christi vocatur,
quia sic putabatur; et quia secundum Hie-
ronymum, consuetudo Scripturæ est gesta
ita referre, quomodo tunc quando fiebant
fieri putabantur. Insuper, hoc modo di-
cuntur dies purgationis Mariæ secundum
legem Moysis, quamvis secundum verita-
tem, lex illa super Mariam non caderet. B
Vel, dies purgationis ejus dicuntur impleti
secundum legem Moysis, non quoad obli-
gationem Mariæ ad purgationem, sed quan-
tum ad determinationem impletionemque
temporis. Voluit autem Maria dignissima
subjici legi et quasi purgari in templo, ad
dandum obedientiæ ac humilitatis exem-
plum, ad vitandum scandalum Judæorum,
ad conformandum se aliis mulieribus in
licitis ac honestis, et quoniam Filium su-
um vidit legi circumcisionis subjectum.
Perfecta quippe obedientia plus peragit C
quam tenetur, dicente Bernardo : Perfecta
obedientia legem nescit, terminis non ar-
ctatur ; nec contenta angustiis professio-
nis, largiori voluntate fertur secundum la-
titudinem caritatis.

Tulerunt illum, scilicet Jesum, Maria et
Joseph. Tunc enim egressa est Virgo Chri-
stifera stabulum in quo peperit Christum,
tulitque eum ad templum (et forte sæpe-
numero ipsa cum Joseph detulit puerum)
in Jerusalem; ut sisterent, hoc est, offer-
rent, præsentarent, seu consecrarent, *eum* D
Domino, hoc est Deo Patri seu Deo trino
ac simplici, quia et sibi ipsi secundum
quod Deus est : quia offerri competit ei
23 secundum humanitatem ; *sicut scriptum*
Num. VIII, 16; *Exod.* XIII, 2, 12-15. *est in lege Domini,* videlicet in Numeris
et Exodo : *Quia omne masculinum adape-*
riens vulvam, id est, primo eam nascendo
aperiens, hoc est omne primogenitum tam
in hominibus quam in pecoribus, *sanctum*
Domino vocabitur, id est, consecrabitur
Deo, ita quod ei offeretur, mancipatumque
erit quasi ad ipsum specialiter pertinens.
Unde per Moysen Dominus ait frequenter :
Ex quo percussi omne primogenitum Ægy- *Num.* III, 13; VIII, 17, etc.
pti, tam in hominibus quam in jumentis,
sanctificavi mihi omne quod primo aperit
vulvam in Israel, tam in hominibus quam
in jumentis. Unde sanctificatio illa fuit de-
putatio quædam rerum illarum ad Deum,
cujus magnificentia in rebus illis repræ-
sentabatur, in quantum commemorabant
occisionem primogenitorum Ægypti.

Primogenita autem diversimode Domino
consecrabantur. Si enim fuerunt de tribu
Levi et maculam non habebant, Deo jugi-
ter ministrabant in templo, quando fue-
runt adultæ ætatis, quamvis post oblatio-
nem mitterentur in domo parentum. Si
vero fuerunt de aliqua aliarum undecim
tribuum Israel, ex oblatione fuerant Dei, *Ibid.* XVIII, 15, 16.
sed quinque siclis redimebantur. Si autem
erant primogenita pecorum, et animalia
munda, Domino offerebantur, nec redime-
bantur, sed sacerdotum erant, videlicet ad
usum eorum. Quod si immunda fuerunt,
redimebantur seu in aliud commutaban-
tur, ut primogenitum asini in primogeni- *Exod.* XIII, 13.
tum ovis; vel occidebantur, ut primogeni-
tum canis. Quoniam ergo Christus fuit de
tribu Juda, constat quod quinque siclis
redimebatur.

Et ut darent, hoc est, etiam ideo tule- 24
runt Jesum ad templum, ut offerrent pro
ipso et matre ejus, *hostiam secundum quod*
dictum est in lege Domini in Levitico, ut- *Lev.* XII, 6-8.
pote *par turturum aut duos pullos colum-*
barum. Offerebaturque unus turtur Deo in
holocaustum, alius pro peccato, qui ces-
sit in usum sacerdotis orantis pro muli-
ere quæ sic purgabatur. Hæc quoque fuit
oblatio pauperum, nam divites agnum of-
ferebant : ex quo patet paupertas Mariæ
et Joseph. Verumtamen Maria a parenti-
bus suis hereditatem bonam suscepit, nec
dubium quin tres Magi in die Epiphaniæ
pretiosa Christo dona obtulerint ; sed per-
fectissima Virgo, inspirante ei spiritu Filii
sui, omnia tenuissimæ necessitati, hoc est
parcissimo victui atque tegumento, super-

flua, per se, vel potius per manus Joseph, erogavit egenis. Nec reor quod peregrinationi suæ cum Jesu et Joseph in Ægyptum aliquid notabile servaverit, vel tantam de crastino habuerit curam : quippe cujus spes in Deo perfectissima fuit, et quæ no-
I *Cor.* I, 24. verat se Christum Dei sapientiam ac providentiam omnipotentem secum habere in filium.

Rom. XI, 33. Circa hæc exclamat Cyrillus : O profunditatem sapientiæ et scientiæ Dei ! Offert hostias, qui per singulas hostias honoratur cum Patre ; figuras legis custodit veritas ; qui legis est conditor ut Deus, legem custodit ut homo.

Insuper ait : Videndum quid ista designent. Nimirum inter aves loquacissima est turtur, columba vero est animal mansuetum : sicque per utrumque Christus exprimitur, qui perfectæ mansuetudinis fuit, et suis sermonibus mundum convertit. Unde ad ejus passionem præfigurandam, columba et turtur oblatæ occidebantur. — Iterum, per columbam simplicitas, sive (ut dictum est) mititas, per turturem castitas designatur. Turtur namque si semel perdiderit conjugem, aliam non requirit. Ideo, secundum Athanasium, jussit Deus bina offerri, quoniam ex corpore et anima homine exsistente, duplicem poscit a nobis Deus castitatem ac mansuetudinem, videlicet animæ et corporis : alioqui erit homo hypocrita, gerens tegumentum occultæ malitiæ. Amplius autem, non absque mysterio Evangelista turtures et columbas diversimode exprimit, dicens, Par turturum aut duos pullos columbarum, non, Par columbarum. Turtur namque in omni sua ætate castum est animal, columba vero in perfecta ætate valde est luxuriosa, ideo decuit eam offerri in illa ætate in qua luxui non est apta, puta in juventute : ideo dicitur, Pullos columbarum, ad innuendum quod lascivia Deo displiceat.

Postremo, Lucas non exprimit determinate quid Maria et Joseph obtulerint, an scilicet par turturum, aut duos pullos columbarum, quia redit in idem quidquid
A horum obtulisse dicantur. Per utrumque enim eorum inopia designatur, et res per utrumque illorum figurata, Deo est placita.

Subinde describitur qualiter a testibus fide dignissimis Christus in præsentatione præfata testimonium habuit. *Et ecce.* Per 25
demonstrativum hoc, Ecce, insinuatur magnum, notabile, attentioneque dignum esse quod subditur. *Homo.* Non enim hic homo dicitur ab eo quod in hominibus communiter prævalet, quod est sensualitas (juxta quem modum ait Apostolus Co-
B rinthiis scribens : Quum sit inter vos zelus I *Cor.* III, 3, 4.
et contentio, nonne homines estis ?), sed prout homo dicitur ab eo quod in homine exstat præstantius, et quod in sapientibus prævalet, quod est ratio et pietas, juxta id quod dicit Apostolus : Si secundum ho- *Ibid.* XV, 32.
minem ad bestias pugnavi Ephesi. Cujus verbi iste est sensus : Si, pro Quia, secundum hominem, id est rationabiliter, ad bestias, hoc est contra homines bestiales ac perfidos, pugnavi, id est disputavi, Ephesi, hoc est in civitate quæ Ephesus no-
C minatur. Unde humanum vocamus, quod rationabile est et pium. Hinc quidam hominem quasi describendo, hominem affirmant : Homo est animal mansuetum natura, erectum statura, discretumque ratione. *Erat in Jerusalem* : quæ sancta civitas dicitur, quoniam ibi erat templum, et viguit cultus divinus, studiumque legis ac Prophetarum ; præsertim, quoniam Christus ibidem in templo oblatus est, prædicavit, miracula fecit, passus est, et sanguinem fudit, et deinde Spiritum Sanctum
D misit. Ibi demum primitiva Ecclesia sanctissime vixit. *Cui nomen Simeon :* et inter sacerdotes fuit famosus atque grandævus.

Et homo iste justus, justitia quæ est virtus cardinalis ac specialis, qua unicuique datur quod suum est, itemque justitia quæ est virtus generalis et virtualiter omnis virtus, quia omni virtute fuit ornatus. Fuitque præcipue caritativus ac justus, quia non proprium privatumque commodum, sed bonum commune, et generalem

omnium desideravit salutem. *Et timoratus* timore casto, sancto ac filiali, qui timet Dei offensam, et clementissimum Deum ut patrem inhonorare abhorret. De quo in Ecclesiastico scriptum est : Nihil melius quam timere Deum ; et, Timor Dei super omnia se posuit. De quo ait Psalmista : Timete Dominum, omnes sancti ejus, quoniam nihil deest timentibus Deum. Quamvis ergo hic Simeon cunctis polleret virtutibus, tamen in justitia et timore fulsit præclarius, secundum quod quilibet Sanctorum dicitur in aliqua virtute amplius splenduisse. Propter quod de unoquoque cantatur : Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi. Unde et Paulus : Unusquisque, inquit, suum donum habet a Deo. Ideo de his duabus virtutibus specialiter commendatur. Itaque justus fuit ad proximum, timoratus ad Deum. Denique timor retrahit a peccato hominem, quemadmodum scriptum est, Per timorem declinat unusquisque a malo : ideo per timorem implevit quod dicitur, Declina a malo. Justitia autem bonum prosequitur : per quam implevit quod additur, Et fac bonum.

Eccli. XXIII, 37; XXV, 14. — *Ps.* XXXIII, 10. — *Eccli.* XLIV, 20. — *I Cor.* VII, 7. — *Prov.* XV, 27. — *Ps.* XXXVI, 27.

Exspectans, hoc est, certissime affectuoseque sperans ac præstolans, *consolationem Israel,* id est Christi adventum, et liberationem ac spiritualem consolationem quam ex Christi adventu consequerentur Judæi, videlicet redemptionem a peccatis, a diabolo, ab inferno, atque æternæ adeptionem salutis. Aliqui autem Judæi carnales putabant Christum venturum, ut erueret eos de omni subjectione qua alienis gentibus ac principibus subdebantur, universaque mundi regna ipsis subjiceret : quasi in hoc felicitas humana consisteret, vel ob talem liberationem agendam Christus esset promissus, et non potius ad liberandum genus humanum ab originalis reatu peccati, et de omni ferocitate diaboli. Talem ergo consolationem Simeon iste non exspectavit, ut etiam Gregorius Nyssenus testatur. *Et Spiritus Sanctus erat in eo,* non solum per essentiam, præsentiam, et potentiam, quomodo in omni est creatura, nec solum per caritatem et gratiam qualemcumque, prout est in omni eo qui est in statu salutis, seu in caritate, quæ vita est animæ, sed per gratiam eminentem, et caritatem ardentem, secundum quod est in viris heroicis seu perfectis. Habuit quoque gratiam prophetiæ, ut statim dicetur.

Et responsum acceperat a Spiritu Sancto non visurum, hoc est non passurum seu experturum, *se mortem :* visus namque pro quolibet sensu accipitur ; *nisi prius videret* oculis corporalibus atque mentalibus *Christum Dominum,* qui est omnium Dominus, etiam secundum naturam humanam omni creaturæ prælatus ; vel, *Christum Domini,* hoc est unctum secundum humanitatem a Domino Deo Patre seu tota superbeatissima Trinitate. Porro idem significant, Messias Hebraice, Christus Græce, et unctus Latine. Simeon itaque, sicut et ceteri Patriarchæ, Prophetæ ac Sancti veteris Testamenti, maximo flagrabat desiderio Christi venturi seu ejus adventus. Propter quod Christus ait Apostolis : Beati oculi qui vident quæ vos videtis : dico enim vobis, quia multi reges et Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt. Idcirco frequenter atque ardenter orabant pro Christi adventu, præsertim Simeon iste, qui ex Scripturis veteris Testamenti agnovit instare Christi adventum. Unde pro merito suæ devotionis facta est sibi revelatio cœlestis a Spiritu Sancto : vel immediate a Spiritu Sancto per illuminationem internam, vel angelo mediante, secundum quod propheticæ revelationes communiter angelorum ministerio factæ sunt, ut S. Dionysius docet. Denique, quamvis opera sanctæ Trinitatis sint indivisa, tamen revelationes hujusmodi appropriantur Spiritui Sancto, quoniam ei appropriantur bonitas, caritas, liberalitas, a quibus donationes directe procedunt. 26

Act. X, 36. — *Luc.* X, 23, 24.

Et venit in Spiritu, hoc est Spiritus Sancti instinctu : quo revelante intellexit 27

adesse horam impletionis promissionis si- A
bi factæ de Christi adspectu; *in templum.*
Et quum inducerent puerum Jesum pa-
rentes ejus in templum, scilicet Maria et
Joseph, quorum unus tunc tulit Jesum, et
puto quod Mater. Cur autem Joseph pa-
vers. 22. rens seu pater Christi vocetur, expressum
est. *Ut facerent secundum consuetudinem*
legis pro eo, offerendo, ut dictum est, par
turturum aut duos pullos columbarum,
redimendoque puerum quinque siclis, ut
28 dictum est. *Et ipse* Simeon, affectuosissi-
me, devotissime, reverendissime, ac jucun- B
dissime, *accepit eum in ulnas suas,* hoc
est inter brachia sua, quamvis se contactu
Sancti Sanctorum putaret indignum; sed
vehemens amor rationem devicit, et ad
unionem amplexumque impulit; *et bene-*
dixit Deum, hoc est, laudavit, gratias egit,
et sequens canticum cecinit pro impleti-
one divini promissi et ceteris beneficiis
Dei, itemque quia jam plus accepit quam
sibi fuit promissum. Promissum siquidem
sibi fuit, quod Christum videret; et jam
non solum vidit, sed brachiis strinxit, por- C
tavit, contrectavit, et puto quod et oscu-
latus sit infantem dulcissimum.
29 *Et ait : Nunc,* postquam tuum promis-
sum implesti, Christum mihi monstrando
ut promisisti, *dimittis,* id est, statim di-
mittes, vel, supplico ut dimittas me, *ser-*
vum tuum, non servitute servilis timoris,
qui metuit pœnam magis quam Dei of-
fensam seu culpam (de quo ait Salvator
Joann. VIII, 35. apud Joannem : Servus non manet in do-
mo in æternum, filius autem manet in
Ibid. XV, 15. domo in æternum; et alibi, Jam non di- D
cam vos servos, sed amicos), sed servum
servitute filialis timoris : cui servo ait Sal-
Matth. XXV, 21, 23. vator, Euge, serve bone et fidelis, intra in
gaudium Domini tui; *Domine,* Deus Pater
seu Trinitas Deus, *secundum verbum tu-*
um, in pace, hoc est a mundi hujus in-
quietudine, tribulatione et vitiis eripi, qui-
escere, seu mortis somno cessare, et in
limbo patrum sinuque Abrahæ repausare
in dulci spe, quum certus sim cito per
Christum inde educi, ad gloriamque trans-
ferri. Sic ergo, Dimittis me in pace, se-
cundum verbum tuum, hoc est secundum
quod mihi dixisti, quod mortem non ex- vers. 26.
perirer, nisi prius Christum viderem : per
quod insinuasti, quod Christo viso, mox
obdormirem in Domino.
Quia viderunt oculi mei exteriores et 30
interiores *salutare tuum,* id est Christum
salvatorem : qui dicitur Salutare tuum,
quia per ipsum decrevisti mundum salva-
re, omniumque salutem constituisti in eo.
De quo fertur in Psalmo : Notum fecit Do- *Ps.* XCVII, 2.
minus salutare suum. Unde et in Genesi
Jacob patriarcha testatur : Salutare tuum *Gen.* XLIX, 18.
exspectabo, Domine. Cui Salutari loquitur
Pater per Isaiam : Dedi te in lucem genti- *Is.* XLIX, 6.
um, ut sis salus mea usque ad extremum
terræ. Hoc Salutare Simeon corporaliter ac
intellectualiter vidit. Christus namque in
una persona est Deus et homo : ideo, dum
homo videbatur oculo corporali, eodem
oculo videbatur et Deus, quamvis non se-
cundum divinitatem ipsius; imo secun-
dum Ambrosium, dum caro videtur, vide-
tur et Verbum. Hinc quod apud Joannem
habetur, Deum nemo vidit unquam, de *Joann.* I, 18; I *Joann.* IV, 12.
Deo secundum divinitatis essentiam dici-
tur. Insuper, oculo interiori vidit Simeon
Salvatorem, quia per fidem cognovit ip-
sius divinitatem, ejus quoque humanita-
tem intellectualiter consideravit, et quod
a Verbo esset assumpta, pensavit. Hinc de
Christo scriptum est in Baruch : Post hæc *Baruch* III, 38.
in terris visus est, et cum hominibus con-
versatus est; itemque in Isaia, Simul lau- *Is.* LII, 8.
dabunt, quia oculo ad oculum videbunt.
Quod parasti, hoc est, per incarnatio- 31
nem videri et agnosci aptum fecisti, seu
manifestare disposuisti ac decrevisti, *ante*
faciem omnium populorum, id est in con-
spectu hominum universorum, seu clare
cunctis hominibus, non solum Judæis, sed
etiam gentilibus : sic tamen, ut sit distri-
butio accommoda, seu pro generibus sin-
gulorum, non pro singulis generum, juxta
quem modum in Daniele legitur : Omnes *Dan.* VII, 14.
populi, tribus et linguæ servient ei. Deus
ergo Pater Unigenitum suum, in divinitate

I Tim. VI, 16. incomprehensibilem atque inaccessibilem A lucem inhabitantem, per hoc fecit hominibus manifestum, visibilem et cohabitantem, quod eum humanæ conjunxit naturæ in unitate personæ. Quod ab Isaia ita prædictum est (*Is.* LII, 10.) : Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium. Brachium enim Domini, est unicus Filius Dei Patris, per quem Pater omnia fecit : sicut et digitus Dei est Spiritus Sanctus, per quem cuncta revelat. De quo brachio ait Psalmista (*Ps.* XCVII, 1.) : Salvavit sibi dextera ejus, et brachium sanctum ejus. Pater ergo paravit Salutare hoc ante faciem omnium populorum, quibus per Apostolos prædicatus est Christus, juxta illud Psalmi (*Ps.* XVIII, 5.) : In omnem terram exivit sonus eorum; et rursus (*Ps.* XCVII, 3.), Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri. Quod et in Isaia habetur (*Is.* LII, 10.) : Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.

Quamvis interea Christus ita paratus sit ante omnium faciem populorum, aliter tamen quantum ad Judæos, et aliter quoad
32 gentes. Propter quod subditur : *Lumen ad revelationem gentium,* hoc est, Salutare seu Christum parasti sic, ut specialiter sit lumen gentilium, seu ad illuminationem eorum qui veri Dei cognitione et cultu privati, idola coluerunt ac dæmones. Sed Christus per suos discipulos reduxit illos ad veri Dei cognitionem, amorem et cultum : imo per interiorem suam illuminationem hoc potius fecit, sine qua exterior Apostolorum prædicatio nihil juvisset; sed et Trinitas Deus merito conversationis passionisque Christi, tantam dedit gentilibus gratiam. Ideo Christus paratus et datus est lumen ad revelationem seu illuminationem gentilium, qui sedebant in tenebris perfidiæ, erroris ac omnium vitiorum. Unde in Isaia (*Ibid.* LV, 4.) Dominus protestatur : Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. — Insuper parasti Salutare hoc, *gloriam plebis tuæ Israel,* id est ad hoc, ut sit gloria Israeliticæ plebis : quæ fuit specialiter plebs Dei, ut plenius dictum est super illud (*Luc.* I, 68.), Visitavit et fecit redemptionem plebis suæ. Hoc enim est plebi illi, quantum ad eos qui crediderunt ex ea, præcipua prærogativa, exaltatio, honor et gloria, quod Unigenitus Dei ex ea incarnari elegit, ad eam personaliter venit, propter eam primo ac specialiter descendit, secundum quod loquitur Dominus (*Matth.* XV, 24.) : Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel. Insuper fuit in gloriam plebis suæ Israel, quia per ipsum sancti veteris Testamenti in limbo detenti, adepti sunt beatificæ gloriam visionis. — Denique Chri- B stus tam Judæis quam gentibus fuit lumen et gloria. Omnes enim electi, per ipsum sunt illustrati; et cunctis gloria est, quod Dei Filius humanam naturam assumpsit. Nihilo minus per appropriationem dicitur lumen gentium, et gloria Judæorum. Propter quod ait Joannes (*Joann.* IV, 22.) : Salus ex Judæis est.

Potest autem hic quæri, quomodo Simeon, templum ingressus, cognovit puerum Jesum quem ante non vidit. Ad quod facile respondetur, quod eodem Spiritu revelante, quo cognovit esse venturum. Et C forte aliquod signum sensibile fuit sibi divinitus prænuntiatum, quo cognosceret puerum : sicut Joanni Baptistæ Deus prædixit (*Ibid.* I, 33.), Super quem videris Spiritum descendentem et manentem, hic est, etc. Forsitan namque vidit divinum quemdam splendorem in vultu pueri adorandi. De quo aliquando verum fuit dicere : Hic est infans unius diei et Deus æternus.

Postremo, quilibet nostrum canticum istud dicere in propria potest persona, loquendo ad Deum Patrem seu Trinitatem : D *Nunc,* id est in tempore gratiæ hujus, *dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum, in pace :* hoc est, in pectoris tranquillitate quam mihi donasti, me modo, ut spero et oro, quiescere gratiose permittes ac facies, ne turber aut ruam, sed in pace in id ipsum dormiam et requiescam (*Ps.* IV, 9.), atque in omni adversitate, tentatione et inquietudine, mens mea, quieta et fixa persistat in te; secundum verbum tuum, hoc est, prout in te plene sperantibus promisisti, quibus tuam defensionem

ubertim in Scripturis promittis, juxta il- A
Ps. xc, 14. lud in Psalmo : Quoniam in me speravit, liberabo eum; protegam eum, quoniam cognovit nomen meum, etc. *Quia viderunt oculi mei* interiores per fidem, per sapientiæ donum, per Scripturarum doctrinam, per sacramentales species, variosque supernaturales tuos effectus, *salutare tuum,* quia his modis jam Christum cognoscimus. Cetera verba cantici hujus aliam interpretationem non flagitant.

Convenientissime demum statutum est canticum istud in Completorio dici, quia B tunc cum præcipua pace interna Deo vacare, ad stratumque ire, ac obdormire, et Christum in pectore nostro quasi sepelire debemus, omni tentatione, aversione et culpa prorsus exclusis. Tunc ergo canticum istud compendiosum atque dulcissimum devotissime proferamus, et qualiter Simeon beatissimus Christum in brachiis strinxit, ac cetera quæ dicta sunt, contigerunt, intentissime recordemur, et quæ Simeon corporaliter fecit, spiritualiter peragamus. Itaque et nos puerum Jesum bra- C chiis fidei caritatisque apprehendamus, deosculemur, stringamus ad pectus, imo in pectoris secretissimo collocemus, dicen-
Cant. i, 12. tes cum Sponsa, juxta illud : Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Verum qui hoc agere cupit ac debet, oportet ut commune bonum Ecclesiæ cordialiter optet, quærat et oret, atque a Spiritu Sancto agatur, et carnali consolatione contempta, spiritualem dumtaxat exspectet. Non enim in Deo delectari valet sinceriter, cui oblectamenta D carnis aut sæculi placent, vel qui in vanis cogitationibus gloriatur. — Adhuc autem canticum istud post celebrationem seu communionem et hora mortis jam proxima aptissime dicitur, quemadmodum consideranti sensum ejus patescit.

Præterea, aliqui in primo hujus cantici versiculo, per Dominum intelligunt Christum, ita quod Simeon puerum Jesum quem inter brachia complectebatur, Deum ac Dominum nominavit. Tuncque per salutare Domini intelligitur Incarnationis mysterium, vel assumpta humanitas : per quod, seu quam, velut per instrumentum ac medium, Verbum æternum operatum est mundi salutem, gentium illuminationem, Judæorumque glorificationem. Vel salutare hoc esset salus seu redemptio tunc fienda per Christum, quam Simeon spiritu prophetali prævidit.

Postremo, de hac Christi in templo præsentatione prædictum fuit in Psalmo : Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in Ps. xlvii, 10. medio templi tui. Sed et apud Malachiam, quum de Christi præcursore Dominus protulisset, Ecce (inquiens) mitto angelum Malach. iii, 1. meum, protinus de Christo adjecit : Et statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis. — Hoc quoque sciendum, quod duplex est benedictio, videlicet consecrationis vel donationis, et laudis. Benedictione consecrationis seu donationis, major benedicit minori et Deus creaturæ, juxta illud Apostoli ad Hebræos : Sine ulla Hebr. vii, 7. contradictione, quod minus est a majore benedicitur. Unde benedictio qua Deus benedicit creaturæ, est collatio munerum ejus, et multiplicatio eorumdem. Benedictione autem laudis, minor benedicit majori, quamvis sæpe etiam et econtra : sicque Simeon benedixit Deo; et in Psalmo cantamus, Benedicam Dominum in omni Ps. xxxiii, 2. tempore.

Et erant pater ejus, videlicet Joseph, 33
qui dicitur pater Christi, quia nutricius, et quia ob famam Virginis Matris conservandam, permissus est æstimari pater Christi. Circa quod loquitur Origenes : Qui altius aliquid inquirit, potest dicere quoniam generationis ordo a David usque Joseph deducitur, ne videretur ipse Joseph frustra nominari, quia non fuit pater Salvatoris; attamen, ut generationis ordo locum haberet, pater Domini appellatus est. Rursus, quoniam Joseph vere fuit vir Mariæ, cujus Christus fuit veraciter filius, Christus magis proprie dicitur filius Joseph, quam si esset aliunde, seu ex alia conjuge adopta-

tus. *Et mater ejus* qui cum Patre et Spiri-
tu Sancto unus est Deus æternus, omnipo-
tens et immensus, Mater ejus qui omnium
est Creator, quem universi angelicorum
spirituum ordines incessanter adorant. *Mi-
rantes,* non admiratione dubitationis, sed
reverentiæ et congratulationis, *super his
quæ dicebantur de illo,* hoc est de magna-
libus atque magnificis laudibus de puero
Jesu prolatis, a parentibus Præcursoris, ab
angelo exercituque angelico, a pastoribus
quoque et Simeone. Itaque, mirabantur
quod de eo qui in tanta paupertate ac hu-
militate advenit, tam altissima dicebantur,
quod scilicet esset salutare Dei Patris, et
Act. x, 36. omnium Dominus, lumen gentium, glo-
ria Judæorum, mundi Salvator, Unigenitus
Dei, verusque Deus. Mirabantur quoque
non parum se electos ad tantum myste-
rium, et quod mundi thesaurus eis esset
commissus.

34 *Et benedixit illis,* scilicet parentibus
Jesu Christi, *Simeon.* Consuetudo enim fuit
sacerdotibus legis, benedicere parentibus
infantem in templo offerentibus cum ho-
stiis debitis : et benedictio illa videtur
fuisse imprecatio boni, qua sacerdos ex-
petebat seu imprecabatur eis bona a Deo.
Formam tamen benedictionis illius non
habemus expressam, ut dicitur ; sed forte
fuit illa, aut similis illi, de qua in Nume-
Num. vi, 22-26. ris habetur : Locutus est Dominus ad Moy-
sen et Aaron, dicens : Sic benedicetis filiis
Israel : Benedicat tibi Dominus et custo-
diat te ; ostendat Dominus faciem suam
tibi, et misereatur tui ; convertat Dominus
vultum suum ad te, et det tibi pacem.
Verumtamen, reor quod Simeon speciali
omnino benedictione benedixerit Mariæ et
Joseph, utpote benedictione laudis, bea-
tos et benedictos eos dicendo. Dignitatem
namque, electionem, et gratiam illorum,
etiam ipsemet vehementissime mirabatur.
Nihilo minus eis benedixit, quia major
fuit sacerdotali officio, quamvis non san-
ctitate et merito, saltem quoad Mariam. Ma-
jor autem officio, benedictionem largitur.
Vere equidem beatus fuit ille Joseph qui

A ad tantum secretum fuit admissus : qui
sponsus et custos virgineæ Matris Genitri-
cisque Dei esse, electus fuit ac meruit ;
qui Dei Patris Filium, Deum incarnatum,
nutrire, tractare, deferre, cohabitantem, imo
et obedientem ac ministrantem habere,
fuit præordinatus : nempe, ut infra habe-
tur, Jesus fuit subditus illis, haud dubium *Vers.* 51.
quin Mariæ et Joseph.

Et dixit ad Mariam matrem ejus. Ad
quam prophetico spiritu loquitur de fu-
turis potius quam ad Joseph, quia sciebat
B quod vera esset Genitrix Christi, Joseph
autem nutricius et minister dumtaxat. *Ec-
ce positus est hic,* hoc est, puer iste quem
brachiis stringo, per assumptam humani-
tatem datus, situs atque a Deo statutus est,
in ruinam, id est perditionem, *et in resur-
rectionem,* hoc est salvationem, *multorum
in Israel,* hoc est plurium Israelitarum.
Christus namque per suam incarnationem,
prædicationem, vitam ac passionem, fuit
multis Judæis causa salutis : de quibus
in Joanne ipse ait, Ego scio quos elege- *Joann.* XIII, 18.
C rim. Multis quoque et pluribus Judæis per
præfata fuit occasio excæcationis, et trans-
gressionis, et damnationis : quibus in Jo-
anne loquitur, Vos non estis ex ovibus *Ibid.* x, 26.
meis. Hinc denuo : In judicium (inquit) *Ibid.* IX, 39.
ego in hunc mundum veni, ut qui non
vident, videant, et qui vident, cæci fiant.
Ubi per videntes, intelliguntur illi qui sa- *Is.* v, 21.
pientes et magni fuerunt in oculis suis,
sæculariterque prudentes : quales præci-
pue fuerunt sacerdotes et Scribæ, quos
constat pro maxima parte obtenebratos es-
D se atque damnatos. Porro, per non viden-
tes, intelliguntur idiotæ, humiles, et simpli-
ces : quorum multos Christus illuminavit,
ut fuerunt Apostoli, ceterique discipuli,
quibus et Spiritum Sanctum infudit. Hinc
quoque in Matthæo ait cum gaudio : Con- *Matth.* XI, 25.
fiteor tibi, Pater, quia abscondisti hæc a
sapientibus et prudentibus, et revelasti ea
parvulis.

Generaliter autem loquendo, Christus
venit in ruinam omnium reproborum seu
incredulorum, et resurrectionem electo-

rum fidelium. Verumtamen non uniformi- A
ter venit, seu positus est, in ruinam et
resurrectionem : quia in ruinam reprobo-
rum est positus occasionaliter et indire-
cte ; in resurrectionem vero electorum,
causaliter et directe. Sic namque positus
est in ruinam, quomodo Deus dicitur ho-
minem indurare. Nunc itaque sermo est
de ruina peccati, quæ est ipsamet culpa,
et de damnatione æterna, quæ est effectus
culpæ et incredulitatis, secundum illud
Joann. III, 18. Salvatoris : Qui non credit, jam judicatus
est, quia non credit in nomine unigeniti B
Filii Dei. Nunc etiam sermo est de resur-
rectione spirituali, qua homo per Bapti-
smum et pœnitentiam ac gratiam Dei, a
Ephes. V, 14. peccato resurgit. Unde ait Apostolus : Sur-
ge, qui dormis, et exsurge a mortuis. Item
Ps. I, 5. Psalmista, Ideo non resurgunt impii in
judicio : quod de resurrectione a peccato
in judicio discretionis rite exponitur, quan-
quam et de futura resurrectione corporali
felicis immutationis accipi possit, quæ erit
effectus dominicæ passionis, seu meriti
I Cor. XV, 21. Christi, dicente Apostolo : Quoniam qui- C
dem per hominem mors, et per hominem
resurrectio mortuorum. Sic ergo in illorum
ruinam Christus est positus, de quibus
Ibid. I, 23. Paulus testatur : Prædicamus Christum cru-
cifixum, Judæis quidem scandalum, gen-
tibus autem stultitiam. In illorum vero
resurrectionem est positus, de quibus Pau-
Ibid. 24. lus adjecit : Ipsis vero vocatis, hoc est ele-
ctis, Judæis et Græcis, prædicamus Chri-
stum Dei virtutem et Dei sapientiam.

Et in signum cui contradicetur. Signum
tripliciter sumitur : primo, pro indicio ali- D
cujus significativo, ut circulus designat
potum venalem ; secundo, pro miraculo,
secundum quod in Joanne loquitur Chri-
Joann. IV, 48. stus, Nisi signa et prodigia videritis, non
creditis ; tertio, pro vexillo quo in bel-
lo milites unius partis ab alterius partis
militibus discernuntur, sicut in Psalmo,
Ps. LXXIII, 4, 5. Posuerunt signa sua, signa, et non cogno-
verunt. Itaque, juxta primam signi acce-
ptionem, sensus est : Positus est Christus
in signum, id est ad evangelicæ veritatis
doctrinam insinuandam seu proponendam,
cui a multis contradicetur, vel verbo, vel
opere, vel modo utroque. Inobedientes
namque Christiani opere contradicunt. Jux-
ta secundam acceptionem, sensus est : Po-
situs est in signum, id est miraculum, quia
et ipso Christo homine de Virgine nato,
mirabilius quid est? Omnia quæ de Chri-
sto narrat Scriptura, signum est, hoc est
miraculum, cui contradicetur a perfidis
universis, ut quod Mater virgo est, quod
in unitate personæ sit Deus et homo, quod
veraciter resurrexit. Ita Origenes exponit.
Juxta tertiam acceptionem, per signum
intelligitur crux Christi seu fides crucis :
quo signo distinguuntur servi Christi a
servis diaboli, dum signum istud ab illis
honoratur ac fronti imprimitur, ab illis
contemnitur. — Postremo, exponi potest
de signo pacificationis, ut sit sensus : Po-
situs est in signum fœderis, et reconcilia-
tionis seu pacis inter Deum et homines :
quia videlicet factus est mediator Dei et *I Tim.* II, 5.
hominum, et figurabatur per arcum de
quo loquitur Dominus in Genesi : Arcum *Gen.* IX, 13.
meum ponam in nubibus, et erit signum
fœderis inter me et terram. Christus au-
tem signum est fœderis memorati, non
significative solum, sed et causaliter, di-
cente Apostolo : Ipse est pax nostra, qui *Ephes.* II, 14.
fecit utraque unum ; et denuo, Pacificans *Coloss.* I, 20.
per sanguinem crucis suæ, sive quæ in
cœlo, sive quæ in terra.

Et tuam ipsius, o Maria, *animam per-
transibit gladius,* hoc est amarissimus do-
lor compassionis, quo anima tua implebi-
tur, quum videris Filium tuum occidi, et
persecutiones pati. Imo Virgo beata fre-
quenter ante Christi passionem, præcogi-
tando quanta ille esset passurus, amaris-
sime affligebatur : qui dolor cœpit in ea
in Christi infantia. De qua re in revelatio-
nibus S. Brigittæ multa credibiliter scripta
sunt. Iste est gladius spiritualis de quo
fertur in Psalmo : Lingua eorum gladius *Ps.* LVI, 5.
acutus ; et, Gladius in labiis eorum. Ibi *Ps.* LVIII, 8.
tamen accipitur gladius pro causa doloris.
Sic ergo gladius pertransiit animam Vir-

ginis gloriosæ, quomodo de Joseph in Psal- A
Ps. civ, 18. mo cantatur : Ferrum pertransiit animam
ejus, hoc est dura afflictio. — Ambrosius
per gladium intelligit verbum seu sapien-
Ephes. vi, 17. tiam. Unde et Paulus ad Ephesios : Acci-
pite, ait, gladium spiritus, quod est ver-
bum Dei. Itaque sensus est : Tui ipsius
animam pertransibit gladius, id est, intel-
lectum tuum intime illustrabit verbum
vel sapientia mysterii crucis, ita quod il-
lud non ignorabis, sed præcognitio passi-
onis Filii tui tua intima penetrabit. Hanc
quoque interpretationem tangit vir illu- B
strissimus S. Paulinus episcopus, in ser-
mone seu epistola ad B. Augustinum. Et
allegant ad hoc Ambrosius et Paulinus il-
Hebr. iv, 12. lud Apostoli ad Hebræos : Vivus est sermo
Dei, et efficax, et penetrabilior omni gla-
dio ancipiti, pertingens usque ad divisio-
nem animæ et spiritus. Verumtamen hoc
ad litteram de increato sermone, Verbo
æterno, Unigenito Patris, inducitur, ut tex-
tum intuenti patescit.

*Ut revelentur ex multis cordibus cogi-
tationes.* Verbum istud intricatum est, re- C
ferrique potest ad particulam immediate
præhabitam, vel ad id quod dixerat Si-
meon, Positus est hic in ruinam, etc. Ex
hoc ergo quod Christus venit in quorum-
dam salutem, et ad aliquorum majorem
damnationem occasionaliter, ut dictum est,
item ex passione ipsius compassioneque
Matris ejus, factum est ut multorum ho-
minum cogitationes quæ ante latebant, re-
velarentur, id est, per quosdam effectus
aliis proderentur ac declararentur. Ex di-
ctis enim ostensum est, quis bonis cogita- D
tionibus Deum quæsierit, quis in Christum
crediderit, quis ejus adventum sincere op-
taverit, quis etiam temporalia quærens,
promissaque putans in Christi adventu, in
eum tam pauperem, tam humilem et ab-
jectum credere spreverit. Denique tempo-
re passionis, Judæi cogitationes suas quas
de Christo habebant, manifestaverunt, dum
pro maxima parte negando ipsum, dice-
bant verba quæ in Evangelio scripta sunt,
aliqui vero manebant ei adstantes, sicque
suas de Christo cogitationes pandentes. Se-
cundum hunc sensum, dictio Ut tenetur
concomitanter, non causaliter : quia non
ideo venit, et passus est Christus modo
præfato, ut talis cogitationum manifesta-
tio fieret, sed illa secuta est per modum
eventus.

Vel sic : *Ut revelentur*, hoc est, in con-
fessione seu humili sui ipsius accusatione
aperiantur, *ex multis cordibus* peccatorum
cogitationes iniquæ : quæ ante confessio-
nem latebant, sed merito passionis Christi
data est, et datur hominibus gratia confi-
tendi salubriter. Sicque dictio illa, Ut, te-
neri potest causaliter aliquo modo : nam
ideo passus est Christus, ut hominibus
hanc gratiam mereretur. Ita exponit Ori-
genes, dicens : Cogitationes malæ in ho-
minibus erant, quæ propterea revelatæ
sunt, ut occideret eas ille qui pro nobis
mortuus est. Postremo, fideles passionem
Christi et compassionem Mariæ cordialiter
attendentes, mox se de suis vanis cogi-
tationibus reprehendunt, easque promunt
modis prætactis.

Consequenter recitatur testimonium Chri-
sto impertitum a femina sancta. *Et erat* 36
*Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu
Aser.* Tam determinate describitur, pro-
pter veritatis certificationem, et ut ab aliis
quæ simili nomine vocabantur, distingua-
tur. Aser autem fuit unus duodecim Pa- Gen. xxx,
triarcharum filiorum Jacob. *Hæc processe-* 12, 13.
rat in diebus multis, hoc est, diu vixit, et
virtutibus magis processit quam annis,
quotidie augens merita sua ; *et vixerat
cum viro suo annis septem a virginitate
sua,* id est a tempore quo eam adhuc vir-
ginem sumpsit in conjugem. *Et hæc vidua* 37
fuit et mansit *usque ad annos octoginta
quatuor.* Unde propter senium suum ho-
norabilior, fideque dignior fuit. Scriptum
est enim in Levitico : Coram cano capite Lev. xix, 32.
consurge, et honora personam senis. Job
quoque ait : In antiquis est sapientia, et Job xii, 12.
in multo tempore prudentia.

Quæ non discedebat de templo : non
quod ibi sine interruptione permanserit,

et omnia corpori necessaria egerit, quum A
statim subdatur, Hæc ipsa hora superve-
niens. Itaque dicitur non discessisse de
templo, quia omni hora opportuna, imo
frequenter præ ceteris ibi fuit : sicut de
homine multum devoto et diu in ecclesia
perdurante dicimus, quod semper est in
Luc. XVIII, 1. ecclesia. Sic et Christus testatur : Oportet
semper orare. *Jejuniis et obsecrationibus
serviens* Deo, cui soli latriæ servitus est
reddenda, *nocte ac die,* hoc est competen-
tibus, imo et diuturnis atque frequentibus
vicibus diei noctisque. Porro, obsecratio B
proprie ponitur : species orationis qua
Deum invocamus per commemorationem
alicujus sacri, ut quum dicimus : Per pas-
sionem tuam libera nos, Christe ; vel, Per
bonitatem tuam me adjuva. Jejunium au-
tem ad orationem disponit, sobriam ac
vigilem mentem præstando, vitia carnis,
somnolentiam, loquacitatem, pigritiamque
pellendo : quæ omnia ex edacitate nascun-
tur. Ad illuminationem quoque, omnis-
que gratiæ incrementum jejunium confert.
Quanta autem sit virtus orationis atque C
jejunii, constat ex eo quod de pessimo
Marc. IX, 28. genere dæmoniorum asserit Christus : Hoc
genus in nullo potest exire, nisi in ora-
tione et jejunio.

Insuper, vidua ista plena fuit omni vir-
tute ; sed ideo de istis duobus virtutum
actibus specialiter commendatur, quia in
eis magis excrevit ac fulsit, sicut de Sime-
vers. 25. one habitum est cur specialiter timoratus
ac justus vocetur. Unde per longa jejunia
et frequentes ac fervidas orationes, grati-
am prophetiæ ascendit. Nam per utrum- D
que mens elevatur ad Deum : per jejuni-
um quidem, dispositive ac mediate ; per
orationem autem, directe, formaliter et
immediate. Per quæ duo etiam peccata
præcipue auferuntur : sicque anima puri-
ficatur et sanctificatur, instarque speculi
tersi, pervii et politi, capax fit sapientiæ
copiosæ et illustrationis propheticæ, tan-
quam amica et consiliaria Creatoris, cui
Ps. L, 8. Deus incerta et occulta sapientiæ suæ re-
Sap. VII, 27. velat, juxta illud Sapientiæ : Sapientia in
animas sanctas se transfert, amicos Dei et
Prophetas constituit.

Si ergo et nos a vitiis emundari, concu-
piscentias refrenare, in gratia et virtutibus
crescere, dæmonibus prævalere, desuper
illustrari et sanctificari optamus, jejuniis
et orationibus indesinenter et fervide in-
sistamus, a templo Dei non recedamus,
quantum ratio id permittit, vel mente non
abeamus. Obsecratio autem est ferventior,
potior, magisque impetrativa spiritus ora-
tionis : ideo obsecrationi instandum est,
sicut est illud Psalmistæ : Secundum mise- *Ps.* XXIV, 7.
ricordiam tuam memento mei tu, propter
bonitatem tuam, Domine.

Et hæc beatissima Anna, *ipsa hora* diei 38
purgationis Mariæ, qua Simeon tenebat
puerulum Jesum in ulnis, *superveniens,*
id est, templum Spiritu Sancto monente
ingrediens, quoniam Spiritu Sancto reve-
lante cognovit quis esset, et quid ageretur
in templo, *confitebatur Domino,* id est,
Christum quem vidit præsentem laudavit,
eique gratias retulit, quod juxta Propheta-
rum oracula ad mundi redemptionem jam
descendisset. Est autem duplex confessio,
scilicet laudis, et culpæ. Prima confessio-
ne confitemur Dei bonitatem et beneficia
ejus : de qua loquitur Christus, Confiteor *Matth.* XI, 25.
tibi, Pater. Secunda vero confitemur pro-
pria mala. Denique verba Annæ non sunt
seriatim descripta, forte quia quantum ad
sensum satis coincidebant cum verbis Si-
meonis ac Zachariæ supra descriptis. Nam
et ipsa felicissima Anna tantæ exstitit se-
nectutis, quod cum Simeone non immerito
optavit dissolvi viso jam Christo, ejusque
adventum exspectare cum patribus sanctis
in limbo. *Et loquebatur de illo,* scilicet de
Christo et ejus adventu, beneficiis atque
mysteriis. Unde patet, quod paulo ante,
per Dominum intelligatur ad litteram Chri-
stus. *Omnibus qui exspectabant redempti-
onem Jerusalem.* Per Jerusalem Judææ me-
tropolim, tota regio vel plebs Israelitica
designatur. Omnibus ergo qui devote opta-
bant ac præstolabantur liberationem po-
puli Israel a jugo peccati et potestate dia-

boli, Anna hæc testabatur Christum jam advenisse, et populum Israel totumque sæculum liberaturum nunc esse : intelligendumque est de omnibus quibus opportune seu convenienter poterat loqui.

39 *Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini,* id est, postquam Maria et Joseph omnia peregerunt quæ secundum præcepta legis ad ritum purificationis spectabant, videlicet Filium in templo offerendo, eumque quinque siclis redimendo, hostias quoque immolando legales, quamvis ad nullum istorum (ut dictum est) tenerentur, *reversi sunt in Galilæam,* videlicet *in civitatem suam Nazareth :* quæ dicitur urbs eorum, quia habitaverunt ibidem antequam venirent ad Bethlehem. Christus quoque in Nazareth fuit conceptus.

Præterea, secundum Origenem, Bedam, multosque alios, prætermittit hoc loco Lucas quædam, quæ a Matthæo evangelista novit descripta, quomodo scilicet Jesus

Matth. II, 13-15 ; 19-23.

post hæc sit in Ægyptum translatus, ne ab Herode occideretur, et post mortem Herodis reductus sit, tuncque cœperit Nazareth habitare. Itaque secundum istos, antequam Maria et Joseph cum Jesu venirent in Nazareth, in Ægyptum profecti sunt. Dicuntque aliqui, quod in Bethlehem a Jerusalem redierunt, et a Bethlehem in Ægyptum progressi sint. Alii probabiliter dicunt, quod a Jerusalem non redierunt in Bethlehem, quia ob nullam causam a Nazareth venerunt ad Bethlehem, nisi propter descriptionem, ut patuit : idcirco expedito illo negotio, revertentes a Jerusalem, non ad Bethlehem, sed ad Nazareth redierunt, in qua velut in civitate patriæ mansionisque suæ, libentius morabantur ; et postea, ex illa urbe angelo nuntiante in Ægyptum fugerunt. Ceteri quasi mediam viam tenentes, affirmant quod a Jerusalem cœperunt reverti in Nazareth, atque in via angelus locutus est ipsi Joseph, ut cum matre et puero fugeret in Ægyptum. Verum quidquid horum dicatur, verum est quod Evangelistæ singuli aliqua hinc inde omittunt, A quæ ab aliis noverunt jam scripta, vel Spiritu revelante describenda viderunt : sic tamen, ut narrationis seu descriptionis suæ serie continuata, quasi nulla prætermisisse videantur, quæ alterius Evangelistæ pensata descriptione, quo loco transilita sint, diligens lector inveniet.

Puer autem, secundum quod homo, *crescebat* ætate et corporis quantitate : qui secundum quod Deus, æternus est atque immensus ; *et confortabatur* robore corporali, secundum incrementi mensuram : B quamvis omni momento poterat tantam corporis fortitudinem assumere et habere, quantum jussisset seu voluisset ut Deus, vel etiam ut homo comprehensor secundum superiorem suæ animæ portionem, ut Deitate fruentem. Tanta enim exstitit beatitudo animæ Christi, quod redundasset in corpus ipsius, dando illi quatuor dotes corporis glorificati, nisi dispensative Deus hoc distulisset, ut in epistola ad Dioscorum asserit Augustinus. Insuper, Christus ut homo, confortabatur *spiritu,* id est in anima C sua a Spiritu Sancto, non per gratiæ vel virtutum aut donorum augmentum sive profectum, sed quantum ad ostensionem, qua secundum ætatis incrementum perfectionem suam magis ac magis monstravit, seu aliis per effectum ostendit. Iterum, confortabatur a Spiritu Sancto, imo a tota Trinitate, in anima, in quantum indesinenter anima ejus conservabatur in fortitudine gratiæ ac virtutum a Deo, quam in primæ suæ creationis instanti suscepit ab eo. De hac autem re plenius in fine hujus D articuli erit dicendum. *Plenus sapientia,* quia secundum divinitatem, fuit substantialiter ipsa Sapientia increata. Porro secundum humanitatem, repletus fuit multiplici sapientia creata, ut post pauca dicetur ; fuitque sapientia illa creata in ipso perfecta ab incarnationis principio : propter quod dicit Apostolus, quod in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. *Et gratia Dei erat in illo.* Tanta enim fuit plenitudo gratiæ in eo secundum naturam humanam, quantum valet

Coloss. II, 3.

capere mens creata, ita quod tota capacitas animæ ejus fuit gratia Dei repleta in suæ creationis exordio. De multiplici autem gratia quæ in Christo ponitur, statim patebit.

41 *Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem in die solenni Paschæ.* Si Maria et Joseph cum puero Jesu septem annis in Ægypto morati sunt, quomodo singulis annis pueritiæ Jesu in Jerusalem circa Pascha profecti sunt? Præterea in Matthæo habetur, quod Joseph angelo præcipiente rediens de Ægypto in terram Israel, audito quod in Judæa, cujus metropolis fuit Jerusalem, regnaret Archelaus filius Herodis, timuit illo ire, ideoque in Galilæam reversus est, atque in Nazareth habitavit. Quomodo ergo quolibet anno ivit Jerusalem, si timore Archelai non audebat illuc accedere? Insuper lex præcepit, ut tribus vicibus in quolibet anno, omne masculinum Judæorum appareret coram Domino in loco ad hoc electo, hoc est in loco præcipuo cultus divini, qui fuit Jerusalem, præsertim postquam ibidem constructum est templum. Ergo, qua ratione semel ascenderunt Jerusalem? Videtur quod ter ascendere debuerunt.

In Matth. II, 15.

Matth. II, 19-23.

Exod. XXIII, 17; *Deut.* XVI, 16.

Et respondendum ad primum, quod Lucas loquitur de tempore quo Maria et Joseph in Galilæa seu Nazareth sunt morati. Ad secundum respondet Augustinus in libro de Consensu Evangelistarum dupliciter : primo, quod licet Joseph timuerit in Judæa morari, Archelao regnante, ne esset conspicuus inter turbam, tamen in gentem in qua facile quivit latere, secrete ascendere potuit, ne esset irreligiosus; secundo, quod Lucas loquitur pro tempore quo Archelaus non timebatur, defunctusve erat. Ad tertium respondetur, quod lex in Exodo jussit, ut omnis masculus Judæorum in tribus solennitatibus, scilicet Paschæ, Pentecostes, et Tabernaculorum, coram Domino appareret; sed cum his qui habitabant multum remote a loco præfato, dispensabatur quoad duas solennitates, videlicet Pentecostes et Tabernaculorum. Maria autem et Joseph a Jerusalem remote manebant : idcirco ad principalem dumtaxat solennitatem venerunt, legi obedientes, et obediendi exemplum præstantes. De mulieribus tamen præceptum non fuit ita venire; sed si comitabantur viros, ex devotione vel consuetudine fuit.

Ibidem.

Postremo quod ait, Ibant Jerusalem in die solenni Paschæ, non est intelligendum quod in die illo tam celebri ibant, sed quod iter sic arripiebant, ut in illo die in Jerusalem essent : imo in vigilia Paschæ, quando agnus seu phase immolabatur, ibi esse curabant, ut manducarent de agno paschali.

Deinceps recitat Evangelista quomodo puer Jesus primo sapientiam suam declarare seu manifestare incepit. *Et quum factus esset* Jesus *annorum duodecim,* secundum quod homo : qui secundum divinitatem idem ipse æternaliter et invariabiliter permanet; *ascendentibus illis,* videlicet Maria et Joseph, *Jerosolymam.* Sic enim appellavit eam Salomon, quæ communiter Jerusalem nuncupatur; situque altior fuit quam Galilæa, ideo ascendisse dicuntur; *secundum consuetudinem diei festi,* id est, prout solitum fuit circa festivitatem paschalem. Bona quippe et laudabilis consuetudo vim legis habet, ideo sine idonea causa omittenda non est. 42

Consummatisque diebus, id est expletis seu transactis diebus ad solennitatem illam spectantibus : quæ septem diebus durabat, juxta illud Deuteronomii, Septem diebus comedes absque fermento. Verumtamen aliqui dicunt, quod octo diebus duraverit, quia et Glossa testatur : Octo prolongabatur diebus. Quod verum est cum præfatis septem integris diebus de quibus ait Scriptura, computando diem eos immediate præcedentem, in cujus vespera immolabatur phase, luna quartadecima, prout in Exodo fuit præceptum. *Quum redirent,* id est, a Jerusalem reverti ad Galilæam inciperent, *remansit puer Jesus in Jerusalem,* non absque multiplici causa, rationabilissimisque motivis, videlicet : ut 43

Deut. XVI, 3.

Exod. XII, 18.

suam sapientiam tunc monstrare ad glo- A
riam Patris inciperet; ut pueris, imo et
cunctis, exemplum persistendi in templo
et in cultu ac opere Dei præberet; ut ze-
lum suum circa divina ac Patris honorem
a pueritia declararet; ut amore spiritualis
profectus in sapientia, scientiis atque vir-
tutibus, carnales parentes ostenderet re-
linquendos. *Et non cognoverunt parentes
ejus,* quod ibi remansit : quia ut Beda fa-
tetur, ad solennitates præfatas venientes
atque ad propria redeuntes, viri et femi-
næ incedebant seorsum, infantes autem ac B
pueri cum quolibet parente poterant ire :
ideo Maria putavit puerum esse cum Jo-
seph, et vice versa. Sic namque seorsum
tendebant viri ac feminæ, ut continen-
do, devotius solennitatibus interessent. Ve-
rumtamen Origenes subtilius aliquid tan-
git, nescio tamen si verius. Imaginabatur
equidem, quod supernaturaliter imperce-
ptibiliterque elapsus sit manus parentum,
quemadmodum in Evangelio secundum Jo-
Joann. VIII, 59; X, 39. annem legitur sæpe elapsus manus Ju-
dæorum eum lapidare volentium : quod C
qualiter factum sit, infra dicetur.

44 *Existimantes autem illum esse in comi-
tatu,* id est inter eos qui pariter incede-
bant, ita quod Maria putavit quod esset in
comitatu virorum, Joseph autem, quod es-
set in comitatu mulierum, *venerunt iter
diei,* id est, unius diei iter confecerunt a
Jerusalem recedendo, *et requirebant eum
inter cognatos et notos.* Quum enim in fi-
ne primi diei, tam Maria quam Joseph ad-
verterent quod cum nullo ipsorum esset
vel redisset Jesus, non mediocriter solli- D
citabantur : idcirco die sequenti eum in
utroque comitatu, præsertim inter cogna-
tos et vicinos seu notos et familiares, dili-
45 gentissime requirebant. *Et non invenien-
tes* eum inter illos : ad insinuandum quod
carnalis amor atque propinquitas, socie-
tasque humana plurimum impedit a vaca-
tione divina inventioneque Christi; *regres-
si sunt in Jerusalem* tertia die, *requirentes
eum* in ea, ubicumque putabant spem esse
quod inveniretur. Quo enim plus dilige-
bant, eo vigilantius et abundantius quære-
bant dilectum : quia ut ait Gregorius, vis
amoris multiplicat intentionem et studi-
um inquisitionis.

Et factum est, post triduum, utpote 46
quarto die, *invenerunt illum in templo,*
non in theatro, foro, ludorumve loco, ut
pueri solent inveniri : ad innuendum quod
Filium Dei quærere et invenire optantes,
templum, oratorium, ecclesiam, seu locum
cultui Dei contemplationique aptum in-
gredi debent, non spectaculorum aut tu-
multuum loca. Imo, sicut qui libenter est
in ecclesia propter divina, filius Dei cre-
ditur adoptivus, tanquam libenter consi-
stens in domo Patris cœlestis ; sic qui in
tabernis et locis vanitatum libenter est,
diaboli filius reputatur. *Sedentem in me-
dio doctorum :* ad designandum quod pu-
eri, imo et ceteri, debent se doctoribus
applicare, a quibus in virtutibus atque
scientiis valeant informari, secundum il-
lud Ecclesiastici : Si videris sensatum, sta- *Eccli.* VI, 36.
tim evigila ad illum ; et iterum, In mul- *Ibid.* 35.
titudine presbyterorum sapientium sta, et
sapientiæ illorum ex corde conjungere.
Audientem illos, et interrogantem. Audi-
vit doctrinam illorum, non ut aliquid di-
sceret sive proficeret, sed ut juxta prolata
ab illis congruenter, non extranee, inter-
rogaret, et quia inter homines conversans,
humano decentique modo habere se de-
buit ; itemque, ut exemplum præstaret
simplicibus, præsertim pueris et minori-
bus, quamvis peritis, ut magistros et se-
niores audire potius curent, quam docere
præsumant, nec vana ostentatione se ja-
ctent, præsertim quum scriptum sit : Sit *Jacob.* I, 19.
omnis homo velox ad audiendum, tardus
autem ad loquendum ; et iterum, Nolite *Ibid.* III, 1.
plures magistri fieri, fratres mei, scientes
quia majus judicium accipitis.

Itaque, postquam illos audivit, quæstio-
nes Christus proposuit, ut illos instrueret,
atque ad Dei laudationem induceret. De-
nique hic disciplinæ rectus est ordo : pri-
mo, diligenter audire, deinde circa audita
pertinenter inquirere, juxta illud Ecclesi-

Eccli. xxxii, 9, 12. astici : Audi tacens simul et quærens, et
pro reverentia accedet tibi bona gratia.
Quo contra nonnulli non exspectata re-
sponsione tentant objicere, seu non audita
ad plenum objectione incipiunt responde-
re, non attendentes illud Proverbiorum :
Prov. xviii, 13. Qui prius respondet antequam audiat, stul-
tum se esse demonstrat et confusione
dignum. Propterea in Ecclesiastico scribi-
Eccli. xi, 8. tur : Priusquam audias, non respondeas
verbum. Quæ autem fuerint Christi quæ-
stiones atque responsa, Evangelista non
exprimit. Arbitror tamen, quod aliqua cir-
ca sua mysteria atque adventum suum
spectantia fuerit sciscitatus, ut daret eis
agnoscendæ veritatis occasionem.

47 *Stupebant autem,* id est, vehementer
mirabantur, *omnes qui eum audiebant,*
quod scilicet in puero tantulæ ætatis es-
set sapientia, eloquentia, maturitas, con-
stantia tanta : præsertim tamen de sapien-
tiæ ejus eminentia. Nam subditur : *super*
prudentia ejus intus manente : et sumitur
hic prudentia pro sapientia, vel notitia
Scripturarum ; *et responsis ejus,* per quæ
sua interior prudentia patefiebat. Unde
elicitur, quod sicut Christus proposuit eis
quæstiones, sic vice versa ; sed ipsi ei tam
prompte ac sapienter respondere nequi-
bant, ut eis ipse. Ex eodem equidem sa-
pientiæ fonte procedit, apte interrogare,
48 convenienterque respondere. *Et videntes*
admirati sunt : id est, cuncti qui aderant
huic disputationi, et corporaliter puerum
illum intuebantur, quam facete, modeste,
reverenter se habuit, intellectualiter quo-
que videbant quam sapiens esset, admira-
tione repleti sunt, quod puer ille doctores
ætate, studio, atque humana instructione
provectos, tam incomparabiliter supera-
ret : cujus simile nunquam viderunt et
forte nec audierunt, quum sit contra vel
supra cursum et ordinem rerum. — Præ-
terea quæritur, cur Christus duodecimo
ætatis suæ anno sapientiam suam sic or-
sus est declarare. Ad quod Græcus respon-
det, quia duodecimo anno penes homines
discretionis ratio perfici solet : unde non
A antea fecit hoc, ne phantasticum aut diabolicum putaretur. Potest quoque dici, ut tangit Ambrosius, quoniam duodenarius Apostolorum numerus fuit ad prædicationem Evangelii eligendus.

At vero affectuosissima atque piissima Mater, viso unico ac supercarissimo Filio suo, tanto amplius est gavisa, quo de ejus amissione plus fuit tristata ; verumtamen eum alloqui non præsumpsit, quamdiu vidit eum cum doctoribus occupatum. Sed Puer Matrem adesse conspiciens, actu illo B completo, venit ad eam. Quæ mox maternis concussis visceribus et præ gaudio lacrimans, fiducialiter, humiliter, dulciter et affectuose, tanquam mater ait ad ipsum : *Fili, quid fecisti nobis sic?* Et est verbum hoc non quasi increpatio, sed quasi pia et amorosa conquestio, seu avida inquisitio, exponendum. Noverat nempe beatissima Virgo Filium suum esse Deum et hominem, nec posse peccare, nec sine rationabili causa quidpiam agere. Ideo sciscitatur : O fili, quid, id est cur, fecisti C nobis sic, nobis ignorantibus in Jerusalem remanendo, ac per hoc tantam nobis tristitiam ingerendo, quos noveras de tua absentia taliter affligendos ? O felicissima incomparabilisque Maria, quæ Unigenitum Patris æterni tam vere ac confidenter filium vocat !

Ecce ego et pater tuus putativus, *dolentes* de tua absentia, *quærebamus te* cum grandi dolore. Cujus doloris causam Glossa assignat, quia timebant ne quod puero in infantia facere molitus fuit Herodes, alii *Matth.* ii, 13, 16. D puero jam provectioris ætatis inferrent, videlicet Archelaus et alii. Sed nonne sapiens Virgo cognovit, quod puer ideo venit, ut in virili ætate pro mundi salute crucifigeretur ? Et respondendum, quod utique : nihilo minus metuere potuit ne puero qui ad patiendum venit, aliquid adversitatis accideret, quamvis sciret sibi hoc contra ipsius voluntatem non posse accidere. Denique Origenes circa hoc subtiliter scribit : Cur, inquiens, quærebant puerum cum dolore ? An ideo, ne forte

perierit sive erraverit? Absit. Nunquam A enim fieri potuit, ut perditum formidarent, quem Dominum esse cognoverant, et quem Maria se de Spiritu Sancto concepisse perpendit. Sed quomodo tu, dum Scripturas legis, quæris in eis sensum cum dolore et quodam tormento, non quod Scripturas errasse arbitreris, sed quoniam veritatem quam continent nescis, et invenire quæris; sic illi quærebant Jesum, ne forte eos relinquens ad alia demigrasset, et quod magis puto, ne forte reversus esset ad cœlos, quum ei placuisset iterum B descensurus.

Itaque et nos, dum peccando amiserimus Jesum, protinus cordialiter doleamus, et cum sollicitudine ac mœrore eum quæramus, nec dissolute et negligenter pertranseamus, ut illi qui quærunt nec tamen eum inveniunt. Unde in Deuteronomio habetur : Quum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum; si tamen toto corde quæsieris eum, et tota tribulatione animæ tuæ. (*Deut.* IV, 29.) Tanto enim plus de perpetratione peccati et Christi amissione dolere debe- C mus, quam de temporalium et corporalium perditione, quanto malum culpæ pejus est malo pœnæ, et quanto salus æterna seu incommutabile bonum majoris est bonitatis ac dignitatis quam transitoria universa. Nihilo minus multi cæca et misera mente plus de transitoriorum ablatione, quam de gratiæ ac salutis perditione tristantur.

49 *Et ait ad illos : Quid est quod me quærebatis?* quasi dicat : Necesse non fuit me taliter quæri cum tanta mœstitia. Quibus D verbis non increpat eos quasi culpabiles, quia nec male egerunt quærendo; sed caritative et pie insinuat, quod aliter quærendus potius fuit, et quod melius ac sapientius facere potuissent, quam fecerunt ita quærendo inter cognatos ac notos : quemadmodum Christi voluntas de qua dixit, Pater, non quod ego volo, bona fuit; et tamen qua dixit, Sed quod tu, melior fuit. (*Marc.* XIV, 36.) Hinc subditur : *Nesciebatis* (quasi dicat, Utique perpendere potuistis) *quia in his quæ Patris mei sunt,* id est in cultu et templo Patris æterni, *oportet me esse,* qui veni ad hoc, ut secundum formam servi quam accepi, Patrem meum cœlestem indesinenter honorem? (*Philipp.* II, 7.) Unde apud Joannem Christus ait de Patre : Quæ placita sunt ei, facio semper. (*Joann.* VIII, 29.) Tanquam dicat : Primo fui a vobis in templo, non inter cognatos quærendus, ceteris paribus; vel advertere poteratis, quod non nisi in divinis essem moratus. Hoc tamen pro tunc non tenebantur considerare, sed paulatim proficere debuerunt. Et Christus his verbis interrogat eos, non ut reprehendat quasi peccantes, sed ut instruat aliqua ignorantes, ut moris est his qui ex præcipua caritate loquuntur.

Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos. 50 Non est putandum ignorasse eos, præsertim Mariam, quod per patrem intellexerit Deum Patrem æternum; sed plene non intellexerunt quid Christus per ista verba prætenderet, hoc est, per quem modum assereret se esse oportere in his quæ Patris sunt, utpote quantum ad locum et tempus, aliasque circumstantias, et quoad actus determinatos : quia et verbum hoc multipliciter intelligi potuit; et Maria non ignoravit Filium suum indesinenter Deo Patri actibusque divinis intentum, sed quando, qualiter, quoties oporteret eum esse in templo, non ita prævidit distincte.

Et descendit cum eis, et venit Nazareth, 51 a qua cum illis ascendit Jerusalem. De qua ascensione sua ad festivitatem legalem, per Zachariam de se ipso prædixit, dicens : Vadam etiam ego. (*Zach.* VIII, 21.) Nam paulo ante ibidem habetur : Hæc dicit Dominus exercituum : Usquequo veniant populi et habitent in civitatibus multis, et vadant habitatores unusquisque ad alterum, dicentes, Eamus et deprecemur faciem Domini. (*Ibid.* 20, 21.) Quibus mox subditur : Vadam etiam ego, scilicet Dominus exercituum qui loquitur ista. Non enim Zacharias de se ipso hoc ait : quod super Zachariam clarius demonstravi. *Et erat subditus illis :* quo-

niam sicut in se ipso humillimus fuit ut A homo, sic usque perfectum in exteriori- Philipp. II, 8. bus humiliavit se ipsum, non solum Matri, sed et nutricio et ministro se subdens, secundum naturam assumptam; et legem Matth. XV, 4. quam de honoratione parentum dedit, implevit, non necessitate, sed dignatione et pietate. Non enim communi legi fuit adstrictus, aut de necessitate præcepti subjectus, sed supra legem, non solum secundum divinitatem, sed et secundum humanitatem, ut a Verbo æterno assumptam et toti creaturæ prælatam. B

Denique, secundum gradus diversos potestatis altioris, determinandus est obedientiæ gradus. Ideo potestati in spiritualibus præsidenti, in illis est obediendum; præsidenti autem in regimine rei publicæ, in talibus est obediendum; similiter præsidenti in regimine domus atque familiæ, in talibus obediendum est a domesticis. Christus autem simpliciter superior fuit suis parentibus: quibus tamen parebat et humillime atque promptissime serviebat, dans omnibus nobis, præsertim junioribus, obe- C dientiæ ac humilitatis exemplum, et ut non solum carnalibus, sed et spiritualibus patribus ac senioribus obediamus, dicen- Ephes. VI, 1. te Apostolo: Filioli, obedite parentibus vestris per omnia. Debent autem filii parentibus honorem reverentiæ, sicut in assurgendo; honorem obedientiæ, in omittendo seu faciendo, dummodo non sit impeditivum salutis; itemque honorem subventionis necessariæ, pro loco et tempore. Hac ergo Christi humilitate vehementissime superbia nostra confunditur, D rebellio nostra damnatur, dum superioribus nostris non obtemperamus: quia Dominus universorum, qui etiam secundum naturam assumptam et Verbo unitam, dignior Deoque carior est toto universo, non solum pauperi Matri, sed et fabro obedivit lignario.

Et Mater ejus conservabat omnia verba hæc, scilicet verba et facta Filii sui, *in corde suo*, tanquam optima ac docillima sapientiæ æternæ discipula, sapientiæ capacissima ac avidissima; et quidquid Filius ejus de cetero fecit aut dixit, cum summa veneratione pensavit, ac inde eminenter profecit, non ut puerum vel virum dumtaxat, sed ut Deum illum attendens. Unde nec ipsa, nec Joseph, sine debita reverentia ei aliquid injungere consueverunt.

Et Jesus proficiebat ætate, quia tempus 52
quod sibi accrevit, fructuosissime expendebat, *et sapientia et gratia apud Deum et homines*, id est veraciter coram Deo et hominibus, Deum in omnibus pura conscientia honorando, et proximos ædificando, suam sapientiam, perfectionem et gratiam eis paulatim manifestando, secundum quod ætate processit, ut per hoc ad Dei honorem et gloriam provocarentur. Denique quoad Deum, sufficit bona conscientia; sed propter homines exigitur bona fama, exemplarisque vita: quam qui negligit, secundum Augustinum, crudelis est. Propter quod in Ecclesiaste legitur: Melius Eccle. VII, 2. est nomen bonum, quam unguenta pretiosa; et alibi, Curam habe de bono nomine. Eccli. XLI, 15. Apostolus quoque: Provideamus (inquit) II Cor. VIII, 21. bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus; et alibi, Honeste ambuletis ad eos qui foris sunt. I Thess. IV, 11.

Postremo jam diligentius intuendum, quomodo Christus profecit sapientia et gratia. Ad quod intelligendum, oportet advertere, quod quum Christus sit Deus et homo in unitate personæ, duplex fuit in eo sapientia, scilicet increata, quæ est ipsummet Verbum æternum ac divina essentia, et creata. Et ista sapientia Christi creata multiplex fuit. Una dicitur Beatorum, qua a principio creationis animæ suæ, ipse secundum animam ut Deo fruentem omnia cognovit in Verbo seu in divina essentia, sicut Beati in patria, imo multo excellentius eis. Insuper fuit in anima Christi a suæ creationis principio, sapientia indita seu infusa, qua cognoscit res per proprias earum species sibi concreatas, suæque animæ connaturales et proportionatas. Nulla enim naturalis perfectio defuit animæ

Christi. Unde, quemadmodum, secundum Augustinum, Verbum æternum seu Deus a principio indidit mentibus angelicis intelligibiles rerum species, per quas cognoscunt res cognitione vespertina, præter cognitionem matutinam qua res cognoscuntur in Verbo, sic Verbum animæ Christi sibi unitæ indidit species intelligibiles naturales.

Præter has sapientias seu scientias, ponunt quidam theologi in anima Christi scientiam acquisitam seu experimentalem : quam S. Thomas primo negavit esse in anima Christi; sed postea in tertia parte retractat hoc, et asserit talem scientiam in Christo ponendam : quia ut ait, nihil eorum defuit Christo quæ Deus in natura humana plantavit, ideo Christus habuit intellectum agentem, ejusque operationem. Operatio autem intellectus agentis est, a phantasmatibus intelligibiles species abstrahere, atque in intellectu eas possibili ponere, ut tertio de Anima dicitur. Itaque in intellectu possibili animæ Christi fuerunt species intelligibiles ab intellectu agente illi impressæ : quod est scientiam acquisitam, quam quidam vocant experimentalem, in Christo consistere, quæ habetur per modum humanum, naturaleque lumen. De qua ad Hebræos ait Apostolus, loquens de Christo : Didicit ex his quæ passus est obedientiam. Et sumitur ibi Discere, pro Experiri. Christus namque non didicit ab aliis scientiam acquisitam, sed per propriam adinventionem eam adeptus est. Hæc secundum Thomam in tertia parte inducta sunt.

Thom. part. 3, q. 9, art. 1.

Hebr. v, 8.

Ex quibus ostenditur, quod Christus in nulla sapientia seu scientia prænominata

A profecit, quantum ad habitum illius, nisi in scientia acquisita. Fuit quoque anima Christi indesinenter æque perfecta in actu sapientiæ Beatorum, ac sapientiæ inditæ seu infusæ : unde in nulla earum profecit, nisi quantum ad manifestationem ; sed in actu ac habitu sapientiæ acquisitæ profecit, secundum ponentes illam in ipso.

Insuper fuit in anima Christi ab incarnationis exordio gratia habitualis, tanta, tamque perfecta, ut per ipsam, et de B plenitudine ejus universis fidelibus, qui membra ejus vocantur, influere possit spiritualem sensum ac motum virtutum vivificum, quemadmodum caput influit membris motum naturalem ac sensum. Hinc gratia habitualis et gratia capitis ponitur, secundum rem, una eademque Christo : in qua etiam, secundum rem, nunquam profecit, sed secundum manifestationem dumtaxat; imo gratia illa tanta fuit et est in Christo, quod mens creata majoris gratiæ capax non est. Ponitur quoque in Chri- C sto gratia unionis, quæ secundum quosdam est ipsum esse increatum Verbi, humanitati Christi communicatum. Aliqui tamen affirmant, quod gratia unionis in Christo sit quid creatum ; sed illi gratiam unionis aliter sumunt. Unde diversitas horum consistit in verbis. Itaque, quoniam humanitati Christi a principio suæ creationis communicata est hypostatica unio cum Verbo æterno, quod est super omne donum creatum, etiam ex tunc ei data est plenitudo gratiæ et donorum sapientiæ ac virtutum, D beatitudinum quoque et fructuum, imperfectionem in sua ratione non includentium.

Joann. i, 16.

I *Cor.* vi, 15; *Ephes.* v, 30.

ARTICULUS VIII

ENARRATIO CAPITULI TERTII : ANNO AUTEM QUINTODECIMO IMPERII TIBERII CÆSARIS.

QUEMADMODUM Christi annuntiationem, conceptionem, nativitatem, circumcisionem, nominationem, pueritiam descripturus Evangelista, præmisit de Præcursoris annuntiatione, conceptione, ceterisque prædictis; ita nunc de Christi prædicatione, Baptismo et gestis scripturus, præmittit de prædicatione, baptismate factisque Præcursoris, quia præambula et accessoria sunt ad Christi documenta et gesta.

1 *Anno autem quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris :* qui Octaviano imperatori, cujus et filiam habuit conjugem, in imperio immediate successit. Octavianus autem annis quinquaginta septem regnavit, et anno quadragesimo secundo imperii ejus nati sunt Christus et præcursor ejus : sicque quindecim annis sub Octaviano in mundo hoc conversati sunt, et quintusdecimus annus imperii Tiberii fuit tricesimus annus ætatis Christi ac Præcursoris : quo anno gesta sunt, quæ paulo post describuntur. *Procurante,* id est, per modum procuratoris regente, *Pontio Pilato Judæam.* Dicuntque aliqui, quod Pontius fuit proprium nomen ejus, Pilatus vero agnomen. Alii probabilius asserunt, quod proprium ejus nomen fuit, Pilatus; Pontius autem vocatus sit a Pontia insula, in qua stetit : qui, secundum Bedam, duodecimo anno imperii Tiberii ad regendam Judæam ab imperatore hoc missus est. Judæa quoque hic sumitur, non pro toto regno Judæorum, sed pro ea parte Judææ quæ fuit Archelai, ut statim dicetur. *Tetrarcha autem Galilææ* exsistente *Herode* Antipa : (*Marc.* VI, 17, 27. *Matth.* II, 16.) qui decollavit Joannem, fuitque filius Herodis qui occidit infantes. Porro, tetrarchia dicitur quarta pars regni, a *tetra,* quod est quatuor, et *archos,* quod est princeps : unde tetrarcha vocatur princeps quartæ partis regni. *Philippo autem fratre ejus* exsistente *tetrarcha Iturææ et Trachonitidis regionis :* quæ duæ provinciæ reputabantur quarta pars regni totius Judææ, quod fuit regnum Herodis Ascalonitæ patris fratrum istorum. Denique iste est Philippus, cujus uxorem, puta Herodiadem, abstulit ei frater suus Herodes Antipas, quem ob hoc increpavit Joannes. (*Marc.* VI, 17, 18.) *Et Lysania* exsistente *Abilinæ,* id est provinciæ sic vocatæ, *tetrarcha.* Lysanias, secundum Bedam, fuit filius Herodis Ascalonitæ. Josephus vero affirmat, quod fuit nepos ipsius, utpote filius Ptolomæi cujusdam ex Alexandria sorore præfati Herodis : quod verius creditur. Beda autem nomen filii forsitan extense accepit, prout nepotes alicujus, filii ejus dicuntur.

Præterea advertendum, quod Herodes Ascalonita sex habuit filios, quorum tres ipse adhuc vivens occidit; ipsoque mortuo, tres reliqui filii ejus, videlicet Archelaus, Herodes Antipas, et Philippus contendebant de regno patris habendo. Tandem Octavianus imperator de senatus consilio, regnum Herodis Ascalonitæ defuncti divisit in quatuor partes, dans duas Archelao, puta Judæam et Idumæam, tertiam vero Herodi Antipæ, videlicet Galilæam, quartam Philippo, utputa Ituræam et Trachonitidem regionem. Archelaus demum decimo sui dominii anno apud imperatorem de tyrannide accusatus, a principatu depositus est, atque in exsilium relegatus; et ex tunc una pars principatus sui, scilicet Judæa, cœpit per procuratores et officiales Romanorum administrari, quorum quintus legitur fuisse Pilatus.

Sub principibus sacerdotum Anna et 2

Caipha : non quod isti duo simul pontifices fuerunt; sed Annas pontifex fuit anno quo Præcursor orsus est prædicare, Caiphas autem anno quo passus est Dominus. Tempore autem intermedio inter hos duos pontifices, fuerunt et alii tres sibi invicem succedentes, videlicet Ismael, Eleazarus, et Simon. Refert equidem Josephus, quod tunc sub imperio Romanorum, sacerdotium fuit irreverenter venale, ita quod præceptis legis de successione pontificum per vim et ambitionem cessantibus, nulli honor pontificatus, vitæ vel generis merito præstabatur. Unde Valerius Gratus, Anna a pontificatu remoto, Ismaelem filium Baphi* designavit pontificem : quo post modicum temporis abjecto, Eleazarum Ananiæ pontificis filium subrogavit, quem post annum amovit, et Simoni Caiphæ filio episcopatum tradebat : qui non plus quam per annum pontifex exsistens, successorem accepit Josephum, qui et Caiphas dictus est. Itaque de his duobus facit Evangelista, aliis omissis, mentionem, quia ad Christi magis pertinent passionem ac persecutionem. Frequentius quoque dicuntur sibi in pontificio successisse, et quod affinitate conjuncti fuerunt. *Factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium, in deserto.*

* Phabi

Ecce quam solenniter describit Evangelista tempus quo divina revelatio facta est Præcursori de prædicando ac baptizando. Et cur hoc? nisi propter reverentiam et magnificentiam ejus cujus ille fuit annuntiator, videlicet Christi. Denique, juxta Origenem, in libris Prophetarum, ubi commemoratur tempus revelationum eis factarum, solum Judæorum describitur regnum, quoniam sermones Prophetarum ad solos fiebant Judæos. In descriptione vero evangelicæ revelationis ac prædicationis, quæ toti mundo fuerat nuntianda, imperium Romani dominatoris, qui toti orbi videbatur dominari, describitur. Quia tamen et Judæis fuerat Evangelium prædicandum, describuntur et tetrarchiæ eorum : imo, quoniam Christus quem Joannes prædica-

A turus fuit, rex et sacerdos seu pontifex est, tempus prædicationis Joannis recte per regnum et pontifices est descriptum.

Itaque, Factum est verbum Domini super Joannem, id est, divina jussio facta est Joanni, sive per solam inspirationem internam, angelicam vel divinam, sive per exteriorem angelicam apparitionem et allocutionem, vel per imaginariam visionem. Non enim determinat Evangelista quomodo factum sit verbum Domini istud super Joannem, nec exprimit an in vigilia vel in B somno. Nec dubium quin ante hoc tempus divinæ illuminationes, inspirationes et allocutiones frequenter sint factæ beatissimo Præcursori; sed nunc primo facta est sibi præceptio exeundi de deserti secreto, et veniendi in publicum, ad prædicandum ac
baptizandum. *Et venit in omnem regio-* 3
nem Jordanis, id est ad loca Judææ circa fluenta Jordanis. Quoniam enim gratia baptizandi advenit, loca aquis propinqua accedere debuit.

Prædicans baptismum pœnitentiæ in C *remissionem peccatorum.* Hoc dupliciter explanatur : primo, de Baptismo Christi ; secundo, de baptismo Joannis. Primo modo iste est sensus : Prædicans, id est, de proximo futurum ac dandum annuntians suscipiendumque hortans Christi Baptismum, quem Christus per Apostolos et ceteros discipulos suos dedit. Non enim personaliter baptizavit, sed discipuli ejus eo jubente, ut patet in Joanne. Dicitur quoque Baptismus Christi, quoniam eum instituit, et a merito ejus efficaciam habet, D gratiamque sortitus est, sicut et cetera legis evangelicæ sacramenta. Itaque Joannes auditoribus suis prædixit instare Christi Baptismum, ut infra in isto habetur capitulo, et in Matthæo et Marco. Dicitur autem Baptismus Christi, baptismus pœnitentiæ, quia adultis non datur nec prodest, nisi pœniteant. Propter quod in Actibus Petrus ait Judæis : Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Christi Jesu in remissionem peccatorum. Nec obest quod ait Ambrosius, Baptismalis gra-

Joann. IV, 2.

vers. 16 ; *Matth.* III, 11 ; *Marc.* I, 8.

Act. II, 38.

tia non requirit gemitum, neque planctum: A quia vel de infantibus loquitur, vel de pœnitentia exteriori, quæ dicitur punitio mali vel satisfactio pro peccato, non de pœnitentia interiori, quæ est displicentia seu detestatio culpæ. Insuper Baptismum istum prædicavit in remissionem peccatorum, docendo quod Christi Baptismus peccata deleret, gratiamque conferret. — Secundo, exponitur de baptismo Joannis, hoc est de baptismo quem dedit : quem prædicavit, quia ad eum accipiendum plebem admonuit. Qui baptismus pœnitentiæ di- B citur, quia quos baptizavit ad pœnitentiam hortabatur; et qui baptismum illum accipiebant, sua peccata confitebantur, sicque se pœnitere monstrabant. Rursus, ad hoc baptizavit, ut baptismum suum suscipientes, per illam lotionem in aqua, ad cordialem contritionem et humiliationem provocarentur, sicque ad suscipiendum devote Baptismum Christi et gratiam ejus disponerentur. Sic quoque baptismus Joannis fuit in remissionem peccatorum, non causaliter aut directe, sed dispositive seu præ- C paratorie, quia per modum prætactum baptismus Joannis aptavit præparavitque homines ad Christi Baptismum, ut infra dicetur. — Primo modo exponit Gregorius, dicens : Baptisma quod peccata solveret, quia dare non potuit, prædicabat : ut sicut incarnatum Patris Verbum præcurrebat verbo prædicationis, ita baptismum pœnitentiæ quo peccata solvuntur, præcurreret suo baptismate, quo peccata solvi non possunt.

Consequenter prædicatio et doctrina Jo- D
annis testimonio confirmatur prophetico,
4 ut credibilior comprobetur. *Sicut scriptum*
est in libro sermonum Isaiæ prophetæ, id
Is. XL, 3-5. est, sicut Isaias de Joanne prædixit. Qui
beatissimus Isaias tam luculenter ac plene Christi atque Ecclesiæ mysteria prænuntiavit, sed et de Christi præcursore vaticinatus est tam aperte, ut non solum Propheta, sed et Evangelista dicendus sit : cujus librum Lucas rite appellat librum sermonum, propter eloquentiam ejus et sententiarum majestatem, item ob libri illius magnitudinem, qui numero capitulorum ceteros excedit Prophetas. Quid autem ibi scriptum sit, subditur :

Vox clamantis in deserto. Per vocem intelligi potest sermo Joannis, vel ipsemet S. Joannes. Primo igitur sensus est : Vox *Joann.* I, 23 clamantis, id est doctrina, prædicatio, seu sermo Joannis in eremo prædicantis, est iste qui subditur : *Parate viam Domini,* id est, Christo omnium Domino disponite, facite, parate, præbete medium veniendi ad vos per fidei ac gratiæ infusionem : hoc est, obstacula gratiæ, impedimenta virtutum, videlicet obliquitates vitiorum, seu peccata cuncta abjicite, ad fidem et gratiam vos parate, pœnitentiam agite, quod in vobis est facite; *rectas facite semitas ejus,* id est, præcepta consiliaque divina, per quorum observationem itur ad Deum, pure et irreprehensibiliter adimplete. Istæ sunt viæ Domini ex parte nostri, id est viæ per quas aptamus nos ad Dei adventum, videlicet ad suscipiendam gratiosam inhabitationem ipsius, vel virtutes et gratiam ejus : a peccato recedere, et bona peragere. De quibus duabus viis fertur in Psalmo, Declina a malo, et fac bonum. *Ps.* XXXVI, 27. Porro, viæ Domini ex parte ipsius, per quas venit ad nos, sunt misericordia et justitia, de quibus cantamus, Universæ viæ *Ps.* XXIV, 10. Domini misericordia et veritas; item caritas et liberalitas ejus, quæ ad misericordiam reducuntur. Semitæ autem proprie nominantur itinera secretiora et compendiosiora; viæ vero, itinera apertiora et magis communia. Idcirco, per viam intelligi possunt præcepta, per semitas autem consilia, quæ directius ducunt ad Deum. De quibus in Proverbiis scriptum est : Viæ *Prov.* III, 17. ejus, scilicet Dei, viæ pulchræ, et omnes semitæ ejus pacificæ; atque in Psalmo, Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et se- *Ps.* XXIV, 4. mitas tuas edoce me. Insuper, sicut corporalis via paratur, quando corporale medium fit, seu perficitur, per quod de uno loco ad alium procedatur; sic spiritualis hæc via Dei paratur, dum per contritio-

nem a malo receditur, et actioni virtuosæ insistitur : sic enim Deus venit ad nos dona gratiæ infundendo, aut infusa perficiendo.

Secundo, per vocem intelligitur ipse Præcursor : quemadmodum apud Joannem
Joann. I, 19-23. quærentibus Judæis, Tu quis es? respondit : Ego vox clamantis in deserto. Dicitur enim vox per similitudinem, ratione sui officii : quia ut vox ordine naturæ prior est verbo, sic Joannes Christum præcessit. Iterum, sicut vox rem significatam notificat, sic Christum Joannes monstravit. Rursus, sicut vox sonat et transit, et verbum in audientium corde relinquit; ita Joannes prædicando sonuit, et per martyrium ad patres descendit, sed Christum in terra atque in credentium corde deseruit. Postremo, sicut verbum et vox simul sunt tempore, et tamen vox præfato modo prior est verbo; sic Christus et Joannes simul in mundo vixerunt, et tamen Joannes modico tempore Christum præcessit nativitate, prædicatione, baptizatione ac passione. Verumtamen, sicut verbum mentale prius est voce in eo qui loquitur, sic Christus secundum quod est Verbum Patris æterni, fuit et est prior Joanne. Dicitur quoque Joannes vox clamantis, id est Christi, seu Spiritus Sancti per ipsum loquentis. Deus enim loquebatur per ipsum, sicut
II Cor. XIII, 3. et Paulus ait : An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus ?

5 *Omnis vallis implebitur,* id est, omne cor humile donis gratiæ copiose ditabitur : humilitas enim ad omnem virtutem et gratiam præparat mentem, sicut superbia ad omne peccatum. Et sicut stillicidia a cacuminibus montium descendunt ad bassitudinem vallium, imo quo valles sunt profundiores, eo abundantior in eis colligitur aqua ; sic charismata Spiritus Sancti relictis superbis, ad humilium corda descendunt, atque in eis quiescunt, et tanto exuberantius colliguntur, quo Deo profundius substernuntur. *Et omnis mons,* id est superbus et aliis eminens, *et collis,* hoc est superbus minor sive inferior, *humiliabitur,* id est, a Deo spernetur, deprimetur, damnabitur. Hoc est quod loquitur Christus : Omnis qui se humiliat, exalta- Luc. XIV, 11.
bitur; et qui se exaltat, humiliabitur. Hinc Petrus : Humiliamini, inquit, sub potenti I Petr. V, 6.
manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. In Job quoque legitur : Qui hu- Job XXII, 29.
miliatus fuerit, erit in gloria ; et in Proverbiis : Deus superbis resistit, humilibus Prov. III, 34; Jacob. IV, 6; I Petr. V, 5.
autem dat gratiam. *Et erunt prava,* hoc est, corda vitiosa convertentur et fient, *in directa,* hoc est justa, et secundum rectitudinem æquitatis dirigentur; *et aspera in vias planas,* id est, feroces, rebelles, distortique moribus, erunt obedientes et simplices, ita quod verbum Dei ingrediatur ad eos faciliter, et indurati per gratiam mollificabuntur. Hæc per prædicationem Joannis fieri inceperunt, quia multos convertit; deinde per Christi discipulorumque ejus evangelizationem completa sunt. — Insuper, per valles intelligi queunt corda carnalium per terrenam affectionem depressa, quæ per divinorum amorem impleta sunt ; per montes vero et colles, corda vanorum per mundanam vanitatem erecta, quæ per propriæ defectuositatis illuminatam recognitionem humiliata sunt, in primo Salvatoris adventu.

Porro, offuscati quidam Judæi inductam Isaiæ auctoritatem de vallium impletione, etc., corporaliter nimis ruditerque exponunt, affirmantes in adventu Messiæ, terram penitus complanandam, ut Judæi per orbem dispersi, sine difficultate itineris expeditius confluant ad Judæam : quod super Isaiam plenius reprobavi. Rabbi Moyses quoque hoc reprobat. Verumtamen, quidam Catholici ita exponunt ad litteram de terræ complanatione per montium depressionem, et vallium elevationem seu impletionem, referendo scripturam hanc ad secundum Christi adventum, circa quem terra dicitur complananda.

Et videbit omnis caro, id est omnis ho- 6
mo, *salutare Dei,* hoc est Christum, per quem secundum quod homo est, Deus Pater seu Trinitas genus humanum salvavit,

II *Cor.* v, 19. dicente Apostolo : Deus erat in Christo A
mundum reconcilians sibi. Denique, Chri-
stum in mundo hoc conversantem omnis
homo, id est aliqui de omni genere ho-
minum, corporaliter adspexerunt, quia et
multi gentiles sic eum intuiti sunt, præ-
sertim in die Palmarum, quando Pharisæi
Joann. XII, 19. dixerunt : Ecce totus mundus abiit post
eum. Sicque est hic distributio pro gene-
ribus singulorum, non pro singulis gene-
Joel II, 28. rum, sicut in Joele Dominus ait : Effundam
de Spiritu meo super omnem carnem ; et
Is. LXVI, 24. Isaias inquit, Cadavera virorum prævari- B
catorum erunt ad satietatem visionis omni
carni. Ex quibus locis id etiam innote-
scit, quod in Scripturis frequenter ponitur
pars pro toto, et caro pro homine. Spiri-
tualiter vero, per fidem et sapientiæ do-
num multo plures in toto mundo viderunt
et contemplati sunt Salvatorem, quemad-
modum de gentilibus conversis vaticinatus
Ibid. LII, 15. est Isaias : Quibus non est annuntiatum,
viderunt ; et qui non audierunt, contem-
plati sunt. De qua visione ad Hebræos
Hebr. II, 9. scribit Apostolus : Videmus Jesum propter C
passionem mortis, gloria et honore coro-
natum.

Aliqui autem referunt verbum istud ad
secundum Christi adventum, in quo om-
nis caro, id est electi et reprobi, Christum
videbunt in solio majestatis, ac sede ju-
Apoc. I, 7. dicii, juxta illud Apocalypsis : Ecce venit
cum nubibus, et videbit eum omnis ocu-
lus. Sic exponit Beda sequens Gregorium,
sumens distributionem ejus quod dicitur,
Omnis caro, pro singulis generum. Verum-
tamen ultima particula auctoritatis hic ab D
Evangelista allegata, videlicet, Videbit om-
nis caro salutare Dei, in Isaia cum præ-
Is. XL, 3, 4. cedentibus verbis quæ in Isaia scripta
sunt, secundum translationem Hieronymi
non habetur, quantum ad formam verbo-
rum ; tamen quoad sensum satis ibi in-
Ibid. 5. cluditur, quum dicitur, Et revelabitur glo-
ria Domini : cujus sensus est, Filius Dei
ostendetur. Etenim filius gloria patris vo-
Prov. X, 1. catur, quemadmodum scriptum est : Filius
sapiens gloria patris.

Dicebat autem ad turbas quæ exibant 7
ut baptizarentur ab eo. De quibus in Mat-
thæo legitur : Tunc exibat ad eum Jero- *Matth.* III, 5.
solyma, et omnis Judæa, et omnis regio
circa Jordanem. *Genimina viperarum,* hoc
est, filii serpentium, videlicet hominum ve-
nenatorum, calliditate criminibusque ple-
norum : de quibus seu qualibus Dominus
ait Ezechieli, Subversores et increduli sunt *Ezech.* II, 6.
tecum, et cum scorpionibus habitas. Ho-
mines quippe nominibus bestiarum ex-
primuntur, quia illarum proprietatem se-
quuntur : idcirco astuti et callidi, pungitivi,
nocivi, recte serpentes seu viperæ nomi-
nantur. *Quis ostendit vobis fugere a ventura*
ira, id est a districto Dei judicio et dam-
natione æterna ? tanquam dicat : Ita impie
vixistis et secure peccastis, quasi divinam
possetis effugere ultionem.

Præterea advertendum, quod in turba
illa fuerunt aliqui boni ac pœnitentes,
præsertim vulgares, qui recta intentione
venerunt ut baptizarentur ; aliqui quoque
perversi et ficti, qui non ex devotione, sed
malignitate venerunt. Quantum ergo ad
primos, possunt hæc verba esse commen-
datio pœnitentium : quos nominat genimi-
na viperarum, non quod patrum suorum
sequantur malitiam, sed in laudem filio-
rum proferatur, quod quum sint filii ini-
quorum, nihilo minus bene se habeant.
Quibus et dicitur : Quis ostendit vobis fu-
gere a ventura ira ? id est, quis docuit vos
pœnitere, et vitam corrigere, atque ad ba-
ptismum venire, per quæ æterna vitatur
damnatio ? quasi dicat : Non a vobis ipsis
nec a patribus vestris, sed a pietate et
gratia Dei, hoc accepistis. Ita exponit Am-
brosius. Quantum vero ad malos, sunt ver-
ba hæc increpatio impœnitentium, secun-
dum sensum prætactum : et illi fuerunt
Pharisæi et aliqui Sadducæi. Unde in Mat-
thæo legitur : Videns Joannes multos Pha- *Matth.* III, 7.
risæorum et Sadducæorum venientes ad
baptismum suum, dixit eis : Progenies vi-
perarum, quis demonstravit vobis fugere
a ventura ira ?

Denique, secundum Origenem : Vipera,

ut fertur, marem coeundo necat, fetusque viperæ exeundo matrem occidit, scisso utero ejus, in vindictam quodammodo genitoris sui perempti. Itaque parricida est proles viperea : talesque erant Judæi qui patres suos spirituales atque doctores interficiebant.

Consequenter, increpatis et in periculo damnationis constitutis proponit com-
8 pendiosum consilium. *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ,* hoc est, actus pœnitentiales interiores et exteriores peragite, secundum exigentiam seu mensuram multitudinis magnitudinisque culparum vestrarum, videlicet intus cordialiter de peccatis dolendo, ore plenarie confitendo, et opera satisfactoria perpetrando : tanto utique amplius atque perfectius, quo plura et majora exstant peccata. Contritio quippe, secundum Hieronymum, debet æquari peccato, ut secundum mensuram gravitatis et numerositatis peccati, ac magnitudinem delectationis seu complacentiæ illicitæ, sit mensura interni doloris seu displicentiæ de peccato, operum quoque pœnitentialium et afflictionis spontaneæ, si adsit opportunitas seu facultas. Itaque pœnitentia debet esse fructuosa, ut veniat ex caritate : aliter enim nihil meretur. Propter quod Antiochus rex frustra pœnituit, nec veniam impetravit, quoniam ex solo servili timore Deum oravit atque pœnituit, ut in libro Machabæorum habetur. De Esau quoque ait ad Hebræos Apostolus, quod non invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrimis inquisisset eam. Insuper debet esse operosa, quantum ad opera satisfactoria, laboriosa et afflictiva ; item condigna, ut commensuretur quantitati qualitatique culpæ.

I Mach. VI, 12 *et seq.*; II *Mach.* IX, 11 *et seq.*

Hebr. XII, 17.

Sed quum peccatum, ex ea parte qua fit contra Deum majestatis et sanctitatis immensæ, sit enormitatis quodammodo infinitæ, quomodo valet quis condigne pœnitere aut satisfacere pro peccato ? Et respondendum, quod propria hoc potestate non potest, nec in quantum actus sui ex libero procedunt arbitrio ; sed adjutorio A Christi, in quantum meritum ejus suis membris per caritatem et sacramentum Pœnitentiæ communicatur, sicque in virtute meriti Christi actus pœnitentiales Domino offeruntur ; itemque in quantum actus tales procedunt ex caritate infusa, et actuali motione Spiritus Sancti in omni actu meritorio concurrente, qui Spiritus Sanctus est motor dignitatis immensæ. Sicque actio pœnitentiæ virtuosa, ex parte hujus principii cooperantis habet proportionatam efficaciam, et adæquationem bo- B nitatis, contra pravitatem peccati. Iterum dici potest, quod contritio et satisfactio æquari debent offensæ seu culpæ, æqualitate proportionis, utpote per respectum ad hominis possibilitatem, non æqualitate æquiparentiæ. Propter quod dici solet, quod totus mundus pro uno peccato mortali de condigno satisfacere nequeat, propter infinitam ejus qui peccato offenditur dignitatem. Sed Deus ultra posse hominis non requirit ; quumque homo debitam diligentiam facit, Deus quasi condignum quid re- C putat factum : tam infinita est pietas atque dignatio ejus.

Et ne cœperitis dicere, Patrem habemus Abraham, hoc est, de carnalis propaginis nobilitate nolite frustra confidere, inaniter superbire, stulte vos jactare, quasi hoc sufficiat ad salutem, quia de viri sancti ac magni Patriarchæ semine nati estis. Noverat S. Joannes, quod carnales illi Judæi de carnis propagine tumuerunt, quod scilicet de Patriarcharum ac Prophetarum semine descendissent : quum tamen ex hoc eorum D peccata plus gravarentur, quia quo de sanctioribus patribus descenderunt, eo gravius peccaverunt, illorum virtutes non imitando nec Deo gratias referendo. Unde nil confert carnalis generositas, nisi consimilibus studiis fulciatur, ut ait Cyrillus : idcirco vanum est extolli de bonis prædecessoribus, et deficere ab eorum virtutibus. Denique, secundum Scripturas, imitatores fidei atque justitiæ Patriarcharum ac Prophetarum, potius appellantur illorum filii, quam filii solum carnales ; imo tales cen-

sentur indigni vocari filii illorum Sancto- A
Rom. ix, 7. rum, dicente Apostolo : Non qui semen sunt Abrahæ, hi omnes filii. Unde carnalibus Judæis loquitur Christus apud Joan-
Joann. viii, 39. nem : Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Quod quia non impleverunt, adje-
Ibid. 44. cit : Vos ex patre diabolo estis.

Cur autem inaniter inde gloriari non debeant, subdit : *Dico enim vobis, quia potest Deus de lapidibus istis suscitare,* id est procreare seu ad esse deducere, *filios Abrahæ.* Quod tripliciter intelligi potest et verificari : Primo, per lapides intelli- B
gendo ipsa saxa a Joanne ad oculum demonstrata, qui ut communiter fertur, monstravit illos duodecim lapides quos Josue
Josue iv, 8. fecit asportari de siccato fundo Jordanis, quum Deus Jordanis alveum desiccasset, et filii Israel per illum transissent, ut in Josue narratur; per filios vero intelligendo homines justos, qui fidem et perfectionem Abrahæ assequendo, spirituales ejus filii
Esther xiii, 9, 10. essent. Etenim Deus omnipotens, qui cuncta de nihilo fecit, naturas rerum commu-
tare et in se invicem convertere facillime C
potest. — Secundo, per lapides intelligendo gentiles a Judæis vehementer contemptos, qui instar lapidum spiritualiter duri, impoliti, seu incircumcisi, ac steriles erant, et idola muta lapideaque colendo illis conformati fuerunt, secundum illud
Ps. cxiii, 8, sec. Hebr. Psalmistæ : Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis. — Tertio, per lapides intelligendo saxa præfata seu alia, et per filios Abrahæ intelligendo carnales filios ejus. Sed forte mirum ap-
paret, quomodo fieri id potuerit aut possit, D
præsertim quum tempore illo Abraham obierit, et carnales filii ex carnali semine
Dan. vii, 14. propagentur. Nihilo minus Deus cujus potestas est penitus infinita, hoc pluribus modis potest : Primo, quoniam unum exsistens, in aliud subsistens, transsubstantiando potest convertere, sicut quotidie peragit in altari : sicque lapides in Judæos tunc seu nunc exsistentes, convertere quivit et valet. Insuper potuit Abraham resuscitare, et lapides in semen ejus converte-

A re : et hoc, pluribus modis ; sed de isto pertranseo, quia ad curiositatem potius quam devotionem pertinere videtur.

Porro quoad secundum sensum, Deus verba Joannis implevit, quando per Apostolorum prædicationem innumerabiles in toto mundo gentiles convertit, quemadmodum Isaias in libro suo admirans et gratulans ait ad eum : Ecce gentem quam nesciebas, Is. lv, 5.
vocabis; et gentes quæ non cognoverunt te, ad te current. Per Zachariam quoque, quum Unigenitus Dei de sua incarnatione
B dixisset, Lauda et lætare, filia Sion, quia Zach. ii, 10.
ecce ego venio et habitabo in medio tui, adjecit : Et applicabuntur gentes multæ Ibid. 11.
ad Dominum in die illo, et erunt mihi in populum. De quibus ad Galatas Apostolus: Qui (inquit) ex fide sunt, hi sunt filii Abra- Galat. iii, 7.
hæ. De carnalibus vero incredulisque Judæis, in Apocalypsi inducitur : Dicunt se Apoc. ii, 9.
Judæos esse, et non sunt, sed sunt synagoga Satanæ.

Consequenter aliam causam adducit, cur de generis nobilitate se jactare non debe-
C ant. *Jam enim securis ad radicem arboris* 9
posita est. Quidam per securim intelligunt mortem seu mortis sententiam, quæ hominem de præsenti vita præscindit; per radicem autem intelligunt Adam a quo totum genus humanum, vel Abraham a quo plebs Judæorum, velut a radice exorta est; per arborem vero intelligunt genus humanum, vel Israeliticam plebem. Quando autem Joannes hæc dixit, tam Adam quam Abraham, per mortem erant de hac vita sublati. Per hoc patuit posteros eorum si-
D militer esse tollendos citoque morituros, secundum illud : Dies nostri quasi umbra I Par. xxix, 15.
super terram, et nulla est mora. — Alii per securim intelligunt rigorem divinæ æquitatis; per arborem, personam seu vitam cujuslibet hominis; per radicem, hominis fundamentum seu firmitatem : ut sit sensus, quod rigor seu ultio divinæ justitiæ posita est, seu imminet, homini peccatori, ut funditus eum disperdat ac damnet, nisi pœniteat, quemadmodum in Ecclesiastico legitur : Nisi pœnitentiam Eccli. ii, 22.

egerimus, incidemus in manus Dei, et non A in manus hominum. Et in Deuteronomio, ait Dominus Deus : Ipse est Deus fortis, reddens odientibus se statim, ita ut disperdat eos, et ultra non differat, protinus restituens eis quod merentur.

Deut. VII, 9, 10.

Iterum, per radicem intelligi potest nativitas hominis; per securim, transitus vitæ præsentis a nativitate incipiens; per arborem, homo. Itaque securis ad radicem arboris est posita, quoniam a nativitatis exordio homo ad mortis occasum tendit continuo. Siquidem nox quasi unus car- B pentator, unam vitæ præscindit medietatem, diesque aliam, et tandem necesse est hominem velut arborem cadere. Et utique, sicut Salomon ait, Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit : hoc est, dum homo moriendo defecerit atque transierit ad regnum cœlorum, quod per austrum, in quo calor solaris est fortior, vel ad infernum, qui aquilonis nomine designatur, quia ibidem frigus intentius est, in altero horum locorum æternaliter permanebit. Hinc ait C Bernardus : Si vis scire quo casura sit arbor, ramos ascende, et quo ponderosior ramorum est copia, illuc casuram non dubites. Rami arboris sunt desideria hominis : in quo si carnalia desideria præponderent, ad inferos cadet; si spiritualia, ad cœlos volabit.

Eccle. XI, 3.

Postremo, secundum Origenem et Cyrillum, sanctus Præcursor prædictis verbis prophetavit populo Judæorum de propinquo imminere interitum, captivitatem, dispersionem, et damnationem, propter eo- D rum infidelitatem atque duritiam.

Ex quibus verbis comminatoriis infert Joannes : *Omnis ergo arbor,* hoc est quicumque homo viator ratione utens, *quæ non fecerit* fructum bonum,* id est actum virtuosum et meritorium, si adsit facultas, *excidetur,* hoc est, ab electorum consortio avelletur, atque in hora mortis tolletur, *et in ignem* æternæ damnationis *mittetur :* sicut de reprobis ait Psalmista, In ignem dejicies eos, in miseriis non subsistent.

* non faciens

Ps. CXXXIX, 11.

Christus quoque in Joanne loquitur : Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet; et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet. Ex his verbis ostenditur, quod sola boni omissio sit peccatum mortale, hominemque condemnet, quando videlicet per eam præceptum affirmativum negligitur. Præcepta autem affirmativa obligant semper, sed non ad semper, sed ad tempus aptum ac debitum; et dum in illo opus jussum omittitur, mortale peccatum est, sive de interiori sive de exteriori operatione accipiatur. Hinc in Matthæo inquit Salvator : Servum inutilem projicite in tenebras exteriores. Unde et Christus in die judicii non perhibet se increpaturum damnaturumque reprobos, nisi propter bonorum omissionem, dicendo : Esurivi, et non dedistis mihi manducare. Denique hoc valde terribile est potissimum acediosis*. Nam si sola omissio æterno igne punitur, vitiosa actio quid meretur? Si sterilitas condemnatur, continuata impietas, fœda delectatio, affectuosa peccati prosecutio, quam dire torquebitur?

Joann. XV, 6.

Matth. XXV, 30.

Ibid. 42.

* vitiosis

Id quoque pensandum, quod sunt quædam arbores quæ nullum fructum producunt : per quas otiosi et acediosi signantur, quibus Judas apostolus in sua ait Canonica : Hi sunt in epulis suis convivantes sine timore, arbores autumnales, eradicatæ, bis mortuæ. Quibus competit illud Osee : Radix eorum exsiccata est, fructum nequaquam facient; et rursus, Abjiciet eos Dominus Deus meus, quia non audierunt vocem ejus. Aliæ sunt arbores fructum facientes, sed inutilem : per quas designantur hypocritæ, de quibus loquitur Christus, Receperunt mercedem suam. Unde in Job legitur : Laus impiorum brevis est, et gaudium hypocritæ ad instar puncti. Aliæ arbores fructum faciunt malum : per quas notantur hæretici, quibus competit illud Apostoli, Impii proficient in pejus, errantes et in errorem mittentes. Aliæ fructum proferunt bonum : per quas virtuosi signantur. Circa hæc ait Chrysostomus : Eleganter dicitur, Non faciens fru-

Judæ 12.

Osee IX, 16.

Ibid. 17.

Matth. VI, 2, 5.

Job XX, 5.

II *Tim.* III, 13.

ctum, et adjicitur, bonum. Officiosum enim A
hoc animal, scilicet hominem, Deus creavit ; et naturalis est ei exercitiorum instantia, otium vero innaturale. Obest enim inertia etiam cunctis corporis membris ; nulli autem tantum ut animæ : ipsa namque quum naturaliter sit continuo mobilis, otiari non patitur.

Quam fructuosa autem fuerit prædicatio
10 Præcursoris, mox subditur : *Et interrogabant eum turbæ, dicentes : Quid ergo faciemus ?* id est, quum tam rigorose nos increpasti, et tantum nobis instet pericu- B
lum, quod das consilium evadendi mala quæ comminaris ? Turba hæc, scilicet vulgus, videns immobilem æquitatem, rigorosissimam sanctissimamque vitam Joannis, et quod in omnibus nihil nisi eorum salutem intenderet, verbis ejus credidit, atque ex eis vehementer compuncta ac territa est, idcirco petivit consilium : sicut et in Actibus, Judæi ex verbis Petri com-
Act. II, 37. puncti, dixerunt Apostolis : Quid faciemus, viri fratres ? Sed Pharisæi et Scribæ nequaquam ita fecerunt, nec petierunt ex C
corde salutis consilium. Quo patet, quod litterati, et in sua scientia gloriantes, difficilius corriguntur, quam idiotæ ac sim-
Is. V, 21. plices : imo scioli illi ac sapientes in oculis suis, frequenter irrident idiotas qui convertuntur, quemadmodum apud Joannem
Joann. VII, 48, 49. doctores Judæorum dixerunt : Numquid aliquis ex principibus credidit in eum (scilicet in Jesum Christum), aut ex Pharisæis ? sed turba hæc quæ non novit legem, maledicti sunt.

11 *Respondens autem, dicebat illis : Qui habet duas tunicas,* hoc est quodcumque indumentum superfluum, *det non habenti,* id est indigenti ; *et qui habet escas* superfluas, id est quodcumque aptum pro alimento, sive sit bladum, sive panis, vel aliquid simile, *similiter faciat,* hoc est, quod sibi et suis necessarium non est, pauperibus largiatur. Non solum caritas, sed et ordo diligendi est in præcepto, ut homo
Deut. VI, 5; *Matth.* XXII, 37-39. super omnia diligat Deum, deinde se ipsum, deinde proximos, secundum quod majus vel minus sibi conjuncti sunt, aut major est ratio eos amandi. Ideo debet homo primo sibi ipsi necessaria ministrare,
deinde quod superest necessitati indigen- *Luc.* XI, 41.
tibus communicare, secundum quod sibi fieri rationabiliter vellet, si in simili esset penuria. Nam et fraterna caritas hoc requirit.

Denique verba ista Joannis attendenda sunt valde, imo et formidanda ac observanda. Si enim quod necessitati superfluit de vestimento, cibo et potu et similibus, pauperibus est misericorditer impertiendum, quid in divino judicio responsuri sunt, qui tot vestimentis pretiosis seu curiosis, non necessariis, abundant ? qui tot ferculorum genera sibi quotidie parant, qui tantam sibi pecuniam aggregant, pauperibus vero permodicum, et non nisi siccum panem impendunt ? Quod si de patrimonio proprio, seu possessione propria, sic agere tam impium est atque damnabile, quis eloqui queat, quam sacrilegum ac damnosum consistat, de patrimonio Crucifixi, de bonis Ecclesiæ, quæ sunt eleemosynæ pauperum, pretiosa, curiosa, superflua vestimenta habere, delicate ac splendide epulari, pauperibus aut parum aut nihil præstare ? præsertim quum teste B. Bernardo in epistola ad quemdam canonicum, Quidquid de talibus bonis ultra simplicem victum et vestitum tenetur, furtum est, sacrilegium ac rapina. Imo S. Hieronymus de omnibus generaliter dicit : Quidquid humano usui necessarium est, pro una tunica habendum est ; totum residuum, superfluum, et pauperibus erogandum. Aliena enim rapere convincitur, qui superflua retinere probatur. Ambrosius quoque et Basilius asserunt vestem, pecuniam, calceamentum et alimentum, quæ tibi superfluunt, nec tamen pauperibus tribuuntur, injuste, et velut furto aut vi ablata possideri, nec possidentis esse, sed egenorum.

Præterea, finis corporalium bonorum, est bonum spirituale, præsertim vera felicitas, vel saltem profectus in Dei obsequio

atque virtutibus animæ, prout divina lex præcipit. Bonitas autem mediorum ad finem, ex ipso fine attenditur : sicut medicina in tantum est utilis, in quantum confert ad sanitatem : quam si impediret, mala, superflua, et inutilis judicaretur. In tantum ergo bona corporalia, ut vestis, cibus, ac alia, reputanda sunt licita, bona, atque utilia, in quantum proficua sunt ad spiritualem profectum, ad Dei obsequium, ad vitam æternam : a quibus utique spiritualibus bonis abundantia corporalium impedit, potissimum si quis eis plus utatur quam expedit ad hoc quod anima Deo deserviat, et ejus præcepta custodiat. Ideo, quod necessitati superfluit, egentibus dandum est, sicut Apostolus loquitur : Habentes victum et quibus tegamur, his contenti simus. In Proverbiis quoque Salomon ait : Tribue tantum victui meo necessaria. Hinc ait Gregorius : Quoniam tunica magis necessaria est quam pallium, ad fructum dignum pœnitentiæ pertinet, ut non solum exteriora quæque, sed etiam valde nobis necessaria, id est utilia, dividere cum proximis debeamus, videlicet tunicam qua vestimur, et escam qua sustentamur. Quia enim in lege scriptum est, Diliges proximum tuum sicut te ipsum, minus proximum amare convincitur, qui non cum eo in necessitate illius, etiam ea quæ sibi necessaria sunt, partitur. Quibus verbis concordans Basilius : Ex his (inquit) docemur, quod ex omni quod affluit supra proprii victus necessitatem, tenemur erogare illi qui non habet, propter Deum, qui quæcumque possidemus, largitus est. Unde Tobias inquit : Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si parum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.

I Tim. VI, 8. — *Prov.* XXX, 8. — *Lev.* XIX, 18; *Matth.* XXII, 39; *Galat.* V, 14. — *Tob.* IV, 8, 9.

12 *Venerunt autem et publicani ut baptizarentur* a Joanne. Publicani, secundum Bedam, dicuntur vectigalium seu rerum publicarum exactores vel conductores ; item, qui per negotia lucra sæculi hujus sectantur. Sicque publicani vocati sunt, quia de rebus ad rem publicam pertinentibus se

A intromiserunt : quorum multi ad prædicationem Joannis se emendaverunt. Propter quod apud Matthæum, Christus principibus sacerdotum et Pharisæis locutus est : Publicani et meretrices præcedent vos in regnum Dei, quia crediderunt ei, puta Joanni. *Et dixerunt : Magister, quid faciemus?* Non dixerunt, Quid sciemus? sed, Quid faciemus? quia non auditores, sed factores legis justi sunt apud Deum, et scientia sine vita virtutum, obest magis quam prodest. Econtrario faciunt multi, maxime B clerici. Quærunt enim : Quomodo hoc aut illud intelligemus? quomodo arguemus?

Matth. XXI, 31, 32. — *Rom.* II, 13.

At ille dixit ad eos : Nihil amplius quam quod constitutum est vobis, faciatis, hoc est, non plus exigatis, quam præfixum est vobis a jure, seu dominis quorum tributa levatis. Hoc ideo dicit, quoniam tales solent plura exigere quam jussum est eis, ut quod amplius levant, eis clam maneat. Denique, nullus nostrum legem sibi præstitutam, seu metas suæ potestatis vel officii, transgredi debet, ne præsumptionis sit C reus maleque audax; sed quod sibi incumbit, observet, nec aliena invadat, juxta illud Proverbiorum : Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. In Deuteronomio quoque scriptum est : Non transferes terminos quos fixerunt priores in possessione tua. Quocontra in libro Job de violentis asseritur : Alii terminos transtulerunt. 13

Prov. XXII, 28. — *Deut.* XIX, 14. — *Job* XXIV, 2.

Interrogabant autem eum et milites, qui sub Romanorum imperio militabant, ac rem publicam et patriam defendebant, D *dicentes : Quid faciemus et nos?* Secundum Origenem, tres fuerunt ordines interrogantium Joannem : unus, turbarum; secundus, publicanorum; tertius, militum. Joannes autem cuilibet ordini proportionatum dedit responsum. *Et ait illis : Neminem concutiatis,* opprimendo, corporaliter affligendo, injuste terrendo; *neque calumniam,* id est fraudulenter injuriam, *faciatis,* innocentes in causam trahendo, seu quempiam mendaciter accusando; *et contenti estote stipendiis vestris,* hoc est mer- 14

cede seu retributione vobis ab imperatore vel vicariis ejus præfixa pro exercitiis militiæ, quibus pro defensione rei publicæ laboratis, nec ultra quidquam ab aliquo extorqueatis. Porro, secundum Augustinum contra Faustum Manichæum, sciebat Joannes eos qui militabant non esse homicidas, sed ministros legis, non ultores injuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores ; alioqui responderet eis : Abjicite militiam, militiam istam deserite, neminem percutite, vulnerate, prosternite.

Præterea ponderanda est sapientissimi Præcursoris discretio, quomodo cuilibet ad se accedenti, secundum illius capacitatem dispositionemque loquitur. Siquidem publicanos ac milites, qui majoribus solent vitiis implicari quam vulgus, primo a malis coercet, et facilia eis proponit præcepta, docens eos primo recedere a peccatis illis ad quæ proniores esse noscuntur, ut eos sic paulatim etiam ad bona agenda, suaque aliis misericorditer communicanda induceret. Hinc dicit Chrysostomus : Volebat Joannes publicanos et milites ad majorem perfectionem traducere ; sed quoniam nondum erant ad illam idonei, minora proponit, ne si majora proferret, non illis intenderent, et his etiam privarentur. Hanc discretionem sequamur, et juxta Isaiæ oraculum, calamum quassatum non conteramus, nec linum fumigans exstinguamus ; sicque implebimus illud Apostoli : Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum portare, et non nobis placere. Hoc est quod alibi legitur : Recupera proximum tuum.

Is. XLII, 3. — *Rom.* XV, 1. — *Eccli.* XXIX, 27.

15 *Existimante autem populo, et cogitantibus omnibus* ad baptismum Joannis venientibus, imo et aliis multis, *de Joanne, ne,* pro an, *forte ipse esset Christus.* Ad quod opinandum inducebantur ex consideratione mirabilium quæ circa ejus conceptionem et nativitatem acciderant : quia de senibus ac sterili matre angelo prænuntiante fuit exortus, et quia tam strictissime atque sanctissime vixit ; item, propter prædicationis ejus excellentiam, ac baptismatis novitatem, et quoniam de generosa stirpe descendit, scilicet sacerdotali, quæ regiæ tribui communiter fuit admixta ; item, quia tunc apud Judæos fuit publica fama de Christi adventu jam facto, propter verba Simeonis et Annæ atque Magorum, et propter Herodis tyrannidem in infantes : quorum omnium memoria jam renovabatur. Imo adhuc multi vixerunt, qui illa audierant sive conspexerant. Hæc in tantum moverunt Judæos, quod etiam principaliores de Jerusalem miserunt sacerdotes et Levitas ad Joannem, ut interrogarent eum, Tu quis es ? sicut in Joanne habetur.

Luc. I. — *Luc.* II ; *Matth.* II. — *Joann.* I, 19.

16 *Respondit Joannes, dicens omnibus.* Secreta namque cordis illorum Spiritu Sancto revelante cognovit. Vel, quod homines talia de ipso opinarentur, ex præfatorum legatorum interrogatione cognovit, seu aliunde percepit seu perpendit. *Ego quidem baptizo vos in aqua,* hoc est, corpora vestra materiali elemento intingo, mentes autem vestras directe non purgo, nec donis gratiæ orno ; *veniet autem fortior me post me,* id est, Christus post me per nativitatem ex Virgine Matre mundum istum intravit, jamque in proximo est ut post hanc meam manifestationem ipse vobis omnibus manifestetur, per meam testificationem ac demonstrationem, et per propriam ejus prædicationem atque miracula : qui secundum suam divinitatem, est fortior me infinite, tanquam Deus omnipotens, cujus immensa est potestas ; secundum assumptam quoque ipsius humanitatem, data est ei omnis potestas in cœlo et in terra, majorque fuit et est virtus, dignitas, et perfectio ejus, quam omnium creaturarum pariter acceptarum, quia non ad mensuram datus est ei Spiritus, et quoniam humanitas ejus, personali seu hypostatica unione unita est Verbo, ita quod in eodem esse in quo Verbum Patris æternaliter est subsistens, ipsa quoque a principio incarnationis subsistat.

Matth. XXVIII, 18. — *Joann.* III, 34.

Cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus. Ad litteram loquebatur S. Joannes juxta communem modum

loquendi, quo aliquis volens se alteri maxime humiliare, asserit se indignum ferre seu disligare calceos ejus. Unde gloriosus humilisque Baptista, quantum se Christo inferiorem senserit plene effari non valens, protulit verba hæc. In quo profundissima ejus patet humilitas : quia quum talis ac tantus ab omnibus reputaretur, non erubuit se tantum publice coram omnibus deprimere, humiliare ac minorare. Unde clarescit, quod reputatione, reverentia ac laudibus hominum nullatenus flectebatur. At vero indignum se perhibet ad solvendum corrigiam calceamentorum Christi, considerando se secundum naturalia tantum, et quoad id quod habuit a se ipso; itemque loquendo de dignitate absoluta, qua aliquis dicitur ad aliquid dignus simpliciter. In quantum vero plenus fuit tot charismatibus Spiritus Sancti, et movebatur in omnibus ab eodem, dignus fuit mereri etiam vitam æternam : præsertim loquendo de dignitate proportionis, utpote secundum modum possibilitatis humanæ. Secundum quem modum, devotus sacerdos dignus est corpus et sanguinem Christi consecrare ac sumere : alioqui communicandum non esset, quum dicat Apostolus,
I Cor. xi, 29. Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit.

Rursus, verba Joannis intelligenda non sunt quasi Christus usus sit calceamentis,
Luc. x, 4. quum et discipulis quos misit ad prædi-
Act. i, 1. candum, prohibuerit ea. Ipse autem cœpit facere et docere. Idcirco, ut dictum est, verbum Joannis secundum morem generalis proverbii est sumendum. In tali namque sermone, sensus litteralis est, non semper ille qui immediate per verba signatur, sed interdum qui per similitudinem insinuatur, aut per res verbis expressas significatur, ut quum in Jeremia et
Jer. xxxi, 30; *Ezech.* xviii, 2. Ezechiele asseritur : Qui comederit uvam acerbam, obstupescent dentes ejus. — Postremo, verba hæc a Gregorio et Beda mystice exponuntur : intelligendo per calceamenta Christi, ejus humanitatem, qua Verbi persona induta est ; per pedem, divinitatem ; per corrigiam vero, hypostaticam unionem humanitatis cum Verbo. Sicque Joannes insinuat se inidoneum atque indignum hanc unionem plene exponere, quæ et angelicæ mentis capacitatem transcendit.

Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni. In Joanne habetur, quod Jesus non *Joann.* iv, 2.
baptizavit, sed discipuli ejus. Itaque sensus est : Ipse Christus baptizabit vos per suos discipulos, ita quod erit principalis baptizator. Rursus, Christus baptizavit, id est, intus a culpa animam lavit, in Spiritu Sancto, id est virtute et gratia Spiritus Sancti, videlicet gratiam Spiritus Sancti infundendo, per quam culpa aufertur et anima decoratur : imo sic Trinitas tota, seu Christus ut Deus, baptizat. Sed et disciputi Christi, et sacerdotes Ecclesiæ usque in præsens, baptizant in Spiritu Sancto, videlicet virtute et gratia Spiritus, tanquam instrumentales baptizatores mundatoresque baptizatorum, instrumentaliter cooperantes ad Sancti Spiritus infusionem, culpæ deletionem, et animæ justificationem. Non autem datur Baptismus in Spiritu Sancto, quasi in forma Baptismi sufficiat exprimere Spiritum Sanctum ; imo sic datur : In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Sed quum apud Joannem dicat Salvator, Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu *Ibid.* iii, 5.
Sancto, non potest introire in regnum Dei : cur ait Præcursor, Baptizabit vos Spiritu Sancto et igni, et non potius, Spiritu Sancto et aqua, quum aliud non sit renasci, prout ibi accipitur, quam baptizari ? Et respondendum, quod Præcursor non exprimit aquam, quoniam intendit assignare differentiam sui baptismi, qui fiebat in aqua, a Baptismate Christi, atque excellentiam Baptismatis Christi : idcirco non nominat elementum in quo fiebat. Unde et ignem non sumit pro solito igne materiali : imo, secundum Hieronymum, per ignem intelligit Spiritum Sanctum, qui ignit seu caritate mentem inflammat : sicque conjunctio, Et, tenetur expositive. Chrysostomus

et Beda, per ignem intelligunt tentationis
et tribulationis fervorem seu acerbitatem,
quibus electi in hac vita purgantur, di-
Act. XIV, 21. cente Apostolo : Quia per multas tribula-
tiones oportet nos intrare in regnum cœlo-
rum. Quidam per ignem, caritatis fervorem
intelligunt, ad quem ordinatur Christi Ba-
I Petr. IV, 8. ptismus. Caritas enim operit multitudinem
peccatorum, et tanquam optimus ignis,
consumit vitiorum rubiginem. Sunt qui
per ignem intelligunt sensibile atque visi-
bile signum in quo Spiritus Sanctus fre-
quenter dabatur baptizatis in primitiva
Act. II, 3, 4; X, 44-48; XI, 15; XIX, 5, 6. Ecclesia, ut Apostolis in igneis linguis, pro-
ut in Actibus Apostolorum de hoc plura
leguntur. Postremo, nonnulli per ignem
intelligunt purgatorii pœnam, in qua post
hanc vitam purgantur qui cum reatu dis-
cedunt, quemadmodum Corinthiis scribit
I Cor. III, 13. Apostolus : Uniuscujusque opus quale sit,
ignis probabit. Et iterum de purgando lo-
Ibid. 15. quens : Ipse (inquit) salvus erit; sic ta-
men, quasi per ignem.

17 *Cujus ventilabrum in manu ejus.* Per
ventilabrum, quod est instrumentum quo
blada purgantur paleas abjiciendo, signi-
ficatur justum Christi judicium, seu judi-
candi potestas atque sententia : quæ est in
manu, id est in actu seu exsecutione suæ
justitiæ, vel in potestate ac promptitudi-
ne ejus, quemadmodum apud Joannem
Joann. V, 22. Christus inquit : Pater omne judicium
dedit Filio. Et judicium istud competit
Christo secundum quod Deus est, per au-
ctoritatem primam ac principalem; sed se-
Philipp. II, 7. cundum formam servi assumptam, conve-
nit ei ut instrumentaliter exsequenti ac ju-
dici constituto, quemadmodum in Actibus
Act. X, 42. Apostolorum Petrus testatur : Ipse est qui
constitutus est a Deo judex vivorum et
mortuorum.

Et permundabit, id est, perfecte pur-
gabit, *aream suam,* id est militantem Ec-
clesiam, in qua nunc simul miscentur
electi ac reprobi, sicut in area simul po-
nuntur frumentum et palea. Unde et Sy-
Is. XXI, 10. nagogæ loquitur Isaias : Tritura mea et
filia areæ meæ, quæ audivi a Domino,

A nuntiavi tibi. Hanc permundationem faciet
Christus plene in die novissimo, quando
loco et præmio separabuntur boni et ma- Matth. XIII, 49.
li; quando etiam electi qui tunc aliquid
purgandum habebunt, in igne conflagra-
tionis purgandi dicuntur, saltem illi qui
tunc vivi reperientur, atque in illo igne
morientur, et cum aliis resuscitabuntur.
Quotidie demum purgat Deus hanc aream
tripliciter : primo, dum per ecclesiasticam
censuram, quidam de Ecclesia sacerdotali
castigatione ejiciuntur : secundo, dum im-
B pii de hac vita tolluntur; tertio, dum ele-
cti in vita præsenti per adversa ac aliis
modis a suis emundantur peccatis.

Et congregabit triticum, id est electos
et virtuosos, solidosque fructus eorum, *in
horreum suum,* id est cœleste suscepta-
culum Beatorum. *Paleas autem,* id est re-
probos, mente inanes, instabiles, omnique
passionum seu concupiscentiarum ac vi-
tiorum impulsu volubiles, *comburet,* id est,
incendet ac puniet, non consumet, *igne
inexstinguibili,* infernali et æternali : de
C quo in fine dicturus est impiis, Ite, male- Ibid. XXV, 41.
dicti, in ignem æternum. De quo scriptum
est in Isaia : Vermis eorum non morie- Is. LXVI, 24.
tur, et ignis eorum non exstinguetur; et
Judith : Dominus omnipotens vindicabit Judith XVI, 20, 21.
in eis, in die judicii visitabit illos; dabit
enim ignem et vermes in carnem eorum,
ut urantur et sentiant usque in sempiter-
num. In Job quoque de transgressore asse-
ritur : Luet (inquiens) quæ fecit omnia, nec Job XX, 18.
tamen consumetur ; juxta multitudinem
adinventionum suarum, sic et sustinebit.
D O quam insensati, cæci et crudi mente
sunt infelicissimi amatores sæculi hujus,
quibus ista non sapiunt, nec terrorem
incutiunt, ideo delectant eos carnalia et
caduca, atque cum gaudio currunt ad in-
feros. Denique, teste Alberto super Apo-
calypsim, damnati non tantum affligentur
corpore ab igne inferni, quantum mente,
apprehendendo se æternaliter in pœnis
mansuros. Sed quum tam variæ sint pœ-
næ pravorum, ut dicat Psalmista, Pluet su- Ps. X, 7.
per peccatores laqueos; ignis, sulfur, et

spiritus procellarum, pars calicis eorum : cur de solo igne inducit mentionem Joannes ? Et respondendum, quod ideo, quoniam ignis punitio inter corporalia afflictiva est gravior : sed et nomine ignis, quæcumque magna pœna solet intelligi. Præterea, o miseri filii fallacissimi mundi, propriis vitiis penitus excæcati, cur de carnis nobilitate, de temporalium affluentia, de sæculari potentia, de iniquis factis superbitis, gloriamini, vosque jactatis ? cur pauperes et devotos despicitis ? quum sacratissimus Christi baptista vos comparet paleis, illosque tritico : imo et Jeremias propheta, vos cum illis computari et esse indignissimos reputans ait, Quid paleis ad triticum ? *Jer.* XXIII, 28.

18 *Multa quidem et alia exhortans evangelizabat populo :* id est, præter ea quæ dicta sunt, B. Joannes alia quoque quamplurima documenta et hortamenta proposuit populo : quorum unum hoc est, quod in Matthæo fertur dixisse, Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. *Matth.* III, 2. Itaque, sicut de Christo scriptum est, quod multa alia fecit quæ scripta non sunt, *Joann.* XXI, 25. sic de præcursore ejus hic legitur, quod multa salutaria verba populo prædicavit, quæ non sunt in scriptis redacta.

19 *Herodes autem tetrarcha,* id est Herodes Antipas, filius Herodis regis sub quo natus est Christus (qui Antipas, cur tetrarcha, non rex vocetur, superius dictum est), vers. 1. *quum corriperetur ab illo,* videlicet Joanne Baptista, *de Herodiade uxore fratris sui,* id est de hoc quod Philippi fratris sui uxorem, nomine Herodiadem, filiam Aretæ regis Arabum, duxit in conjugem, fratre ejus vivente, filiamque ex Herodiade ipsa habente : sicque adulterium commisit Herodes atque incestum, quia secundum legem non licuit uxorem fratris accipere, nisi illo defuncto absque prole ; *Lev.* XVIII, 16. *Deut.* XXV, 5. *et de omnibus malis quæ fecit Herodes :* quia non dubium quin et multa alia gravia commiserit scelera, qui præfatum facinus tam enorme committere et continuare non formidavit. Nam et unum peccatum mortale suo pondere trahit ad aliud, et quo enormius fuerit, eo ad graviora inducit. Facit enim hominem a Deo plus deseri : cujus auxilio homo privatus, in profundum labitur vitiorum, fitque insensibilis mente ad ea quæ Dei sunt et veræ salutis, ita quod propria pericula non advertit.
Adjecit et hoc malum quod sequitur, *super* 20
omnia cetera sua peccata : quibus addidit istud, quasi illa non suffecissent ; vel, Adjecit et hoc super omnia, id est peccatum istud ceteris gravius ; *et inclusit Joannem in carcerem.* Quare et quomodo fecerit hoc, et qualiter decollavit Joannem, plene describit Matthæus, et Marcus. *Matth.* XIV, 3-10; *Marc.* VI, 17-27. Unde Lucas sciens hoc satis descriptum, recte dimisit, atque ad Christi gesta ac documenta evolvenda festinat.

ARTICULUS IX

PROSECUTIO EXPOSITIONIS CAPITULI HUJUS TERTII : FACTUM EST AUTEM, QUUM BAPTIZARETUR OMNIS POPULUS.

21 F*ACTUM est autem, quum baptizaretur omnis populus.* Paulo ante ostendit Evangelista quomodo testificatione Joannis declaratus est Christus hominibus ; nunc describit quomodo testimonio Dei Patris et descensu Spiritus Sancti sit manifestatus. Itaque, quum a Joanne baptizaretur omnis populus, id est quidam de quolibet genere Judæorum, præsertim virilis sexus : non enim personæ feminei sexus ab ipso

baptizatæ leguntur ; *et Jesu baptizato* a Joanne : quod quomodo factum sit, Matthæus et Marcus plenius recitant, ut ibi patet ac requirendum est ; *et orante*. Quod Jesus suscepto baptismate, statim oravit, alii Evangelistæ non scribunt.

Matth. III, 13-15; *Marc.* I, 9.

Oravit itaque Christus, non ob sui indigentiam, quia secundum humanitatem jam confirmatus fuit in bono, et quoad superiorem animæ partem beatifice fruens Deo ; sed ad nostram instructionem, et ad nostram subventionem, imo pro nostra salute : quanquam Christus aliquando orasse dicatur pro corporis sui glorificatione, accidentalique præmio. Itaque, sumpto baptismo oravit Salvator : Primo, ad innuendum quod preces nostræ non sunt Deo acceptæ et meritoriæ, nisi a peccatis mortalibus simus immunes et caritate ac gratia decorati. Caritas namque vita est animæ, sine qua nec anima, nec actio ejus, spiritualiter viva est Deoque placita. Ideo dicit Apostolus : Si caritatem non habeam, nihil sum. Ideo oportet primo a sordibus vitiorum lavari. Unde quum Dominus per Isaiam dixisset, Quum multiplicaveritis orationes, non exaudiam ; adjecit, Lavamini, mundi estote. Secundo, ad innuendum quod gratia in Baptismo aliisque sacramentis adepta, per orationes continuas indiget custodiri, ne per culpam tollatur. Tertio, ad innuendum quod in sacramentorum susceptione, et statim post hoc, elevanda est mens ad Deum oratione seu gratiarum actione. Oravit itaque Christus, ut merito suæ baptizationis spiritualiter mundaremur.

I *Cor.* XIII, 2. *Is.* I, 15. *Ibid.* 16.

Christus autem in mundo conversans, et comprehensor quodammodo fuit secundum quod homo, et viator : comprehensor quidem, quantum ad superiores et intellectuales animæ suæ vires, per comparationem earum ad increatum objectum, videlicet æternam veritatem, summamque bonitatem ; viator autem, quantum ad inferiores animæ vires, vel etiam quantum ad superiores vires per comparationem earum ad essentiam animæ, in qua radicatæ

A fuerunt, itemque per comparationem earum ad objectum creatum : sic namque passibilis fuit Christus, etiam quoad vires superiores aliquo modo, videlicet ratione subjecti earum. Christo ergo homini, in quantum fuit comprehensor, competebat orare pro aliis; sed ut viator, oravit utique et pro se.

Cur autem voluerit Christus baptizari, et quæ fuit forma baptismi Joannis, item an baptizati baptismo Joannis erant rebaptizandi, de octo quoque generibus ba-

B ptismatis secundum Damascenum, et de quinque generibus baptismatis secundum Gregorium Nazianzenum, hoc loco prætereo, quoniam super Matthæum inde locutus sum. — Præterea quæri hic potest, quod ibi non tetigi, an scilicet Joannes sub eadem forma verborum baptizavit Christum, qua alios. De hoc nihil inveni conscriptum ; et arbitror quod sicut omnino alia fuit ratio baptizationis Christi quam aliorum, sic in baptizatione Christi Joannes usus non sit communi forma baptismatis,

In Matth. art. VI.

C quæ fuit, secundum doctores : Ego te baptizo in nomine venturi. Unde in Actibus Paulus testatur : Joannes baptizabat populum, dicens in eum qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est in Jesum. Hinc acceptio baptismi Joannis, dicitur fuisse protestatio credendi in Christum. Unde patet, quod talis forma ad Christum non congruebat, saltem univoce. Insuper, sub qua forma verborum baptizaverit Christum, vel, an sine forma verborum baptizaverit, puto incertum.

Act. XIX, 4.

D *Apertum est cœlum :* non reali apertione, scissione seu divisione cœlestium corporum, quæ incorruptibilia affirmantur ; sed per apparentiam quamdam, quoniam tantus desuper splendor super Christum apparuit et descendit, ut cœlum videretur apertum seu reseratum, sicut et tempore fulguris magni apparet. Rursus, quum Deus in cœlis habitare et esse dicatur, tunc cœlum aperiri narratur, dum Deus per subjectam creaturam descendit et apparet hominibus, novo modo operans circa eos,

Ps. X, 5 ; CXIII, 16, sec. Hebr.

quemadmodum in Christi baptismo acci-
disse mox subditur.

22 *Et descendit Spiritus Sanctus corporali
specie sicut columba in ipsum.* Itaque Spi-
ritus Sanctus, verus, incommutabilis et in-
circumscriptibilis Deus, secundum se seu
in propria natura nunquam movetur, ne-
que descendit ; sed dicitur descendisse,
quia columba ipsum repræsentans, descen-
dit, et super Christum mansit, quia super
caput ipsius sedit : sicut in die Pentecostes
Act. II, 3. sedit super Apostolos in igneis linguis, id
est per hoc quod igneæ linguæ ipsum re-
præsentantes, ejusque gratiam figurantes,
super Apostolos descenderunt. Cur autem
in specie columbæ Spiritus Sanctus de-
scenderit ? Respondendum, quia proprie-
tates columbæ, tam Spiritui Sancto appa-
renti, quam Christo super quem apparuit,
potissimum competunt. Ait enim Cyprianus
in libro de Unitate Ecclesiæ : Est autem co-
lumba simplex et lætum animal, non felle
amarum, non morsibus sævum, non ungu-
læ laceratione violentum. Hospitia humana
diligere, unius domus consortium nosse
solent columbæ ; quum generant filios si-
mul sedent, volando quoque sibi cohærent,
communi conversatione vitam degunt, oscu-
lo oris concordiam pacis ostendunt. Itaque
per columbam, bona simplicitas, spiritua-
leque gaudium, suavitas, innocentia, con-
cordia, dilectio, unio designantur : quæ
omnia Spiritui Sancto conveniunt ; et ali-
qua horum ei appropriantur, videlicet su-
avitas, dilectio, pax, gaudium.

Denique Spiritus Sanctus super Chri-
stum baptizatum descendit, non quod tunc
cœpit esse in eo, vel quod tunc gratia au-
cta est ; sed ad manifestandum excellen-
tiam, dignitatem, et gloriam Christi, et ut
Joannes illas populo propalaret, protestan-
do quid vidisset. Quod et fecisse narratur
Joann I, 32. in Joanne, quo legitur : Testimonium per-
hibuit Joannes, dicens, Quia vidi Spiritum
descendentem, et mansit super eum ; item-
Ibid. 34. que, Ego vidi, et testimonium perhibui,
quia hic est Filius Dei. Secundo, ut Joan-
nes Baptista de Christo et efficacia Bapti-

A smatis ejus plenius instrueretur. Paulatim
namque proficere habuit in divinorum no-
titia. Propter quod ait in Joanne : Ego ne- *Joann.* I, 33.
sciebam eum ; sed qui me misit baptizare
in aqua, ille mihi dixit : Super quem vi-
deris Spiritum descendentem, hic est qui
baptizat in Spiritu Sancto. Tertio, quoni-
am tunc potissimum decuit Christi inno-
centiam, puritatem et simplicitatem de-
clarari, quando ipse se peccatoribus magis
forinsecus in licitis conformavit. Quoniam
ergo tempore suæ baptizationis, inter pec-
B catores Joannem accessit, vestimenta de-
posuit, nudus manibus se servi supposuit,
baptismum ab eo suscepit, in quibus om-
nibus se peccatoribus conformavit, non
tamen ut talibus ; idcirco tunc maxime
decuit ejus innocentiam, sanctitatem et
sinceritatem ostendi, quod per columbæ
descensum Joannisque prædicationem per-
actum est, ne Christus peccator ut alii pu-
taretur. Et quia tunc tantum se humiliavit, *Philipp.* II,
decuit eum tunc tam præclarissime subli- 7, 8.
mari, sicut et tempore passionis quando
C se summe exinanivit, per maxima miracu- *Matth.*
la tunc facta est clarificatus. Quarto, ad XXVII, 51, 52; *Luc.* XXIII,
insinuandum quod per Christi baptizatio- 44, 45.
nem data est aquis vis purgativa peccati,
et quod Baptismate Christi baptizatis Spiri-
tus Sanctus infunditur, cœlesteque regnum
aperitur. Christus etenim sua baptizatione,
nostram baptizationem secundum modum
ab ipso institutum, præfiguravit.

*Et vox de cœlo facta est : Tu es Filius
meus dilectus.* Vox ista de cœlo facta asse-
ritur, quia cœlesti virtute in aere est pro-
D lata. Siquidem ab angelo est formata in
persona Dei Patris, quemadmodum in Jo-
anne Christus dixit : Pater, clarifica Fili- *Joann.* XII,
um tuum. Ubi mox subditur : Venit ergo 28.
vox de cœlo, dicens : Et clarificavi, et ite-
rum clarificabo. Quo audito, turba asseruit *Ibid.* 29.
tonitruum factum esse ; alii dicebant, An-
gelus ei locutus est. Et secundum exposi-
tores, illi alii veritatem locuti sunt, quia
videlicet in persona Patris angelus dixit
hoc. Hinc in Christi baptismo dicitur Pater
apparuisse in voce, non quia in ea sit vi-

sus, sed quia auditus. Et convenienter in voce apparuit, ad pandendum quod dicendo genuit unigenitum Filium suum, qui est Verbum æternum, ore Patris æternaliter intellectualiterque prolatum.

Itaque dixit : *Tu es Filius meus dilectus :* Filius utique consubstantialis, coæternus et coæqualis, non minor, aut pura creatura, ut mentitus est Arius sceleratus. Denique, Pater Christum secundum divinitatem non minus diligit quam se ipsum, imo superardentissimo, supersuavissimo, penitusque infinito diligit eum amore, quum infinitæ sit bonitatis ac pulchritudinis, et quia totum quod habet communicat Filio. Filius quoque infinite diligit Patrem; sed et Pater ac Filius non minus diligunt Spiritum Sanctum, et ille infinite diligit Patrem ac Filium. Pater quoque seu tota Trinitas diligit Christum secundum naturam assumptam, ut Verbo unitam, magis quam omnia simul creata, quoniam majus bonum præstitit ei, utpote hypostaticam unionem cum Verbo, et gratiam quodammodo sine mensura. *Joann.* III, 34.

In te complacuit mihi. Quemadmodum Pater diligit Filium secundum divinitatem tantum sicut se ipsum, sic tantam habet complacentiam in illo sicut in semetipso : nempe superbeatissimæ Trinitatis mutua complacentia, est prorsus immensa, quum nil dissimilitudinis, nil contrarietatis, nil defectibilitatis aut imperfectionis consistat in eis, sed unaquæque infinitæ sit bonitatis, sapientiæ, pulchritudinis, sanctitatis, omnisque ratio perfectæ mutuæ dilectionis ac complacentiæ inveniatur in eis, videlicet clarissima intuitio, plena communio, summa similitudo, illimitata bonitas, simpliciterque infinita perfectio, voluntatis vero non conformitas solum, sed et unitas sempiterna. Postremo, in Christo secundum humanam ejus naturam, habet Deus Pater seu Trinitas complacentiam præcipuam, imo majorem quam in omnibus simul creatis, sicut in obedientissimo Filio in quo nulla unquam exstitit culpa, sed qui a principio creationis animæ suæ Deo perfectissime affectuosissimeque adhæsit, omni quoque gratiarum charismate pulcherrime fuit ornatus. Insuper, Patri in Christo secundum humanitatem ejus complacuit, quia videlicet placuit Patri tanta pietate et gratia prævenire animam ejus, atque per Christum hominem seu ejus humanitatem salvare omne genus humanum. Propter quod ait Apostolus : Quia in Christo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et omnia reconciliare per ipsum. *Coloss.* I, 19, 20. His verbis consonat quod per Isaiam Pater ait de Christo : Ecce puer meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea : dedi spiritum meum super eum. *Is.* XLII, 1.

Postremo, Augustinus in libro de Consensu Evangelistarum disseruit : Quod Matthæus ait dictum a Patre, Hic est Filius meus dilectus, Lucas autem, Tu es Filius meus dilectus, ad eamdem sententiam explicandam valet. *Matth.* III, 17. Vox enim cœlestis unum horum dixit; sed Matthæus ostendere voluit ad id valere verba illa quæ dicta sunt, ut illis potius qui audiebant, indicaretur quod ipse esset Filius Dei. Non enim Christo indicabatur quod sciebat; sed audiebant qui aderant, propter quos etiam ipsa vox facta est. Itaque secundum B. Augustinum, alii quam Joannes audierant vocem illam : et forte secundum Augustinum simili modo etiam dicendum, quod columbam quoque viderunt. — Porro, ego antequam verba hæc legi, ita de ista materia scripsi super Matthæum : Quæritur, an solus Joannes viderit columbam super Christum descendere seu sedentem, an etiam ipse solus vocem Patris audierit, præsupposito quod Christus vidit columbam, audivitque vocem præfatam. In Matth. art. VI in fine. Ad quod respondi ibidem : De hoc nil legi; sed apparet quod sic : aliter non indiguisset Joannes testari populo, quemadmodum viderit Spiritum Sanctum descendentem in Christum. Hoc ergo ibi opinative locutus sum : quod adhuc probabiliter dici posse opinor, quamvis S. Augustino contradicere non intendam. Nec sequitur, quod vox illa formata

sit ut præsentes eam audirent, quoniam facta non est ut Christo aliquid indicaretur. Nam facta est propter Joannem, ut dictum est, atque ut ipse populo ea quæ vidit et audivit insinuaret.

Subinde ponitur ætas in qua Christus
23 suscepit baptismum. *Et ipse Jesus erat incipiens,* id est, fieri incipiebat, *quasi annorum triginta.* Jam enim et vicesimum nonum annum complevit, tricesimumque incepit, habens de illo tredecim dies, secundum expositores communiter : qui etiam asserunt eum illo die baptizatum, quo et tribus Magis ostensus est, scilicet tertiodecimo die a sua nativitate. Hinc Evangelista ait, Quasi annorum triginta, quia de tricesimo anno modicum habuit; vel, Quasi, dicit hic veritatem, quia annum tricesimum vere incepit. Et taliter exponentes asserunt Christum prædicasse tribus annis cum medio, quamvis in computatione medii anni accipiant partem pro toto. Verumtamen Augustinus atque Chrysostomus aliter exponunt, hoc modo : Ipse Jesus erat triginta annorum incipiens, quasi scilicet tricesimum primum ætatis suæ. Dicunt namque, quod Christus tunc fuit plene triginta annorum, et de tricesimo primo anno habuerit tredecim dies; item, quod prædicavit duobus annis cum medio. Prima tamen expositio est consonantior textui, communiusque tenetur.

Quæritur, cur Christus tam diu distulit manifestari, baptizari, prædicare et miracula perpetrare. Et respondendum, quod ideo, quoniam ætas illa perfecta et virilis vocatur : in qua sensus et intellectus vigent in homine, roburque corporis, idcirco doctoribus et prædicatoribus competit; nec oportet differre diutius, ne tempus ad fructificandum aliis congruum minus utiliter expendatur. Unde Ezechiel tricesimo (*Ezech.* I, 1.) ætatis suæ anno orsus est vaticinari et loqui ad populum : quo etiam anno David (II *Reg.* V, 4.) cœpit regnare, et Joseph Ægypti constitutus (*Gen.* XLI, 46.) est princeps. Nec obest, quod Jeremias et Daniel in recentiori ætate prophetare cœperunt (*Jer.* I, 4 *et seq.*; *Dan.* I.) : quoniam gratia Dei communi

A lege non coarctatur, nec operatio miraculosa ad communem imitationem trahenda est. Id quoque quod raro contingit, non est lex Ecclesiæ, secundum Gregorium Nazianzenum, quia nec una hirundo ver statuit. Christus autem docuit quod communitatem assequi decet. Unde et ideo tam diu distulit ista, ut nos suo exemplo instrueret, omnem vanitatem, pompam, præcipitationem, jactantiamque vitare, ne ante debitum aut congruum tempus procedamus ad publicum, vel docere alios præsu-
B mamus.

Tot ergo annorum exstitit Jesus tempore baptizationis, *ut putabatur filius Joseph,* id est quod, seu quando, adhuc æstimabatur naturalis filius ipsius Joseph, quem putabant cognovisse Mariam et ex ea Jesum genuisse. Sed ex isto tempore, per testimonium desuper factum, et per prædicationem Joannis, deinde per verba et opera Jesu, cœpit patere et comprobari quampluribus, quod Jesus est Christus in lege promissus, et per consequens ex vir-
C gine natus, juxta quod Isaias prædixit : Ecce virgo concipiet (*Is.* VII, 14.). *Qui fuit Heli,* id est, qui Joseph fuit filius Heli. Sed videtur contrarium, quia apud Matthæum dicitur (*Matth.* I, 16.) filius Jacob. Ad quod respondetur, quod fuit filius Jacob vere, secundum carnalem propagationem, sed filius Heli, secundum legis institutionem. Heli namque accepta conjuge, mortuus est absque prole : ideo frater ejus Jacob juxta legis præceptum sumpsit conjugem illius in uxorem, ut fratri suo defuncto semen seu prolem pro-
D crearet, genuitque ex ea Joseph : qui secundum legem vocatus est filius Heli, quoniam lex præcepit, ut fratre uxorato sine (*Deut.* XXV, 5, 6.) liberis defuncto, frater ejus seu propinquus uxorem ejus acciperet, filiumque ex ea natum defuncto adscriberet, ne nomen ejus deleretur ex Israel. De hoc et aliis multis quæ hoc loco et in variis hujus voluminis locis possent induci, prætermitto, quia super Matthæum plura inde conscripsi (In Matth. art. II.).

Qui fuit Neri, id est, qui Salathiel fuit 27

filius Neri. Circa quod quæritur, quomodo verum sit hoc, quum in Matthæo Salathiel dicatur filius Jechoniæ (*Matth.* I, 12). Dicendum, quod Jechonias fuit naturalis pater istius Salathiel : Neri autem fuit pater ejus legalis, seu per adoptionem activam. —
31 *Qui fuit Nathan, qui fuit David,* id est, Nathan fuit filius David. Qualiter hoc intelligendum sit, et de quo Nathan istud dicatur, diffuse ac diligenter prosecutus sum super Matthæum (*In Matth. art.* II). — Porro a Salathiel usque ad David fuerunt reges, quos Lucas non ponit, sed Matthæus; Lucas vero personas privatas commemorat. Matthæus enim versatur principaliter circa Christi regnum seu regiam dignitatem, Lucas vero circa sacerdotium ejus. Insuper a David usque ad Abraham Lucas ascendendo, et Matthæus ab Abraham usque ad David descendendo, easdem personas et sub eisdem nominibus exprimunt : unde de expositione hujus particulæ textus satis super Matthæum dictum existimo.

35 *Qui,* scilicet Sarug, *fuit* filius *Ragau.* Iste Ragau in translatione Hieronymi dicitur Reu, ut in Genesi patet (*Gen* XI, 18). —
36 *Qui,* scilicet Sale, *fuit* filius *Cainan, qui fuit Arphaxad,* id est, qui Cainan fuit filius ipsius Arphaxad. Contra istud videtur quod in Genesi legitur, Arphaxad genuisse ipsum Sale (*Ibid.* 12); nec Cainan exprimitur ibi, nec interponitur. Idem quoque habetur in libro Paralipomenon (I *Par.* I, 18). Cur autem Lucas ponit Cainan inter Arphaxad et Sale ? Ad quod ab aliquibus respondetur, quod Arphaxad adhuc vivens adoptavit nepotem suum Sale, ideoque ejus filius appellatur : sicque Cainan fuit pater naturalis præfati Sale. Alii putant quod Sale fuit filius adoptivus ipsius Cainan et naturalis filius ipsius Arphaxad. Itaque in hoc omnes concordant, quod unus istorum duorum fuit pater naturalis istius Sale, alter autem pater ejusdem legalis seu active adoptivus. Septuaginta vero interpretes ponunt hunc Cainan inter Arphaxad et Sale : quorum translationem sequitur Lucas, quia suis temporibus tota Ecclesia ea utebatur.

A *Qui,* scilicet Sem, *fuit* filius *Noe.* Quem Sem Hebræi putant fuisse Melchisedech, et quod vixit usque ad tempora Isaac. Nam in Genesi scribitur Sem vixisse annis sexcentis (*Gen.* XI, 10, 11). Propter quod, ut dicunt, Melchisedech dicitur fuisse absque patre et matre (*Hebr.* VII, 1, 3), non quia non habuit, sed ob nimiam ejus senectutem, et quia Scriptura parentes ejus sub nomine Melchisedech non describit. *Qui fuit* filius *Noe, qui fuit* filius *Lamech.* Iste est Lamech descendens de stirpe Seth, ut patet in Genesi (*Gen.* V, 25). Fuit autem
B et alter Lamech de genere Cain, qui et interfecit ipsum Cain, et bigamiam incepit, quemadmodum fertur in Genesi (*Ibid.* IV, 18, 19, 23).
Qui Lamech *fuit* filius *Mathusale.* 37
Iste Mathusale omnibus senior fuit, quoniam vixit annis nongentis sexaginta novem (*Ibid.* V, 27); obiitque ante diluvium, anno eodem quo inundavit, secundum Hieronymum.

Qui Mathusale *fuit* filius *Enoch :* de quo Judas scribit in sua Canonica, Prophetavit autem de his septimus ab Adam Enoch (*Judæ* 14). Unde patet, quod septimus fuit post Adam
C per descensum a Seth. Quocirca quæri potest, quia si Enoch septimus fuit ab Adam, videtur Noe decimus exstitisse : siquidem inter Enoch et Noe fuerunt Mathusale et Lamech. Sed Petrus apostolus in sua Canonica dicit, Noe fuisse octavum : sic enim legitur : Deus octavum Noe præconem justitiæ custodivit (II *Petr.* II, 5). Et respondendum, quod Enoch dicitur septimus ab Adam, per inclusionem utriusque extremi, videlicet tam ipsum Adam, quam Enoch connumerando; Noe vero octavus, per exclusionem utri-
D usque extremi. Iste est Enoch, de quo scriptum est in Ecclesiastico : Enoch translatus est in paradisum, ut det gentibus sapientiam (*Eccli.* XLIV, 16); itemque, Nemo natus est in terra qualis Enoch (*Ibid.* XLIX, 16); et in Genesi, Ambulavit Enoch cum Deo et non apparuit, quia transtulit illum Dominus (*Gen.* V, 22, 24). Denique ipse est qui cum Elia venturus est et prædicaturus contra Antichristi fallacias, quemadmodum in Apocalypsi prædicit Joannes (*Apoc.* XI, 3 *et seq.*). Cujus beatissimi Enoch præconia in libro Sapientiæ, et ad Hebræos plenius continentur (*Eccli.* XLIV, 16; XLIX, 16; *Hebr.* XI, 5).

38 *Qui* Cainan *fuit* filius *Enos*. Iste est alius a Cainan supra dicto. *Qui* Enos *fuit* filius *Seth*. Iste Enos fuit homo magnæ
Gen. IV, 26. devotionis. Unde in Genesi habetur, Iste cœpit invocare nomen Domini : quod non est intelligendum quasi pater ejus Seth et Adam non invocaverint Deum, sed quia Enos cum præcipua devotione coluit Deum. *Qui,* scilicet Seth, *fuit* filius *Adam*. Unde
Ibid. 25. nato Seth, dixit Eva : Posuit mihi Deus aliud semen pro Abel, quem occidit Cain : ut patet in Genesi. *Qui,* scilicet Adam, *fuit* filius *Dei,* non ita sicut ipse fuit pater Seth : qui non fuit Dei filius naturalis, quum hoc Unigenito Dei sit proprium ; sed fuit filius Dei ratione creationis,
Ibid. II, 7. et quoniam manibus Dei de limo terræ plasmatus est, quantum ad corpus, quan-
Ibid. I, 27. tum vero ad animam factus est ad imaginem et similitudinem Dei. Unde et filius ejus per similitudinem imitativam vocatur, quoniam intellectualis rationalisque creatura, quo Creatori exstat similior, eo plus competit ei nomen et ratio filii, quantum ad Deum. Iterum, fuit filius Dei per gratiam adoptionis, tanquam prædestinatus. Quamvis enim transgressus sit, tamen pœnituisse atque deinceps virtuose vixisse non dubitatur. Unde et in Josue maximus dicitur. Ait namque ibi Scriptura :
Josue XIV, 15. Adam maximus ibi situs est, hoc est sepultus in spelunca, videlicet duplici, in qua Abraham quoque, Isaac et Jacob sepulti sunt.

Circa præhabita quæritur, cur Lucas generationem Christi describit a posterioribus ascendendo, Matthæus vero a prioribus descendendo. Et respondendum, quod Lucas tractat de Christi generatione quodammodo spirituali, et prout per eam ad Deum reducimur. Propter quod incipit statim post Christi baptizationem, quia in Baptismo spiritualiter regeneramur, atque ad Deum reducimur. Talis autem reductio seu regeneratio fit per gratiam ascendendo. Matthæus vero tractat de Christi generatione et genealogia, secundum quod per
A carnis assumptionem descendit ad nos : quod factum est per carnalis propagationis descensum. Hinc quoque Lucas plures personas ponit inter Joseph et Abraham, quam Matthæus, quia triplices patres inducit, videlicet naturales ac legales et adoptivos. Etenim filiatio adoptiva spiritualis censetur. Matthæus vero non nisi carnales seu naturales patres commemorat. Insuper Lucas non sistit in Abraham sicut Matthæus, sed ascendit usque ad Adam : quia per Christum ad Deum reducti sunt,
B quicumque a principio mundi salvati sunt, quia oportuit eos aliquo modo habere fidem de Christo, videlicet explicite sive implicite.

Ex his demum redditur ratio, cur Lucas in generatione quam texit, nullam interserit feminam, quum tamen Matthæus quasdam admisceat, scilicet Thamar, Ruth, et *Matth.* I, 3, 5, 6.
Bethsabee. Matthæus quippe carnalem Christi ad nos descensum determinat : in quo mulieres concurrunt. Lucas autem de generatione ista pertractat, secundum quod
C per eam ad Deum ascendimus : quem ascensum mulieres impediunt magis quam juvant. Hinc rursus Matthæus describendo Christi generationem, in omnibus utitur verbo hoc, Genuit, Lucas autem verbo hoc, Fuit : quia Matthæus non ponit patres et filios, nisi secundum veram ac realem generationem, demptis Jesu et Joseph quoad se invicem comparatis. Lucas vero ponit non solum patres per carnalem generationem, sed etiam patres legales et adoptivos. Denique, quoniam teste Apostolo, non
D prius quod spirituale, sed quod animale, *I Cor.* XV, 46.
deinde quod spirituale, Matthæus qui descensum Christi ad nos per carnalem descensum describit, convenienter evangelium suum a Christi generatione exorsus est. Lucas autem, qui spiritualem ascensum prætendit, Christi genealogiam scribere cœpit post descriptionem baptismatis ejus, volens ostendere quomodo per Christum efficimur filii Dei : quod agitur per Baptismum.

ARTICULUS X

ELUCIDATIO CAPITULI QUARTI : JESUS AUTEM PLENUS SPIRITU SANCTO, REGRESSUS EST A JORDANE.

SUBINDE prosequitur Evangelista opera A Christi, et primo quomodo majestatem suam declaravit, superando diabolum.

1 *Jesus autem plenus Spiritu Sancto, regressus est a Jordane.* Multi sunt gradus plenitudinis Spiritus Sancti, seu gratiæ ejus. Nam et Joannes Baptista dicitur Spiritu Sancto repletus in utero matris; et de Apostolis legitur, Repleti sunt omnes Spiritu Sancto; et postea de Stephano scriptum est, Quum esset Stephanus plenus Spiritu Sancto. Itaque una est plenitudo Spiritus Sancti, seu gratiæ, quæ dicitur B plenitudo proportionis seu comparationis: secundum quam dicitur aliquis plenus gratia vel Spiritu Sancto, quantum ad suam pertinet mensuram sive ætatem, vel comparatione aliorum. Alia dicitur plenitudo sufficientiæ : qua aliqui dicunt Apostolos et Stephanum atque consimiles fuisse repletos Spiritu Sancto. Verumtamen, quoniam tales fuerunt viri heroici atque perfecti, etiam quantum ad opera supererogationis, per observantiam consiliorum præcipuam, videtur illorum plenitudo di- C cenda plenitudo abundantiæ. Alia est autem plenitudo prærogativæ : quæ fuit in Virgine benedicta, cui dictum est : Ave, gratia plena. Hæ plenitudines accipiunt augmentum durante hac vita, quia et Virgo gloriosa profecit quotidie in caritate et gratia, ceterisque virtutibus. Quarta vero ponitur plenitudo superabundantiæ : qua Christus ut homo fuit plenus Spiritu Sancto, omnique gratia, dono et virtute ipsius. Denique in tantum fuit plenus Spiritu Sancto et donis ipsius, quod tota D animæ suæ capacitas fuit repleta, ita quod in habitu gratiæ ac virtutum nunquam

Luc. I, 15. — *Act.* II, 4. — *Ibid.* VII, 55. — *Luc.* I, 28.

profecit, ut declaratum est clarius articulo septimo. Hæc autem plenitudo propria est Christo homini, cui datus est Spiritus non ad mensuram, videlicet qua datus est aliis, ut in Joanne fertur.

Quæritur, an Christus secundum divinitatem, seu ut Verbum æternum, fuit plenus Spiritu Sancto. Et respondendum, quod secundum Damascenum ceterosque theologos, quælibet divina et increata Persona est in alia per circumincessionem, ita quod Pater totus est in Filio et econtra, similiter Spiritus Sanctus est totus in Patre et Filio, Pater quoque et Filius in Spiritu Sancto. Nam et quælibet divina Persona, est incircumscriptibilis et immensa. Itaque, juxta hunc sensum dici posset Jesus, ut Deus, plenus Spiritu Sancto, ita quod Spiritus Sanctus totus et plene omnino in ipso est. In rationalibus vero creaturis dicitur Spiritus Sanctus esse per dona sua. Unde sicut illis dari asseritur, quibus gratiæ suæ munera infunduntur, sic illi feruntur pleni Spiritu Sancto, qui ejus gratia et virtute infusa replentur.

Itaque, Jesus baptizatus a Joanne discessit, regrediens a Jordane in quo fuit jam baptizatus, *et agebatur a Spiritu,* hoc est, a Spiritu Sancto inducebatur seu movebatur, *in desertum,* hoc est in solitudinem, quæ est aptissimus locus ad illa exercitia propter quæ Christus desertum ingressus est. Itaque, Agi, sumitur hic eo modo quo ad Romanos ait Apostolus : Quicumque Spiritu Dei aguntur, id est, moventur, reguntur, seu diriguntur, hi filii Dei sunt. Præterea, Christi humanitas fuit instrumentum seu organum Spiritus Sancti, imo totius superbeatissimæ Trinitatis, in opere

Art. VII in fine. — *Joann.* III, 34. — *Rom.* VIII, 14.

indivisæ, operantis per illam : præsertim A
tamen dicitur fuisse instrumentum Verbi,
a quo fuit assumpta. Unde sicut corpus
nostrum est instrumentum immediatum,
animatum, conjunctum et proprium animæ
nostræ, sic Christi humanitas fuit Verbi
animatum, unitum, immediatum ac proprium
instrumentum. Idcirco Christus ut
homo, in omnibus agebatur seu movebatur
a Verbo æterno, seu a se ipso secundum
quod Deus est.

Itaque, Agebatur a Spiritu in desertum
2 quod fuit inter Jericho et Jerusalem, *quadraginta diebus,* id est, tot diebus ibidem
Spiritu agente permansit. Loquitur autem
Lucas de die naturali, quæ noctem includit
: est enim spatium viginti quatuor horarum.
Matthæus vero loquens de die arti-
Matth. IV, 2. ficiali, ait quod Christus fuit seu jejunavit
in deserto quadraginta diebus et totidem
noctibus. De quo etiam die ait Salvator :
Joann. XI, 9. Nonne duodecim sunt horæ diei?

Circa hæc multa sunt intuenda. Primo,
cur Christus, qui peccare non potuit, nec
publico impediri a bonis, nec solitudine
adjuvari, ingressus est eremum? Et respondendum,
quod Christus non solum vo-
Matth. III, 15. luit omnem perfectionem implere, sed insuper
diversas species, gradus et modos
perfectionis seu perfectæ conversationis
ostendere et docere. Hinc in pueritia cum
Luc. II, 51. Matre et ejus ministro moratus est, fuitque
subditus eis, ut conversationem sub obedientia
spiritualis patris seu matris, exemplariter
demonstraret et efficaciter approbaret.
Deinde ingressus est solitudinem, ut
eremiticæ ac anachoreticæ vitæ præberet
exemplum, et solitariam vitam opere commendaret.
Secundo, ut instrueret nos, quod
ad pœnitentiam peragendam contemplationisque
apicem adipiscendum, solitarius
præcipue conferat locus, præsertim desertum,
in quo sensualium delectationum de-
Ibid. I, 80. sunt objecta, ut supra plenius dictum est,
ubi ostendebatur cur Joannes Baptista ad
desertum confugit. Tertiam causam tangit
Matth. IV, 1. evangelista Matthæus, dicendo : Ductus est
Jesus in desertum, ut tentaretur a diabolo.
Sed nonne et extra desertum quivit tentari?
Cur ergo hoc ait Matthæus? nisi ut innuat
quod Jesus propter certas causas voluit
singulariter, hoc est acerrime atque
fortissime, tentari a dæmone, et quasi manu
ad manum contra eum confligere.

Quarto, ingressus est desertum protinus
post baptismum testimoniumque Joannis,
imo post tam sublime testimonium Dei Patris
ac Spiritus Sancti de ipso, ut formam
præstaret vitandi laudem humanam et omnem
gloriam vanam, quatenus et nos lau-
B dati, aut honorati, quæramus latere, et
optemus nesciri. Quinto, post baptismum
statim introiit eremum, volens docere quod
tunc potissimum debemus custodiæ cordis
insistere, profectuique spirituali vacare,
quum aliquam specialem a Deo purificationem
et gratiam sortiti fuerimus, ne Deo
ingrati reddamur, et tanto gravius offendamus,
quo ampliorem paulo ante misericordiam
consecuti eramus, pensantes illud
Apostoli : Impossibile est eos qui semel *Hebr.* VI, 4-6.
sunt illuminati, et gustaverunt donum cœ-
C leste, et prolapsi sunt, rursus renovari ad
pœnitentiam. In qua auctoritate, Impossibile,
pro difficili, secundum unam expositionem,
accipitur. Joannes quoque in
Apocalypsi : Tene, inquit, quod habes, ne *Apoc.* III, 11.
alter accipiat coronam tuam. Sexto, ut in
solitudine pro nostris peccatis corpus suum
abstinendo affligeret, atque in aliis se
actibus satisfactoriis exerceret. Puto equidem,
quod ibidem mundi peccata copiose
defleverit, et pro nostra salute jugiter preces
fuderit.

D Præterea, desertum aptissimus locus est
pœnitendi, orandi et contemplandi, et hoc,
ordine quodam : quoniam abstinendo perducitur
homo ad gratiam orationis devotæ;
per orationem vero, ad gratiam contemplationis
sinceræ : atque per tria hæc, ad
aliorum instructionem, prædicationem, gubernationem,
aptissimus redditur, ut sic
gratiam, sapientiam et fervorem, quæ in
abscondito desuper sumpsit, aliis per ignea
atque idonea verba communicet et proponat.
Unde Christus mox aliis prædicaturus,

ad nos exemplariter instruendos, primo in solitudine, jejunio, orationi et contemplationi vacavit, instruens aliorum rectores, prædicatores, prælatos, ut in primis se ipsos in prædictis exercitent, sicque sancte conversando mereantur a Deo gratiam efficaciter prædicandi ac fructuose regendi, ut scilicet verba quæ proferunt, non ex arido corde, sed ex gustu interno, ex caritatis ardore, ex spirituali experientia *Ps.* CXLIV, 7. profluant, juxta illud Psalmi : Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt.

Et tentabatur a diabolo. Secundum Origenem, toto tempore quadraginta dierum illorum tentabatur, et quæ fuerint tentamenta, nescimus : quæ ideo forsitan prætermissa sunt, quia majora erant quam ut litteris traderentur. Verumtamen verbum hoc Origenis pie accipi debet, præsertim quum beatissimi evangelistæ Matthæus et Lucas tres tentationes quas ibi passus est Christus commemorent. Basilius quoque sentire videtur, quod completis quadraginta diebus jejunii, sit tentatus. Ait namque : Christus per quadragenam intentatus mansit : noverat enim diabolus quod jejunabat nec famescebat, ideoque non audebat accedere. Et istud evangelicæ veritati magis consonum reor, quia in Matthæo *Matth.* IV, 2, 3. habetur : Quum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit; et accedens tentator, dixit. Unde apparet, quod consummato jejunio, et visa fame ipsius, tentator aggressus sit eum. Hinc aliqui expositores affirmant, quod esuries Christi, fuit diabolo tentandi occasio.

Denique, sicut pro nostra salute Unigenitus Dei dignatus est incarnari, circumcidi, baptizari, et crucifigi, ita etiam et tentari : Primo, ut nobis virtutem et gratiam triumphandi in omni tentatione promereretur. In omnibus namque quæ egit et pertulit, nobis promeruit. Secundo, ut nos ad sustinenda omnia tentamenta animaret et provocaret. Membra quippe et famuli domino suo capiti debent libenter et proportionabiliter conformari. Tertio, ne

A quis fidelium in tentationibus quantumlibet gravibus constitutus, pusillanimitate dejiciatur, aut a Deo se suspicetur relictum, dum et Unigenitus Dei graviter est tentatus. Quarto, ut formam resistendi atque vincendi nobis monstraret. Unde in qualibet tentatione, Scripturam objecit diabolo. Quinto, ut potestatem tentatoris debilitaret, nosque ab omni tentatione erueret. Insuper, in hoc potissimum incomprehensibilem suam dignationem et humilitatem ostendit, quod a dæmone ita tentari di-

B gnatus est, ut duceretur seu assumeretur a diabolo de loco ad locum. Itaque in omni tentatione Christum fiducialiter invocemus, ut virtute et merito suæ tentationis nos roboret superareque faciat, quia et Apostolus loquitur ad Hebræos : Debuit *Hebr.* II, 17, 18. Christus per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret, et fidelis pontifex ad Deum : in quo enim passus est ipse et tentatus, potens est et eis qui tentantur auxiliari. Christi ergo dignationem et humilitatem sectemur, omni indignatione su-

C perbiæ refutata.

Et nihil manducavit in illis diebus, hoc est, intra quadraginta hos dies nullum sumpsit corporeum alimentum. Non ergo jejunavit ut nos, qui quotidie semel reficimur. Quod autem contra diabolum dimicaturus voluit primo abstinere, patefecit quod volentibus dæmonum tentamenta prosternere, opus sit carnem suam a voluptatibus gustus et tactus abstrahere, quemadmodum ait Apostolus : Castigo corpus *I Cor.* IX, 27. meum, et in servitutem redigo; et rursus,

D Qui autem sunt Christi, carnem suam cru- *Galat.* V, 24. cifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. *Et consummatis illis esuriit,* hoc est, post quadraginta dierum finem Christus statim famem perpessus est : et forsitan magnam, ad profectum et commodum nostrum. Nam ea quæ propter nos passus est, in abundantia passus est, ex magnitudine caritatis ad nos, et ob multiplicem fructum nobis inde manantem. Hinc Christus ait in Psalmo : Genua mea infirmata sunt a jejunio, *Ps.* CVIII, 24. et caro mea immutata est propter oleum,

Ps. xxxiv, 13. hoc est olei defectum; et denuo, Humiliabam in jejunio animam meam.

Exod. xxxiv, 28; III *Reg.* xix, 8. Denique Moyses et Elias tanto tempore jejunarunt ut Christus, nihil edentes neque bibentes; nec tamen esuriisse leguntur, quamvis postea esuriisse credantur. Noluit autem Christus diutius jejunare quam præfati ejus ministri, ne diabolus de ejus divinitate majorem æstimationem acciperet; itemque propter mysticam rationem, quoniam quadragenarius numerus pœnitentiæ congruit : constat etenim ex denario quater accepto, sicque designat hominis ex quatuor elementis compositi castigationem, cum observatione Decalogi secundum quatuor Evangeliorum doctrinam; et rursus, quoniam tot diebus jejunando, offerimus Deo decimas dierum anni (secundum Gregorium), cui et aliarum rerum decimas offerre præcipimur; insuper, ut singularitatem et ostentationem doceret vitandam.

Esuriit autem non ex infirmitate aut necessitate naturæ, sed divina dispensatione ac propria voluntate. Licet enim in communi loquendo, mirum et supernaturale sit hominem tanto tempore sine omni edulio et potu subsistere, nihilo minus in Christo mirabilius fuit quod postea esuriit, quam quod interim nil comedit. Ad quod intelligendum scire oportet, quod post resurrectionem futuram corpora Beatorum erunt animabus glorificatis perfectissime ad imperiumque subjecta, ita quod ex redundantia beatitudinis animarum in corpora, erunt corpora illa quatuor dotibus decorata, videlicet claritate, agilitate, subtilitate, et impassibilitate. Quum ergo anima Christi fuerit a principio suæ creationis præ cunctis creaturis intellectualibus præexcellenter Deo fruens, atque beata quoad præmium essentiale : constat quod ex redundantia beatitudinis suæ in corpus poterat præservari, et præservata fuisset ab omni passione corporisque incommodo, nisi Deo sic ordinante, dilata atque suspensa fuisset redundantia illa usque ad tempus, videlicet usque ad resurrectionem. Non ergo indiguit alimento, nisi ea voluntate qua redundantiam illam suspendit. Iterum, famem assumpsit, ut veram in se humanitatem ostenderet item per famis suæ pœnalitatem magnam, ut nobis gratiam saturitatemque animæ mereretur. Omnis quippe afflictio ejus nobis meritoria exstitit. Rursus, ut diabolo occasionem tentandi se exhiberet, quemadmodum fortissimus pugil adversarium provocat ad congressum. Hinc asserit Glossa quod fames Christi pia fraus est, ne diabolus eum tentare caveret. Fraus itaque fuit fames illa, non quasi non fuerit vera fames, sed quoniam divinitatem celavit, dæmonem fefellit.

At vero, ex hoc quod diabolus Christum post baptismum atque jejunium tentare aggressus est, innotescit quod Christus potissimum nititur hominem impetere ac vincere, quum viderit eum incepisse profectum, et aliquo ferventiori proficiendi desiderio inflammatum. Ideo in Ecclesiastico docetur : Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem. Per hoc autem quod non legitur Christum tentasse nisi quum desertum ingressus est, designatur quod illos præcipue conatur dejicere, qui student perfectioni solique Deo, omni hominum relicta frequentia, vacare nituntur. Hinc secundum doctores, solitaria vita, scilicet quæ est penitus solitaria, et extra cœnobium seu congregationem aut societatem, periculosa est, potissimum imperfectis. Postremo, per illud quod completo mirabili ac longo jejunio Christum aggressus est dæmon, ostenditur quod virtuosos ac religiosos etiam tunc de spiritualibus vitiis tentare molitur, quum eos carnalia viderit vitia superasse. Nunquam ergo securi ac improvidi simus, sed timorati semper et circumspecti, quemadmodum in Ecclesiastico scriptum est : Nisi in timore Dei tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua.

Eccli. ii, 1.

Ibid. xxvii, 4.

3 Consequenter describitur tentationis processus. *Dixit autem illi diabolus.* Diabolus iste a multis fertur fuisse primus ille

apostata angelus, qui Lucifer dicitur. *Si* A *Filius Dei es.* Novit diabolus quod in Scripturis, tam homines virtuosi quam angeli sancti, appelle[illegible]r filii Dei. Quum ergo loquitur Chris[illegible]i Filius Dei es, intendit de unigenito [illegible] Patris æterni, an scilicet Christus [illegible]unicus ille naturalisque Filius Dei, de[illegible]s incarnatione, adventu et passione [illegible] diabolus Prophetas esse locutos. Dia[illegible] quoque non dubitavit de Jesu sancti[illegible]d de ejus vera divinitate. *Dic lap*[illegible] *ic,* hoc est, propria auctoritate [illegible] præcipiendoque age, *ut* B *lapis hic*[illegible] jacens *panis fiat,* hoc est, con[illegible]in panem.

Primo [illegible] diabolus Christum de vitio gul[illegible]atione lapidis in panem, quia vi[illegible]d Christus esuriit, sicque magis [illegible] esset ad panis affectum ac tal[illegible]m. Denique non tentavit Christ[illegible]mis de aliquo manifeste inhor[illegible]seu vitioso, quia sanctitatem [illegible]vit, ideo non confidebat quod [illegible]liquid posset eum statim indu[illegible]us est etiam dæmon mul- C tum[illegible]n enim dixit, Roga Deum ut [illegible]vertat in panem, vel, Pete a [illegible]oc faciam ; sed ait, Dic, id est, [illegible]rio seu imperiali verbo hoc fac. Cognovit namque tentator, quod taliter rerum naturas mutare, Deo sit proprium : de quo ait Psalmista, Ipse dixit et facta sunt ; cui et in libro Sapientiæ dicitur, Subest tibi, quum volueris, posse. Itaque cogitavit tentator : Si sic poterit lapidem in panem convertere, sciam quod Unigenitus Dei sit verusque Deus ; quod D si non poterit, patebit mihi quod purus sit homo. — Porro, in Matthæo legitur Christo dixisse : Dic ut lapides isti panes fiant. Aut ergo Lucas ponit singulare pro plurali, aut Matthæus, plurale pro singulari : quorum utrumque sæpe fit in Scripturis.

Ps. XXXII, 9; CXLVIII, 5.

Sap. XII, 18.

Matth. IV, 3.

Præterea secundum Ambrosium, ex eo quod diabolus explorando et tentando loquitur Christo, Si Filius Dei es, constat quod noverat Filium Dei venturum, sed hunc esse Jesum non æstimavit, propter infirmitatem corporis quam in ipso perpendit. Chrysostomus vero affirmat, quod diabolus audivit angelos Deo gloriam in Christi nativitate cantantes, angelum quoque pastoribus annuntiantem, Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus ; itemque quod vidit tres Magos puerum adorantes, Simeonem quoque et Annam ac Joannem Baptistam Jesu Christo testimonia perhibentes ; ex prophetia etiam Danielis de numero hebdomadarum, agnovit tempus adventus Christi impletum ; ex aliorum quoque oraculis Prophetarum, cognovit quod Christus sit Deus : ex quibus omnibus vehementer putavit quod Jesus esset Christus Unigenitus Dei. Porro, ex alia parte, videns eum inter populares et peccatores baptizatum, et fame confectum, dubitavit et fluctuavit quomodo talis posset esse Deus : ideo veritatem explorans, dicebat, Si Filius Dei es. Hinc et alii quidam dicunt, quod diabolus humilia in Deo non potuit credere.

Luc. II, 13, 14.

Ibid. 11.

Dan. IX, 24-27.

Sed circa hæc verba dubitationes non parvæ occurrunt. Quum enim diabolus tantæ sit subtilitatis atque scientiæ, certissime noscit angelos sanctos nunquam mentiri, imo mentiri non posse. Si ergo audivit præfata angelorum testimonia de Christi nativitate peracta, viditque quod puerum illum Magi adoraverunt quem angelus asseruit esse Christum, nequaquam dubitavit quin Jesus fuerit Christus. Rursus, sicut ex dictis Prophetarum cognovit Dei Filium incarnandum, sic quoque ex eisdem scivit eum pro mundi salute passurum, imo ignominiosissima morte necandum. Hoc enim in Isaia, et in psalmo qui incipit, Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti ? apertissime fuit prædictum. Itaque apparet, quod non ideo æstimasset Jesum non esse Christum, quia abjecta sustinuit : præsertim, quoniam scivit Christum inter homines conversaturum, atque in magna paupertate victurum, prout in Zacharia et Baruch dictum erat ; imo tempore passionis Christi, videns inef-

Is. LIII ; *Ps.* XXI.

Baruch III, 38; *Zach.* IX, 9.

fabilem patientiam Christi, suggessit uxori A Pilati ut persuaderet Pilato : Nihil tibi et justo illi. *Matth.* XXVII, 19.

Propter hæc et multa similia quæ possem inducere, non video quid ad hanc difficultatem solvendam aptius valeat responderi, nisi quod nono de Civitate Dei, capitulo 21, asserit Augustinus : Dæmonibus, inquit, Jesus Christus tantum innotuit quantum voluit ; tantum autem voluit quantum oportuit, id est, expediens fuit, hoc est, quantum tumidis innotescendum fuit. Innotuit quoque eis, non per id quod B est vita æterna et lumen incommutabile, sed per quædam temporalia suæ virtutis effecta seu opera, et occultissimæ signa præsentiæ, quæ angelicis mentibus etiam malignorum spirituum, potius quam infirmitati humanæ, possunt esse conspicua. Denique, quando ea Christus paululum supprimenda judicavit, et aliquanto altius latuit, tunc dubitavit de illo dæmonum princeps, eumque tentavit, an Christus esset explorans, quantum se ipse tentari permisit, ut hominem quem gerebat, ad C nostræ imitationis temperaret exemplum.

Ex his B. Augustini eloquiis elucescit, quod dæmon tantam de Christo notitiam habuit, quantam Christus permisit. Unde et arbitror quod diabolus, ex præinductis et aliis variis verbis, factis, signisque Christi, certitudinaliter atque stabiliter cognovisset Jesum esse Christum, si Christus hoc permisisset, potissimum quando Christus postea aperte docuit se esse Dei Unigenitum, verumque Deum, atque hoc ipsum per miracula soli Deo possibilia confirma- D vit. Talia quippe diabolum non latuissent, si Christus permisisset. Nihilo minus Christus dicitur aliqua fecisse, ne diabolus cognosceret eum jam natum : et tamen quædam illorum non fuerant talia, quin si Christus permisisset, diabolus illis non obstantibus cognovisset Christum jam natum, et Jesum esse Christum. Communiter etenim dicitur, quod voluit Matrem suam, quamvis virginem, esse sponsatam viro, ne Matris virginitas pateret diabolo, sicque Virginis filium agnosceret Christum : et tamen desponsatione illa non obstante, diabolus sua naturali industria bene explorasset, atque novisset, an Mater Jesu exsisteret virgo, ut doctores evidenter ostendunt. Unde quod hoc latuit dæmonem, fuit ex hoc quod divinitus fuit prohibitus, nec explorare permissus. Sic ad propositum dico, quod testimonia angelorum hominumque sanctorum præfata de Christo, tantum innotuerunt diabolo quantum Deus voluit et permisit : cujus moderamine factum est, ut diabolus sæpe sic fluctuaret ex consideratione diversorum circa Christum ejusque actus. — Hæc tam prolixe inserui, quia inferius sæpe locum habebunt, dum inquiretur qualiter dæmones et Judæi noverant Jesum esse Christum.

Postremo et illud notandum, quod Augustinus adstruit Christum a principe dæmonum esse tentatum. Unde communiter fertur a Lucifero tentatus, quodque victus ille a Christo sit in infernum detrusus, nec exiturus nisi in Antichristi adventu : cujus ille possessor erit in omnibus et director.

Et respondit ad illum Jesus : Scriptum 4
est in Deuteronomio : *Non in solo pane* *Deut.* VIII, 3.
vivit homo, hoc est, non solo corporeo alimento homo indiget, subsistit, et sustentatur, *sed in omni verbo Dei,* id est per divina verba seu sacræ Scripturæ eloquia, vel per internas Dei inspirationes, seu allocutiones secretas. Itaque, sicut homo quantum ad corpus et conservationem in vita naturæ, indiget nutrimento corporeo, sic quantum ad animam et quoad adeptionem seu conservationem in vita gratiæ, indiget verbo Dei, quod rite asseritur animæ cibus. Hoc namque spiritualiter verbum Dei facit in anima, quod panis aut alius cibus materialis corporaliter agit in carne. Materialis etenim cibus restaurat deperditum, confortat naturam, ad debitam quantitatem perducit, in vita conservat : sic verba divina mentem ad pœnitentiam ducunt, qua deperdita tempora et omissa bona recuperantur ; interiores animæ vires confortant, secundum illud Machabæorum :

II Mach. XV, 11. Judas singulos armavit, non hasta et clypeo, sed optimis sermonibus et exhortationibus. Insuper, verbum Dei ad debitam spiritualis profectus mensuram seu quantitatem perducit, nunc hortando, nunc comminando, nunc blandiendo, nunc jubendo, nunc consulendo, quemadmodum ait
II Tim. III, 16, 17. Apostolus : Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum. Postremo, conservat animam in vita gratiæ actibusque virtutum. Et breviter, verbum Dei mortem peccati, videlicet errores, passiones, et vitia, omneque malum exstirpat, et ad omnem disponit, confert, inducit virtutem, consolatur, illuminat, dirigit, di-
Ps. CXVIII, 105. cente Psalmista : Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis ; et
Ibid. 14. rursus, In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis. Hinc
Sap. XVI, 26. in libro Sapientiæ legitur : Non nativitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus, Domine, eos qui in te credunt conservat.

Victus diabolus in prima tentatione aggreditur aliam, tentans Christum de ambitione et avaritia, sciens quod multi qui vitia gustus et tactus, seu gulæ atque luxuriæ, fugiunt, ambitione et avaritia su-
5 perantur ac pereunt. *Et duxit illum diabo-*
Matth. IV, 5, 8. *lus in montem excelsum.* Matthæus asserit quod assumpsit eum. Unde aliqui putant quod volando per aerem eum portavit : quod non videtur, præsertim quia communiter dicitur, et verisimile est, quod diabolus in forma humana, imo in specie hominis religiosi seu eremitæ, Christum in prima tentatione accessit, ut eum per simulatam sanctitatem citius falleret ; et hanc speciem in secunda tentatione servasse videtur, in qua adhuc sub specie boni Christum tentavit : et hoc dico de secunda tentatione secundum ordinem quo Matthæus tres tentationes has recitat. Matthæus enim hanc quam Lucas secundo loco commemorat, tertiam ponit : in qua diabolus ostendit se esse malignum, ut verba ejus declarant.

A *Et ostendit illi omnia regna orbis terræ,* id est quædam regna de omnibus mundi regnis ; vel, omnia regna ostendit ei, non ad oculum corporalem, sed intellectualem, species et dispositiones regnorum ei proponendo, seu concupiscibilia illorum commemorando. Porro secundum Theophilum, ostendit ei omnia regna in phantasia : et forte per phantasiam intelligit Theophilus imaginariam visionem. Chrysostomus vero imaginatur, quod regna viciniora ostendit illi ad visum quantum fieri potuit,
B cetera quodam indicio, velut si quis cum aliquo stans, digitum versus diversas mundi plagas extendat, dicendo : Ecce ibi est Francia, ibi Italia. Huic modo videtur littera amplius consonare : ideo enim duxit Christum in altum montem, ut tentationi congrueret locus. Ceteras autem ostensiones potuisset fecisse in valle sicut in monte. Hæc ergo Christo ostendit, *in momento temporis,* id est valde celeriter seu brevissimo tempore, non in instanti, saltem quantum ad omnia quæ ostensionem illam
C circumstabant. Ideo autem tam multa objecta pariter sibi ostendit, ut fortius appetitum ejus moverent atque allicerent.

Et ait illi : Tibi dabo potestatem hanc 6
universam, hoc est, omnium regnorum istorum potentiam, fortalitia, populosque tibi subjiciam, et mundi monarcham te procreabo, seu omnium horum regem constituam, *et gloriam,* delicias, famam, honorem *illorum,* ita quod omnes te reverebuntur, et delectaberis de tua possessione, omnibus tibi subjectis ; *quia mihi tradita*
D *sunt.* Hoc mentitur diabolus, quamvis aliquo modo verbum hoc possit verificari, præsertim quia et Christus in Joanne vocat diabolum hujus mundi principem, et Joann. XIV, 30.
de eodem scribit Apostolus : Deus, inqui- II Cor. IV, 4.
ens, hujus sæculi excæcavit mentes infidelium. Si ergo per regna intelligantur habitatores regnorum, præsertim iniqui, illi traditi sunt diabolo, hoc est, justo Dei judicio permissi sunt diabolo subjici, et tentari, vinci, possideri, seu captivi teneri ab eo, secundum illud Apostoli : Resipi- II Tim. II, 26.

scant a laqueis diaboli, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem. Unde et rex impiorum vocatur, juxta quod in Job ha-
Job XLI, 25. betur : Ipse est rex super universos filios superbiæ. Imo isti verius dicuntur se ipsos diabolo tradere, per hoc quod sponte ei consentiunt. Si autem per regna intelligantur regiones, urbes, opes, similesque possessiones habitantium super terram ; talia, sicut et ipsi homines, generaliter tradita sunt diabolo, non ad jus dominandi ac possidendi, sed ad usum tentandi, sicut et sanctus Job dæmoni traditus fuit, di- B
Ibid. II, 6. cente Domino ad Satan : Ecce in manibus tuis est. *Et cui volo do illa.* Hoc rursus mendaciter protulit ; nec mirum, quum
Joann. VIII, 44. de ipso dicat Salvator : In veritate non stetit, quia veritas non est in eo ; quum loquitur mendacium, ex proprio loquitur, quia mendax est, et pater ejus. Verumtamen permissione divina diabolus frequenter cooperatur hominibus ad obtinenda terrena ac mundi dominia. Propter quod dicit Ambrosius : Ambitio diabolicæ subjacet potestati. C

7 *Tu ergo si adoraveris coram me,* hoc est, si me ipsum suppliciter adoraveris me præsente, *erunt tua omnia* regna mundi. Ecce quanta et quam inveterata ac indurata diaboli pompa. Olim propter superbiam suam pulsus est cœlo, quoniam di-
Is. XIV, 14. xit, Similis ero Altissimo : et nunc rursus vult ei assimilari, requirendo sibi impendi cultum soli Altissimo congruentem ac debitum ; imo hoc quærit ab eo qui vere Altissimus est. Quod quamvis diabolus certitudinaliter non sciret, quod scilicet il- D le cui hæc dixit, esset Altissimus, tamen suspicabatur hoc ipsum, saltem in prima tentatione, sicque posuit se in periculo postulandi adorationem ab Altissimo et præferendi se illi : tanta est impudentia diaboli, aviditasque ipsius ad divinos honores, ex intolerabili ejus superbia nascens. Cujus impietatem ac cæcitatem multi superbi et ambitiosi sequuntur, prout
Sap. II, 25. Sapiens asserit : Imitantur illum qui sunt ex parte illius.

A *Et respondens Jesus, dixit illi : Scriptum* 8
est in Deuteronomio : *Dominum Deum tuum adorabis,* Deut. VI, 13; X, 20. cui tanquam altissimo principi, ac maximo benefactori, propriaque virtute salvare potenti, debetur summus singularisque honor, videlicet latriæ cultus, interior atque exterior. Quum ergo, diabole, sis creatura, non Deus, cur adorari exquiris ? Interdum tamen adoratio sumitur pro honore seu reverentia duliæ : sicque creaturis impenditur. Unde frequenter in Scripturis leguntur quidam, homines vel angelos adorasse, ut Josue angelum, et Josue V, 15.
Nathan propheta David regem. *Et illi soli* III Reg. I, 23.
servies. Si hoc de servitute latriæ accipiatur, sicut expositores communiter sumunt, palam est quod soli Deo serviendum sit servitute latriæ. Porro, latria virtus est quæ Deo cultum cærimoniamque impendit ; dulia vero est virtus quæ personis creatis debitum seu decentem impendit honorem. Si autem verbum præfatum de quacumque servitute intelligatur, sensus est, quod soli Deo serviendum sit propter se atque finaliter : ita ut quidquid servitutis exhibeatur creaturis, totum ad Dei referatur honorem, et propter ejus ordinationem ac voluntatem agatur, ut quum homini ministramus, non tam homini, quam Deo in homine obsequamur. Hinc Samuel ait : Præparate corda vestra Domino, et I Reg. VII, 3.
servite illi soli.

Consequenter, secundum ordinem hujus narrationis, ponitur tentatio tertia, quæ fuit de superbia, jactantia seu gloria vana. *Et duxit illum in Jerusalem.* Quia et- 9
enim voluit Christum tentare de arrogantiæ vanitate, duxit eum ad civitatem totius Judææ metropolim seu principalem, ubi major fuit occasio seu fortius incitamentum appetendi laudem humanam. *Et statuit eum supra pinnaculum templi,* hoc est supra planum quoddam deambulatorium, quod fuit supra templum vel portam ipsius, in quo sacerdotes sedebant quum populo prædicarent. Ibi enim solitus fuit magistros Judæorum ad multiplicem inducere vanitatem. Porro, de modo

quo duxit Christum, an scilicet volavit secum per aerem, an duxit eum manu ad manum, an tulit eum in brachiis vel super humeros, scripsi super Matthæum. Origenes vero hic ait : Sequebatur plane Christus, quasi athleta ad tentationem sponte proficiscens, et quodammodo loquens : Duc me quo vis, invenies me in omnibus fortiorem.

Et dixit illi : Si Filius Dei es, scilicet secundum sensum expositum, *mitte te hinc deorsum,* id est, de loco hoc alto te ipsum præcipita in conspectu adstantium, ut videntes te sine læsione cadere, aut sine casu volare, admirentur teque collaudent, et magnus de cetero habearis ab omnibus, qui tam diu quodammodo latuisti. Nec ti-
10 mendum est tibi, *scriptum est enim, quia*
Ps. xc, 11, 12. *angelis suis mandavit de te,* id est, angelis sanctis Deus Pater commisit et jussit, ut tibi impendant quod subditur : *ut conservent te,* scilicet, ab omni læsione seu nocumento præservent. Hoc quod fuit contra diabolum, ipse dolose subticuit. Sic enim ait Psalmista : Ut custodiant te in omnibus viis tuis. Ideo diabolus vanum præcipitium suggerens, de viis obmutuit,
11 ne sua fraudulentia panderetur. *Et quia in manibus tollent te,* id est, suis potestatibus et actibus te fulcient et defendent, seu corporaliter ferent, si fuerit opportunum, *ne forte offendas ad lapidem pedem tuum,* id est, ne aliquod tibi impedimentum aut nocumentum obviet aut resistat. Hanc scripturam, apparenter, tamen impertinenter atque ad falsum intellectum allegat diabolus : Primo, quoniam psalmus ille, et scriptura hæc allegata, non loquitur ad litteram de Christo, sed de membris ejus electis fidelibus, secundum Hieronymum. Christus autem angelorum custodia seu auxilio non egebat, præsertim quia et comprehensor fuit secundum superiores animæ vires, et cunctis angelis altior atque potentior, non solum ut Deus, imo etiam secundum naturam humanam propter suppositalem unionem ejus cum Verbo. Insuper scriptura ista intelligenda

A non est, quasi electi in vita hac per angelicam custodiam a malis pœnæ seu adversitatibus et tormentis præserventur, vel eripiantur, quamvis quandoque hoc accidat : Multæ enim tribulationes justorum ; Ps. xxxiii, 20.
sed a malis culpæ præsertim, et etiam ab aliquibus corporalibus nocumentis, per angelos custodiuntur.

Circa hunc locum loquitur Origenes : Unde tibi, diabole, scire quod ista scripta sunt? Numquid legisti Prophetas, aut divina eloquia? Legisti quidem, non ut ipse B ex lectione eorum melior fieres, sed ut de simplici littera eos qui amici sunt litteræ, interficias. Scis quia si de aliis voluminibus loqui eis volueris, non decipies. Vide autem, quomodo diabolus et in ipsis testimoniis versipellis est. Vult enim minuere gloriam Salvatoris, quasi indigeat auxilio angelorum, offensurus pedem, nisi illorum manibus sublevetur. Hoc enim testimonium, non de Christo, sed de Sanctis generaliter scriptum est : non enim indiget angelorum auxilio, qui major est an- C gelis. Quin potius disce, diabole, quod nisi Jesus adjuvaret angelos, offenderent pedem suum. Quare autem siles quod sequitur, Super aspidem et basiliscum ambu- Ps. xc, 13.
labis? nisi quia tu es basiliscus, tu draco, tu leo. Hæc Origenes.

Et respondens Jesus, ait illi : Dictum 12
est, Deo loquente per Moysen in Deuteronomio : *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Deut. vi, 16.
Hoc protulit Christus, non appellando se Deum diaboli, quamvis esset ejus creator, Deus, ac Dominus, nec increpando directe D diabolum de hoc quod Christum creatorem suum tentare aggressus sit : non enim voluit insinuare diabolo Deum se esse. Sed iste est sensus : Non tentabis Dominum Deum tuum, hoc est, o homo quicumque, non præsumas Deum tentare.

Porro, Deum tentare, est absque necessitate de ejus sapientia, providentia, vel potestate experimentum accipere, utpote omittendo quod aliunde habet vel potest. Multipliciter quoque homo sic tentat Deum : Primo, inquirendo, seu experimentum su-

mendo de sapientia ejus, an scilicet omnia A sciat; vel de providentia ejus, an humana gubernet, vel servientibus sibi adsit, quemadmodum in Exodo de filiis Israel *Exod.* XVII, 7. scriptum est : Tentaverunt Deum, dicentes, Estne Dominus in nobis, an non? Vel de omnipotentia Dei, secundum illud Psal- *Ps.* LXXVII, 18, 19. mistæ : Tentaverunt Deum in cordibus suis; et male locuti sunt de Deo; dixerunt, Numquid poterit Deus parare mensam in deserto? Insuper istud fit, indebite experiendo voluntatem Dei, ut illi qui volunt experiri an Deus infra determina- B tum tempus eos velit liberare, ita quod postea ejus auxilium non exspectent, nisi interim eis subvenerit, juxta illud Judith : *Judith* VIII, 11, 13. Qui estis vos, qui tentatis Dominum? Posuistis vos tempus miserationis Domini, et in arbitrio vestro diem constituistis ei. Rursus hoc agitur, indebite experiendo quid homo possit apud Deum : et hoc diabolus Christo suasit. Hæc ergo vitanda sunt, quamdiu habet quis aliud quod faciat, et quo sibi provideat seu veritatem cognoscat. Quod si non habuerit, seu aliun- C de adipisci nequiverit, tunc fiducialiter se convertat ad Deum, quemadmodum scri- II *Par.* XX, 12. ptum est : Quum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. Quoniam itaque a pinnaculo templi usque ad terram fuit descensus per gradus, præcipitare se de pinnaculo pertinuisset ad Dei tentationem.

13 *Et consummata omni tentatione* jam dicta : nam et ceteræ tentationes reducuntur ad istas. Estque in tribus his tentamen- D tis omnium materia delictorum, secundum Ambrosium, atque origo vitiorum cunctorum, secundum Glossam, juxta illud Joannis : Omne quod est in mundo, con- I *Joann.* II, 16. cupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. *Diabolus recessit ab illo,* tanquam victus et fine optato frustratus, quia incertus permansit de Christi divinitate, et an esset Messias in lege promissus. Recessit autem *usque ad tempus :* quia et postea rursus eum tentavit, dum Judæos ad ejus persecutiones induxit; maxime autem tempore passionis per vasa sua, scilicet per homines pravos, eum impugnavit; imo et tunc Christum accedere ausus est, quemadmodum in Joanne protestatur : Venit ad me princeps mundi *Joann.* XIV, 30. hujus, et in me non habet quidquam. Denique hostis antiquus etiam nos sæpe ad tempus intentatos relinquit, ut interim vana securitate, torpore seu otio resolvamur et tepescamus, sicque improvise ac subito rediens facilius nos prosternat. Itaque indesinenter custoditi simus, ac circumspecti; et ab omni tentatione erepti, mox aliam præstolemur; et contra aciem vitiorum semper stemus parati virtutibusque armati, quemadmodum Augustinus hortatur : Persevera usque ad finem, quia tentatio perseverat usque in finem. Insuper aliqui dicunt, quod dæmon ab homine semel victus nunquam amplius tentat eumdem, vel saltem nunquam de cetero tentat eum de eodem peccato. Quibus obviare videtur, quod Evangelista hic ait, videlicet, quod diabolus recessit a Christo usque ad tempus : quo innuit quod postmodum rursus tentaverit eum per se aut per suos ministros.

Postremo, de hac triplici Christi tentatione et ordine earumdem plura dici hic possent, quæ quia super Matthæum conscripsi, nunc prætereo.

ARTICULUS XI

PROSECUTIO EXPOSITIONIS HUJUS CAPITULI QUARTI, A LOCO QUO DICITUR : ET REGRESSUS EST JESUS IN VIRTUTE SPIRITUS IN GALILÆAM.

CHRISTI actio nostra perhibetur instructio. Igitur qualis debeat esse doctor et prædicator verbi cœlestis, ex hoc processu vitæ Christi ostenditur. Non enim orsus est prædicare, nisi circa tricesimum ætatis suæ annum, et post baptismum, item post eremiticam conversationem, et abstinentiam, dæmonisque superationem, ad innuendum quod prædicator et doctor debet esse maturæ ætatis, et a vitiis emundatus. *Ps.* XLIX, 16. Peccatori enim dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas ? Erit quoque virtutibus exercitatus, ut primo faciat quod alios docet, sicut de Christo dicitur in Actibus : *Act.* I, 1. Cœpit Jesus facere et docere. Tentamenta etiam diaboli et carnis petulantiam debet vicisse, sicut Apostolus loquitur : *I Cor.* IX, 27. Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne aliis prædicans, ipse reprobus efficiar. Unde de Christo jam dicitur :

14 *Et regressus est Jesus,* hoc est, post tentamenta atque jejunia ejus in deserto rediit ad homines, ut quod ipse fecit, eos doceret, *in virtute Spiritus,* id est in magna potestate Spiritus Sancti, per quam cœpit operari miracula; in virtute quoque Spiritus, id est plenus omni virtute et dono Spiritus Sancti. Et quamvis hac potestate atque virtutibus plenus exstiterit in anima ab incarnationis exordio, tamen nunc scribitur in virtute Spiritus esse regressus, quia post reditum a deserto cœpit sanctitatem atque potentiam suam abundantissime manifestare. Itaque virtus Spiritus, nominatur spiritualis virtus operativa signorum quæ datur a Spiritu Sancto. *IV Reg.* II, 15. Unde in libris Regum legitur spiritus Eliæ requievisse super Eliseum.

Porro Christi, secundum quod Deus est, et Spiritus Sancti una est virtus, una omnipotentia, et quoad hoc Christus increata ac propria virtute fecit miracula : quæ virtus toti superbenedictæ Trinitati communis est, cui competit operari miracula auctoritative, imperialiter ac principaliter, juxta illud : Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus. *Ps.* LXXI, 18. Præter hanc increatam virtutem, fuit in Christo secundum naturam assumptam, virtus seu potestas super omnem creaturam : de qua alibi ait, Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra; *Matth.* XXVIII, 18. quæ fuit potestas creata et data a Spiritu Sancto, imo a tota supergloriosissima Trinitate : de qua videtur nunc potissimum loqui Evangelista. Præterea Augustinus in libro de Civitate Dei movet quæstionem, an Sancti fecerunt miracula per aliquam virtutem exsistentem in eis, concessamque eis divinitus, ita quod effective cooperati sint in miraculosis effectibus. Sicque posset de Christo inquiri, an præter potestatem increatam divinam fuit in eo virtus creata miraculorum productiva : potestque dici, quod ad agenda miracula sufficiat in eo ponere duplicem virtutem seu potestatem præfatam. De potentia vero animæ Christi, an habuit omnipotentiam, et qualem potentiam habuit respectu immutationis creaturarum, et quantum ad proprium corpus, itemque quoad exsecutionem propriæ voluntatis, loquitur S. Thomas in tertia parte, quæstione 13, et infra forte tangetur.

Itaque, Regressus est *in Galilæam,* ex qua fuerat oriundus, et de qua ierat ad Joannis baptismum, *et fama exiit per universam regionem* Galilææ *de illo,* propter sapientiam, eloquentiam, sanctitatem, et

miracula ejus quæ cœpit tunc agere. Ar-
bitror quoque, quod testimonium Præcur-
soris tam præclarum atque credibile, fecit
eum non parum famosum : quod multi Ga-
lilæorum audierant. Unde, quia post illud
testimonium Christus mox desertum in-
gressus est, quum redeuntem viderunt,
15 memorati sunt verborum Joannis. *Et ip-
se docebat in synagogis eorum.* Synagoga
enim vocabatur, vel ipsa Judæorum colle-
ctio, vel domus in qua ad orandum vel au-
diendum lectionem legis et Prophetarum
conveniebant. Ibi ergo prædicavit tanquam
magister magnæ auctoritatis, et quoniam
ibi major audientia fuit. *Et magnificaba-
tur,* id est, magnæ sapientiæ ac virtutis
reputabatur, *ab omnibus* audientibus eum.
16 *Et venit Nazareth ubi erat nutritus.* Ibi
enim conceptus fuit, et in pueritia habita-
vit usque ad tempus quo ad baptismum
Joannis accessit, prout supra dictum est.
*Et intravit secundum consuetudinem su-
am die sabbati in synagogam :* quoniam
illo die celebri magis convenerunt Judæi
ad audiendum verbum Dei et ad depre-
candum faciem Domini, sicut nunc faciunt
Christiani in die dominico. Etenim festivis
temporibus idcirco ab exteriori occupatio-
ne cessatur, ut homines divinis exercitiis
quietius devotiusque intendant, et quod
ferialibus diebus per omissionem vel com-
missionem peccaverunt, corrigant et emen-
dent, ac perditum tempus recuperent. Ideo
Christi consuetudo fuit tunc ingredi syna-
gogam, quia tunc plures auditores inve-
nit, et quoniam bonas aliorum consuetu-
dines voluit approbare, seque conformare
eisdem, præsertim quoniam laudabilis con-
suetudo vim legis sortitur, secundum Au-
gustinum.

Et surrexit legere, id est, surgendo dis-
posuit se ad legendum, et monstravit velle
se legere : ut ex ipsa Scriptura quasi the-
ma acciperet sui sermonis; item, ut insi-
nuaret quod prædicator et doctor sermo-
cinationem suam in sacra debet fundare
Scriptura; et iterum, ut testimonio Scri-
pturarum, se audiendum probaret, et Chri-
A stum esse adstrueret; postremo, ut unum
de minoribus Ordinibus, scilicet Ordinem
officiumque lectoris impleret et approba-
ret : quemadmodum etiam officium exor-
cistæ explevit dæmones expellendo; aco-
lythi seu ceroferarii, protestando, Ego sum *Joann.* VIII,
lux mundi ; ostiarii quoque, ementes et 12.
vendentes de templo ejiciendo. Sicque pa-
tet Christum per quatuor suos actus, ap-
probasse quatuor Ordinum inferiorum of-
ficia : ideo nullus, quantumlibet vita aut
scientia magnus, contemnere debet accipe-
B re Ordines istos, eorumve officia exsequi,
quoniam non est servus major domino suo. *Ibid.* XIII,
Et traditus est illi liber Isaiæ prophetæ 16. 17
a ministris synagogæ, quorum officium fu-
erat legere : et forte mirabantur quod lege-
re vellet, scientes quod non didicerat litte-
ras. *Et ut revolvit librum, invenit locum
ubi scriptum erat.* Christus non solum per
divinam et increatam scientiam, sed etiam
per scientiam suæ animæ a principio cre-
ationis ejus ei inditam, distinctissime no-
vit cuncta creata, quantumlibet parva et
C magna : ideo constat quod scivit quot fo-
lia, quot rigæ, quot verba continebantur
in libro, et ubi quilibet passus staret. Un-
de primo ictu reperit passum quem vo-
luit, non utique fortuito, sed deliberate.

Spiritus Domini, id est Spiritus San- *Is.* LXI, 1.
ctus, qui est Spiritus Patris, imo Patris et 18
Filii tanquam unius principii uniusque
fontis ac spiratoris Spiritus Sancti : de quo
scriptum est, Spiritus Domini replevit or- *Sap.* I, 7.
bem terrarum; et de quo ait Apostolus,
Ubi Spiritus Domini, ibi libertas; *super* II *Cor.* III,
D *me,* id est, desuper venit in me, et est ha- 17.
bitans in me secundum quod homo sum.
Anima enim Christi plena fuit Spiritu San-
cto ab incarnationis exordio : unde Spiri-
tus Sanctus per inexsistentiam donorum
suorum dicitur super Christum hominem
requievisse, secundum illud Isaiæ : Re- *Is.* XI, 2.
quiescet super eum Spiritus Domini, spi-
ritus sapientiæ et intellectus. Insuper fuit
et requievit super Christum tanquam mo-
tor, ductor et præceptor seu inclinator
Christi in omnibus secundum naturam as-

sumptam, quæ fuit Spiritus Sancti, imo
totius Trinitatis, electissimum ac obedien-
tissimum instrumentum seu organum, di-
vinum in omnibus sequens instinctum,
Joann. VIII, 29. sicut in Joanne testatur : Quia quæ placita
sunt Patri, facio semper.

Propter quod unxit me : id est, quia sic
placuit Spiritui Sancto venire et quiescere
super me, ideo plenitudine gratiæ et vir-
tutum me hominem spiritualiter irrigavit,
perfudit, implevit : quemadmodum scri-
Ps. XLIV, 8. ptum est, Unxit te Deus, Deus tuus, oleo
Act. X, 38. lætitiæ ; et in Actibus, Unxit eum Deus
Spiritu Sancto et virtute. Sicque quod ait,
Propter quod, dicit causam a priori. Potest
quoque notare causam a posteriori, ut sit
sensus : Propter quod unxit me, id est, ex
hoc quod Spiritus Domini sic fuit et est
super me, patet atque probatur ac sequi-
tur quod unxit me, quemadmodum causa
ostenditur per effectum. Denique Christus
non solum plenus fuit donis gratiæ gra-
tum facientis, sed et donis gratiæ gratis
datæ : unde et unctus dicitur fuisse in re-
gem, in pontificem seu sacerdotem, atque
Prophetam. Et totum hoc factum est in
incarnationis exordio. Quod si postea fa-
ctum legatur, intelligendum est quantum
ad manifestationem : imo sicut in die Pa-
Ephes. V, 2. rasceves obtulit se tanquam sacerdos obla-
tionem et hostiam Deo in odorem suavi-
tatis per effectum, ita affectualiter cœpit
hoc facere a principio creationis animæ
suæ, atque ex tunc cœpit esse mediator ac
reconciliator, orator et pontifex inter Deum
et homines. Insuper unctus est in tem-
plum seu tabernaculum Divinitatis, quia
Coloss. II, 9. ut ait Apostolus, in ipso habitat omnis
plenitudo Divinitatis corporaliter. Christus
Joann. II, 19. quoque in Joanne ait Judæis : Solvite tem-
plum hoc, et in tribus diebus excitabo il-
Ibid. 21. lud. Hoc autem dixit de templo corporis
sui, ut Evangelista exponit. In figura hu-
Lev. VIII. jus, de unctione tabernaculi scriptum est
I Reg. X, 1; XVI, 13; II Reg. II, 4; III Reg. I, 39, etc.; III Reg. XIX, 16. in Levitico ; de unctione vero pontificali,
in eodem libro habetur ; de aliis, in libris
Regum.

Evangelizare pauperibus misit me, id
A est regnum cœleste prædicare humilibus :
quod egit, dicendo, Beati pauperes spiritu, Matth. V, 3.
quoniam ipsorum est regnum cœlorum.
Secundum Origenem, per pauperes intelli-
guntur gentiles seu nationes, nihil omnino
spiritualiter possidentes, non Deum, non
legem, non Prophetas, non justitiam reli-
quasque virtutes. Istis evangelizavit Chri-
stus per Apostolos, aliquibus etiam, quam-
vis paucis, per se ipsum, ut Evangelistæ
testantur. Unde et Paulus de Christo lo-
quens : Veniens evangelizavit his qui longe Ephes. II,
B et his qui prope. Præterea advertendum, 17.
quod Lucas allegat hunc locum secun-
dum translationem Septuaginta interpre-
tum. Hieronymus autem partim aliter trans-
tulit, et pro inducto verbo sic dixit : Ad
annuntiandum mansuetis misit me.

Sanare contritos corde. Per contritos
corde Cyrillus intelligit debiles fragilem
mentem habentes, et insultibus passionum
resistere non valentes. Basilius vero per
contritos corde intelligit eos qui peccando
a Satana pressi sunt, spiritualiterque de-
C structi. His ergo venit Salvator impendere
salutare remedium, quo curentur peccata
et felicitas obtineatur, secundum quod ait :
Venit Filius hominis quærere et salvum Luc. XIX, 10.
facere quod perierat. Sacramentum nam-
que Baptismi tanquam primam post nau-
fragium tabulam, sacramentum vero Pœni-
tentiæ tanquam tabulam post naufragium
secundam instituit. Rursus, contriti cor-
de intelligi possunt veraciter pœnitentes,
juxta illud, Cor contritum et humiliatum, Ps. L, 19.
Deus, non despicies : quos venit Chri-
D stus sanare per gratiam. Quamvis enim in
quantum contriti jam ab ipsa læsione pec-
cati seu culpa sanati sint, nihilo minus ab
effectu reliquiisque peccati, quæ sunt pro-
nitas ad malum, debilitatio ad recidivum,
egent curari : quod potissimum fit per sep-
tem dona Spiritus Sancti, quæ a capite
Christo in ejus membra descendunt. Nem-
pe ut Deus, dat ea efficienter, creative et
auctoritative, sed ut homo mediator, dat
ea ut causa instrumentalis superabundan-
ter meritoria.

19 *Et prædicare captivis,* id est vinculis vitiorum implicatis, *remissionem,* id est indulgentiam, dummodo vere pœniteant. *Matth.* IV, 17. Hoc fecit Christus dicendo : Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. De hac captivitate in Proverbiis Salo- *Prov.* V, 22. mon ait : Iniquitates suæ capient impium, et funibus peccatorum suorum constringetur. Fungitur enim peccatum tyrannide pessima, ad mala inducens, et acquiescentes confundens. Est autem et bona ca- II *Cor.* X, 5. ptivatio, de qua ait Apostolus : In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Theophilus per captivos intelligit in limbo detentos : qui Christo resurgente educti sunt pretio sanguinis ejus, remissionem a reatu originalis peccati adepti, quemadmodum in Zacharia di- *Zach.* IX, 11. citur Christo : Tu quoque, in sanguine testamenti tui, emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua. Prædicare etiam *visum cæcis,* id est spiritualem interioris visus illuminationem gentilibus, seu quibuscumque errore, ignorantia, aut vitiis, excæcatis. Unde Christus in Evangelio pro- *Joann.* VIII, 12. testatur : Ego sum lux mundi ; qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Cui per *Is.* XLII, 6, 7. Isaiam Pater locutus est : Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum, et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris.

Dimittere confractos, id est adversitatibus fatigatos, seu legalium observantiarum oneribus pressos, deducere, *in remissionem,* id est ad spiritualem consolationem ac relevamen. Christus namque nos ab observantia cærimonialium præceptorum legis per evangelicæ legis gratiam alleviavit, *Act.* XV, 10, 11. juxta illud : Quid tentatis imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari. Hinc in Matthæo ait Sal- *Matth.* XI, 28. vator : Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.

Prædicare annum Domini acceptum, id est tempus gratiæ seu evangelicæ legis, in A quo Deus benignissime se habuit ad genus humanum. De quo ait Apostolus : Ecce II *Cor.* VI, 2. nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis ; et Isaias, Tempore accepto exau- *Is.* XLIX, 8. divi te. Quomodo autem Christus hoc egit, ostenditur in Marco, in quo legitur : Post- *Marc.* I, 14, 15. quam traditus est Joannes, venit Jesus in Galilæam prædicans Evangelium regni Dei, et dicens, Quoniam impletum est tempus, et appropinquabit regnum Dei. De quo gratissimo tempore scribit Apostolus : Ec- *Galat.* IV, 4. ce jam venit plenitudo temporis, in quo B Deus misit Filium suum ; et in Actibus Petrus, Omnes Prophetæ a Samuel annun- *Act.* III, 24. tiaverunt dies istos. Quidam per annum acceptum, intelligunt annum quo Christus prædicavit, præcipue in Judæa, vel annum dominicæ passionis, in quo generi humano placatus est Deus. Tempus quippe vocatur acceptum, propter gratiosa piaque opera quæ fiunt in ipso, sicut et dies mali dicuntur, propter mala quæ fiunt in eo. *Et diem retributionis,* id est extremi judicii, in quo unusquisque quod meruit, C creditur recepturus, quemadmodum in Apocalypsi Judex asseruit : Ecce venio cito, et *Apoc.* XXII, 12. merces mea mecum est, reddere unicuique juxta opera sua. Hunc diem Christus frequenter denuntiavit, sicut in Joanne : Veniet hora in qua omnes qui in monu- *Joann.* V, 28. mentis sunt, audient vocem ejus. Quidam per diem retributionis, intelligunt diem æternæ felicitatis electorum in patria. Prætacta tamen expositio litteralior æstimatur, quia Hieronymus transtulit, Diem ultionis : quod tamen de tempore devastationis D Judæorum (propter peccata in Christum commissa) accipi posset, de quo per Isaiam Christus fatetur : Dies ultionis in corde *Is.* LXIII, 4; XXXIV, 8. meo, annus retributionis meæ venit. Idem enim fuit tempus clementissimæ vocationis gentilium, atque justissimæ derelictionis vastitatisque Judæorum.

Præterea advertendum, quod peccatum mala plurima infert hominibus : nam animam vulnerat, captivat, excæcat, a Deoque separat, et gratia et gloria privat. Ideo Christus contra prædicta mala venisse se

I Joann. III, 8. perhibet. Unde Joannes inquit: In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.

20 *Et quum plicuisset librum.* Quo patet, quod librum sacræ Scripturæ reverenter tractavit, atque exemplum sic agendi nobis reliquit. Circa quod dicit Lyra : Judæi hanc reverentiam faciunt libris veteris Testamenti, quod nullo modo sederent juxta illos, sedendo tam alte ut illi sunt positi : quo constat, quod illi Christiani sunt valde reprehendendi, qui non solum libros veteris Testamenti, sed etiam novi, et sacra Evangelia tam irreverenter tractant, et irreverentius quam libros gentilium damnatorum ; aliqui etiam theologi, dicta talium cum majori pondere et certiori quotatione allegant in scholis, quam dicta Christi et Apostolorum. *Reddidit ministro :* forte illi a quo librum accepit ; *et sedit,* tanquam magister et doctor, ut quod legit, exponeret. *Et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum :* quia delectabilis fuit ad intuendum, tanquam
Ps. XLIV, 3. speciosus forma præ filiis hominum, in cujus vultu fulgor quidam interioris perfectionis ac gratiæ resplendebat : sed et suavitate eloquentiæ suæ corda eorum attraxit. Mirabantur quoque rem novam, et quomodo legere scivit, qui ab homine illud non didicit. Talia autem nova, magna, mira et inopinata, homines diligenter concorditerque inspiciunt. Circa quod loquitur Origenes : Nunc etiam, si volumus, oculi nostri possunt intendere Salvatorem : quum enim principale cordis tui direxeris ad sapientiæ veritatem, Deique Unigenitum contemplandum, oculi tui intuentur Jesum.

21 *Cœpit autem dicere ad illos : Quia hodie impleta est scriptura hæc in auribus vestris,* id est, per hoc quod audistis me Christum vobis evangelizantem, vestraque corda illuminantem, et gratiam benignitatis divinæ annuntiantem, impletum est aliqualiter quod in præfata prophetia fuit prædictum. Quo verbo docuit Christus, dicta atque promissa Prophetarum in Christi adventu spiritualiter debere intelligi, de A spirituali videlicet liberatione a potestate diaboli et jugo peccati, non de corporali liberatione a captivitate exteriori et temporali, qua nunc tenentur Judæi : a qua se præstolantur in Christi adventu educendos, cunctisque gentibus dominaturos. Habent enim densissima errorum caligine intellectum cæcatum.

Et omnes testimonium illi dabant : id est, plures de omnibus ibi præsentibus, 22
protestabantur vera esse quæ protulit Jesus, quod scilicet scriptura Isaiæ inducta B esset in ipso completa, et quod esset Christus in lege et Prophetis promissus, quamvis in illa notitia nondum essent firmati ; et testimonium illi dabant, id est, bonum de ipso testimonium proferebant, quod scilicet vere sapiens, gratiosus, virtuosus, magnusque esset, et quod Joannes Baptista de ipso affirmasset magnifica, jamque ipse Jesus mirabilia cœpisset peragere. *Et mirabantur in verbis gratiæ,* id est gratiosis, facundis, efficacissimis, sapientissimisque sermonibus, *quæ procedebant de ore* C *ejus* ordinate et eloquenter, sicut prædixit Psalmista : Diffusa est gratia in labiis tuis. Ps. XLIV, 3.
Unde in Joanne adversarii ejus ipsa veritate compulsi sunt dicere : Nunquam sic Joann. VII, 46.
locutus est homo, sicut hic loquitur. Denique bonus homo de bono cordis sui thesau- Matth. XII, 35.
ro profert bona : idcirco, quo anima Christi gratia plenior fuit, eo gratiosiora verba deprompsit. Sicque verba Christi erant verba gratiæ : originaliter, quia manabant ex gratia ; materialiter, quia tractabant de gratia ; formaliter, quoniam gratiosa seu D gratia eloquentiæ decorata ; finaliter, quia tendebant ad gratiam ; item causaliter, quia audientibus gratiam conferebant, eos ædificando. Ad quod imitandum hortatur nos Paulus : Omnis sermo malus ex ore ve- Ephes. IV, 29.
stro non procedat ; sed qui bonus est, ad ædificationem fidei, ut det gratiam audienti.

Et dicebant : Nonne hic est filius Joseph ? Hoc aspernanter locuti sunt, tanquam dicerent : Quum sit filius simpliciani et pauperis fabri, non est verisimile quod

tanta excellentia vere ei conveniat, aut A Christus exsistat, aut prodigia operetur. Unde apud Matthæum et Marcum dixisse *Matth.* XIII, 55 ; *Marc.* VI, 3. scribuntur : Nonne hic est fabri filius ? Et hæc est mira excæcatio atque perversitas, despicere aliquem propter parentum inopiam, quasi gratia Dei divitibus potius quam pauperibus conferatur, et non potius vice versa.

Quæritur, quum statim prædictum sit, Omnes testimonium illi dabant, quomodo de eisdem mox subditur, Nonne hic est filius Joseph ? Qui enim testimonium ei B dabant, eum reverebantur ; hi vero eum spernebant. Ad hoc dupliciter respondetur : Primo, quod Scriptura loquitur de eisdem, videlicet habitatoribus Nazareth, et quod primo honoraverunt eum propter causas prætactas ; sed post paululum, ex aliis considerationibus, scilicet ex attentione paupertatis matris ejus patrisque putativi, ad contemptum ejus invidiamque commoti sunt. Alii dicunt, quod Scriptura loquitur hic de diversis, quasi de eisdem, juxta unam septem regularum Tichonii C valentium ad intelligendum Scripturas : *Ps.* LXXVII, 34. quemadmodum et in Psalmo, Quum occideret eos, quærebant eum et revertebantur, etc. ; qui enim occidebantur, non revertebantur diluculo. Zacharias quoque, *Zach.* XIV, 5. Fugietis sicut fugistis in diebus Oziæ regis Juda. Certum est equidem, quod illi qui tempore Zachariæ prophetæ, unius duodecim Prophetarum, fuerunt, non fuerunt tempore Oziæ regis, qui tot annis ante Babylonicam captivitatem defunctus est. Itaque dicunt hæc verba a Scribis et Phari- D sæis invidia tactis prolata.

23 *Et ait illis,* ex caritate volens illorum emendare errorem : *Utique dicetis mihi hanc similitudinem,* id est, vulgare proverbium, seu metaphoricum et parabolicum verbum mihi objicietis, utpote istud, *Medice, cura te ipsum :* hoc est, objectionem a similitudine medici acceptam corporalis, mihi opponetis, ad me dicendo : O medice, qui extraneos curas, puta infirmos urbis Capharnaum, cura te ipsum, id est tuos concives ad te specialiter pertinentes, in Nazareth habitantes. Quasi dicant : Quum ita non agas, concluditur, quod vel insipienter vel inordinate te habes, vel quod tua miracula non sint vera miracula.

Deinceps Christus, explanando parabolam introductam, ponit illorum tacitam objectionem : scivit enim quid cogitarent. *Quanta,* id est multa et magna miracula, *audivimus facta* a te *in Capharnaum, fac et hic in patria tua,* id est, in Nazareth sita in patria ubi conceptus atque nutritus es, fac tanta ac talia. Sed quum Lucas nulla Christi miracula usque ad hunc locum recitaverit in Capharnaum facta, cur ait Nazarenos verba hæc protulisse aut concepisse? Et respondendum, quod Lucas hæc refert per anticipationem. Propter quod asserit Augustinus : Quum Lucas jam magna a Christo facta fuisse commemorat, quæ se nondum narrasse cognoscit, quid evidentius quam eum hoc scienter præoccupasse narrandum ? Itaque, quod hic scribitur ab illo loco inclusive, Et venit Nazareth, *vers.* 16. usque ad id quod infra in isto capitulo legitur, Et descendit Capharnaum, *vers.* 31. est interpositio quæ vocatur parenthesis (a *para,* quod est juxta, et *thesis,* positio, quasi positio juxta principale), nec continuatur immediate cum præcedentibus atque sequentibus secundum ordinem facti. Unde quod hic dictum a Christo et Nazarenis interponitur, non fuit statim dictum post præcedentia, scilicet post lectionem Christi in Isaia, sed postea diu, quum a Capharnaum in Nazareth advenisset. Ideo dicit Chrysostomus : Post multum tempus et signorum ostensionem, profectus est ad Nazarenos. Aliqui quoque affirmant, quod Christus frequenter venit a Capharnaum in Nazareth.

Deinde Salvator ad tactam respondet in-
stantiam. Ait enim : *Amen,* id est vere, 24
dico vobis, quia nemo Propheta acceptus
est in patria sua. — Contra hoc objici
posset, quod Ezechias rex et populus ejus
Isaiam prophetam in magno habebat ho-

[IV *Reg.* xix, xx. — *Eccli.* xlviii, 25.] nore, ut patet in libris Regum, obedivitque ei, juxta illud Ecclesiastici : Fortiter ivit Ezechias in via David patris sui, quam mandavit illi Isaias propheta magnus. Denique David nonne sanctos prophetas Nathan et Gad, ceterosque sui regni ac temporis veneratus est vates ? [II *Reg.* xii, xxiv.] Sed et Josaphat rex devotus, suis loquens : Credite Prophetis Domini, et omnia prospere evenient. [II *Par.* xx, 20.] Postremo, paulo ante jam dictum est, quod omnes in Nazareth testimonium Christo dabant. Infra quoque habetur, quomodo omnis populus gaudebat in his quæ gloriose fiebant ab eo. [*Luc.* xiii, 17.]

Et respondendum, quod Christus, magister veritatis ac pietatis, communitatis quoque amator, et singularitatis inordinatæ vitator, libenter verbis et factis se communitati conformavit in licitis et honestis. Unde proverbium istud inducit eo modo ac sensu, quo Salomon in libro Proverbiorum multa affirmat, non quia universaliter, ubique et semper, quantum ad singulos ita se habeat, sed quia frequenter sic accidit. Itaque Christus verba hæc protulit, quia communiter Prophetæ sancti apud compatriotas suos, aut contemnuntur, aut minus accepti sunt. Nam et cives civibus communiter invident. Homines etiam, ut frequenter, ægre ferunt dum compares sui ipsis præferuntur, et proni sunt considerare eum qui excellit, secundum id quod fuit dum eis similis videbatur. Rursus, excellentiam extraneorum non ita apprehendunt minorativam aut confusivam ipsorum, ut excellentiam intraneorum ; imo erubescibile sibi arbitrantur, quod familiaris collega, concivis, in tantum eis præfulgeat. Et hoc verum est de hominibus nondum purgatis, in quibus superbia, invidia, passionesque ceteræ regnant. Porro, qui passionibus reformatis, caritate Dei ac proximi flagrat, de suorum profectu et eminentia spirituali lætatur ; sed quoniam pauci sunt tales, ideo raro contingit hoc. Propter quod multi in terra aliena facilius promoventur, magisque honorantur ac reputantur, quam in propria, ut patet de Joseph, Daniele, et Mardochæo. [*Gen.* xli, 38 *et seq.*; *Dan.* ii, 48; v, 29; *Esther* viii, 2, 15.] Ezechieli quoque Dominus ait : Si mittereris ad populum alienæ linguæ, ipsi audirent te ; filii autem Israel nolunt audire te. [*Ezech.* iii, 6, 7.] Hinc ait Cyrillus : Quædam communis quasi cunctis accidit passio. Contemnuntur enim quodammodo semper etiam optima quæque, quando non raro contingunt alicui, sed ad velle suppetunt seu frequenter. Familiaris namque, quoniam semper præsto est, debita reverentia privatur a notis. Verumtamen, diligenter pensandum quod ait Ambrosius : Frustra opem misericordiæ cœlestis exspectas, si alienæ fructibus virtutis invideas. Aspernator est enim Dominus invidorum, et ab his qui divina beneficia in aliis persequuntur, miracula suæ potestatis avertit.

Itaque verbo inducto Christus se juste excusat, cur in Nazareth talia signa non egerit, utpote quia hoc accidit, non ex sua aversione a suis concivibus, sed propter eorum incredulitatem atque malitiam, quoniam Christum parvi pendebant, nec ei credebant. Unde in Matthæo et Marco habetur, quod non fecit ibi multa miracula, propter eorum incredulitatem. [*Matth.* xiii, 58 ; *Marc.* vi, 5, 6.] Et hoc Christus deinceps per duo ostendit exempla, quomodo scilicet compatriotæ privantur beneficiis Dei propter malitiam suam, quæ tamen extraneis communicantur.

In veritate dico vobis : multæ viduæ 25
erant in Israel, id est in regno et populo Israelitico, *in diebus Eliæ,* id est, tempore quo Elias in populo illo conversabatur ac operabatur. Tempus autem dicitur ipsius Dei, tanquam Domini ac creatoris ac moderatoris temporum universorum, dicente Boetio :

> Tempus ab ævo
> Ire jubes, stabilisque manens das cuncta moveri.

Hominum vero dicitur esse dies vel tempus, tanquam eorum qui subjacent tempori, et tempore mensurantur in durando et operando. Specialiter tamen dicitur tempus aliquod esse illius qui in illo præcla-

A rioris fuit potestatis, operationis seu perfectionis. Unde prælatorum et principum tempora describuntur : imo juxta illorum successionem, temporum successio determinatur. *Quando clausum,* id est a solito suo effectu sive influxu prohibitum seu suspensum, *est cœlum,* tam aerium quam stellatum seu orbis planetaris, *annis tribus et mensibus sex.* Tunc enim ad preces Eliæ intra tres annos atque sex menses pluvia de cœlo aerio non descendit in terram Israel, nec in quædam loca vicina,

B cœlum quoque stellatum modo solito ad pluviarum generationem influentiam non impendit, nec sol cursu consueto elevavit vapores, Deo omnipotente jubente. *Quum facta esset fames in terra.* Ex defectu siquidem pluviæ orta est sterilitas terræ, ad quam esuries est secuta. Unde in libris Regum legitur : Dixit Elias ad Achab : Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto, si erit annis his ros et pluvia, nisi juxta oris mei verbum. Quanta autem fuerit fames illa, in libris Regum describitur.

III Reg. XVII, 1.

Ibid. XVII; XVIII, 5.

26

C *Et ad nullam earum missus est Elias* a Deo : quod fuit propter indignitatem et culpam earum, vel quia minus dignæ fuerunt quam vidua de qua subditur. *Nisi in Sarepta Sidoniæ.* Porro Sarepta urbs parva fuit inter Tyrum et Sidonem. Sidon vero urbs fuit a qua regio illa vocata fuit Sidonia. *Ad mulierem viduam,* quæ fuit paupercula, unicum habens filium, quem mortuum suscitavit Elias : asseruntque Hebræi, quod fuit Jonas propheta. Exceptio autem illa quæ designatur hoc loco per

Ibid. XVII, 19 et seq.

D *nisi,* non est referenda ad viduas Israel, quasi vidua ista Sidonia fuerit de Israeliticarum numero viduarum, sed ad id quod dicitur, Missus est : ut sit sensus, quod non fuit missus nisi ad viduam Sareptanam, juxta illud : Factum est verbum Domini ad Eliam : Vade in Sarepta Sidoniorum, et manebis ibi, præcepi enim ibi mulieri viduæ ut pascat te. Denique, secundum Chrysostomum, Deus pia dispensatione fecit Eliam per tam longum pergere iter usque Sarepta, ut videns mundi pestem, peteret a Domino pluvias. Hujus quoque facti meminit Jacobus circa finem suæ Canonicæ, dicens : Multum valet deprecatio justi assidua. Elias homo similis erat nobis passibilis, et oratione oravit, ut non plueret super terram, et non pluit annos tres et menses sex; et rursum oravit, et cœlum dedit pluviam. Hinc de Elia scribit Chrysostomus : Ipse quidem terrestris angelus et homo cœlestis, qui nec tectum, nec mensam, nec amictum habebat; verumtamen clavem cœlorum gessit in lingua.

Ibid. 8, 9.

Jacob. V, 16-18.

27

Subinde ponit secundum exemplum. *Et multi leprosi erant in Israel sub Eliseo propheta,* id est tempore Elisei, imo tempore quo tanquam spiritualis pater, fuit præcipuus director Israeliticæ plebis. Propter quod morienti dixit rex Israel : Pater mi, pater mi, currus Israel et auriga ejus. Quod autem tempore Elisei fuerunt quatuor viri leprosi, qui etiam tempore noctis ingressi sunt castra Syrorum, legitur in libris Regum. *Et nemo eorum mundatus est a lepra ab Eliseo, nisi Naaman Syrus :* non quod Naaman fuerit unus leprosorum de Israel, sed quoniam ipse solus inter leprosos fuit ab Eliseo sanatus, ut scribitur in libris Regum. Fuitque Naaman princeps militiæ regis Syriæ, vir magnus ac honoratus apud dominum suum, dives et fortis : cujus bonitas claret ex hoc quod inductis verbis adjungitur, Per illum enim dedit Dominus salutem Syriæ. Præterea, quum referente parvula puella, audisset esse Prophetam in Israel, mox credidit se per preces Prophetæ a Deo Israel posse curari, imo et se curandum speravit. Unde quum Eliseus non egrederetur ad eum, indignatus est, dicens : Putabam quod egrederetur, et tangeret locum lepræ, et invocaret nomen Dei sui. Sicque videtur unius veri summique Dei tunc habuisse notitiam; et devote venit ad Eliseum, secundum Glossam. Curatus vero valde gratus fuit Deo et Eliseo, promittens se ultra soli Deo Israel sacrificaturum.

IV Reg. XIII, 14.

Ibid. VII, 3 et seq.

Ibid. V, 1.

Ibidem.

Ibid. 2 et seq.

Gorra hic quærit, cur Christus de Elia et Eliseo potius quam de aliis ponat ex-

emplum. Ad quod respondet, quia hi soli inter Prophetas claruerunt miraculis. Cui responsioni objici posset : Primo, de Moyse, de cujus excellentia in gratia prophetiæ atque miraculis scriptum est in Deuteronomio : Non surrexit Propheta ultra in Israel sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem, in omnibus signis et portentis quæ per illum fecit Dominus. (*Deut.* xxxiv, 10, 11.) Denique in libris Regum legitur, quomodo orante Samuele propheta Deus fecit rem grandem, dando voces, hoc est tonitrua, et pluvias tempore messis triticeæ : quod, ut ibi innuitur, valde magnum fuit miraculum. (I *Reg.* xii, 17, 18.) Insuper in libris Regum habetur, quemadmodum precante Propheta divinitus misso, Deus arefactam Jeroboam regis iniqui sanavit manum. (III *Reg.* xiii, 6.) Similiter in libris Regum describitur, quomodo invocante Dominum Isaia, sol miraculosissime rediit retro. (IV *Reg.* xx, 11.) Ipseque Ezechias a letali sanatus est morbo per Isaiam (*Ibid.* 5-7.) : unde in Ecclesiastico de Isaia asseritur, quod addidit regi vitam. (*Eccli.* xlviii, 26.) Ezechiel quoque, quamvis non in Scriptura canonica, tamen in Scholastica historia legitur præclara fecisse miracula in Chaldæa; sicut et Jeremias in Ægypto mirabilia legitur perpetrasse. Hæc dixerim, non quasi Nicolao de Gorra derogare intendens, qui fuit magnus Scripturarum expositor, valdeque eruditus in eis, sed quia de solutione præfata admiror, et ut solutio illa caute legatur. Itaque puto aliam esse rationem quæsiti, videlicet, quod de Elia et Eliseo ideo Christus mentionem induxit, quoniam facta illorum præmemorata suo magis congruebant proposito, et quia valde excellentes fuerunt, imo in gestis præfatis Christi habuerunt figuram. Vidua vero et Naaman typum gerebant Ecclesiæ ex gentibus congregatæ, quam Christus per Spiritum Sanctum atque Apostolos (*Act.* xiii, 46.), relictis ob suam perversitatem Judæis, visitare dignatus est.

28 *Et repleti sunt omnes in synagoga ira* per vitium, quæ est inordinatus appetitus vindictæ propter parvipensionem, *hæc* præinducta Christi eloquia *audientes :* quia ut eis apparuit, Christus eos superflue vilipendit, præferendo eis gentiles, quos Judæi contemnebant ut canes, et quia ipsos de ingratitudine aliisque peccatis notavit. Verumtamen Gregorius dicit eos commotos, quia Christus asseruit, Hodie scriptura hæc impleta est, etc., quasi se præsumptuose compararet Prophetis. In his Judæis sacrilegis, quorum insaniam, ingratitudinemque multi sectantur, illud Proverbiorum est impletum : Non amat pestilens eum qui se corripit (*Prov.* xv, 12.); illudque Amos, Odio habuerunt corripientem, et loquentem perfecte abominati sunt. (*Amos* v, 10.) Unde in Ecclesiastico scribitur : Stuppa collecta, synagoga peccantium, quæ statim igne iræ accenditur. (*Eccli.* xxi, 10.) Hinc et Terentius ait : Obsequium parit amicitiam, veritas odium. *Et surrexerunt,* 29
ira eos bestialiter impellente, *et ejecerunt,* id est, tanquam reum mortis irreverenter expulerunt, *illum extra civitatem* suam Nazareth; *et duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum,* et præcipitando occiderent illum : imitantes patrem suum diabolum, qui dixit ad Christum, Mitte te deorsum (vers. 9.); imo quantum ad hoc illo pejores, quia quod ille suggessit, isti facere sunt moliti.

Ipse autem transiens per medium illorum, ibat, id est, manus impiorum elapsus 30
est et evasit, non volando aut currendo effugiens, sed per medium illorum pedester, potenter ac mire pertransiit. Quod tam increata potestate, quam virtute creata seu potestate humanitati collata, facere quivit. Per utramque etenim potuit mentem illorum subito immutare ac stupefactam seu stupidam reddere, sicut et tempore passionis prostravit sceleratos, dicendo, Ego sum (*Joann.* xviii, 5, 6.) : quando et dixit ad Patrem, Dedisti ei, videlicet mihi Filio tuo, potestatem omnis carnis. (*Ibid.* xvii, 2.) In templo quoque tot millium compescebat ingenia, quando negotiantes inde ejecit (*Ibid.* ii, 14-16.) : quod secundum Origenem, fuit majus miraculum quam suscitatio mortuorum, vel saturatio quinque millium ex quinque panibus. Insuper, divina et in-

creata virtute potuit se illis invisibilem reddere. Quod etiam per creatam sibi datam potentiam potuit, quia secundum superiorem animæ suæ portionem exstitit comprehensor : idcirco dum voluit, dotes corporis glorificati etiam ante passionem sæpe assumpsit, secundum Hugonem, corpusque suum animæ suæ perfecte obediens et subjectum erat in tantum, ut juxta Damascenum, omnia naturalia fuerint in Christo voluntaria : sicut et Thomas in tertia parte testatur. Ideo corpus Christi immutavit visum præsentium, secundum quod placuit animæ ejus, cujus potestate atque imperio suspendi poterat immutatio talis. Hinc aliqui asserunt, quod Christus reddidit se invisibilem illis, quemadmodum in Joanne inducitur : Jesus autem
Joann. VIII, 59. absconditit se et exivit de templo; itemque,
Ibid. X, 39. Quærebant Jesum apprehendere, et exivit de manibus eorum.

Refert hic Beda, quod dum Dominus Christus de manibus illorum elapsus, de medio illorum de vertice rupis descenderet, ac sub rupe latere vellet, subito ad tactum vestis Christi, saxum illud subterfugit seu cessit, et instar ceræ solutum, quemdam sinum, hoc est concavitatem, fecit, in qua corpus dominicum susciperetur : in quo loco omnia lineamenta et rugæ vestis ac vestigia pedum in rupe apparent adhuc, sicut testantur qui viderunt. Sed et Joannes de Mandevilla in Itinerario suo scribit de hoc, adjiciens quod Christus tunc vehementer expavit. Hoc tamen credendum non reor, imo nequaquam tenendum, nisi dicatur quod sponte timorem illum assumpserit, quemadmodum tempore passionis. Alias, cur trepidasset qui universa futura tam perfecte præscivit, et tantæ potentiæ fuit, qui nec invitus ducebatur ab illis, sed sponte se duci permisit? Quod si voluisset, in quocumque viæ illius spatio omnes fecisset immobiles.

Noluit autem præcipitari : quoniam tempus passioni suæ divinitus præfixum nondum fuit impletum; et quoniam aliud genus mortis elegit, videlicet crucifixionem;

A ut impleretur quod scriptum est : Foderunt *Ps.* XXI, 17.
manus meas et pedes meos; et iterum, De- *Ps.* LXVIII, 22.
derunt in escam meam fel. Item, quia nondum implevit opera propter quæ missus fuit a Patre, videlicet prædicationem evangelicæ legis, institutionem sacramentorum, miraculosos effectus : de quibus omnibus passioni jam proximus dixit in Joanne :
Pater, opus consummavi quod dedisti mihi *Joann.* XVII, 4, 13.
ut facerem ; nunc autem ad te venio.

Et descendit in Capharnaum, quia reli- 31
ctis concivibus suis perfidis et ingratis,
B venit ad urbem Capharnaum. Verumtamen, ut ex præhabitis innotescit, istud, Et descendit in Capharnaum, usque ad finem capituli, non continuatur cum littera immediate præcedente, sed cum eo quod su-
perius scriptum est : Regressus est Jesus *vers.* 14.
in virtute Spiritus Sancti de Judæa in Galilæam. Venit ergo Capharnaum, *civitatem Galilææ, ibique docebat illos,* scilicet habitantes et præsentes ibidem, *sabbatis,* hoc est diebus sabbati, quando ut dictum est, Judæi copiosius ad loca divini obsequii
C confluebant.

Et stupebant in doctrina ejus, id est, de 32
excellentia documentorum prædicationisque Christi admirabantur. Cujus una causa subjungitur : *quia in potestate erat sermo ipsius,* id est, verba ejus efficacia valde et potentia erant : Primo, quia per miracula confirmabantur, atque divina et vera ostendebantur. Secundo, quia ea mox concomitabantur effectus. Statim enim ut jussit aliqua prodigia fieri, fiebant perfecte. Tertio, quoniam verba Christi habuerunt D singularissimam atque fortissimam vim movendi audientium corda, utpote ea compungendo, inflammando, penetrando, terrendo. Ignea enim protulit verba sententiis plena; facundissimus quoque dulcissimusque fuit eloquio, et nihilo minus terribilis, quando volebat. Unde illud Jeremiæ
dicere potuit : Numquid non verba mea *Jer.* XXIII, 29.
sunt quasi ignis, et quasi malleus conterens petram? Nec mirum si in humanitate tam potestativi fuit sermonis, qui secundum divinitatem est Dei Patris sermo

omnipotens, Verbum æternum, de quo ad Hebræos ait Apostolus : Vivus est sermo Dei, et penetrabilior omni gladio ancipiti. *Hebr.* IV, 12. Quarto, quoniam habuit auctoritatem addendi ad verba legis, eam perficiendo et spiritualiter interpretando, imo finem eidem quantum ad præcepta cærimonialia imponendo, quum esset dator ac dominus legis. Quinto, quia quod docuit, opere adimplevit. Hinc Beda fatetur : Sermo (inquiens) prædicatoris in potestate est, dum ea quæ docet, operatur : qui enim facto destruit quod verbis prædicat, contemnitur.

33 *Et in synagoga erat homo habens spiritum immundum,* hoc est possessus a dæmone : qui immundus vocatur, quoniam in se ipso totus immundus seu vitiosus consistit, in omnibus quæ agit peccans, quia ad finem perversum omnia refert. Insuper immundus dicitur ab effectu, quoniam ad vitiorum impuritatem hominem tentando inducit : juxta quem modum etiam nominatur mutus et surdus, quia hominem possessum mutum facit et surdum. *Marc.* IX, 16,24; *Luc.* XI, 14.

34 *Et exclamavit voce magna, dicens.* Aliqui dicunt, quod in Scripturis canonicis nullibi legitur vox magna, nisi in bono : cujus oppositum ex hoc loco probatur. *Sine,* id est, cessa nos dæmones affligere. Dolebat quippe diabolus de Christi præsentia, quem sibi maxime contrarium vidit; item de ejus salutari doctrina, quæ animarum exstitit medicina, sicque de hominum conversione potissimum tristabatur. Timuit quoque expelli ab homine, et ab hominum infestatione ac deceptione arceri, atque in loca pœnalia relegari. Ideo ait : *Quid nobis et tibi, Jesu Nazarene?* id est, quum nulla sit inter te et nos amicitia, societas, confœderatio, cur venisti ad nos? præsertim quum amor soleat esse ratio unionis : nam et Apostolus, Quæ, inquit, conventio Christi ad Belial? *II Cor.* VI, 15. Sed Christus accessit diabolum, non sicut amicus amicum, sed ut judex reum, pugil adversarium, liberator raptorem. Quod et diabolus advertens, adjecit : *Venisti perdere nos?* Tanta est

A invidia impietasque diaboli, ut perdi se reputet, si ab hominibus expellatur, atque ab eorum nocumento frenetur. Itaque, Venisti perdere nos, id est vincere, spoliare, debilitare? Ad hoc utique Christus venit, ut vasa diaboli ei auferret, ejus tyrannidem refrenaret, ipsum comprimeret, suppeditaret, et tandem in infernum retruderet. *Marc.* III, 27. *Scio te, quia sis Sanctus Dei,* hoc est Sanctus Sanctorum ad Deum specialissime pertinens, utpote Christus in lege promissus : de quo in Daniele habetur, Ungatur *Dan.* IX, 24.
B Sanctus Sanctorum; atque in Psalmo, Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. *Ps.* XV, 10.

Circa hoc quæritur, an dæmones cognoverunt Jesum esse Messiam. Et patet responsio ex dictis.

Lyra autem circa hæc verba scribit super Marcum, quod dæmones sciebant Jesum esse Messiam in lege promissum; et intendit asserere, quod certitudinaliter hoc sciebant, utpote per prophetias de Christo prædictas, quæ determinant locum et tempus ac modum veniendi ipsius Christi. Ve- *In Marc.* I, 24.
C rumtamen, ut affirmat, nesciebant eum esse Dei Filium per naturam Deo Patri æqualem, licet ad hunc finem tentaverit eum diabolus, quia si cognovissent eum esse Deum, nunquam induxissent Judæos ad ipsum crucifigendum.

Contra hæc objici posset, quia implicare videntur. Si enim diabolus scivit quod Jesus esset Messias, ex Prophetarum oraculis, consequens est quod pariformiter sciverit eum esse Unigenitum Dei, verumque Deum. Hoc enim ex scripturis Propheta-
D rum patet, concluditur, et habetur, quod Christus in lege promissus, esset Unigenitus Dei, veram habens cum Patre divinitatem, Isaia dicente : Puer natus est nobis, et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. *Is.* IX, 6. Et Jeremias : Hoc est, inquit, nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster : *Jer.* XXIII, 6. loco cujus in Hebræo habetur nomen Domini tetragrammaton, quod non competit nisi vero summoque Deo, ut etiam Hebræorum magistri concordi-

ter profitentur. Michæas quoque testatur :
Mich. v, 2. Egressus ejus sicut a principio, a diebus
Dan. vii, 14. æternitatis. Et Daniel inquit : Potestas ejus,
potestas æterna, quæ non auferetur. Item-
Ps. xliv, 7. que Psalmista : Sedes tua, Deus, in sæcu-
Ibid. 12. lum sæculi ; et rursus, Concupiscet rex
decorem tuum, quoniam ipse est Dominus
Deus tuus, et adorabunt eum; et iterum,
Ps. lxxi, 17. Sit nomen ejus benedictum in sæcula, ante
solem permanet nomen ejus. Quod autem
hæc omnia ad litteram dicantur de Christo
in lege promisso, dubitare non potest quis-
quis loca Scripturarum ubi ista habentur
diligenter perspexerit, præcedentia et con-
sequentia ibi pensando. Itaque ista esse de
rege Messia prænuntiata certissime novit
diabolus : idcirco, si ex Scripturis noverat
Jesum esse Messiam, æque certitudinali-
ter scivit quod Filius Dei per naturam
consisteret.

Insuper, non minus omisisset diabolus
inducere Judæos ad occisionem Christi, si
certitudinaliter agnovisset eum esse Mes-
siam seu Christum, quam si scivisset eum
Dei Filium naturalem. Causa enim quare
non induxisset Judæos ad hoc, fuit, ne re-
dimeretur genus humanum, quod scivit
per Messiæ occisionem salvandum. Imo si
certitudinaliter scivisset Jesum esse Dei
Filium naturalem, plus odisset eum quam
si putasset eum hominem purum. Quanto
enim quis melior est, tanto plus odit eum :
unde nec aliquem tantum odit, ut Deum.
Itaque, si certe scivisset Jesum esse Dei
Filium naturalem, non omisisset Judæos
inducere ad crucifixionem ipsius ex ali-
qua dilectione vel reverentia ad ipsum ;
nec propter enormitatem peccati, quum
quo quid iniquius fuerit, eo plus compla-
cet ei ; nec ex timore suæ punitionis, quo-
niam tanta est ejus invidia contra Sanctos,
quod eos tentare ac persequi non omittit
propter augmentum suæ calamitatis vitan-
dum : quemadmodum etiam tempore An-
tichristi non omittet Antichristum et ejus
satellites inducere ad destruendum cul-
tum, legem, fidemque Christi, quantum
poterit ; nec dubium quin et ad ipsam
A Christi interfectionem induceret Antichri-
stum, si possibile esset Christum in pro-
pria persona ab Antichristo occidi, non ob-
stante quod nunc utique noscit Jesum esse
Deum et hominem. Denique dæmones om-
nesque damnati, in tantum invident glo-
riæ superbeatissimi Dei, quod vellent eum
non esse, et si possent ipsam Divinitatem
occiderent, patricidis ac matricidis similes
exsistentes. Constat ergo, quod nulla sit
ratio cur diabolus non induxisset ad Chri-
sti occisionem Judæos, si certe novisset Je-
B sum esse Christum, nisi ne salvaretur ge-
nus humanum, cujus saluti ineffabiliter
invident dæmones.

Postremo Glossa hoc loco sentit, quod dæ-
mones non habuerunt certitudinalem, sed
conjecturalem de Christo notitiam, quod
scilicet Christus esset : nempe quod di-
ctum est, Scio, exponit, Vehementer opinor.

Itaque Christus est Sanctus Dei, quia ut
Deus, est æqualis atque ejusdem sanctita-
tis cum Patre, et essentialiter et æternali-
ter infiniteque sanctus et sanctitas ipsa.
C Secundum humanitatem vero, est Sanctus
Dei, tanquam sanctificatus a Deo ab incar-
nationis exordio : sanctificatus, inquam,
non quasi ab aliqua labe purgatus, sed om-
ni virtute, dono et gratia Spiritus Sancti
repletus, et sanctior universis ac singulis,
etiam simul sumptis. Unde in Joanne lo-
quitur de se ipso : Quem Pater sanctifica- *Joann.* x,
vit et misit in mundum. 36.

*Et increpavit illum Jesus, dicens : Ob-
mutesce, et exi ab eo.* Quamvis quæ dixit
diabolus, ad Christi pertinent præconium,
D nihilo minus silentium illi Christus impo-
suit, quia ipse qui verus et veritas est, no- *Ibid.* xiv, 6.
luit testimonium ejus suscipere qui men- *Ibid.* viii,
dax est ab initio, et ne diabolus veris falsa 44.
misceret, item ut Christi exemplo doce-
amur dæmonum dicta contemnere. Dicit
autem Cyrillus, quod dæmones putarent
per hujusmodi laudem facere Jesum ina-
nis gloriæ amatorem, ut ab eorum contra-
rietate cessaret, utpote gratiam pro gratia
recompensans. *Et quum projecisset illum*
hominem dæmoniacum, *dæmonium* quod

fuit in eo, *in medium,* hoc est in terram A
coram præsentibus, *exiit ab illo, nihilque*
illi nocuit. Quamvis enim ante egressio-
nem affligeret hominem illum, juxta illud
Marc. I,26. Marci, Discerpens eum spiritus immun-
dus ; tamen egresso dæmonio, prior illa
afflictio divina virtute cessavit, et confor-
tatus est homo.

36 *Et factus est pavor in omnibus,* hoc est
admiratio magna in omnibus qui istud vi-
derunt. Admirabantur etenim potius mo-
dum agendi, quam factum in se, quum et
exorcistæ eorum ejicere dæmones possent B
atque solerent. Porro naturale est homi-
ni, visis magnis et insolitis rebus timere,
quamvis non omnes homines ideo æquali-
ter timeant. Boni enim et sapientes reve-
rentialem timorem visis mirabilibus Dei
concipiunt, alii sæpe aliter timent. Ex ma-
gnitudine quippe effectus, majestas causæ
perpenditur, sicque timor reverentialis aut
pœnalis innascitur ; impia autem consci-
entia cito terretur, et ne quod meruit sibi
contingat, veretur, præsertim dum divinæ
potestatis advertit præsentiam. Unde et in C
Act. II,43. Actibus Apostolorum habetur : Fiebat au-
tem omni animæ timor, videlicet ex mira-
culis Apostolorum. Christus autem impe-
rialiter fecit miracula : quod isti maxime
mirabantur, ut subditur.

Et colloquebantur ad invicem, dicentes:
Quod est hoc verbum, hoc est, quid præ-
tendit ? aut quam potens est sermo istius !
Vel verbum potest hic accipi pro re signi-
ficata per verbum, sicut in Scripturis fre-
quenter accipitur. Itaque dicunt : Quod est
hoc verbum ? id est, quam mirabile est D
opus istud ! *Quia in potestate,* hoc est ser-
mone auctoritativo ac imperioso, *et virtu-*
te, id est per potentiam efficacem, ad quam
quum voluerit mox concomitatur effectus.
Potestas quoque ad increatam Christi po-
tentiam, virtus vero ad creatam ejus po-
tentiam potest referri, quamvis illi non
intellexerint ita. Nondum enim innotuit
eis Jesu divinitas. Iterum, virtus accipi po-
test pro sanctitate ac merito animæ Chri-
sti, per quam quodammodo egit miracula,
præsertim quum et alii Sancti, suæ merito
sanctitatis miracula operati scribantur. *Im-*
perat immundis spiritibus, hoc est dæmo-
nibus maculosis, aliosque maculantibus, *et*
exeunt ab obsessis, dum præcipit eis : non
obstante quod de dæmonio scriptum sit in
Job, Non est potestas super terram quæ *Job* XLI, 24.
comparetur ei : de naturali enim potestate
terrenorum seu habitatorum terræ hoc di-
citur. Christus autem divina, cœlesti et
supernaturali potestate hæc fecit : nam et
creata Christi potestas tanta est, ut per
eam summis angelis possit imperare, im-
peretque spiritibus, sicut et anima ejus
illos illuminat, multo utique altius quam
aliquis angelus superior inferiorem.

Postremo, per dæmoniacum istum intel-
ligi potest quicumque magnus peccator,
dæmonum subditus voluntati et servituti
peccati : quem Christus ingrediens syna-
gogam, hoc est corda eorum qui per cari-
tatem nectuntur in Deo, a dæmonio liberat,
dum ei gratiam pœnitendi largitur, tunc-
que dæmonem egredi jubet, ingrediente
talem animam Spiritu Sancto. Dæmon au-
tem projicit hominem in medium, hoc est,
ad medietatem, in qua virtus consistit,
eum reducit, non effective, sed occasio-
naliter, in quantum suo recessu fit homini
occasio redeundi ad medietatem virtutis,
ad quam illo possidente seu inhabitan-
te, homo redire nequivit : quemadmodum
etiam Deus dicitur hominem indurare, in
quantum gratiæ suæ subtractione homi-
nem indurari permittit, qui sine gratiosa
Dei præsentia ad pœnitentiam mollificari
non valet.

Præterea quæritur, quum Christus non
nisi unum obsessum curaverit, cur plura-
liter loquebantur, Quia in potestate im-
perat spiritibus immundis. Ad quod dici
potest, quod plurale pro singulari pone-
bant, ut sæpe fit in Scripturis, imo et in
communi modo loquendi : præsertim quia
tam magnifice Christus istum unum sana-
vit, quod videntes putabant eum eadem
virtute posse et alios sic curare.

Et divulgabatur fama de illo, id est de 37

Christo vel ejus miraculo, imo pariter de
utroque, *in omnem locum regionis* Gali-
Marc. I, 28. læӕ, juxta illud Marci : Processit rumor
ejus in omnem regionem Galilææ.

Consequenter aliud Christi recitatur mi-
38 raculum. *Surgens autem Jesus de synago-
ga* urbis Capharnaum : in qua sedit docen-
do, quia sedere magistrorum ac judicum
est ; *introivit in domum Simonis,* id est
Petri apostoli : qui primo vocatus est Si-
mon, postea autem a Christo dictus est
Petrus, ut infra dicetur. In Marco autem
Ibid. 29. adjicitur, Et Andreæ : unde in domo illa
Petrus et frater ejus Andreas aliquando
pariter morabantur. *Socrus autem,* id est
mater conjugis, *Simonis, tenebatur magnis
febribus :* ita quod diu laboravit hac ægri-
tudine ; et Christo ingrediente actualiter
Ibid. 30. vexabatur. Propter quod Marcus ait, De-
cumbebat febricitans. Habuit autem acu-
tissimas febres, præsertim quia fuit anno-
sa, et naturalis in ea calor defecit : unde
in senibus febris solet mortem inducere.
Et rogaverunt illum pro ea, id est, disci-
puli Christi et præsentes in domo Chri-
stum deprecabantur ut vetulam illam sa-
naret : quibus ipse tanquam piissimus
39 mox consensit, ut subditur. *Et stans super
illam.* Accessit enim ad locum quo jacuit
illa, et sic situ altior fuit : et forte faciem
suam inclinavit ad decumbentem ægro-
tam, agens quod sequitur, *imperavit fe-
bri.* Auctoritatem enim, potestatem, atque
dominium habuit super omnem entitatem
creatam. Itaque, Imperavit febri, id est,
jussit eam cessare, *et dimisit illam,* id
est, febris statim a vetula illa recessit.
Et continuo surgens, ministrabat illis, id
est Christo et commensalibus ejus, tan-
quam grata de beneficio sanitatis sibi tam
miraculose collato, et valde læta ; eos quo-
que quibus ministrabat, spectaculo lætifi-
cans tam jucundo.

In quibus multa miranda sunt contem-
planda, quia modus agendi gloriosior fuit
quam opus in se, quum et naturaliter quis
posset curari a febre ; sed tam imperia-
liter et repente gravibus febribus labo-
A rantem curare, ita ut febre cessante plena
sanitas et corporis robur pariter mox re-
verterentur, omnino divinum miraculo-
sumque fuit : potissimum, quoniam fe-
bricitantes, febre cessante, valde lassi sunt
corpore, incipienteque sanitate, pristinæ
ægritudinis sentiunt mala, paulatim quo-
que vires recipiunt. Constat autem quia
potestas, quo major est, eo celerius ope-
ratur. Potestas autem Christi secundum
quod Deus est, infinita consistit, sed et
creata ejus potestas, omnium creaturarum
B potestatem excedit : ideo potuit in instan-
ti atque celerrime miracula operari ; et
si aliqua fecit protractius, non ex defectu
potestatis hoc fuit, sed propter mysterium.

Denique juxta Glossam, Christus inter-
dum rogatus, interdum non rogatus, fecit
miracula, ad insinuandum quod aliquando
orantibus peccata relaxat, aliquando non
recordantibus gratis indulget, quando vi-
delicet ita dispositi sunt, quod si recor-
darentur vitiorum suorum oblitorum, di-
mitterent ea, et veniam precarentur. Tunc
C enim dimittit ea, aut certe revelat ea, ut
recordans pœniteat et exoret. — Insuper,
Christi dignatio atque humilitas sunt pen-
sandæ : qui apud Petrum virum inopem
manere elegit, ut discamus, sicut ait Cy-
rillus, cum pauperibus conversari, nec de-
pressos inopesque spernamus.

Spiritualiter, per vetulam febricitantem,
designatur quæcumque anima vitiis et pas-
sionibus, quæ animarum gravissimæ fe-
bres sunt, inveterata : ad quam quum
Christus per pietatis suæ opem, seu gra-
D tiæ infusionem accesserit, mox curatur, et
Christo ejusque servis obsequitur, sicut
ait Apostolus : Per caritatem servite in in- *Galat.* V, 13.
vicem. Si autem discipuli, visa corporali
ægritudine vetulæ, compassi sunt, et Chri-
stum pro illius curatione deprecabantur,
quanto magis quum viderimus alicujus
animam vitiis et passionibus superatam,
læsam atque squalentem, mox caritative
humiliterque condolere debemus, et Chri-
stum pro illius cura ac reformatione cor-
dialiter exorare? Sed multi sunt indiscreti,

ad indignationem et ultionem proniores A
quam ad compassionem atque subsidium :
Galat. vi, 2. quum tamen dicat Apostolus, Alter alterius
onera portate, et sic adimplebitis legem
Matth. vii, 2; *Luc.* vi, 38. Christi ; imo Christo testante, eadem men-
sura qua mensi fuerimus, remetietur et
nobis.

Verum, quia innumerabilia fuerunt Chri-
sti miracula, sicut et ejus potestas incom-
parabilis exstitit, idcirco post particularem
duorum narrationem signorum, plura ge-
40 neraliter referuntur. *Quum autem sol oc-*
cidisset, omnes qui habebant infirmos va- B
riis languoribus, ducebant illos ad eum.
Omnes itaque in Capharnaum, cognatos,
domesticos, familiares, seu caros, variis
infirmitatibus tabefactos, quorum multi
per se ire non poterant, duxerunt ad Chri-
stum, cognitis præfatis duobus miraculis.
Ita et Christiani, præsertim prælati et pa-
tres, infirmos suos, id est vitiis languidos,
Christo adducere debent, eos ad pœniten-
tiam inducendo. *At ille singulis* infirmis
manus imponens, curavit omnes : quos
utique solo imperio sine contactu, quivit C
curare ; sed singulis manus imposuit, ut
dignationem suam, caritatem, et compas-
sionem ad languidos et egenos ostenderet,
item ad demonstrandum quod corpus su-
um divinæ potestatis instrumentum esset
et organum, per quod Deus genus huma-
num in corpore et anima reformare de-
crevit. Quemadmodum autem Christus illos
manum imponendo sanavit, ita et omnes
qui per veram contritionem ad ipsum ac-
cedunt, vel saltem quod in ipsis est fa-
ciunt, spiritualiter curat, gratia et virtu- D
tibus firmat : quibus et manum, id est
pietatis suæ opem, imponit, juxta illud de
Ps. xxxvi, 24. electo conscriptum in Psalmo : Quum ce-
ciderit non collidetur, quia Dominus sup-
ponit manum suam.

Quæritur, cur præfati adduxerunt infir-
mos suos de sero ad Christum, et non in
die. Ad quod Origenes respondet, quod ve-
recundabantur, vel Pharisæos timebant, vel
quia putabant non licere sanare in sabba-
to, vel quia in die circa alia erant intenti.

Exibant autem dæmonia a multis, cla- 41
mantia. Ex quo apparet, quod multi de
numero infirmorum illorum fuerunt ob-
sessi, ex quibus ejecit dæmones, exeundo
clamantes : *Quia tu es Filius Dei.* Circa
quod asserit Gorra, quod et paulo ante
jam affirmavi, quod dæmones noverant
per Scripturas Deum Dei Filium incarnan-
dum, ideo eo modo noverant Jesum esse
Dei Filium, quo noverant eum esse Chri-
stum. *Et increpans* ea : non quia falsum
dixerant, sed quia verum mala intentione
locuta sunt, et quia eorum confessio fuit
extorta, ex servili procedens timore : quia
metu gravioris supplicii ista dixerunt, sic-
ut et servus iniquus ac fugitivus a domi-
no deprehensus, metu verberum veritatem
fatetur et dominum laudat ; *non sinebat*
ea loqui quia sciebant eum esse Christum,
hoc est, non permisit dæmones amplius
prosequi aut resumere verba prædicta, et
quod scirent eum esse Messiam. Cur autem
prohibuit dæmones sibi testimonium da-
re, jam dictum est ; et addi nunc potest,
quod etiam ideo ne sua passio impedire-
tur. Si enim Judæi certitudinaliter atque
stabiliter agnovissent eum esse Christum, I *Cor.* ii, 8.
nunquam eum crucifixissent, nec occidis-
sent. Unde et Beda ait : Ipsi quoque Apo-
stoli præcipiuntur a Christo reticere de
ipso, ne divina majestate prædicata, pas-
sionis dispensatio differretur. Postremo,
non est speciosa laus in ore peccatoris, nec *Eccli.* xv, 9.
decuit purissima Christi mysteria fœdissi-
mis dæmonum pandi linguis, ut Theophilus
atque Chrysostomus protestantur. Quomo-
do autem sciebant Jesum esse Christum,
præhabitum est, utpote scientia conjectu-
rali, non certa et stabili.

Facta autem die, id est die immediate 42
sequenti de mane, *egressus* urbem Caphar-
naum *ibat in desertum locum,* scilicet in
solitudinem : primo, ut doceret nos fugere
laudem gloriamque humanam, tunc ma-
xime quum aliquid magnificum egerimus,
et magis a cunctis adspicimur et reputa-
mur ; secundo, ad instituendum, commen-
dandum, ac confirmandum solitariæ ac

eremiticæ vitæ secretum ; tertio, ut doceret aliorum prælatos ac prædicatores, imo et omnes fideles, ut post occupationem externam, hominumque tumultum, ad secretum confugiant locum, ubi orando ac meditando, cor suum recolligant, ac Deo sincerius atque stabilius vacent. *Et turbæ requirebant eum.* Populares etenim Christo magis adhæserunt, quam primates Judæorum, ac Scribæ et Pharisæi, quorum vel pauci, vel nulli, eum secuti dicuntur hac vice. *Et venerunt usque ad ipsum; et detinebant illum, ne discederet ab eis.* Delectabantur enim in eloquentia, sapientia, virtutibus, ac miraculis ejus.

43 *Quibus ille ait : Quia et aliis civitatibus oportet,* id est, expedit, hominumque saluti opportunum est, imo et ex suppositione oportuit, quia ita præordinavit Deus, *me evangelizare regnum Dei,* hoc est prædicare beatitudinem paradisi cœlestis, et qualiter ad illud venitur. Regnum quoque Dei potest intelligi status Ecclesiæ militantis vel sacra Scriptura. *Quia ideo missus sum* a Patre æterno per incarnationis mysterium, item per jussionem qua Pater seu Trinitas tota Christo secundum naturam assumptam officium istud præcepit, quemadmodum in Joanne loquitur : Sicut mandatum, inquiens, dedit mihi Pater, sic facio. *Joann.* XIV, 31. Ex quo patet, quam divinum ac præclarissimum sit prædicationis officium, quum Unigenitus Dei propter illud exercendum se perhibeat missum. Et iterum patet ex hoc, quam cæci damnabilesque consistant pastores sive prælati, qui ex superbia quadam, vel negligentia, seu alia insufficienti causa, illud omittunt, quum illud ad eos præsertim pertineat, et taliter vivere teneantur, ut sint ad prædicandum idonei. Aliqui quoque insufficientissime se excusant, ut quod sint malæ memoriæ : quibus salubrius esset et tutius, sermones in libro legere (quod et Gregorius Papa sæpe peregit) quam prædicationem omittere.

Et erat prædicans in synagogis Galilææ. 44 In synagogis equidem docuit, ubi populus amplius confluebat. Veritas enim non appetit angulum, sicut et Christus in Joanne protestatur : Omnis qui facit veritatem venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus. *Ibid.* III, 21. Unde et tempore passionis dixit pontifici : Ego semper docui in synagogis, ubi omnes Judæi conveniunt; et in occulto locutus sum nihil. *Ibid.* XVIII, 20.

ARTICULUS XII

ELUCIDATIO CAPITULI QUINTI : FACTUM EST AUTEM, QUUM TURBÆ IRRUERENT IN EUM, UT AUDIRENT VERBUM DEI.

1 F*ACTUM est autem, quum turbæ,* de quibus in fine præcedentis capituli dictum est, *irruerent,* id est, cum magno fervore et copiose accederent, *in eum, ut audirent verbum Dei,* scilicet Christum, qui est verum et æternum Patris Verbum, ejus quoque sermonem. Desiderabant enim non solum eum adspicere et audire, sed etiam tangere, et posteriores impellebant priores, ita ut cum impetu quodam irruerent ad eum. Quis enim bonæ mentis non appeteret tam dulcem et pulchrum adspicere, tam sapientem et eloquentem audire, tam virtuosum et sanctum attingere, tot et tantorum mirabilium operatori adstare, præsertim quia gratiosissimum habebat delectabilissimumque adspectum ? Imo in Revelationibus sacratissimæ Brigittæ credibiliter legitur dignissima virgo Maria loqui ad Brigittam, quod quicumque desola-

tus seu tristis vultum Filii sui adspexerat, A
mox relevamen consolatorium sensit, ita
quod adversitatibus aut mœstitudine pres-
si, dicere consueverunt : Eamus ad Filium
Mariæ, ut ex ejus consolemur adspectu.
Nec mirum : ipse est enim de quo Psal-
Ps. XLIV, 3. mista prædixit, Speciosus forma præ filiis
hominum. Denique multi Sanctorum tantæ
leguntur sanctitatis et gratiæ exstitisse,
quod quasi angelicum vultum habebant, re-
splendentibus in eorum facie mirabili se-
renitate atque fulgore : quanto magis hoc
Coloss. II, 9. ita fuisse credendum in eo, in quo omnis B
plenitudo Divinitatis corporaliter inhabi-
tavit, non solum per gratiam sicut in ce-
teris, sed et per hypostaticam unionem,
cujus et anima Deo beatifice fruebatur,
in quo tanta gratia erat quantam capere
mens valet creata ?

Et ipse stabat juxta stagnum Genesa-
Joann. VI, 1. *reth :* quod alio nomine dicitur mare Gali-
lææ, a provincia in qua est ; et mare Ti-
2 beriadis, a civitate Tiberiade sibi vicina. *Et*
vidit duas naves stantes secus stagnum,
videlicet prope littus laci illius, ut moris C
est. *Piscatores autem,* videlicet Petrus et
Joannes et Jacobus, ut infra habetur, et si
qui forte eis associati fuerunt, *descende-*
rant, id est, ex navibus egrediendo, aquam
circa littus intraverant, *et lavabant,* id est
purgabant, *retia sua,* ut purgata plicarent,
quia nil ceperant, et volebant ad tempus
3 a piscatione cessare. *Ascendens autem in*
unam navim, quæ erat Simonis, scilicet
Petri, et fratris ejus Andreæ, ut aliqui di-
Matth. IV, 18 ; Marc. I, 16. cunt : unde in Matthæo et Marco habetur,
quod Jesus invenit Petrum Andreamque D
simul piscationi intentos ; *rogavit eum a*
terra reducere pusillum, hoc est navim
ad modicum spatium in aquam dirigere,
ut esset separata et distans a ripa, non
tantum quin Christus posset ex ea audiri
convenienter a populo stante in littore.
Ideo quoque navim intravit, quia turbæ
cœperunt eum comprimere, et in terra
cum eis stans, non poterat ab omnibus
tam congruenter adspici et audiri sic-
ut in navi stans, ubi et nemini dorsum
vertit in faciem, atque in omnium stetit
adspectu.

Præterea advertendum, quod Lucas non
servat hic ordinem, rei gestæ describendo
historiam, ita quod littera ista non conti-
nuatur ad litteram immediate præceden-
tem, in qua prædicta ibi signa narrantur :
nam socrus Petri, quæ ibi sanata describi-
tur, fuit curata post vocationem Petri et
Andreæ ad Christi apostolatum, ut ex Mat- Matth. VIII, 14, 15 ; Marc. I, 16-31.
thæo et Marco monstratur. In illa autem
vocatione Petrus navim omnino reliquit,
nunc vero in isto capitulo post verba in-
ducta recitatur vocatio Petri, Joannis, et
Jacobi ad Christi apostolatum, ut aliqui
dicunt, vel ad ejus familiaritatem, et quem-
dam discipulatum, ut alii potius arbitran-
tur. — Porro ex hoc ostenditur maxima
Christi dignatio, mansuetudo et pietas,
quod Petrum pro tam parva re, tam mode-
ste humiliterque rogavit, cui præcipere
habuit : docens prælatos, ut proniores sint
ad monendum quam ad præcipiendum,
magisque cupiant diligi quam timeri. Sed
econtrario agunt stulti ad præcipiendum
proclives, et gladium sine causa idonea
extrahentes : quibus per Ezechielem Deus
improperat, Cum austeritate imperabatis Ezech. XXXIV, 4.
ovibus meis et cum potentia.

Et sedens in navi, *docebat de navicula*
turbas. Navim nunc vocat naviculam, quo-
niam parva erat, et navigium egenorum.
Verba autem prædicationis Christi Evan-
gelista non exprimit, sicut nec omnia ejus
prodigia aliquis Evangelistarum in par-
ticulari prosequitur. Tanta vero de ejus
documentis atque miraculis Evangelistæ
scripserunt, quantum ad ædificationem Ec-
clesiæ, ad fidei confirmationem, ad salu-
tem fidelium sufficere noverant, inspiran-
te ac moderante Spiritu Sancto. Hinc est
quod sæpe de observatione ordinis in hi-
storica recitatione gestorum signorumque
Christi non curant, quia ad prædicta agen-
da, nil referat quid in re ipsa præcesse-
rit, aut quid primo narretur.

Ut autem cessavit loqui, volens pau- 4
perem naviculæ dominum præmiare pro

obsequio jam narrato, *dixit ad Simonem : Duc in altum,* id est, navem remotius amove a littore ad profundiora aquæ loca : sicque altum, pro profundo accipitur, sicut in Joanne, Puteus altus est ; atque in Psalmo, Veni in altitudinem maris. Vel ideo ait, In altum, quoniam aqua plus distans a littore altior est quam quæ ripæ propinquior est, ut in libro de Sphæra ostenditur. *Et laxate retia vestra in capturam,* id est, ad capiendos pisces ea explicate. Ait autem singulariter Petro, Duc, quia hoc ab eo solo fieri quivit ; pluraliterque adjungit, Laxate, quia hoc a pluribus fieri aptius potuit. — Mystice autem, per Petrum perfectiores signantur, ad quos præcipue pertinet in altum ducere, id est profunda scrutari mysteria. Per adjutores Petri signantur inferiores prælati, ad quos retia spectat laxare, id est connexa ordinate verba ad aliorum conversionem extendere.

Joann. iv, 11. Ps. lxviii, 3.

5 *Et respondens Simon, dixit illi : Præceptor,* id est tu, o Domine, qui tantæ es auctoritatis ut merito appelleris Præceptor, cui et protinus est parendum, *per totam noctem laborantes* ad pisces capiendos, *nihil,* id est nullum piscem, *cepimus.* Quod quamvis naturaliter accidere potuerat, sicut et sæpe fit, divina tamen tunc dispensatione sic evenisse apparet, ut Christi potestas per sequens miraculum clarius emicaret, et alii magis confirmarentur ad fidem. *In verbo autem tuo,* id est propter tuum præceptum ; vel, In verbo tuo, id est ex spe adimpletionis jussionis tuæ ; *laxabo rete* cum adjutoribus meis similiter agentibus. In quo promptitudo obedientiæ S. Petri probatur, præsertim quia secundum naturam videbatur infructuosum retia laxare, quum non appareret spes naturaliter capiendi pisces.

6 *Et quum hoc fecissent, concluserunt* Simon et socii ejus, *piscium multitudinem copiosam.* In quo docemur, quam fructuosum sit obedire. Quemadmodum etiam Petrus laxavit rete ad piscandum, Christo jubente, non obstante quod ante in tanto

A conatu ac tempore nil cepisset ; sic prælati, doctores et prædicatores, juxta sacræ Scripturæ præceptum seu exhortationem laxare debent spirituale rete, hoc est coordinatas documentorum propositiones ad aliorum instructionem, profectum, seu conversionem proponere, cum fiducia gratiæ, atque auxilii Dei ; sicque sæpe Deo agente multos convertent, in quibus ante nil profecerunt. *Rumpebatur autem rete eorum,* hoc est, partim rumpi cœpit. Non tamen aliquis excidit piscis : quod etiam miraculum fuit. B

Et annuerunt sociis qui erant in alia navi, videlicet Jacobo et Joanni, *ut venirent* ad eos navigio, *et adjuvarent eos.* Annuerunt autem, id est, nutu vel signo, non verbis, insinuaverunt eis ut subvenirent, quia præ admirationis magnitudine loqui vix poterant, et præ Jesu reverentia vix loqui audebant. Sic et spirituales pastores, videlicet prælati et prædicatores, quum se viderint omnes ad portum securitatis ac finem beatum non posse perducere, quos C de hoc sæculo nequam velut ex procellosissimo mari jam aliqualiter abstraxerunt, atque ad pœnitentiam induxerunt, alios viros idoneos debent in adjutores quærere, invitare, assumere, ut conversos et pœnitentes custodiant, inflamment, perficiant. Sed quidam præsumptuosi et superbi sunt nimis, atque de propriis viribus et virtutibus fatue confidentes, aliorum auxilium sibi necessarium non arbitrantes, quum tamen se ipsos regere insufficientes probentur. 7

D *Et venerunt* socii illi, *et impleverunt,* non illi soli, sed simul cum Petro ac suis, *ambas naviculas, ita ut pene mergerentur.* Quo patet, quod valde onerosa et copiosa piscium multitudo simul exstitit capta. Sic pluribus verbum Dei concorditer prædicantibus, et juxta propria verba viventibus, plurimi convertuntur. Propter quod Salomon ait : Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas munita. Porro, naviculæ sunt particulares Ecclesiæ, quæ plurimis conversis pene merguntur, dum in ipsis

Prov. xviii, 19.

recenter conversis manent quædam prio-
rum vitiorum reliquiæ et pronitates ad
malum ac passiones : in quibus et alii
sæpe periclitantur, qui nondum ita perfe-
cti sunt ut illorum imbecillitates æquani-
miter valeant tolerare.

8 *Quod quum videret Simon Petrus, pro-
cidit ad genua Jesu, dicens.* Honor enim
virtuoso debetur : ideo sicut censuit Je-
sum esse maximæ virtutis ac sanctitatis,
sic exhibuit ei reverentiam grandem. Nam
et ante istud miraculum credidit Jesum
esse Christum, quando videlicet Andreas
Joann. i, 41, 42. dixit ad eum, Invenimus Messiam qui di-
citur Christus, adduxitque eum ad Jesum,
ut in Joanne habetur : unde et viso isto
miraculo, aucta fuit in eo hæc fides. *Exi
a me, quia homo peccator sum, Domine,*
id est, tibi adsistere, adesse, cohabitare,
indignus sum, quia homo fragilis ac pec-
cator, ac servus inutilis, tu autem tam
potens, tam sanctus, ac Dominus. Itaque
ex magnitudine miraculosi effectus, maje-
statem causæ pensavit ; et quia opposita
juxta se posita clarius innotescunt, quo
Petrus Christi virtutem excellentiamque
magis attendit, eo propriam culpam ac
parvitatem evidentius intellexit, atque hu-
milius fassus est. Hinc Christum a se exire
rogavit, non eum indignanter repellens,
sed ex profundissima humilitate hono-
rans ; nec tamen spiritualem ejus præsen-
tiam seu gratiæ opem a se abesse optavit.
Unde in isto similis fuit centurioni dicen-
Matth viii, 8. ti : Domine, non sum dignus ut intres sub
tectum meum ; sed tantum dic verbo, et
sanabitur puer meus. De hac quoque spi-
rituali præsentia semper optanda ait Gre-
gorius : Si te peccatorem consideras, ne-
cesse est ut a te Dominum non repellas.

At vero, sicut Petrus viso hoc signo,
nihil meritis suis adscripsit, neque inaniter
gloriatus est, sed totum se humiliavit, et
Christo grates rependit, ejusque præsentia
se fatebatur indignum ; ita dum prælatus,
aut prædicator, seu exhortator, multos aut
quosdam converterit, totum divinæ pietati
attribuat, et gratias agens nullatenus ex-
A tollatur, imo se indignissimum arbitretur
ut per eum Spiritus Sanctus talia opere-
tur, et Domino se prosternat. Ex hoc quo-
que ostenditur magnitudo devotionis fer-
vorisque Petri, quod ipse solus ad genua
Jesu prolapsus sit, quum tamen aliis se-
nior esset.

Stupor enim circumdederat eum, et om- 9
*nes qui cum illo erant, in captura piscium
quam ceperant,* hoc est, vehemens admi-
ratio ex omni parte atque totaliter occu-
pavit corda istorum, ex consideratione tan-
B ti prodigii : cujus admirabilitatem tanto
certius noverant, quo in arte piscatoria
exercitatiores fuerunt. Unde et Christus eo-
rum infirmitati condescendens, per tale
miraculum voluit eos allicere, quod ad eo-
rum officium magis spectabat quantum ad
facti materiam : sicut et Magos astrono-
miæ intentos, per stellam apparentem ad- Matth. ii, 2.
duxit. Denique tam repentina piscium tot
innumerabilium captio, fuit prorsus mi-
rabilis. Quæri quoque potest, quomodo tot
pisces ibi adunati exstiterint. Ad quod fa-
C cile respondetur, quod Christus divina sua
potestate pisces subito et de novo creare,
seu ex diversis locis colligere potuit, quos
item angelico ministerio potuit illico adu-
nare. *Similiter autem Jacobum et Joan-* 10
*nem, filios Zebedæi, qui erant socii Simo-
nis* in piscando, circumdedit stupor : non
tamen corruerunt ad genua Jesu, quamvis
ipsius essent cognati. Sic quoque omnem
rite pensantem merito admirationis stupor
adimplet, dum ab ipsis Christi Apostolis,
viris idiotis atque simplicibus, considerat
D totum quodammodo mundum tam cito
conversum ad tam arduam legem, tamque
incomprehensibilem fidem, quod omni pe-
ne miraculo majus reputatur miraculum :
in quo et facta olim miracula, quasi in
suo relucent effectu. Unde nec opus est ea
frequentius iterari, quamvis Deus ex sua
superimmensa clementia multoties itera-
verit ea, ad excitandam hominum tardi-
tatem, qui præterita non advertunt, nec
inchoationem et processum Ecclesiæ sub-
tiliter intuentur, atque ad confutandam

hæreticorum infideliumque aliorum insaniam.

Et ait ad Simonem Jesus : qui sicut se Christo singulariter humiliavit, sic meruit singulariter consolari ab eo. Cor enim contritum et humiliatum Deus non despicit, sed exhilarat, et confortat. *Noli timere,* immoderato timore, ex consideratione tuæ parvitatis et culpæ, ex contemplatione quoque signi hujus et excellentiæ meæ, ut ideo petas me exire a te; sed in consideratione pietatis et gratiæ meæ respira et gaude. Hoc etiam omnibus nobis implendum est. *Ex hoc enim,* id est cito post tempus istud; vel, Ex hoc, id est post istud piscationis officium; rursus, Ex hoc, id est hujus tuæ obedientiæ ac reverentiæ mihi exhibitæ, stuporis humilitatisque merito; *homines eris capiens,* id est, prædicator et apostolus efficieris, ita quod exemplo, sermone, miraculis, orationibus, multos convertes, et intra Ecclesiam colliges, sicut intra sagenam colliguntur detinenturque pisces. Nam et ipsa Ecclesia comparatur sagenæ, Christo dicente : Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti. Retia autem Apostolorum et prædicatorum, fuerunt instrumenta ac media quibus homines converterunt, videlicet exemplaris vita, miracula, prædicationes et preces. Juxta hanc similitudinem Dominus in Jeremia loquitur : Ecce ego mittam piscatores multos, et piscabuntur eos.

Ps. L, 19. — Matth. XIII, 47. — Jer. XVI, 16.

11 *Et subductis ad terram navibus* suis duabus prædictis, *relictis omnibus,* quæ ibi habebant, videlicet navibus et navium instrumentis, captisque piscibus; vel, Relictis omnibus hominibus qui ibi tunc aderant; *secuti sunt eum.* Corporaliter enim comitati sunt Christum, et mente devota ei adhæserunt.

Sed si soli Petro dictum est, Eris homines capiens, cur Joannes quoque et Jacobus secuti sunt Christum? Insuper, hoc loco non scribitur quod Christus vocaverit eos ad sequendum se. Itaque advertendum, quod triplex fuit discipulorum istorum vocatio : una et prima, ad solam Christi notitiam, quæ per Joannem describitur; secunda fuit ad Christi familiaritatem; tertia, ad apostolatum, quæ per Matthæum et Marcum refertur. De secunda autem jam mentio facta est. Aliqui tamen dicunt, quod ista de qua nunc Lucas scribit, sit eadem cum illa quam Matthæus et Marcus enarrant. Sed Glossa aperte hic contradicit : Nondum (inquit) Petrus ad apostolatum eligitur, sed ei prædicitur quod aliquando sit eligendus. Et istud verius reor, quia ut dixi, hoc loco non legitur Christus alicui discipulorum istorum dixisse ut se sequeretur. Præterea in Matthæo et Marco habetur, quod primo invenit Petrum et Andream, quibus et dixit: Venite post me. Deinde progressus pusillum, invenit Jacobum et Joannem cum patre eorum in navi, vocavitque eos. Hic vero habetur, quod Joanne et Jacobo ingressis ad Petri navigium, locutus sit Petro hæc verba, et tunc pariter iverunt cum Christo; sed et infra loquitur Lucas de illius vocatione, de qua Matthæus et Marcus. Unde, quod hoc loco dicitur, Omnibus relictis Christum secuti sunt, intelligendum est, quod ex reverentia Christi ad spatium iverunt cum eo : nam et ideo, secundum quosdam, naves reduxerunt ad terram, quoniam ad eas intendebant reverti. Porro Augustinus in libro de Consensu Evangelistarum, tangit utrumque modum dicendi, nullum determinans.

Joann. I, 37 et seq. — Matth. IV, 18-22; Marc. I, 16-20. — Ibidem.

Sciendum quoque, quod in Joanne aliquid huic miraculo simile scriptum est, quomodo scilicet discipuli isti post Christi resurrectionem uno impetu concluserunt centum quinquaginta tres magnos pisces; et ibi pro miraculo additur, quod quum tanti essent, non est scissum rete. Hic vero, ad insinuandum aliud miraculum, fertur quod rete rumpebatur, et naviculæ pene demergebantur, quum tamen pisces non elaberentur. Unde per piscationem de qua ait Joannes, signatur collectio electorum intra triumphantem Ecclesiam, in qua nulla scissura est, nullumque periculum; per istam vero, collectio credentium intra

Joann. XXI, 11.

Ecclesiam militantem, in qua boni malis miscentur, atque diversa occurrunt pericula, hæreses et schismata.

12 Deinceps narratur leprosi curatio. *Et factum est, quum esset in una civitatum,* videlicet in Capharnaum, *et ecce vir plenus lepra,* id est multum leprosus, ita quod lepra toto corpore fuit diffusa ac patens, *et videns Jesum* oculis exterioribus, et internis, quia majestatem et sanctitatem ejus credidit ac pensavit oculo mentis, qui est intellectus seu ratio : de cujus visu loqui-
Joann. xiv, 9. tur Christus Philippo, Qui videt me, videt
Matth. v, 8. et Patrem; et alibi, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt; *et procidens in faciem,* id est, solo tenus se prosternens, tam propter Christi dignitatem, quam propter curationis affectum ferventem, magnamque suam indigentiam, sperans se tanto celerius exaudiendum atque curandum, quo humilius sinceriusque rogaret; *rogavit eum, dicens.* Apud Matthæum ha-
Ibid. viii, 2. betur, quod adoravit eum : quod Athanasius de adoratione latriæ exponit, dicendo quod leprosus credidit Jesum esse Unigenitum Dei, non creaturam, sed Deum verum. Secundum Ambrosium vero, quod in faciem corruit, humilitatis exstitit ac pudoris. *Domine, si vis, potes me mundare,* id est, de potestate tua non dubito quin curare me possis, si velis. Nec exprimit clarius quid affectet, quia ex sua prostratione satis innotuit, et quoniam coram Christo plura loqui in conspectu turbæ erubuit. Rursus, quoniam corporalis infirmitas saluti animæ non repugnat, quemadmodum culpa, imo frequenter salubris est : ideo ejus medela non est multum importune et absolute quærenda; sed beneplacito dispositionis divinæ totum est committendum, cum humili propriæ affectionis interpretatione, ut sic curari quæramus, dummodo sit ad Dei honorem et nostram salutem, et quidquid fecerit Deus, complaceat nobis.

13 *Et extendens Jesus manum, tetigit eum, dicens.* Sicut enim pro nostra salute corpus assumpsit, ita per illud nostram est salutem operatus. Unde quem sine attactu curare potuit, tetigit : primo, ad suæ pietatis, humilitatis, ac dignationis magnitudinem ostendendam, quia hominem solo adspectu horrendum non abhorruit tangere ; secundo, ad nostram instructionem, videlicet ne corporaliter languidos et deformes spernamus, imo si opus est, foveamus, portemus, tangamus, cum omni compassionis affectu; tertio, ut per corporalem contactum, spiritualem designaret attactum, videlicet quod illi vere ab omni culpa mundantur, quos ipse per dona et gratiam suæ caritatis tangit ac visitat; quarto, ut se verum assumpsisse corpus ostenderet, ad confutationem perfidiæ impurissimi Manichæi. *Volo.* Et quod subditur, passive legendum est, scilicet, *Mundare,* hoc est, præcipio ut a lepra munderis. Denique Christus voluit, jussit et fecit hoc signum divina et increata voluntate ac potestate, tanquam per causam simpliciter primam, principalem et auctoritativam. Voluntate quoque humana ac potestate creata et supernaturali voluit, jussit et fecit hoc tanquam per causam secundariam, instrumentalem et subauctoritativam, seu minus principalem : cui conveniebat præcipiendo operari miracula, non eo modo ut voluntati ac potestati divinæ, imo quoad illam fuit instrumentalis; sed quia omnis creatura fuit subjecta etiam voluntati ac potestati Christi creatæ, et quia Deus per illam taliter instituit operari. Unde et aliqui Sancti leguntur quasi jubendo fecisse miracula, non quod sua, sed divina hoc agebant virtute.

Et confestim lepra discessit ab illo, id est, in momento seu instantanee periit et cessavit. Divinæ etenim potestati, quum sit infinita, competit agere in instanti, quum placet; et dicere Christi efficax fuit. Augustino quoque testante, idem est rem fieri Deo volente et agente.

Quæritur, quomodo dicat Lucas factum hoc signum in urbe, quum Matthæus scribat, quemadmodum Christo descendente *Matth.* viii, 1-3, 5.
de monte, leprosus iste ipsum accesserit,

sitque sanatus, et postea legitur Christus ibi introisse Capharnaum. Ad quod aliqui dicunt, quod leprosus iste cœpit in via accedere, ut refert Matthæus, sed in urbe curatus est. Matthæus tamen propter compendium, prosequitur ejus curationem antequam Christi ingressum in Capharnaum narret. Non enim Evangelistæ in omnibus semper ordinem loci ac temporis determinate observant, recitando quæ gesta sunt, sed quod principale est promunt, et id de quo vis non est, determinare non curant.

14 *Et præcepit illi ut nemini diceret.* Non absolute prohibuit leproso beneficium sibi impensum manifestare ac dicere : nam subditur, Sed vade, ostende te sacerdoti. Voluit ergo ut primo sacerdoti se præsentaret, ne si sacerdotes ante illius adventum perciperent eum a Jesu curatum, ex invidia recusarent eum tanquam curatum admittere, ut dicit Chrysostomus ; item, ut doceret Salvator vanam laudem esse vitandam, nec ea jactemus quæ tamen aliunde satis apparent, quemadmodum istud factum se ipsum declaravit, et coram multis fuerat factum. *Sed vade, ostende te sacerdoti, et offer,* Deo gratias referendo, *pro emundatione tua,* tibi exhibita, *sicut præcepit Moyses in testimonium illis,* id est, quemadmodum Moyses jussit curatis a lepra, ut sacerdotibus se præsentarent in testimonium illis, hoc est, quatenus sacerdotes testarentur ac judicarent illos vere esse mundatos, et posse inter homines conversari. Jussit equidem Deus per Moysen, ut curatus a lepra, tortam panis duosque turtures, olei quoque sextarium Deo offerret, juxta ritum ibidem descriptum. *Lev.* XIV, 2-32.

Denique Christus tanquam novæ et evangelicæ legislator ac veteris legis perfector et consummator, sæpe legem dignanter implevit, ostendens legem sanctam atque divinam fuisse; sæpenumero eam ad litteram non servat, sed auctoritative transcendit. Unde et leprosum hunc tetigit, quum tamen in Levitico tangere leprosum esset prohibitum : quamvis illud præceptum da- *Ibid.* XIII, 15,46; *Num.* XIX, 22.

A retur secundum communem statum ac cursum hominum, obligaretque eos qui a leprosis poterant maculari magis quam eos mundare, nec obligaret eos qui ex singulari gratiæ dono leprosos possent sanare : quemadmodum et tangere mortuum fuit prohibitum, et nihilo minus Elias ac Eliseus super mortuos incubuerunt, quos suscitaverunt, ut liber Regum testatur. *Num.* XIX, 11. III *Reg.* XVII, 21; IV *Reg.* IV, 34.

Insuper, Christus misit leprosum hunc post curationem ad sacerdotem, ne sacerdotibus occasionem contra se irrationabili-
B ter daret, et sacerdotibus propter honorem Ordinis deferendum doceret, item ut eis causam credendi in ipsum offerret. — Mystice vero hoc egit, ad insinuandum quod in evangelica lege quicumque a lepra animæ, id est peccato, per contritionem curatus est, nihilo minus debeat sacerdoti confiteri, et ejus judicio stare tempore opportuno, si poterit. Postremo, si iste leprosus pro corporalis lepræ emundatione Christo tam humiliter se prostravit, quanto magis nos pro spiritualium nostrarum
C purgatione leprarum, videlicet passionum et vitiorum expulsione, Christo nos prosternere atque humillime supplicare debemus, quum lepra hæc spiritualis, incomparabiliter pejor nocentiorque exsistat, quam corporalis ?

Perambulabat autem magis sermo de 15
illo, id est, fama virtutum ac sapientiæ Christi quotidie latius diffundebatur, uno alteri referente quid viderit, et Christo quotidie plura prodigia operante, atque in omnibus irreprehensibiliter se habente, ac
D sapientissime prædicante facundissima venustate. Ideo factum est quod subditur : *Et conveniebant turbæ multæ, ut audirent eum,* informari salubriter cupientes, *et curarentur ab infirmitatibus suis* corporalibus : non quod omnes illi fuerunt corporaliter ægri, sed quoniam inter eos multi tales fuerunt. Sed et plures eorum devote ad Christum profecti sunt, ut ejus sermonibus ad emendationem vitæ perducerentur, sicque a spiritualibus curarentur
languoribus. *Ipse autem secedebat in de-* 16

sertum, et orabat : non quod frequentia
tumultusque hominum, eum in aliquo a
Dei contemplatione, interiorique exercitio
impedirent; sed ad nostram instructionem
hoc fecit, ut post occupationes vitæ acti-
væ, post exercitia exteriora, hominumque
frequentiam, ad secretiora loca confugia-
mus, in quibus contemplativæ exercitiis
vitæ liberius atque stabilius intendamus,
animas nostras discutiamus, et quidquid
culpæ incurrerit defleamus; ibi quoque in
A absconditо a pietate obtineamus divina
gratiarum charismata ampliora, quæ re-
deuntes ad publicum aliis communicemus,
sicut Petrus loquitur : Unusquisque sicut *I Petr. iv,*
accepit gratiam, in alterutrum illam admi- *10.*
nistrantes. Christus quoque tam activam
quam contemplativam vitam verbo et fa-
ctis docere, fundare et approbare volebat;
et præfato suo abscessu docuit prædicato-
res, imo et omnes, devitare hominum ap-
plausus ac adulationes.

ARTICULUS XIII

PROSECUTIO EXPOSITIONIS HUJUS QUINTI CAPITULI, A LOCO : ET FACTUM EST IN UNA DIERUM ET JESUS SEDEBAT DOCENS.

DEINCEPS recitatur aliud Christi mira-
culum, non tam magnum in se, quam
17 magnifice ac mirabiliter factum. *Et fa-
ctum est in una dierum* conversationis et
prædicationis Christi in sæculo isto : quo
tempore fuit vere spiritualis dies, fulgor,
seu claritas in credentium cordibus, qui
Malach. iv, 2. tunc a Christo sole sapientiæ atque justi-
tiæ illuminabantur, quemadmodum in Jo-
Joann. ix, 5. anne ait : Quamdiu in mundo sum, lux
sum mundi. *Et Jesus sedebat docens,* in
Marc. ii, 1. domo quadam civitatis Capharnaum, ut
Marcus exprimit. Sedere autem doctoribus
congruit atque judicibus. Christus autem,
omnium doctorum ac judicum doctor et
judex est. *Et erant Pharisæi sedentes, et
legis* Mosaicæ *doctores,* videlicet Scribæ,
*qui venerant ex omni castello Galilææ, et
Judææ, et Jerusalem,* quæ fuit metropoli-
tana urbs Judææ, propter quod specialiter
nominatur. Jam autem famosus factus fuit
Jesus in terris præscriptis : unde Scribæ
et Pharisæi cupientes certificari an res
ageretur a Deo, venerunt ex omni castello
habitationum suarum, ad considerandum
et observandum opera Christi, vel etiam
quidam eorum, ad insidiandum et calum-
B niandum, moti invidia, quia eis relictis,
totus populus ad Jesum conflueret. Porro
quod ait, Ex omni castello, accipiendum
est sub distributione accommoda; vel hy-
perbolice dictum est, ad insinuandum quod
ex valde multis castellis venerunt.

Et virtus Domini, id est potestas Chri-
sti, *erat* parata atque idonea *ad sanandum
eos,* tam spiritualiter a peccatis, quam cor-
poraliter ab ægritudinibus, eos qui indi-
gebant. Increata quippe Christi potestas
omnipotens est; virtus quoque ejus creata
C hæc potuit, tanquam causa instrumentalis
ac meritoria. Potest autem per virtutem
Christi sanativam, misericordia vel sapi-
entia, caritas, seu vis operativa signorum
intelligi; sed et ipsemet Christus per vir-
tutem Domini intelligi potest, dicente Apo-
stolo : Prædicamus Christum, Dei virtutem *I Cor. i, 24.*
et Dei sapientiam.

Et ecce. Quum dicitur, Ecce, innuitur 18
notabile seu consideratione dignum esse
quod fertur. *Viri portantes in lecto ho-
minem qui erat paralyticus :* erantque
D quatuor viri illum portantes, secundum *Marc. ii, 3.*
Marcum. Paralysis vero aufert naturalem
membrorum calorem, motum, progressum,

mobilitatem, spiritumque vitalem opera-
tiones animæ per corpus deferentem. *Et
quærebant eum inferre et ponere ante eum,*
id est coram facie Christi, quem tantæ cre-
debant clementiæ atque potentiæ, quod vi-
so tam miserabili ægro, misereretur ejus,
19 eumque sanaret. *Et non invenientes qua
parte eum inferrent præ turba.* Domus
enim plena fuit hominibus, imo et plures
Marc. II, 2. foris steterunt, ut Marcus docet : in quo
patet, quod cum maxima aviditate concur-
rerunt ad Jesum, potissimum propter ejus
miracula, quæ abundantissime ac poten-
tissime operabatur. *Ascenderunt super te-
ctum :* quod in illis partibus planum esse
solebat, ita quod sæpe homines ibi sede-
bant ad confabulandum ; *et per tegulas,* id
est per aperturam factam in tegulis tecti
quod nudaverunt, *submiserunt,* forte cum
funibus, *illum cum lecto in medio* homi-
num qui aderant, *ante Jesum.*
20 *Quorum fidem ut vidit,* interiori mentis
intuitu : et sumitur hic fides pro elicito
atque interno fidei actu ; *dixit* paralytico :
Homo, remittuntur tibi peccata tua. In
Matth. IX, 2. Matthæo legitur Christus dixisse : Confide,
fili. Unde secundum Augustinum, utrum-
que Christus tunc dixit. Denique, quia hic
dicitur, quod Christus ut vidit fidem illo-
rum, dixit infirmo, Remittuntur tibi pec-
cata tua, constat quod merito fidei portito-
rum illorum ignovit infirmo. Magna nempe
fuit fides illorum, ita quod actus ejus re-
dundare quivit in alium : et Deus ex sua
clementia, merito unius alteri suffragatur.
Imo quum Christus sit liberalissimus, me-
rita supplicum transcendens ac desideria,
frequenter plus largitur quam petitur : sic-
ut et huic paralytico primo contulit animæ
sanitatem, quamvis nec ipse, nec eum por-
tantes, aliud postulare intenderent quam
Deut. XXXII, 4. corporis sospitatem. Dei namque perfecta
sunt opera. Propter quod generaliter cre-
ditur Christus omnes sanasse in anima
quos sanavit in corpore.

Sed quum ad justificationem exigatur
motus liberi arbitrii in adultis, quomodo
Christus huic peccata dimisit, qui remis-
A sionem illam non intendebat neque pete-
bat, præsertim quum Augustinus testetur,
Qui creavit te sine te, non justificabit te
sine te ? Et respondendum, quod Christus
ex sua pietate, et etiam merito fidei por-
titorum, infudit paralytico quamdam dis-
plicentiam de ipsius peccatis, seu contri-
tionem vel attritionem de eis, antequam
peccata dimisit eidem. Insuper, quia hic
æger longa invaletudine pro suis peccatis
fuit afflictus (nam et paralysim propter
peccata sua incurrit, secundum Bedam),
B ideo Christus pronus fuit ad sanandum
eum mente et corpore, præsertim quia
æger iste aliqualem habuit fidem potentiæ
Christi, recipiendæque sanitatis, ut Gorra
fatetur. Dicit autem Ambrosius : Magnus
Dominus, qui aliorum merito ignoscit aliis,
et dum alios approbat, aliis relaxat errata.
Si gravium peccatorum diffidis veniam,
adhibe precatores, adhibe Ecclesiam, quæ
pro te precetur, cujus contemplatione quod
tibi negare Dominus possit, ignoscat. Po-
stremo, si paralyticus iste pro tunc for-
C te sine mortali fuit peccato, tunc quod
dictum est ei, Remittuntur tibi peccata
tua, intelligendum est de venialibus, vel
etiam de mortalibus quoad remissionem
pœnarum.

*Et cœperunt cogitare Scribæ ac Phari- 21
sæi, dicentes* intra se, quia timore turbæ
non audebant hæc publice loqui, secun-
dum Chrysostomum : *Quis est hic qui lo-
quitur blasphemias,* id est, qui sibi vitio-
se usurpat quod Dei est? Blasphemat enim
qui creaturæ adscribit quod Dei solius est,
D vel irreverenter et false profatur de Deo.
Quia ergo putabant Jesum non esse Deum,
et solum Deum posse peccata dimittere,
ideo Jesum in prolatione dicti sermonis
blasphemasse, imo et mortem meruisse
senserunt, quia secundum legem, blasphe- *Lev.* XXIV, 15, 16.
mi occidebantur, et communiter lapida-
bantur. *Quis potest dimittere peccata, nisi
solus Deus ?* Quemadmodum enim in omni
peccato Deus offenditur, et lex ejus infrin-
gitur, sic ejus dumtaxat est peccata dimit-
tere, ita quod macula culpæ tollatur. Nam

si homo homini injuriam illatam dimittat, A
propter hoc macula culpæ seu iniquitas
non aufertur ab anima, nisi et Deus indul-
Is. XLIII, 25. geat : qui per Isaiam loquitur, Ego sum
qui deleo iniquitates tuas ; cui in Job dici-
Job XIV, 4. tur : Quis potest facere mundum de im-
mundo conceptum semine ? Nonne tu qui
solus es ?

Præterea advertendum, quod diversis di-
versimode competit dimittere seu relaxa-
re peccata. Deo enim hoc competit princi-
pali ac propria auctoritate. Christo autem
secundum naturam assumptam competit B
hoc, merito singulari, et etiam ut causæ
instrumentali generali et excellenti, item-
que auctoritate concessa ; sacerdotibus ve-
ro competit ut causæ ministeriali. Sed et
sacramentis Baptismi ac Pœnitentiæ conve-
nit auferre peccata, quadam instrumentali
concausabilitate ; gratiæ autem, formaliter.

Postremo autem Scribæ et Pharisæi hi,
Rom. X, 2. juxta Apostolum, habuerunt quemdam ze-
lum Dei, sed non secundum scientiam,
quia indiscretus fuit zelus eorum : imo ex
lege et Prophetis ac ipsis Christi operibus, C
ex verbis quoque et actibus Præcursoris,
jam advertisse debuerant Jesum esse Mes-
siam, et etiam verum Deum, sicut ex Scri-
pturis veteris Testamenti ostenditur.

22 *Ut autem cognovit Jesus cogitationes
eorum,* quas ut Deus ab æterno cognovit.
Secundum humanitatem quoque assum-
ptam, eas cognovit ab exordio creationis
animæ suæ, sicut et cetera universa præ-
sentia, præterita, et futura : omnia enim
quæ Deus scit scientia visionis, scivit ani-
ma Christi a principio incarnationis ; sed D
jam voluit manifestare se eas cognoscere.
*Respondens, dixit ad illos : Quid cogita-
tis mala in cordibus vestris,* æstimantes
me blasphemasse, et me Deum non esse,
sed hominem purum ? Itaque Christus se-
creta cordium intuendo ac propalando, di-
vinitatem suam demonstrat. Quamvis enim
homines per revelationem divinam possint
hæc agere, tamen per propriam sapienti-
am ista peragere, Deo est proprium : de
1 *Reg.* XVI, 7. quo scriptum est, Dominus intuetur cor ;
et Job, Nulla te (inquit) latet cogitatio ; at- *Job* XLII, 2.
que in Psalmo, Scrutans corda et renes *Ps.* VII, 10.
Deus. *Quid est facilius dicere,* id est dicen- 23
do efficere, *Dimittuntur tibi peccata ; an
dicere, Surge et ambula ?* quasi dicat :
Utrumque istorum est solius divinæ et in-
finitæ potentiæ, quia sicut peccata dimit-
tere, Deo est proprium, sic paralyticum
hunc curare propria potestate, auctorita-
tivo imperio, subito ac perfecte, non nisi
increatæ Dei congruit potestati. Attamen
peccata dimittere, bene majus in se est,
quam sanare paralysim ; sed prætacto mo-
do eam curare, æqualis potentiæ est sicut
culpam laxare.

Ut autem sciatis per sensibile opus, *quia* 24
*Filius hominis habet potestatem in terra
dimittendi peccata* habitantibus super ter-
ram. Sciebant autem hi, quod Jesus per
Filium hominis intelligeret semetipsum.
Ait paralytico. Hoc interponit Evangelista
propter intelligentiam clariorem. Christus
etenim dixit : *Tibi dico,* id est, efficaciter
jubeo, *surge* sine aliorum auxilio, utpote
me agente jam sanatus, *tolle grabatum* * * alias
tuum, et vade in domum tuam, id est, in *lectum*
testimonium tuæ integerrimæ ac subita-
neæ curationis, tolle lectum tuum usque
ad propriam domum, qui paulo ante te
ipsum ferre nequibas. *Et confestim sur-* 25
gens coram illis. Mox enim ut Christus
præcepit, omnino curatus est, quia divinæ
et infinitæ potentiæ competit agere in in-
stanti. *Tulit lectum in quo jacebat, et abiit
in domum suam,* quæ in Capharnaum fu-
isse putatur, *magnificans Deum,* id est,
Dei majestatem protestans, et sua curatio-
ne ostendens atque magnifice laudans, ac
gratias Christo agens, quamvis forte non-
dum cognoverat quod Jesus exsistat Deus.

Et stupor apprehendit omnes, hoc est, 26
vehemens admiratio præsentes invasit ; *et
magnificabant Deum,* id est, magnum ac
omnipotentem confitebantur et collauda-
bant. *Et repleti sunt timore, dicentes :
Quia vidimus mirabilia hodie.* Porro ad-
miratio oritur, dum magnum, rarum, in-
solitum aut inopinatum quid accidit, cujus

causa nescitur. Hi ergo quia Christi omnipotentiam ignorabant, de magnificis ejus operibus vehementer admirati sunt. Et quamvis tantum miraculum libenter ac delectabiliter viderint, saltem vulgares, nihilo minus timore partim servili, partimque reverentiali impleti sunt, quia ex tanto prodigio magnitudinem divinæ potentiæ, sanctitatemque Domini Jesu pensantes, suam mox fragilitatem et culpam clarius adverterunt, imo quasi coacti sunt intueri, quia opposita juxta se posita clarius elucescunt. Ex tali consideratione orta est formido ultionis divinæ justitiæ, et reverentialis pavor ad auctorem miraculi. De hoc supra dictum est. (Cf. in Luc. IV, 36.) Quamvis autem Christus unum solum miraculum fecerit, istum curando, videntes tamen professi sunt mirabilia se vidisse, quia in uno hoc facto multa mirabilia concurrebant : et ipse modus agendi præclarissimus ac mirabilissimus fuit, quod scilicet tam imperialiter, auctoritative, ac subito, infirmissimum virum curavit et confortavit, quod Scribas ac Pharisæos tam velociter ac publice confutavit, quod secreta cordis eorum redarguit. At vero secundum quosdam, pluraliter dixerunt, Mirabilia, propter duplicem infirmi illius curationem, scilicet corporalem ac spiritualem. Verumtamen spiritualem illius curationem corporalibus oculis non viderunt. An vero eam fide intuiti sint, certum apparet quod illi qui verbis Christi crediderunt, factam talem curationem consideraverunt.

Spiritualiter, per paralyticum intelligitur quilibet acediosus et luxuriosus : quia sicut paralysis membra immobilia reddit, sic acedia vires animæ et corpus a Dei obsequio et motu virtutum retardat, et ad ea quæ veræ salutis sunt quasi insensibilem efficit hominem : quod et luxuriam facere certum est. Quemadmodum autem spiritualis lectus hominis virtuosi ac fervidi, est pax interna, castigatio carnis, constantia mentis; sic lectus talis hominis pigri et lubrici, est carnalis voluptas, seu repausatio corporalis. Talem itaque paralyticum,

A quia per se ipsum proficisci ad Christum non valet, quia caritate et virtutibus non vivificatur, necesse est a pastoribus, prædicatoribus, doctoribus, seu veris amicis ad Christum deferri, ut orent pro languido squalente ac spiritualiter mortuo, divinæ pietati illum offerentes curandum. Quumque turba carnalium hominum impedimentum accedendi præstiterit, tectum ascendant, id est alta contemplationis, considerando quemadmodum sapientia Dei omnia cernat, nec perseveranter pulsan-
B tes repellat : sicque per tegulas, id est per talium considerationum vias, infirmum divinæ clementiæ repræsentent conspectui.

Quorum fidem Deus conspiciens, miserebitur misero, jubebitque ei ut lectum quo jacuit, tollat, id est, carnalem quietem ac voluptatem cordi suo superimponat, per tanti peccati pœnitentialem memoriam, deplorationem, et castigationem, et vadat in domum suam, id est ad requiem spiritualem et pacem mentalem, seu para-
C disum cœlestem, quemadmodum scriptum est : Convertere, anima mea, in requiem tuam. (Ps. CXIV, 7.) Anima vero peccatrix non pœnitens, in peccato per consensum sedet, per continuationem seu actum jacet, per consuetudinem dormit, ita ut Paulus eam excitare cupiens, clamet : Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis. (Ephes. V, 14.) Porro, quum alii talem peccatoris conversionem conspexerint, mirabuntur, dicentes, Hæc mutatio dexteræ Excelsi, (Ps. LXXVI, 11.) id est potestatis et gratiæ sublimis Dei; implebuntur quoque timore, eo quod
D ipsi similem pœnitentiam non egerint neque assumant, quum tamen eisdem vel aliis similibus sint implicati excessibus.

Post hæc Lucas describit Matthæi apostoli vocationem, conversionem, ac devo-
tionem. *Et post hæc,* videlicet curato para- 27
lytico in Capharnaum, et verbis Christi ibi habitis, jamque præscriptis completis, *exiit* Jesus de loco quo acta sunt illa, *et vidit,* visu corporali, imo et amplius visu interiori per pietatis compassionem et caritatis affectum, *publicanum,* id est virum

publicis negotiis deditum, utpote vectigalia seu tributa levantem, *nomine Levi :* qui alio nomine vocabatur Matthæus, eratque Matthæus nomen ejus vulgatum pro tempore quo teloniarius fuit. Unde ipsemet evangelista Matthæus ista describens, Matthæum ex humilitate se nominat; Lucas autem et Marcus, tantum honorantes Evangelistam atque Apostolum, tacito nomine ejus priori, Levi eum appellant, quia hoc nomen non fuit ei ita assuetum in pristino suo officio. *Sedentem ad telonium,* id est ad mensam, seu locum, vel in domo ubi vectigalia computabantur vel solvebantur. Porro quod ait, Sedentem, intelligi potest dupliciter : Primo, quod tunc situ corporali sedit ad hujusmodi mensam, locum, seu actum, Secundo, juxta communem modum loquendi, quo Sedere accipitur pro Manere vel Esse alicubi, quemadmodum in chronicis scribuntur pontifices tot vel tot annis in episcopatu sedisse. Et
Deut. i, 46. Moyses in Deuteronomio : Sedistis, inquit, in Cadesbarne multo tempore. Sic igitur sensus est : Vidit eum sedentem ad telonium, id est tali officio intendentem seu insistentem.

Et ait illi : Sequere me. Christus non solum secundum quod Deus, sed etiam secundum quod homo omni creaturæ prælatus, verbum hoc dicere potuit, non solum hortando vel consulendo, sed et præcipiendo : magisque invitavit Matthæum ad spiritualem sui imitationem, seu mentis conversionem et sanctam conversationem, quam ad corporalem sequelam ; tamen ad utramque imitationem eum vocavit, sed ad corporalem propter spiritualem.

28 *Et relictis omnibus,* id est universis rebus suis et opibus, *surgens* a loco quo forte corporaliter sedit dum vocabatur a Christo, vel a pristina conversatione iniqua et a terrenis affectibus, *secutus est eum,* videlicet Christum, per mentis conversionem et corporis gressum. Statim etenim ut Christum audivit se invitantem, compunctus est corde, et vitam emendare proposuit juxta Christi doctrinam, sicque cœpit ire post eum. Christus namque qui foris vocavit verbo sonante, intus traxit gratia adspirante. Voluntatem enim Matthæi mox immutavit, inclinavit, et inflammavit, per inspirationem occultam, gratiamque infusam. Ideo Matthæus non egit incaute Christum statim sequendo, ut sceleratus mentitur Porphyrius, nec simile fuit de consentiendo ipsi Christo et hominibus aliis. Matthæus quoque tanta de Christi sanctitate, potestate, fama miraculisque audivit, quod ei securissime consentire mox rationabiliter potuit, sicut et Eliseus statim sequebatur Eliam, ut in libris Regum habetur. III *Reg.* xix, 20, 21.

29 *Et fecit ei,* videlicet Christo, et discipulis ejus, *convivium magnum Levi,* id est Matthæus, *in domo sua.* In quo patet liberalitas Matthæi, et reverentia ejus ad Christum, qui in corde Matthæi omni honore fuit prædignus, ideo exhibuit ei solenne convivium. — Sed si Matthæus Christum statim surgens secutus est, cunctis quæ habuit derelictis, quomodo fecit ei in domo sua grande convivium? Et respondendum secundum expositores, quod nec in Matthæo, nec præsenti capitulo, observatur ordo temporis in recitatione hujus historiæ. Nam Matthæi vocatio diu præcessit curationem paralytici, de quo statim præhabitum est : imo præcessit sermonem Christi in monte de beatitudinibus et reliquis documentis. Sequenti namque capitulo legitur, quod Jesus ascendens in montem ante sermonem præfatum, vocavit ad se discipulos suos, et ex eis elegit duodecim Apostolos, quorum Matthæus exstitit unus. *Luc.* vi, 12 *et seq.* Quod ergo hic scribitur de vocatione Matthæi, per recapitulationem inseritur. Quod autem de convivio ejus adjungitur, secundum rectum historiæ ordinem connectitur ei quod de paralytici curatione inductum est. Insuper, secundum multos expositores, Matthæus ad primum Christi verbum statim secutus est eum. Postmodum autem de licentia Christi, simul cum Christo et ejus discipulis ad domum suam reversus est, dispositurus (ut

creditur) de suis negotiis, et de officio suo dominis suis rationem forsan daturus.

Et erat turba multa publicanorum et aliorum qui cum illis, id est cum Jesu et ejus discipulis, *erant discumbentes.* Isti [*Matth.* IX, 10.] publicani, et alii, qui in Matthæo peccatores vocantur, fuerunt Matthæo familiares et noti, tanquam ejusdem secum officii : qui ejus conversionem videntes, venerunt ad eum quasi valedicturi eidem, vel ejus exemplo Christum audire et assequi cupientes; quorum etiam multos invitavit Matthæus, de Christi præsentia et sua conversione exsultans, aliosque præfatos consolari et exhilarare desiderans, vel potius occasione convivii, ad Christum viamque salutis adducere gliscens, sicut et fecit.

30 *Et murmurabant Pharisæi et Scribæ eorum, dicentes ad discipulos ejus,* scilicet Christi : *Quare cum publicanis et peccatoribus manducatis et bibitis?* In Matthæo [*Ibid.* 11; *Marc.* II, 16.] leguntur dixisse, Quare cum publicanis et peccatoribus manducat et bibit magister vester? similiter in Marco; sed sensus redit in idem, quia cum discipulis manducantium unus et principalis exstitit Christus. Denique, in talibus quæ Evangelistæ a multis prolata describunt, et in describendo differre videntur, probabile est quod aliqui proferentium usi sunt hac forma verborum, alii alia, et secundum hoc Evangelistæ diversimode referunt, quamvis in re ipsa summe concordent. Itaque Scribæ et Pharisæi in propriis oculis magni, et sua æstimatione ceteris meliores (Scribæ etenim specialiter de scientia, Pharisæi vero de religione tumebant), publicanos et peccatores in tantum spernebant, quod dedignabantur manducare cum eis : unde et Christum ejusque discipulos de tali commanducatione redarguebant. Habuerunt quippe inordinatum et rigidum Dei legisque zelum; et false non vere justi fuerunt, quia ut ait Gregorius, vera justitia compassionem, falsa justitia dedignationem habet. Sed cur Scribæ et Pharisæi ista non potius locuti sunt Christo, quam discipulis ejus? Ad quod reor dicendum, quia verebantur confutari ab eo, sicut paulo ante confutaverat eos aut similes eis, in [*vers.* 22.] paralytici cura.

Præterea argui posset, quod Pharisæi et Scribæ juste sint moti, quum de peccatoribus Paulus scribat Corinthiis : Cum hu- [I *Cor.* V, 11.] jusmodi nec cibum sumere. Et Salomon in Proverbiis : Ne comedas, inquit, cum [*Prov.* XXIII, 6.] homine invido; et Psalmista, Superbo, ait, [*Ps.* C, 5.] et insatiabili corde, cum hoc non edebam. Sed ad has atque consimiles auctoritates dicendum, quod peccatores indurati et pertinaces, de quorum correctione spes non apparet, vitandi sunt, præcipue imperfectis, qui ab illis facile infici possent. Si autem peccatores indurati non sint, sed de eorum emendatione spes videatur, vitandi non sunt, præsertim ab his qui possunt, seu quorum est eos corrigere. Ideo Christus qui peccare non potuit, eos vitare non debuit : imo ex magnitudine caritatis et pietatis se eis sic applicabat, etiam in vescendo, ut sua collatione, apparatu et exemplaritate eos traheret ad salutem. — Dicit autem Ambrosius, quod Christus cum publicanis et peccatoribus manducando, non prohibet nos etiam cum gentibus inire convivium.

Et respondens Jesus, qui, ut in Matthæo 31 asseritur, audivit verba Scribarum et Pha- [*Matth.* IX, 12.] risæorum, *dixit ad illos* Scribas et Pharisæos, qui Magistrum magis quam discipulos arguere intendebant : *Non egent qui sani sunt medico.* Hoc uno modo exponitur tanquam ironice dictum contra Scribas et Pharisæos, qui se justos jactabant. Tanquam dicat : Ideo vobiscum non edo neque vos visito, quia vestra æstimatione sani mente justique estis. Sic in Genesi ait : Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est. [*Gen.* III, 22.] *Sed qui male habent,* hoc est, publicani isti ac peccatores, qui se peccatis vulneratos mente fatentur, indigent et indigere se recognoscunt præsentia mea, qui animarum sum medicus. Secundo, generaliter accipi potest, quod sani secundum quod tales, non indigent medico formaliter dicto, scilicet secundum quod medicus, sive

de sano et medico loquamur corporaliter A sive spiritualiter, quoniam medicus secundum quod talis, ordinatur ad infirmitatum et vulnerum curationem. Denique Christus secundum utramque suam naturam, est spiritualis medicus animarum : quia secundum divinitatem, dimittit et aufert peccata, quæ animarum sunt vulnera, per principalem auctoritatem, gratiamque et virtutes infundit per increatam potestatem et creationem; sed secundum assumptam humanitatem, curat peccata, præstatque gratiarum charismata, tanquam causa in- B strumentalis ac meritoria, ita quod tota sua in mundo hoc conversatio, persecutio et passio, fuit hominibus meritoria et vulnerum animæ curativa. Omnia enim fecit et pertulit propter nos, nec de essentiali præmio aliquid sibi promeruit. Hoc ergo proverbio pulchre edocuit Christus se ad peccatores convertendos venisse, idcirco se eos non debere vitare. Postremo, quamvis omnes indigeant Christo in quantum est creator, ad subsistendum, et in quantum est conservator, ad permanendum, et in C quantum est gratiæ dator, ad bene vivendum; nullus tamen indiget eo in quantum est medicus, nisi qui male habet.

Deinde Christus proverbium istud ap-
32 plicat ad se ipsum. *Non enim veni vocare justos, sed peccatores in pœnitentiam.* Quod dupliciter explanatur. Primo, quasi ironice dictum adversus Pharisæos et Scribas, quod scilicet Christus ideo eos et eis similes non vocet, quia justos se vane præsumant. Attamen Christus tales aliquo modo vocavit ad viam salutis, eos increpando, D docendo, hortando; sed non vocavit eos per salutarem salutis consecutionem, seu consummate et efficienter, quemadmodum etiam non redemit præscitos seu reprobos, (II Cor. v, 15.) quamvis pro omnibus mortuus sit, omnesque redemerit sufficienter, scilicet quantum in ipso est. Per peccatores vero intelliguntur, qui vere se peccatores fatentur, et corrigunt, de quibus Christus testatur : (Luc. xix, 10.) Venit Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat. Secundo, exponitur specialiter de vocatione ad pœnitentiam, quæ non nisi peccatoribus competit, et proprie peccata mortalia respicit : idcirco ad eam Christus non venit vocare justos secundum quod tales sunt, sed peccatores, quibus sacramentum Pœnitentiæ est secunda post naufragium tabula, secundum Hieronymum. Hinc notanter adjunxit Evangelista, In pœnitentiam.

Postremo, de mystica significatione convivii Christo per Matthæum exhibiti nunc transeo, quia super Matthæum duplicem (Cf. in Matth. ix, 10.) inde expositionem induxi.

Denique Scribæ et Pharisæi de præhabita interrogatione ac murmuratione sua instructi, convicti, confusi, aliam introducunt instantiam. *At illi dixerunt ad eum,* 33
puta ad Jesum : *Quare discipuli Joannis* Baptistæ *jejunant frequenter,* observando jejunia legalia, et aliqua superaddendo secundum ordinationem Joannis, quemadmodum ex speciali devotione fiunt opera bona ad supererogationem spectantia, *et obsecrationes faciunt,* diuturnis ac frequentibus orationibus insistendo? Est autem proprie obsecratio, quando cum alicujus sacri commemoratione, seu per vel propter quod sacramentum, formatur petitio : ut Daniel inquit, Propter temetipsum, Deus (Dan. ix, 17, 18.) meus, inclina aurem tuam, et audi; item quum dicimus, Per passionem tuam salva nos, Christe : et hoc dicitur efficacissimum genus orationis. *Similiter et Pharisæi* * (* alias *Pharisæorum*) jejunant frequenter et obsecrant. Quemadmodum autem in Matthæo habetur, disci- (*Matth.* ix, 14.) puli Joannis quæstionem hanc proposuerunt. Unde secundum Augustinum in libro de Consensu Evangelistarum, omnes isti concordes fuerunt sic inquirendo, et certatim se conjunxerunt in interrogando. *Tui autem edunt et bibunt,* id est, discipuli tui bene se reficiunt. Verumtamen non est putandum, quod jussa legis jejunia aut debitas orationes omiserint; sed Patrem in (*Ibid.* vi, 6.) abscondito exorabant, ideo eorum orationes aliis non tam copiose innotuerunt. Nam Christus, ut infra habetur, locutus est eis : Oportet semper orare et non de- (Luc. xviii, 1.)

ficere. Itaque juxta Christi doctrinam, brevibus et frequentibus quasi jaculatoriis precibus intendebant. Hinc Christus in verbis sequentibus non fatetur eos non obsecrasse, sed non jejunasse frequenter.

34 *Quibus ipse ait : Numquid potestis filios sponsi,* hoc est discipulos meos, qui sunt spirituales filii mei (nam et ipsi Apostoli de quibus nunc sermo, a Christo baptizati creduntur, secundum Augustinum ; a Christo quoque per evangelicæ legis sapientiam fuerunt spiritualiter regenerati seu innovati et educati, atque per gratiam ejus renati), *quamdiu cum illis est sponsus* per corporalem præsentiam, tanquam magister et pater ac dominus, *facere jejunare,* frequenter et afflictive? tanquam dicat : Non potestis eos ad hoc rationabiliter coarctare, nec decet. Quamdiu enim taliter sponsum, scilicet Christum, habent præsentem, tempus est lætitiæ spiritualis, gaudii nuptialis et alacritatis.

Porro tempus hujus alacritatis et gaudii, scilicet tempus gratiæ, cœpit in Christi incarnatione, in qua sibi in utero Virginis tam humanam naturam quam ipsam Ecclesiam, junxit ac desponsavit. A tempore autem transgressionis priorum parentum usque ad tempus incarnationis, fuit tempus tristitiæ et mœroris, tempusque lugendi ac jejunandi. Itaque Christus se ipsum nominat sponsum, de quo dixit Psalmographus, Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. (*Ps.* XVIII, 6.) De quo sponso in Canticis canticorum Salomon vaticinatur. Alluditque Christus his verbis ei quod apud Joannem ait Baptista de Christo : Qui habet sponsam sponsus est ; amicus autem sponsi, qui stat et audit vocem ejus, gaudio gaudet propter vocem sponsi. (*Joann.* III, 29.) Unde et Christus convenienter ita locutus est coram discipulis Præcursoris, quasi in memoriam eis reducens verba a magistro eorum prolata ante hanc quæstionem. Dicit autem Cyrillus : Salvatoris nostri in hoc sæculo demonstratio, nihil aliud fuit quam quædam festivitas intelligibilis, quasi quamdam sponsam copulans illi nostram naturam, ut quondam sterilis, efficeretur fecunda : cujus sponsi filii sunt, qui ab eo per evangelicam disciplinam vocati sunt.

Venient autem dies, quum ablatus fuerit ab eis sponsus. 35
Isti fuerunt dies, quando occisus et sepultus est Christus, et dies quidam sequentes. Die enim passionis, Judæi abstulerunt Apostolis sponsum ; die autem ascensionis, Christus se ipsum abstulit eis quantum ad corporalem præsentiam, quemadmodum in Joanne : Exivi, inquit, a Patre, et veni in mundum ; iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem. (*Joann.* XVI, 28.) Quantum vero ad spiritualem et invisibilem divinitatis præsentiam et gratiæ inhabitationem, Christus cum fidelibus jugiter manet, imo et quoad præsentiam sacramentalem, prout in Matthæo pollicetur : Ecce ego vobiscum sum cunctis diebus usque ad consummationem sæculi. (*Matth.* XXVIII, 20.) *Tunc jejunabunt in illis diebus.* Nam et in triduo sepulturæ fuerunt mœstissimi, nec cibus eos delectabat corporeus. Postea quoque primitiva Ecclesia in Jerusalem in summa vixit sobrietate : imo post paucos annos a Christi passione fuit ibidem in grandi inopia, ut in epistolis suis Paulus testatur ; qui etiam ad Corinthios de se suisque ait : In omnibus commendamus nos, sicut Dei ministros, in fame et siti, in jejuniis multis. (II *Cor.* VI, 4, 5 ; XI, 27.)

Præterea, Augustino testante, duplex est jejunium : unum in tribulatione, ad propitiandum Deum pro peccatis ; aliud in gaudio, quum tanto minus delectant carnalia, quanto spiritualium major sagina est. De primo autem jejunio dixit Christus filios sponsi non debere jejunare, sponso eis præsente. Secundum quoque jejunium in Apostolis exstitisse, præsertim recepto Spiritu Sancto, certissimum est, quando ut in Actibus asseritur, Omnes qui credebant, erant pariter, et sumebant cibum cum exsultatione et simplicitate cordis. (*Act.* II, 44, 46.)

Dicebat autem et similitudinem ad illos : 3
per quam ostendit, quod discipulis suis non fuit subito, seu ante sponsi ablationem, magnum jejunium imponendum. Similitudo autem et exemplificatio, ad cla-

riorem intellectum præcipue conferunt. Et A quoniam Judæa in medio Syriæ est et pars Palæstinæ, secundum Hieronymum atque Chrysostomum, Syris autem et maxime Palæstinis consuetudinarium seu familiare est ad omne verbum parabolam applicare, secundum Hieronymum ; Christus quoque bonæ illorum consuetudini se conformans, per totum Evangelium frequenter similitudines seu parabolas jungit. *Quia nemo,* hoc est nullus rationabiliter agens, *commissuram,* id est particulam panni, *a vestimento novo immittit in vestimentum vetus :* B hoc est, qui vult vestem veterem resarcire seu reformare, non sumit a nova veste frustum panni quo vetus vestimentum reformet ; *alioqui,* id est, nisi ita se habeat et istud observet, *et novum* vestimentum *rumpit,* illud frangendo per subtractionem necessariæ sibi partis ; *et veteri* vesti *non convenit commissura a novo,* id est portio panni a nova veste subtracta, quoniam tam dissimiles partes panni, in uno non bene stant indumento.

Per hoc Christus insinuat, quod simili C modo his qui assueti sunt quotidie usque ad plenum comedere, non congruat statim in ipso conversionis eorum principio abstinentiam magnam injungere. Tales autem fuisse suos discipulos innuit Christus. Sed paulatim ad perfectiora ducendi sunt, ut gustata spirituali dulcedine, fortiores sint ad corporis afflictiones ; ne statim in conversionis suæ initio per excessivum rigorem terreantur aut dejiciantur. Quo etiam confessores docentur, ne noviter pœnitentibus et confitentibus pœnitentias ni- D mis graves injungant, ne illi resiliant. Ita et mystice, in homine commisceri non debent actus veteris novique hominis : quia juxta Ambrosium, discolor vestis sponso Christo non placet, qui per Jeremi-
Jer. XII, 9. am ait : Numquid avis discolor hereditas mea mihi ? Venite, congregamini ad devorandum eam. Sed exuenda est omnino vetustas vitiorum, ac novitas induenda virtutum, dicente Apostolo ad Ephesios :
Ephes. IV, 22-24. Deponite secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris ; renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est.

Insuper, secundam Christus similitudi-
nem ad idem inducit. *Et nemo* prudenter 37
agens, *mittit vinum novum in utres veteres,* id est in vasa antiqua, propter eorum debilitatem ; *alioqui,* id est, si oppositum egerit, fundendo mustum in vetera vasa, *rumpit vinum novum utres,* hoc est, vasa talia per suam fortem ac violentam ebullitionem confringit ; *et ipsum* vinum utribus antiquis infusum, *effundetur,* vasis confractis, *et utres* vetusti ac debiles *pereunt,* quia rumpuntur. *Sed vinum novum* 38
in utres novos et fortes *mittendum est, et utraque conservantur,* videlicet continens et contentum, seu vinum et vasa.

Similiter vult Salvator, quod discipuli sui adhuc carnales, rudes, ac fragiles, ardua virtutum exercitia in principio suæ conversionis ferre non poterant, sed innovandi ac confortandi erant statim post Christi resurrectionem ac ascensionem, per Spiritus Sancti infusionem, quo facto idonei fuerunt ad omnia. Itaque spiritualis fervor atque perfectio et abstinentia, novo vino comparantur, quia mentem optime alunt, roborant, exhilarant, et bonæ famæ respergunt odore. Imperfecti autem et fragiles utribus comparantur veteribus, quia si ab eis magna exigatur perfectio, prorsus deficiunt. Tales autem adhuc fuisse Apostolos, probavit eorum fuga a Christo *Matth.* XXVI, 56, 69 *et seq.* dum caperetur, et trina negatio Petri. Hinc in religione habent novitii annum probationis, quo vires suas experiantur, et successive ad perfectiora ducantur. Hinc de indiscreto laboratore per Jeremiam scriptum est : Quia plus fecit quam potuit, *Jer.* XLVIII, 36. idcirco periit. Et Paulus ait : Rationabile *Rom.* XII, 1. obsequium vestrum. Hoc est quod in Ecclesiaste Salomon loquitur : Noli esse ju- *Eccle.* VII, 17. stus multum ; neque plus sapias quam oportet, ne obstupescas. Quod totum ideo dicitur, ut indiscretio evitetur, et paulatim

ac ordinate studeamus proficere. Verumtamen omnipotentia Dei, et gratia ejus, communibus legibus non arctantur. Unde
Act. ix, 3 et seq. nonnulli, sicut et ipse Paulus apostolus, subito gratia Dei tam mirabiliter præveniuntur atque implentur, ut statim in conversionis suæ exordio, inter perfectos habeant computari, quemadmodum et Joannes Baptista in pueritia sua.

39 Postremo, similitudo tertia additur. *Et nemo bibens vetus* vinum, *statim vult novum,* hoc est, non subito convertit se ad bibendum tantummodo mustum. *Dicit enim : Vetus* vinum *melius est* novo : quia communiter ita est : et quamvis ita non esset, tamen frequenter apparet sic ei qui assuetus est bibere vinum vetus. Difficile quippe est assueta relinquere, quum similitudo sicut et habitus, sit quasi altera natura : propter quod consueta plus placent. Ita vult Christus, quod discipuli sui a pristina consuetudine non erant repente ad oppositum transferendi, sed paulatim perficiendi. Hinc et ipsi Scribæ et Pharisæi litterali Scripturarum intelligentia assueti, spirituales Christi doctrinas capere non valebant. Carnalibus quoque non statim spiritualia dulciter sapiunt, quamvis in se dulcissima comprobentur. Unde ea quæ Dei sunt, in principio difficulter adimplent, quæ habituati in bonis delectabiliter prosequuntur.

ARTICULUS XIV

EXPOSITIO CAPITULI SEXTI : FACTUM EST AUTEM IN SABBATO SECUNDO PRIMO, ETC.

PER totum Evangelium edocetur, quomodo Scribæ, et maxime Pharisæi, qui volebant ceteris religiosiores censeri, quum tamen hypocritæ essent, insidiati sint Christo et ejus discipulis : quia videbant populum ad Christum eis relictis confluere, propter quod invidia torquebantur. Unde in principio hujus capituli ponitur alia cavillatio callidorum illorum.

1 *Factum est autem in sabbato secundo primo.* Circa quod scribit Theophilus : Judæi omnem festivitatem sabbatum nuncupabant, quia sabbatum requies interpretatur. Multoties autem contingebat in Parasceve, id est sexta feria, festivitas; et vocabant Parasceven sabbatum, propter festum; deinde principale sabbatum immediate sequens dicebant secundum primum, quasi secundum a præcedentis diei festivitate, primum autem quasi principale respectu illius. Vel, secundum Isidorum abbatem, ideo dicit, Secundo primo, quia secundum erat Paschæ, primum autem Azymorum. Quum namque Judæi immolarent pascha de sero, sequenti die festum Azymorum celebrabant. Et sic debere intelligi probat Isidorus, quia Apostoli, ut statim dicetur, vellebant spicas et manducabant, quia tunc spicæ flectuntur a fructu, videlicet illis in locis. *Quum transiret* Jesus *per sata,* videlicet per itinera trita, sita inter segetes agri, *vellebant discipuli ejus spicas,* removendo illas a granis, *et manducabant* grana, *confricantes eas manibus,* id est, spicas manibus suis confricantes, ut sic grana extraherent ex spicis et palea. Habebant enim grandem esuriem, et alimenta secum non detulerunt. Allegatque Beda verba Marci evangelistæ, Marc. iii, 20. quod tantus fuit turbarum ad Christum concursus, quod discipuli spatium manducandi non habuerunt.

Quidam autem Pharisæorum dicebant 2
illis, livore, non zelo æquitatis accensi : *Quid facitis, quod non licet in sabbatis?* Pharisæi isti instar invidorum, passiones

suas colore justitiæ palliabant, proni ad
increpandum; et sua increpatione propri-
am imperitiam ostenderunt, quia præce-
ptum de observatione sabbati non recte
intellexerunt, ut consequenter ostendit Sal-
vator.
3 *Et respondens Jesus.* Ejus enim fuit, di-
scipulos suos simplices ac humiles a per-
versis illis defendere. Verumtamen apud
Matth. XII, 2; *Marc.* II, 24. Matthæum et Marcum leguntur Pharisæi
Christo objectionem istam fecisse; sed quia
multi fuerunt, probabile est quod qui-
dam eorum Christo, quidam vero discipu-
lis ejus, ista locuti sint. Christus autem
piis et mitibus suis discipulis implevit
quod per Isaiam de Christo prædictum
Is. XI, 4. est : Judicabit in justitia pauperes, et ar-
guet in æquitate pro mansuetis terræ. *Di-
xit : Nec hoc legistis, quid fecit David,
quum esurisset ipse, et qui cum eo erant?*
4 *quomodo intravit in domum Dei,* hoc est
in tabernaculum Domini in Nobe urbe sa-
cerdotum. Ista historia primo libro Regum
I *Reg.* XXI, 1-6. habetur, quemadmodum David Saulem fu-
giens, venit ad Achimelech pontificem in
Nobe, et fame laborans, petiit a pontifice
cibum pro se et sociis suis. Quumque pon-
tifex non haberet nisi panes quibus solis
sacerdotibus vesci licebat secundum le-
gem, dedit eos David et ejus ministris. Nec
tamen transgressus est legem, quia neces-
sitas fuit ibi sufficiens causa dispensatio-
nis. Hoc est quod subditur : *et panes pro-
positionis sumpsit* David a pontifice, *et
manducavit, et dedit his qui cum ipso
erant,* hoc est sociis suis ad manducan-
Lev. XXIV, 5-8. dum. Porro, panes propositionis diceban-
tur duodecim panes, qui quolibet sabbato
calidi ponebantur super mensam in taber-
naculo Domini. *Quos non licet manduca-
Ibid.* VIII, 31; XXIV, 9. *re, nisi tantum sacerdotibus,* ut in Levitico
habetur. Quod intelligendum est, excepto
articulo necessitatis, et evidentis utilitatis :
sic enim et ceteræ leges intelliguntur. Ubi
autem vera necessitas aut evidens utilitas
adest, laudabiliter dispensatur : quæ si de-
fuerint, non erit dispensatio, sed dissipa-
tio juris, ita quod nec dispensator, nec

A dispensatione utens, coram Deo judice ex-
cusatur, quemadmodum summi Pontifices
Leo et Gelasius scribunt.
Et dicebat illis, Christus scilicet Phari- 5
sæis : *Quia,* id est quod, *dominus est Fi-
lius hominis, etiam sabbati.* Quasi dicat :
Ego Filius hominis, quum sim dominus
sabbati omniumque dierum ac temporum,
potestatem et auctoritatem plenariam ha-
beo dispensandi circa sabbati observatio-
nem, ideo auctoritate mea mei excusantur
discipuli. Quibus verbis Christus suam di-
B vinitatem ac majestatem fatetur, quia do-
minari temporibus, proprie soli competit
Deo, quanquam et Christus secundum as-
sumptam naturam, omni prælatus sit ac
dominans creaturæ per auctoritatem con-
cessam, participatamque potestatem. Chri-
sti quoque auctoritate celebritas cessavit
jam sabbati, et prima feria facta est ce-
lebris.
Factum est autem et in alio sabbato, ut 6
intraret synagogam, et doceret. Cur Chri-
stus præsertim in sabbatis ac synagogis
C docuerit, et multa signa effecerit, sæpius
dictum est. *Et erat ibi,* puta in synagoga,
homo, et manus ejus dextera fuit *arida,*
id est contracta. *Observabant autem Scri-* 7
bæ et Pharisæi, si in sabbato curaret, hoc
est, infirmum quempiam supernaturali-
ter sanaret, *ut invenirent unde accusarent
eum.* Ecce perversitas infinita, et quomo-
do animam infelicem excæcat detestanda
invidia : ita ut homo inde deterioretur, un-
de merito ædificaretur. Invidia quippe om-
nia etiam bene gesta ejus quem odit, facit
D sinistre interpretari : imo invidus propo-
nit omnia facta ejus quem odit obfuscare,
inficiare, deprimere, quæritque vias qui-
bus hoc impleat. Sic Pharisæi et Scribæ
humani honoris percupidi, infatigabiliter
scrutabantur qualiter verba et facta Chri-
sti, quem oderant, apparenter coram ho-
minibus reprobarent. Illorum ergo vilissi-
mum vitemus rancorem, illud Sapientiæ
implentes, Nec cum tabescente invidia *Sap.* VI, 25.
communicabo; et fortia bona facta alio-
rum, quæ imitari non possumus aut non

satagimus, diligamus atque laudemus, nos A ipsos comparatione illorum humiliantes. — Porro, super illud, Ut accusarent eum, communiter dicunt expositores : Ut accusarent eum de transgressione sabbati, si curaret, vel de crudelitate et impotentia, si non curaret. Verumtamen ex Christi verbis elicitur, quod non intendebant eum accusare nisi de transgressione sabbati si curaret, nam hanc eorum intentionem consequenter redarguit.

8 *Ipse vero sciebat cogitationes eorum* insidiosas ac fraudulentas adversus se ; *et* B *ait homini qui habebat manum aridam : Surge, et sta in medio :* ut miraculum cunctis clarius pateat, et invidorum insania aptius confutetur ; item, ut intuentes contractum, magis ei condoleant. *Et surgens stetit.*

9 *Ait autem ad illos Jesus : Interrogo vos,* non ex ignorantia, sed ex prudentia, ut vestram insipientiam malitiamque ostendam et corrigam, *si,* id est an, *licet sabbato bene facere,* videlicet opus pietatis et caritatis egentibus impertire, *an male :* et C certum est quod non liceat, nec unquam agere male ; et an licet *animam salvam facere, an perdere :* certumque est quod liceat salvare, et non perdere. Christus autem corpus miraculose curaturus, sciscitatur et de animæ salvificatione, quia quos sanavit in corpore, sanavit et mente, peccata tollendo, et gratiam infundendo. Insuper, corporum curam ad animarum ordinavit salutem. Porro, secundum Matthæum, Pharisæi interrogaverunt Christum, an curare liceret in sabbato. (*Matth.* XII, 10.) Lucas vero inducit D Christum illos hoc interrogasse. Ad quod in libro de Consensu Evangelistarum Augustinus respondet, quod Pharisæi primo proposuerunt hanc quæstionem ; Christus autem illorum insidias intuens, jussit hominem contractum stare in medio, et tunc illorum quæstionem repetiit, ut ad eam convenientius responderet. Itaque sua quæstione ac providentia, illorum prævenit calumniam, confudit versutiam, imperitiamque monstravit.

Et circumspectis omnibus cum ira, con- 10
tristatus super cæcitate cordis illorum, ut (*Marc.* III, 5.) dicitur in Marco : fuit enim in Christo ira per zelum, rationis judicium non præveniens, sed ex ejus assumpta imperio ; *dixit homini,* quia Pharisæi et Scribæ non responderunt : *Extende manum tuam* aridam dexteram. *Et extendit ; et restituta est manus ejus,* id est, sanitati et usui naturali est reddita. Christi autem facta, operosissima erant, ideo eodem momento quo jussit, Extende manum tuam, sanata est. Neque enim valebat extendi, nisi contractione seu ariditate sua ablata. In quo patet eminentia potentiæ Christi, tam imperialiter ac instantanee et supernaturaliter operantis. Quod non nisi divina fieri potest virtute : quia etsi interdum per naturam et artem curetur contractus, non tamen utique in instanti aut solo imperio, quia naturam et artem in talibus constat successive, non instantanee, operari.

Ipsi autem Scribæ et Pharisæi *repleti* 11
sunt insipientia, id est stultissimis cogitationibus, errore, invidia, pravis consiliis : quia inde facti sunt pejores, unde debuerant fieri meliores. Nec tam imperiosum miraculum potestati adscripserunt divinæ, sed rationabili informationi Christi acquiescere noluerunt, qui ut in Matthæo legitur, multum gratiose ac evidenter illorum ignorantiam declaravit, dicendo : Quis erit (*Matth.* XII, 11, 12.) ex vobis homo qui habeat unam ovem, et si ceciderit hæc sabbatis in foveam, nonne levabit eam ? Quanto magis est homo melior ove ? Quibus verbis ostendit Salvator, quod illi non intellexerunt veraciter præceptum de sabbati observatione. Non enim quemlibet actum exteriorem in eo prohibuit per Moysen Deus, sed dixit : Omne (*Lev.* XXIII ; *Num.* XXVIII, XXIX.) opus servile non facietis in eo. Et si sæpe indeterminate omne opus prohibere videatur, intelligendum est de omni opere servili, ut quum in Exodo scribitur : Septimo (*Exod.* XX, 10.) die non facies omne opus.

Quocirca sciendum, quod ab operibus servilibus sabbato fuit vacandum, ut spiritus hominis libere Deo vacaret. Opus au-

tem tripliciter fertur servile : Primo, servitute culpæ, ut actus peccati : et a tali opere feriandum seu abstinendum fuit, et est, cunctis diebus. Secundo, servitute fortunæ, ut opus mechanicum, a quo sabbatis diebusque festivis fuit vacandum : quod Scriptura magis proprie vocat opus servile. Tertio, servitute naturæ, ut opus corporis sustentationi deserviens. Et a tali aliquando abstinendum, interdum non : quia aut fuit opus non impediens liberam Deo vacationem, sed adjuvans, ut itineratio parva, et a tali non fuit sabbato aut festis cessandum; aut impediens, et tunc vel fuit opus tale necessarium, seu non : si non, tunc fuit hinc abstinendum; si fuit necessarium, aut potuit præveniri aut differri, aut non : si potuit, fuit abstinendum; si non potuit, tunc fuerat faciendum. Idcirco a præparatione ciborum abstinendum fuit in sabbato, non autem ab impugnantium hostium expugnatione, seu repulsione, vel defensione. Propter quod in libris *I Mach.* II, 41. Machabæorum leguntur statuisse Judæi, ut contra hostes sibi sabbato occurrentes pugnarent.

Et colloquebantur ad invicem, quidnam facerent de Jesu, hoc est, quid mali ei irrogarent. Ecce quanta malitia, quia pro maximis beneficiis intenderunt mala, imo pœnam mortis, rependere, juxta illud Matthæi : *Matth.* XII, 14. Exeuntes Pharisæi, consilium fecerunt quomodo eum perderent, id est, occiderent. *Marc.* III, 6. Et in Marco fertur, quod cum Herodianis inierunt consilium. Sed mirum videtur, quod Jesus hominum amator, tanta illorum scandala quæ præscierat, non vitabat. Ad quod respondetur, quod scandalum pusillorum vitandum est, salva triplici veritate, videlicet vitæ, doctrinæ, justitiæ : ut quando opus bonum non est de necessitate præcepti, sed de abundantia supererogationis. Scandalum vero Pharisæorum vitandum non est, ut ideo bonum supererogationis omittatur vel differatur : quoniam talium scandalum non ex infirmitate vel excusabili ignorantia, sed ex malitia oritur, ita ut ex dilatione correctio non speretur. Postremo, de hac Pharisæorum atque Scribarum impietate Psalmista in Christi persona prædixit : Locuti sunt adversum me lingua dolosa, et sermonibus odii circumdederunt me; pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi; et posuerunt adversum me mala pro bonis. *Ps.* CVIII, 3-5. Hoc et in Joanne Christus testatur : Ut impleatur, inquiens, sermo qui in lege eorum scriptus est, Quia odio habuerunt me et Patrem meum gratis. *Joann.* XV, 25.

Spiritualiter, per hominem cujus dextera aruit, intelliguntur hi qui ad male agendum sunt expediti, ad bona opera impotentes, vel potius acediosi atque nolentes. Per manum nempe vis operativa exprimitur : sicque sinistra vocatur vis ista, ut mali activa; dextera vero, in quantum bonorum est operum productiva. De talibus in Jeremia habetur : Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt. *Jer.* IV, 22. Et Isaias : Væ, inquit, qui potentes estis ad bibendum vinum, viri fortes ad miscendam ebrietatem, et opus Domini non respicitis. *Is.* V, 22, 12. Tales etiam inter religiosos et clericos multi inveniuntur, qui in divini cultus obsequio mox lassantur, oscitant, et festinant, seu exeunt, in confabulationibus vero et commodis corporis fortes et alacres conspiciuntur : in quibus gratia non dominatur naturæ, nec virtus peccato, ut exigitur aut expedit ad salutem. Juxta hanc tropologiam, per Zachariam de negligente pastore temporalia spiritualibus præferente asseritur : O pastor et idolum derelinquens gregem! Brachium ejus ariditate siccabitur, et oculus ejus dexter tenebrescens obscurabitur. *Zach.* XI, 17.

Tali itaque peccatori a bonis contracto, atque ab aqua salutaris sapientiæ arido, præcipit Christus : *Surge,* id est, per pœnitentiam a peccati ruina resurge : juxta illud Apostoli, Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis; *Ephes.* V, 14. *sta in medio,* id est, publice pœniteas, et bene age, atque in gratia persevera, et aliis exemplarem te exhibe, qui publice es transgressus, et alios scandalizasti : secundum illud Apostoli, Sitis *Philipp.* II, 15, 16.

sine querela in medio nationis perversæ, verbum vitæ continentes; *extende manum tuam,* id est ad opera bona potentiam tibi concessam efficaciter applica : juxta illud Proverbiorum, Manum suam extendit ad pauperem. (*Prov.* XXXI, 20.) Frequenter autem contingit, ut Christo ita jubente et gratiam implendi peccatori præstante, perversi peccatoris conversionem videntes, homini devoto per cujus instructionem Christus peccatorem ita convertit, indignentur et insidientur.

Consequenter describitur Apostolorum
12 electio. *Factum est autem in illis diebus,* quibus Christus in mundo prædicavit et miracula egit. Verumtamen, quod subditur et narratur hic, non statim contigit post præfata immediate dicta ac gesta, sed ante, videlicet priusquam Christus fecit sermonem in monte : unde quod de Apostolorum electione hic scribitur, recapitulatio dicitur. *Exiit in montem orare,* videlicet in monte ubi fecit sermonem de beatitudinibus ac ceteris evangelicæ legis præceptis atque consiliis; *et erat pernoctans in oratione Dei.*

Christus non verbis dumtaxat, sed rebus, signis et actibus nos instruxit. Cur itaque oraturus recessit ab aliis, imo et a devotis discipulis, et ascendit in montem, atque tam diu oravit? Totum utique propter nostram instructionem, subventionem, et salutem peregit. Nam Christus, etiam secundum formam servilem assumptam peccare non potuit, nec impediri a bono; imo nec per aliquod adventicium ad devotionis augmentum juvari : quippe qui confirmatus in bono, et comprehensor fuit secundum animæ portionem supremam; tantaque virtutum perfectione ab incarnationis exordio adornatus, quod in eis nunquam in se ipso profecit, sed solum quantum ad manifestationem. Recessit ergo ab aliis oraturus, ut doceret nos suo exemplo, quatenus et nos devotius oraturi precibus in privatis, discedamus ab aliis, ut Deo liberius, stabilius quietiusque vacemus. Hinc et montem conscendit, quia et talis loci situs provocativus est elevationis internæ ad Deum, dum inde creaturæ Dei ex omni parte abundantius conspiciuntur, ex quarum intuitu, Creatoris consideratur, amatur, honoratur, atque in admiratione habetur majestas. Rursus, oraturus montem conscendit, ad innuendum quod omnis orans, infima et terrena debeat oblivisci, cœlestia contemplari, apicem mentis ascendere, et in supremo cordis consistens, Deo intendere infixa ac libera puritate, quemadmodum in Joanne Christus testatur : Veri adoratores Patrem adorabunt in spiritu et veritate. (*Joann.* IV, 23.)

Insuper, electurus Apostolos orationem tam diuturnam præmisit, ad instruendum quod canonicis prælatorum electionibus orationes devotissimæ sint præmittendæ. Insuper, in oratione pervigili pernoctavit, ut doceat nos non solum in die, sed horis quoque nocturnis, orationibus sanctis insistere, atque in eis diu ac fervide permanere. Ut autem Chrysostomus ait, tempus nocturnum devotioni et orationi est aptius, quia tunc tenebræ, quies, silentium, adspectus stellarum, compunctionem inducunt. Hinc Jeremias monet : Consurge, lauda in nocte in principio vigiliarum, et effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini Dei tui; leva ad eum manus tuas. (*Thren.* II, 19.) Ideo ait Psalmista : Prævenerunt vigilias oculi mei (*Ps.* LXXVI, 5.); et rursus, In die tribulationis meæ Deum exquisivi manibus meis nocte contra eum, et non sum deceptus. (*Ibid.* 3.) Et Isaias loquitur Deo : Anima mea desideravit te in nocte. (*Is.* XXVI, 9.)

13 *Et quum dies factus esset, vocavit discipulos suos,* qui prope montem manserunt seu convenerunt, ibique Christi præstolabantur præceptum; *et elegit duodecim ex ipsis,* ut essent principales præ ceteris, et ad prædicationem evangelicæ legis præcipue ordinati ac dirigendi, *quos et Apostolos vocavit**. Apostolus namque est nomen officii, sicut Propheta et angelus, secundum Gregorium. Apostolus autem dicitur quasi missus, vel, post missus, quia a Christo missi sunt prædicare, et post suam resurrectionem misit eos ad prædican-

*nominavit

dum per totum orbem. Denique secundum A
Ambrosium, advertendum est cœleste con-
silium, quia non sapientes, non divites,
non nobiles, sed publicanum et piscato-
res, quos dirigeret, elegit : ne divitiis, aut
potentiæ nobilitatisve auctoritate traxisse
mundum ad fidem videretur ; ut veritatis
ratio, non disputationis gratia, prævaleret.

Deinde Apostolorum nomina exprimit,
ne quis alium audeat inscribere Apostolo-
rum a Christo tunc institutorum catalo-
go : quamvis et postea aliqui divinitus sint
Act. i, 26; constituti Apostoli, ut Matthias, Paulus, B
xiii, 2. 14 Barnabas, et Silas. *Simonem, quem cogno-*
minavit Petrum. Secundum Bedam, non
in hac electione vocavit eum Petrum, sed
longe ante, quando Andreas duxit Simo-
nem fratrem suum ad Jesum : cui Jesus
Joann. i, 42. tunc dixit, Tu vocaberis Cephas, quod in-
terpretatur Petrus, ut Joannes describit.
Marc. iii, 16. Sed huic obviare videtur illud Marci, Im-
posuit Simoni nomen Petrus ; et loquitur
ibi Marcus de electione Apostolorum. Ideo
alii dicunt, quod illud Joannis scriptum,
Tu vocaberis Cephas, non fuit præsentis C
nominis impositio, sed futuræ impositionis
nominis hujus prænuntiatio. Videtur au-
tem et aliter posse dici. Petrus namque
interpretatur firmus vel obediens, seu prin-
cipalis. Cephas quoque interpretatur prin-
cipalis. Quum itaque in Joanne scribitur,
Cephas, quod intrepretatur Petrus, sumitur
Petrus ut interpretatur principalis : sic-
que tunc impositum est ei nomen Petrus,
hoc est nomen quod tantum valet ut Pe-
trus, secundum hanc Petri interpretatio-
nem, quia tunc dictus est Cephas. Postea D
autem vocatus est Petrus, prout Petrus in-
terpretatur firmus sive obediens, juxta
quem modum Christus alibi ait ad eum :
Matth. xvi, 18. Tu es Petrus, id est firmus, et super hanc
petram, hoc est firmam demum fidei con-
fessionem, ædificabo Ecclesiam meam. —
Ex hac immutatione nominis Petri, qua
qui ante apostolatum vocatus est Simon, in
electione ad apostolatum dictus est Petrus,
inducta est consuetudo quod dum quis
efficitur Papa, aliud sibi nomen imponi-
tur, ad designandum spiritualem immuta-
tionem qua qui aliis rector et pastor præ-
ficitur, in alterum melioremque virum
debet mutari. Sed utinam in pejorem et
arrogantiorem non mutetur, sicut et Saul,
cui tamen prædictum fuit : Mutaberis in I *Reg.* x, 6.
alium virum.

Et Andream fratrem ejus, Jacobum et
Joannem, quos tunc vocavit Boanerges, *Marc.* iii, 17.
hoc est filios tonitrui, propter altisonam
prædicationem eorum. Isti fuerunt consan-
guinei Christi, videlicet filii Mariæ uxoris
Zebedæi, quæ fuit soror Christiferæ Mariæ.
Philippum et Bartholomæum, Matthæum 15
et Thomam, Jacobum Alphæi filium, qui
dictus est Jacobus Minor, quia vocatione
posterior Jacobo fratre Joannis. Vocatus est
etiam frater Domini seu Christi, quia cor-
poris dispositione et forma ei simillimus
fuit : quem propter eximiam suam sancti-
tatem, Apostoli suscepto Spiritu Sancto or-
dinaverunt Jerosolymitanum primum Chri-
stianorum ibi episcopum. *Et Simonem, qui*
vocatur Zelotes, id est Cananæus : CANA *Matth.* x, 4.
enim dicitur zelus. *Et Judam Jacobi* Mino- 16
ris fratrem, qui in Matthæo vocatur Thad- *Ibid.* 3.
dæus ; et secundum Hieronymum, vocaba-
tur etiam Lebbæus, quod dicitur corculus,
id est diligens sui cordis custos. Isti duo,
videlicet Simon et Judas, fuerunt fratres
Jacobi Minoris et filii Mariæ uxoris Al-
phæi, sororis Virginis gloriosæ, ut in Pas-
sionali Sanctorum habetur. *Et Judam Is-*
cariotem, qui fuit proditor, hoc est traditor
Christi. Quem licet Salvator prænosceret
traditorem futurum, elegit tamen eum in
Apostolum : propter futuram illius mali-
tiam et ingratitudinem non desinens agere
quod suæ exstitit bonitatis, præsertim quia
ex proditoris hujus malitia scivit, potuit,
et voluit magnum bonum elicere, utpote
Scripturarum de sua traditione impletio-
nem, et suæ ineffabilis pietatis ostensio-
nem, quod scilicet illum fecit sibi tam
familiarem atque Apostolum, a quo se præ-
vidit tradendum : de quo in Joanne disse-
ruit, Nonne duodecim vos elegi, et unus *Joann.* vi, 71.
ex vobis diabolus est ?

17 *Et descendens cum illis* duodecim Apo- A
stolis de superioribus locis montis, *stetit*
in loco campestri, et turba discipulorum
ejus. Quo verbo ostenditur quod multos
habebat discipulos : nam et præter Apo-
Luc. x, 1. stolos, designavit septuaginta duos discipu-
los, misitque eos binos ad urbes ad quas
fuit ipse venturus, ut infra habetur ; sed
et alios multos habebat discipulos, quo-
rum aliqui sæpe recesserunt ab eo, nec
Joann. vi, 67. eum amplius sequebantur, sicut in Joanne
habetur. Joannes quoque scribit, quod Jo-
Ibid. xix, 38. seph ab Arimathea fuit discipulus Chri- B
sti, quamvis occultus metu Judæorum. *Et*
multitudo copiosa plebis ab omni Judæa,
et Jerusalem : quæ fuit Judææ metropolis,
ideoque nominatim exprimitur ; *et mari-*
tima, hoc est a regione sita circa mare :
quod secundum Bedam et Glossam, non
intelligitur de mari Galilææ proximo huic
loco campestri, quia hoc magnum non
esset quod de illis locis venissent ad Chri-
stum ; sed intelligendum est de Magno ma-
ri, in quo Tyrus et Sidon poterant com-
prehendi. Unde et subditur : *et Tyri, et* C
Sidonis, hoc est copiosa harum urbium
gentilium multitudo. Ex quo claret quod
maxima fuit Christi fama, quæ etiam gen-
tiles ex tam diversis ac remotis locis at-
18 traxit. *Qui venerant ut audirent eum,* id
est, ejus doctrina seu prædicatione instru-
erentur, atque proficerent : et forte non
pauci curiositate quadam attrahebantur,
cupientes illum adspicere et audire, de
cujus sapientia et eloquentia, potestate et
signis tanta audierant ; *et sanarentur a*
languoribus suis qui languidi erant : qui D
comparatione aliorum, pauci fuerunt.

Et qui vexabantur a spiritibus immun-
dis, hoc est obsessi a dæmonibus, *cura-*
bantur, id est, virtute Christi liberaban-
tur ab illis. Christus namque solo imperio
expulit dæmones. Porro, in eo quod dici-
tur, Spiritibus, tangitur subtilitas naturæ
dæmonum : quorum perversitas culpæ in-
sinuatur, quum subditur, Immundis ; abu-
sus quoque potentiæ seu prava operatio
eorumdem exprimitur, quum dicitur, Ve-
xabantur ; quorum et refrenatio designa-
tur, quum additur, Curabantur.

Et omnis turba quærebat eum tangere, 19
non solum infirmi, sed et alii, confidentes
ejus tactu ab adversitatibus tueri, a pec-
catis mundari, gratiæ participes fieri, seu
aliquod beneficium consequi : imo secun-
dum Marcum, certatim et copiose irrue- Marc. iii, 10.
bant in eum, ut tangerent eum. Cujus cau-
sa subjungitur : *quia virtus de illo exibat,*
id est, potestas, virtus et sanctitas in ipso
consistens, se in operationem extendit, et
præclaros effectus produxit. Itaque virtus
de Christo manavit, non quod eadem nu-
mero virtus de ipso prodierit, aliosque in-
traverit, sed quia potestas Christi aliis ef-
ficientiam suam impressit, quemadmodum
effectus dicitur a causa procedere, et cau-
sa in effectum exire, puta per influentiam
quamdam. *Et sanabat omnes* infirmos. Imo
et eos qui corpore sani erant, ab anima-
rum vulneribus, id est peccatis, sanavit,
dummodo ex parte illorum defectus non
erat, sed quod in se fuit effecerint : ad
quod agendum atque ad gratiam sortien-
dam disposuit Christi contactus quosdam
illorum, pia quadam præventione suæ mi-
sericordiæ, virtute ac merito ejus. Specia-
liter autem loquitur Evangelista de mira-
culosa corporaliter infirmorum curatione ;
sed quoniam Christus eos sanavit in anima
quos corpore curavit, ut Sancti testantur,
verum istud de utraque sanatione acci-
pitur.

Circa quod quæritur, de qua Christi virtu-
te hoc intelligatur, et quomodo humanitas
Christi ad miraculosos effectus coopera-
batur. Verum hæc quæstio superius sæpe
tacta et aliqualiter est soluta : quæ nunc
diffusius clariusque solvenda est.

Itaque miracula propriissime dicta, to-
tam naturæ creatæ virtutem, facultatem
seu auctoritatem transcendunt : ideo cer-
tum est, quod sola illius potestate qui to-
tius naturæ creator ac institutor est, fiant,
tanquam virtute principaliter operante.
Propter quod ait Psalmista : Benedictus Ps. lxxi, 18.
Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia

solus. Nihilo minus Sancti, tam angeli quam homines, multa leguntur fecisse miracula; certumque est precibus et meritis hominum sanctorum Deum frequenter signa fecisse, ita quod homines ad illa meritorie cooperabantur. Sed difficultas est, an cooperati sint causaliter per aliquam virtutem in eis consistentem divinitus datam, ita quod illa potestas sit, non principalis, sed instrumentalis causa effectus miraculosi.

Hanc quæstionem Augustinus vicesimo secundo de Civitate movet, et indeterminatam reliquit. Gregorius vero libro Dialogorum, ejus solutionem tangere videtur, dicendo : Deo mente devota adhærentes, quum rerum necessitas postulat, mira quæque aliquando faciunt ex prece, interdum ex potestate, scilicet divinitus eis concessa. Et hoc probat ratione, quoniam per gratiam adoptionis datur hominibus fieri filios Dei : quod majus est quam facere signa, quod sæpe et malis conceditur. Ergo hominibus virtuosis videtur dari potestas operativa instrumentaliter miraculo-
Act. IX, 40. rum. Denique Petrus oratione præmissa
Ibid. V, 1-10. suscitavit Tabitham ; Ananiam vero et Saphiram conjugem ejus occidit, non prece, sed increpatione eorum præmissa. Insuper in sermone de Angelis dicit Gregorius, quomodo aliqui electorum vi acceptæ potestatis miracula operentur, ita ut ad illum angelorum pertineant chorum per quos signa et miracula fieri solent. — Ad idem arguitur, quoniam inter dona gratiæ gratis datæ ponuntur gratia sanitatum et operatio virtutum seu miraculorum. Quemadmodum ergo aliqua dona gratiæ gratis da-
I Cor. XII, 8-10. tæ ab Apostolo enumerata, videlicet sermo sapientiæ, sermo scientiæ, prophetia, donum linguarum, ponunt aliquid reale seu quamdam virtutem in anima; ita de gratia faciendi miracula dicendum videtur. — Insuper, secundum doctores, sacramenta novæ legis efficiunt quod designant, ita quod quædam virtus in eis consistit ac ponitur

A instrumentaliter atque causaliter cooperativa ad producendum gratiam sacramentalem, vel saltem dispositionem ad eam, puta characterem, quum tamen sacramenta ista in sensibilibus rebus consistant. Multo ergo amplius apparet, quod in animabus Sanctorum sit virtus quædam instrumentali concausalitate ad productionem miraculorum concurrens atque cooperans.

Quod quidam concedunt : quorum aliqui asserunt, quod virtus ista non insit Sanctis fixe seu permansive ut habitus, sed per
B modum dispositionis, passionisve transeuntis, quemadmodum prophetia : propter quod non semper ad libitum possunt miracula operari. Contra quod aliqui dicunt, quod licet virtus ista eis inesset ut habitus, non tamen oporteret concedere quod facere possent miracula quoties vellent, eo quod virtus ista sit instrumentalis, quæ non agit nisi mota a principali virtute. Sed de hac re possent plurimæ difficultates moveri, et rationes pro utraque parte adduci, quas disputantibus committendas
C potius puto.

Insuper, istam virtutem in Sanctis ponentes dicunt, quod ipsa tanto plus atque sublimius sit in Christi humanitate ponenda, quanto illa potius est instrumentum seu organum Divinitatis seu Verbi æterni, quam Sancti et sacramenta : cujus Verbi æterni ipsa est organum immediatum, animatum, conjunctum ac proprium, sicut corpus meum est instrumentum animæ meæ ; alii autem Sancti sunt Divinitatis instrumenta separata, communia, sicut se-
D curis est instrumentum artificis. Juxta istam positionem, verba Evangelistæ prædicta, videlicet, Virtus de illo exibat et sanabat omnes, non solum de divina et increata Christi virtute, miracula principaliter operante, sed et de supernaturali ejus virtute creata prædicta, miraculorum instrumentaliter productiva, intelligi possunt : et istud pro intelligentia sequentium de Christi miraculis valet.

ARTICULUS XV

PROSECUTIO EXPOSITIONIS HUJUS SEXTI CAPITULI : ET IPSE ELEVATIS OCULIS IN DISCIPULOS SUOS, DICEBAT.

20 Et *ipse elevatis oculis in discipulos suos, dicebat.* Quamvis Christus omnibus loqueretur, oculos tamen corporales in discipulos suos specialiter dirigebat, ad insinuandum quod ea quæ prædicaturus fuit, eis potissimum convenirent atque inessent; item, ad innuendum quod eos aliis proponeret in exemplum, et quia doctrinæ suæ erant ceteris capaciores; rursus, ad ostendendum specialem suum amorem ad ipsos, atque ut eos arctius sibi attraheret, dum in omnium præsentia tam amorose ac reverenter se ad ipsos habebat : per quod etiam alios ad suum discipulatum incitavit. *Beati pauperes.* Quæri hic potest, an iste sermo sit idem cum illo qui a Matthæo describitur. Cujus quæstionis prosecutionem ac solutionem omitto, quia super Matthæum hæc scripsi. Id vero sciendum, quia quæ in isto capitulo ac sermone recitat Lucas, Matthæus gloriosus (*Matth.* v-vii.) evangelista tribus capitulis multo plenius atque diffusius scribit. Et sermo ille, quem tribus illis describit capitulis, vocatur sermo Domini in monte : super quem Augustinus specialem librum composuit. In quo sermone continetur et datur lex evangelica, et quidquid ad optimos mores christianæque vitæ pertinet perfectionem. De quo quidem sermone quia super Matthæum prolixe conscripsi, nunc brevius prætermitto.

Lucas itaque non nisi quatuor beatitudines exprimit : quarum primam ponit eamdem quam Matthæus, sed brevius. Siquidem in Matthæo habetur (*Ibid.* v, 3.), Beati pauperes spiritu ; hic dicitur, *Beati pauperes.* Quod dupliciter explanatur : Primo, de voluntaria paupertate propter Deum sponte assumpta, desiderata, vel complacente, qua terrenæ opes seu temporalia, quantum congrue fieri potest, spernuntur vel abjiciuntur, ut mens Deo et contemplationi liberius atque perfectius vacet. Unde et Christus ait : Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. (*Luc.* xiv, 33.) Tanto etenim perfectius et expeditius anima intendit altius ac uni super omnia necessario (*Ibid.* x, 42.), quanto minus circa plura et temporalia occupatur, dispertitur, distrahitur. Secundo exponitur : Beati pauperes, id est humiles, qui in oculis suis parvi, defectuosi, seu indigentes sunt, potissimum intuitu Dei ; qui nihil boni se a se habere fatentur, et omne bonum Deo adscribunt.

Quia vestrum est regnum Dei. Quia Christus in discipulos visum direxit, idcirco ad eos verbum hoc dirigit. In qualibet autem beatitudine duo ponuntur : primum est per modum meriti; secundum, per modum præmii merito correspondentis. Itaque, postquam Christus proposuit meritum, dicens, Beati pauperes spiritu, utpote qui præfato modo terrena despiciunt, vel se ipsos humiliant; proportionatum et consonum subjungit mox præmium, Quia vestrum est regnum Dei, id est opulentia felicitatis æternæ, altitudo regni cœlestis. Præfatæ etenim paupertati illa opulentia correspondet, et humilitati illi, sublimitas ista, quemadmodum Christus ait : Qui se humiliat exaltabitur. (*Ibid.* xiv, 11.) Rectissime quoque cœlestium bonorum possessio, contemnentibus propter Deum temporalia bona promittitur.

Deinde secunda beatitudo subjungitur, 21
quæ a Matthæo ponitur quarta. *Beati qui* (*Matth.* v, 6.)

nunc esuritis. Quum beatitudo sit exclusiva pœnæ atque miseriæ, mirum quod Christus esurientes et flentes ac persecutionem patientes asserit esse beatos. Sed advertendum quod duplex est beatitudo, videlicet, viæ, et patriæ. Beatitudo viæ est actus meritorius beatitudinis patriæ, scilicet actus virtuosus qui meritum est et dispositio ad felicitatem patriæ. Itaque, esurientes, flentes, adversa patientes, pauperes, et ceteri quos Christus nunc asserit esse beatos, beati sunt jam in re, loquendo de beatitudine viæ, suntque beati in spe, loquendo de beatitudine patriæ.

Porro quod ait, Beati qui nunc esuritis, primo exponitur de corporali esurie, prout est actus virtutis, videlicet abstinentiæ, qua quis sponte propter Deum corpus suum castigat, affligit, et quodammodo necessaria subtrahit ei, sicut ait Apostolus :
I *Cor.* IX, 27. Castigo corpus meum et in servitutem re-
Galat. V, 24. digo ; et iterum, Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Beati sunt quoque, qui ex defectu alimentorum esuriunt, dummodo hoc propter Deum patienter sustineant, vel propter eum tantam elegerint inopiam, vel propter eum alimentis priventur ab impiis, sicut de multis martyribus legitur. Ista ergo esuries a Christo fertur beata, quia est dispositiva ad gratiam, introductiva ad gloriam, satisfactoria pro peccatis et delectationibus inordinatis ; specialem quoque illuminationem et sapientiæ infusionem meretur a Deo, quemadmodum
Dan. I, 9-17. Danieli et sociis ejus infudit Dominus sapientiam magnam, eo quod abstinentiæ operam contulerunt, ut legitur in Daniele. Et
Is. XXVIII, 9. in Isaia inquiritur : Quem docebit Dominus scientiam ? et quem intelligere faciet auditum? Ubi protinus respondetur : Ablactatos a lacte, avulsos ab ubere, hoc est eos qui carnales spernunt delicias, et sensualitatem per abstinentiam ac cetera virtutum exercitia rationi subjiciunt. Ideo scri-
Prov. XXI, 17. ptum est : Qui amat vinum et pinguia, non erit sapiens. — Secundo exponitur de spirituali esurie, qua quis justitiam cordiali-
A ter appetit, prout justitia est virtus generalis, omnisque virtus. Sic spiritualiter esurire, est quotidianum profectum in omni virtute optare, Dei honorationem in omnibus desiderare, omnium reformationem ac perfectionem intime affectare : quod venit ex caritate et zelo justitiæ. Esuriamus ergo justitiam istam ; nec unquam satis justos nos esse putemus, sed omni hora satagamus proficere, quum et Apostolus
dicat : Ego non arbitror me apprehendis- *Philipp.* III, 13.
se ; et quæ retro sunt obliviscens, in ante-
B riora extendo me ipsum.

Hujus autem beatæ esuriei præmium subditur. *Quia saturabimini,* id est, bonis spiritualibus replebimini, præsertim donis
gloriæ in patria, dicente Psalmista, Satia- *Ps.* XVI, 15.
bor quum apparuerit gloria tua. Ibi nempe tota capacitas ac desiderium animæ adimplentur, et tota ejus potentialitas ad actum perfecte reducitur, per hoc quod Deum clare per speciem contemplatur, ipsoque fruitur. Unde quidquid scire vel habere cupit, scit et habet : quod potissimum
C erit post corporum glorificationem. Denique etiam in præsenti, taliter esurientes aliqualiter saturantur charismatibus gratiarum et pane sacramentali, quum et Psal-
mista loquatur : Benedic, anima mea, Domi- *Ps.* CII, 1, 5.
no, qui replet in bonis desiderium tuum ;
et denuo, Timete Dominum, omnes sancti *Ps.* XXXIII, 10.
ejus, quoniam nihil deest timentibus eum.
De his quoque qui experiri solent quam I *Petr.* II, 3.
dulcis est Dominus : Memoriam, inquit, *Ps.* CXLIV, 7.
abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt. Talis autem ructus, non nisi de saturitate
D seu plenitudine quadam venit, secundum Bernardum. Imo sæpe tanto dilectionis fervore, tanta contemplationis admiratione et sinceritate, tanto divinæ supersuavissimæ bonitatis dulcore desuper gratiose implentur, ut nec ipsimet ferre prævaleant, sed mente et corpore deficiant et succumbant, obrigescant et langueant : quod expertus
fuit qui dixit, Defecit caro mea et cor *Ps.* LXXII, 26.
meum. Et Jeremias : Factus est, inquit, *Jer.* XX, 9.
sermo Domini in corde meo quasi ignis exæstuans ; et defeci, ferre non sustinens.

A Verum abundantia ista non est continua, neque simpliciter plena, quia interrumpitur sæpe, et ad facialem superbenedicti Dei intuitionem, ejusque indeficientem beatificam fruitionem, omnis talis adspirat, Rom. VII, 24. cum Apostolo clamans : Infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis hujus ?

Matth. v, 5. Sequitur beatitudo tertia, quæ a Matthæo tertia ponitur. *Beati qui nunc fletis,* id est, vestra vel aliorum peccata caritative et dolorose deplangitis, vel desiderio patriæ cœlestis, hujus exsilii incolatum deploratis, vel Christi passionem meditando, ex ejus compassione lugetis. Est demum et alter nobilissimus ac felicissimus fletus, non ex aliqua adversitate, pœna aut tristitia manans, sed ex sincerissima quadam complacentia superdeliciosissimi Dei, dum in alta contemplatione Deus cum singulari quadam claritate ac sinceritate ostendit se intellectui contemplantis, ita quod sinus mentis, et apex affectus, mox totus aperitur, expanditur, absorbetur in tam superincomparabili superpulcherrimoque objecto, et anima ineffabilem complacentiam concipit et habet in eo, atque ex hoc dulces per oculos guttæ funduntur.

Quia ridebitis, id est, internam consolationem, cordialemque jucunditatem in patria, pro præmio suscipietis. Non ergo de vano et exteriori risu hoc dictum est, sed de alacritate et lætitia spirituali : de qua in Proverbiis fertur de forti muliere, Prov. XXXI, 25. Ridebit in die novissimo ; in Job quoque, Job VIII, 21. Impleatur os tuum risu, et labia tua jubilo. Hæc merces boni ploratus, etiam in vita hac inchoatur, in his qui cum Psalmista dicere possunt Deo : Ps. XCIII, 19. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam ; Ps. XXX, 20. et rursus, Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine ! Itemque cum Apostolo : II Cor. I, 3, 4. Benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra ; et denuo, Ibid. 5. Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita per Christum abundat consolatio nostra. Clementissimus etenim Dominus, etiam in præsenti servulos suos consolari et lætificare dignatur frequenter et abundanter, eos videlicet qui præfatis luctibus se affligunt, qui omne carnale oblectamentum despiciunt, juxta illud : Renuit consolari anima mea ; memor fui Dei, et delectatus sum. Ps. LXXVI, 3, 4.

B Præterea contuendum quod Christus in his duabus beatitudinibus addit, Nunc, dicendo, Beati qui nunc esuritis, Beati qui nunc fletis : ad insinuandum quod tempus vitæ præsentis sit tempus pœnitentiæ ac mœroris, quia in valle lacrimarum, in carcere atque exsilio conversamur, et innumerabilia exstant pericula.

Sequitur beatitudo quarta, quæ in Matthæo ordinatur octava. Matth. v, 10-12. 22 *Beati eritis, quum vos oderint homines* propter veritatem, et justitiam vestram, seu aliam quamcumque virtutem et gratiam. Sic autem odire, non convenit nisi vitiosis hominibus. Unde, homo accipitur hic in malo, videlicet quantum ad id quod homines communiter magis sequuntur, quod est sensualitas, passionesque ejus. C Juxta quem modum ait Apostolus : Quum sit inter vos zelus et contentio, nonne homines estis? I Cor. III, 3. Et iterum, Si hominibus placerem, Christi servus non essem ; Galat. I, 10. quum tamen alibi protestetur, Ego per omnia omnibus placeo. I Cor. X, 33. Præterea, sicut amare, est alicui bonum velle ; ita odire, est alicui malum velle. De tali odio ait Christus discipulis : Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit ; Joann. XV, 18. et alibi, Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Luc. XXI, 17. *Et quum* D *separaverint vos* a sua societate, quasi indignos eorum consortio : juxta illud Proverbiorum, Abominantur impii justum ; Prov. XXIX, 27. et rursus, Viri sanguinum oderunt simplicem. Ibid. 10. Unde in Joanne habetur : Conspiraverunt Judæi, quia si quis confiteretur Jesum esse Christum, extra synagogam fieret. Joann. IX, 22. *Et exprobraverint,* convitia et improperia irrogando : juxta illud Petri, Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis. I Petr. IV, 14. Et ad Corinthios scribit Apostolus : Maledicimur et benedicimus. I Cor. IV, 12. *Et ejecerint nomen ve-*

strum tanquam malum, id est nomen et A
famam quibus Christiani vocamini ; vel,
Nomen vestrum, id est, vos ipsos, quos
exsecrantur tanquam pessimos, omnino im-
petuose expulerint; *propter Filium homi-
nis,* id est ob id quod in me creditis, vel
mihi obeditis, et secundum mea præcepta
aut consilia vivitis. Itaque quicumque hæc
patitur propter justitiam aut virtutem, pa-
titur propter Christum. Non est autem ma-
gnum hæc pati propter proprias culpas,
imo cavendum ne taliter patiamur. Ideo
in prima sua Canonica loquitur princeps B
I Petr. II, 20. Apostolorum : Quæ est gratia, si peccantes
et colaphizati suffertis ? Si autem bene-
facientes sustinetis, hæc est gratia apud
Ibid. IV, 15. Deum. Et iterum ait : Nemo vestrum pa-
tiatur ut homicida aut fur.

Præterea, quamvis Christus beatos ap-
pellet eos qui odiuntur, et prædicta patiun-
tur adversa ; non tamen propterea optare
debemus ut alii nos odiant et infestent,
præsertim in quantum talia habent ratio-
nem peccati : imo, hoc esset caritati con-
trarium, desiderare aliorum ruinam. Sed C
ideo Christus hæc dicit, ut in adversis pa-
tientiam inconcussam servemus, nec pro-
pter aliorum odium et persecutionem, vi-
am justitiæ relinquamus.

23 *Gaudete in illa hora, et exsultate :* id
est, dum ista patimini, in eisdem gaudete
interiori jucunditate, et exsultate exteriori
lætitia, ut corde et corpore seu appetitu
intellectivo ac sensitivo lætemini : juxta
Ps. LXXXIII, 3. quod scriptum est, Cor meum et caro mea
exsultaverunt in Deum vivum. Exsultatio
quippe, quasi extra saltatio dicitur, dum D
gaudium internum redundat in corpus vi-
resque sensitivas, ita quod ex abundantia
interioris delectationis signa lætitiæ foris
monstrantur. Hoc fecerunt Apostoli, juxta
Act. V, 41. illud Actuum : Ibant gaudentes a conspe-
ctu concilii, quoniam digni habiti sunt pro
nomine Jesu contumeliam pati. Et beatis-
simus Andreas apostolus, crucem eminus
videns : Gaudens, inquit, venio ad te, ita
ut tu gaudens suscipias me. Hinc Jacobus :
Jacob. I, 2. Omne gaudium existimate, fratres, quum
in diversas tentationes incideritis. *Ecce
enim merces vestra multa est in cœlo.* Ideo
taliter gaudere et exsultare debetis, quia
pro temporalibus istis persecutionibus, præ-
mium copiosum in regno cœlesti habebi-
tis. De quo præmio Isaias et Paulus te-
stantur, quod oculus non vidit, nec auris *Is.* LXIV, 4;
audivit, nec in cor hominis ascenderunt, *I Cor.* II, 9.
quæ præparavit Deus electis. Hoc utique
præmium tam multum est, ut innume-
rabile appelletur ; tam pretiosum, ut in-
comparabile asseratur ; tam magnum, ut
inæstimabile sit ; tam diuturnum, ut in-
terminabile exstet. Quæ enim beatitudo
æterna, prout beatitudo, dicitur status om-
nium bonorum aggregatione perfectus. Hæc
est una ratio gloriandi in adversis. Propter
quod ait Apostolus : Id quod in præsenti *II Cor.* IV, 17.
est momentaneum et leve tribulationis no-
stræ, æternum gloriæ pondus operatur in
nobis.

Insuper, in adversis gaudere debemus,
quia per adversitatum sustinentiam anti-
quis et præcipuis Sanctis assimilamur. Id-
eo addit Salvator : *Secundum hæc enim
faciebant Prophetis patres eorum,* id est,
præfatis modis persecuti sunt eos, odien-
do, abjiciendo, exprobrando, carnales ac
impii patres Judæorum temporis hujus :
a quibus et vos, discipuli mei, estis adver-
sa passuri. Ideo in Actibus loquitur Ste-
phanus eis : Dura cervice et incircumcisi *Act.* VII, 51, 52.
cordibus et auribus, vos semper resistitis
Spiritui Sancto, sicut et patres vestri. Quem
Prophetarum non sunt persecuti patres
vestri ?

Itaque, ex his saluberrimis Christi ver-
bis, hortamentis et promissionibus, disca-
mus adversa æquanimiter ferre, in eisdem
cordialiter gloriari, nec fatigari, sed us-
que in finem invicte persistere, non solum
propter causas jam tactas, sed præsertim
quia per hoc Deum potissimum honora-
mus, dum omne adversum lætanter per-
ferimus, eo quod Deum frequenter inhono-
ravimus atque offendimus (quem quanto
sincerius perfectiusque diligimus, eo pec-
cata nostra plus displicent nobis, et om-

nem adversitatem ac pœnam atque confu-
sionem propter ea libentius sustinemus, ut
Deo superaltissimo aliqua saltem recom-
pensatio fiat); item, quia per adversa a
vitiis expurgamur, ad gratiam præpara-
mur, in omni virtute proficimus, Christo
propter nos passo assimilamur, futura tor-
menta evadimus : imo misericordia et pro-
tectio Dei in tribulationibus potissimum
prona est subvenire, sicut ait in Psalmo,
Ps. xc, 15. Cum ipso sum in tribulatione. Hinc ad
Hebr. xii, 1-4. Hebræos monet Apostolus : Per patientiam
curramus ad propositum nobis certamen,
adspicientes in auctorem fidei et consum-
matorem Jesum, qui proposito sibi gaudio
sustinuit crucem. Recogitate eum qui ta-
lem sustinuit a peccatoribus adversus se-
metipsum contradictionem, ut non fatige-
mini animis vestris. Nondum enim usque
ad sanguinem restitistis.

Contemplandum est hic, quemadmodum
Filius Dei, qui venit reprobare gloriam
mundi, ejusque perfectum docere contem-
ptum, præinducta quatuor ponit, beatifi-
cat, et commendat, quæ maxime contrari-
antur his quatuor quæ mundani homines
potissimum quærunt et amant, atque in
quibus felicitatem suam constituunt. Quo-
rum primum est affluentia divitiarum,
quæ multorum fomentum est vitiorum :
contra quam ait Salvator, Beati paupe-
res. Secundum est carnalium deliciarum
possessio : contra quam loquitur Christus,
Beati qui esuritis. Tertium est ludorum,
jocorum et vanitatum dissolutio : contra
quam dicit, Beati qui fletis. Quartum est
temporalium honorum, sæculariumque fa-
vorum procuratio : contra quam prædicat,
Beati eritis quum vos oderint homines,
etc. Postremo hæc quatuor a Christo indu-
cta, quatuor virtutibus cardinalibus coap-
tantur, puta : paupertas, temperantiæ, quæ
superflua resecat; esuries, justitiæ, cujus
est corpus castigare; fletus, prudentiæ, quæ
eligit hic lugere, ut gaudium acquiratur
æternum; perpessio adversitatum, fortitu-
dini, cujus est difficillima fortiter pati.

Insuper, Christus ad ampliorem et evi-
A dentiorem inductarum quatuor beatitudi-
num commendationem ac laudem, vituperat
et condemnat vitia eis opposita : quæ a
mundi amatoribus felicitates quædam re-
putantur; sed a Christo infallibili judice
censentur miseriæ, quia per eas Deus fons
totius veræ felicitatis, ejusque dona, vide-
licet gratia in præsenti et gloria in futuro,
perduntur, atque æterna obtinetur dam-
natio. Itaque ait : *Verumtamen, væ vobis* 24
*divitibus, qui habetis consolationem ve-
stram.* Tanquam dicat : Quamvis felices
B vos æstimetis, tamen æternæ damnationis
dolor debetur et imminet vobis. Unde se-
cundum Chrysostomum, in Scripturis per
Væ, æterna damnatio designatur. Loquitur
autem Christus de divitibus divitias suas
immoderate amantibus, eisque abutenti-
bus, qui ex eis delicate se nutriunt, et
consolationes habent carnales, ideo spiri-
tualem consolationem gustare indigni sunt.
Sicque in Matthæo Dominus protestatur :
Facilius est camelum per foramen acus *Matth.* xix, 24.
transire, quam divitem intrare in regnum
C cœlorum. Apostolus quoque ad Timothe-
um : Qui volunt divites fieri, incidunt in I *Tim.* vi, 9.
tentationem et laqueum diaboli et deside-
ria vana, quæ mergunt hominem in inte-
ritum et perditionem. Hinc Jacobus ait :
Agite nunc, divites, plorate ululantes in *Jacob.* v, 1.
miseriis quæ advenient vobis. Sed non om-
nes divites tales sunt, quia sunt aliqui eis
bene utentes, et liberales ac misericordes,
spiritualia temporalibus præferentes, et il-
lud Psalmistæ implentes : Divitiæ si af- *Ps.* lxi, 11.
fluant, nolite cor apponere. Hinc in Eccle-
D siastico habetur : Beatus dives qui inventus *Eccli.* xxxi, 8.
est sine macula, qui post aurum non abiit,
nec speravit in pecuniæ thesauris. Quod
quam rarum atque difficile sit, constat
ex eo quod illico subditur : Quis est hic? *Ibid.* 9.
et laudabimus eum. Fecit enim mirabilia
in vita sua. Non ergo nos committamus
periculo.

Væ vobis qui saturati estis, id est, væ 25
vobis gulosis, qui non ad necessitatem, sed
ad voluptatem vos reficitis, et fœtidam
carnem superflue adimpletis. Hinc alibi ait

Luc. xxi, 34. Salvator : Videte ne graventur corda vestra in crapula vel ebrietate. Et Apostolus : *Rom.* xiii, 14. Carnis (inquit) curam ne feceritis in desideriis ; et ad Romanos, *Ibid.* viii, 13. Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Ideo ait Hieronymus : Non est possibile ut quis hic impleat ventrem et in futuro mentem. Hoc est quod subditur : *quia esurietis*. Sicut in beatitudinibus, ita in vitiis eis oppositis, ponit Christus retributiones seu mercedes correspondentes. Unde et in libro *Sap.* xi, 17. Sapientiæ dicitur : Per quæ quis peccavit, per hæc et punietur. Quamvis ergo gulosi in inferno esurient per omnium bonorum delectabilium carentiam, tamen vitio suæ gulositatis specialiter promerentur famis et sitis afflictionem. Dicit autem Basilius : Subjectio corporis per nihil aliud sic obtinetur, sicut per abstinentiam : qua sicut quodam freno, decet compescere juventutis fervorem. Est ergo abstinentia interemptio criminis, amotio passionum, vitæ spiritualis initium, obtundens in se illecebrarum aculeum.

Væ vobis qui ridetis nunc. Si risui debetur æterna damnatio, quis potest esse securus ? Sed non de quocumque risu jam loquitur Christus, verum de risu inordinato ineptæ lætitiæ, vanæque dissolutionis, qui tantæ immoderantiæ aut frequentiæ est, ut spirituali gaudio caritatis divinæ præponatur aut contrarietur. De quo Ec- *Eccle.* ii, 2. clesiastes : Risum reputavi errorem ; et gaudio dixi, Quid frustra deciperis ? Hinc *Ibid.* vii, 4. iterum Ecclesiastes protestatur : Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis. Moderatus tamen, honestus et modicus risus pro causa, loco, et tempore, non prohibetur ; sed cachinnatio et dissolutio stultis conveni- *Eccli.* xxi, 23. unt, juxta illud Ecclesiastici : Fatuus in risu exaltat vocem suam ; sapiens autem vix tacite ridebit. Ecclesiastes quoque in- *Eccle.* vii, 7. quit : Sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti. Dicit hoc loco Basilius : Quum Dominus ridentem arguat, palam quod nunquam erit fideli tempus ridendi, præcipue in tanta multitudine eo-

A rum qui in peccato moriuntur, pro quibus oportet lugere. Superfluus risus, est immoderantiæ signum, et effrenis animæ motus ; sed usque ad vultus jucunditatem exprimere animæ passionem, non dedecet. Chrysostomus quoque dicit : Dic mihi cur concuteris risu et defluis, qui debes adsistere terribili judicio, et ponere rationem de omnibus quæ operaris ? Sed objici potest illud Ecclesiastæ, Tempus flendi et *Eccle.* iii, 4. tempus ridendi : quod ex dictis solutum est. De modesto namque risu hoc dicitur, B quemadmodum etiam ponitur virtus eutrapeliæ, per quam homo moderate se habet in ludis. Talem risum sanctus Job habuisse se pandit, dicendo : Si quando *Job* xxix, 24. ridebam ad eos, non credebant mihi.

Deinde subditur debita pœna vitiosi risus. *Quia lugebitis*, interiori dolore, *et flebitis*, pœna et ululatu exteriori in inferno, præsertim quando et in corpore erit ploratus, quamvis non per lacrimarum resolutionem, sed cerebri conturbationem, et vultus mœstissimam indispositionem. C Discamus ergo risum frenare. Et qui ad risum ex naturali dispositione proclivis est, specialem ad ejus refrenationem conatum adhibeat : quemadmodum qui ad iram seu ad quodcumque pronus est vitium, singulariter ad illius exstirpationem debet conari ; et quod propriis nequit viribus, divinæ gratiæ subsidio potest. Imo, inter ea ex quibus facile perpenditur qualis sit homo, unum est risus. De quibus in Ecclesiastico legitur : Ex visu cognoscitur *Eccli.* xix, 26, 27. vir, et ab occursu faciei cognoscitur sen- D satus ; amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis, enuntiant de illo.

Deinde reprobatur favor inanis, adulatio vana, sæcularisque amicitia. *Væ* æternæ 26 calamitatis debetur et imminet vobis, o homines ad vos ipsos reflexi, *quum benedixerint vobis*, id est, vos et facta vestra iniqua laudaverint, adulationibus vos demulserint, *omnes homines*, quantumcumque multi sint illi : quod facere non solent nisi iniqui. Itaque loquitur Christus de his quibus vana laus placet, qui adulatio-

nibus attrahuntur, qui sæculi hujus favo- A
rem amicitiamque requirunt. Itaque tam his quam benedictoribus horum væ imminet, quia plus nocet lingua adulatoris, quam gladius persecutoris. Ideo, juxta Bedam, adulatio est nutrix peccati, ita quod sicut oleum flammis injectum præbet eis fomentum, sic adulatio nutrit culpam. Et tamen frequenter hoc agitur, dicente Psalmista : Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur. Verum, ut in Proverbiis scriptum est, Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta odientis oscula. Huic autem eloquio Salvatoris illud Isaiæ consonat : Populе meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant. Vitemus ergo hanc pestem occultam atque vilissimam, exemplo Sancti qui ait : Corripiet me justus in misericordia et increpabit me ; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Et Apostolus ait : Neque aliquando fuimus in sermone adulationis. Insuper, secundum Glossam, magna pars pœnæ peccati est, sccelera non solum non argui, sed etiam quasi bene gesta laudari.

Ps. x, 3, sec. Hebr. — *Prov.* xxvii, 6. — *Is.* iii, 12. — *Ps.* cxl, 5. — I *Thess.* ii, 5.

Secundum hæc faciebant prophetis, id est, falsis prophetis verba laudis, benedictionis et adulationis exhibuerunt, *patres eorum*, id est carnales patres Judæorum, qui sanctorum Prophetarum verba spreverunt, et pseudo applauserunt. De quibus in Isaia legitur : Dicunt videntibus, Nolite videre ; et adspicientibus, Nolite adspicere nobis ea quæ recta sunt, loquimini nobis placentia, videte nobis errores. De falsis autem prophetis scriptum est : Hæc dicit Dominus super prophetas qui seducunt populum meum, qui mordent dentibus suis, et prædicant pacem ; et si quis non dederit in ore eorum quidpiam, sanctificant super eum prælium. De quibus multa in Jeremia scribuntur, Domino loquente : Non misi eos ; visionem cordis sui loquuntur. Isti pseudo ad capiendum principum ac vulgi favorem multa finxerunt ; atque ut eis crederetur, modum loquendi verorum Prophetarum assumpserunt, dicendo : Hæc dicit Dominus. Interdum quoque non verbis tantum, sed et factis prophetabant, quemadmodum in Jeremia patet de Hanania, qui quum fregisset catenam quæ fuit in collo Jeremiæ, adjecit : Hæc dicit Dominus : Sic confringam jugum
B Nabuchodonosor regis. Idem patet in libris Regum de Sedecia, qui fecit sibi cornua ferrea, dicens regi Israel : His ventilabis Syriam. Istis pseudo crediderunt, et applauserunt Judæi ; Jeremiam vero contradicentem Hananiæ, et Michæam contradicentem Sedeciæ, persequebantur et incarcerabant.

Is. xxx, 10. — *Mich.* iii, 5. — *Jer.* xiv, 14 ; xxiii, 16. — *Ibid.* xxviii, 10, 11. — III *Reg.* xxii, 11. — *Jer.* xxvi, 8 *et seq.* ; xxxii, 3, etc. ; III *Reg.* xxii, 24, 27.

Ecce quomodo in verbis præhabitis æterna et increata Sapientia, Dei Patris unigenitus Filius Jesus Christus, mundi hujus sapientiam et prosperitatem condemnat, omnemque vanitatem excludit. Cujus ver-
C ba merito inducere ad cordialem ac plenum mundi contemptum nos debent, præsertim quia ea tam rigorose terribiliterque condemnat, quæ a mundanis hominibus vix mala putantur. Non enim ait Salvator, Væ homicidis, væ raptoribus, væ adulteris ; sed, Væ divitibus, væ saturatis, væ ridentibus, væ gloriam mundi amantibus. Quid ergo de gravioribus fiet, si ea quæ nec alicujus putantur excessus, æternis puniuntur suppliciis ? Potius ergo in hoc brevissimo vitæ hujus curriculo actibus
D pœnitentiæ insistamus, reprehendi, castigari, vilipendi optemus, seu patienter saltem feramus, quam propter vitæ hujus incertissimæ brevissimæque delicias, opes, honores, infernalia incidamus tormenta, imo, quod gravius est, cœlesti ac sempiterna felicitate privemur.

ARTICULUS XVI

PROSECUTIO HUJUS SEXTI CAPITULI, AB EO LOCO QUO DICITUR : SED VOBIS DICO, QUI AUDITIS : DILIGITE INIMICOS VESTROS.

PAULO ante docuit Christus discipulos, quid ab inimicis essent passuri; nunc instruit quid ipsi illis sint acturi ac reddituri.
27 *Sed vobis dico, qui auditis,* id est, ea quæ loquor diligenter advertitis, et non corporalibus tantum, sed et interioribus auribus verba mea attenditis : *Diligite inimicos vestros,* id est, eis qui vobis volunt et cupiunt seu inferunt mala, econtrario bona desiderate. Quemadmodum autem amare, est alicui bonum velle ; ita odire, est alicui malum velle. Multiplex vero est bonum, videlicet bonum delectabile, bonum utile, et bonum honestum ; iterum aliud est bonum gratiæ, aliud bonum naturæ, aliud bonum fortunæ. Omnibus ergo hominibus quantumcumque adversantibus optare debemus bonum spirituale, utpote charismata gratiæ in præsenti, et bona gloriæ in futuro ; reliqua bona non sunt eis optanda, vel non est necesse eis optare, nisi in quantum saluti eorum expediens est. Diligendi sunt ergo inimici ex caritate propter Deum, sicut amamus nos ipsos, ut scilicet idem bonum felicitatis æternæ eis optemus, quod ipsimet volumus nobis. Diligendi sunt ergo, quantum ad ipsam eorum naturam bonam, qua ad
Gen. I, 27; *Sap.* II, 23. Dei imaginem facti, beatitudinisque capaces sunt ; non quoad culpam : imo sic
Ps. CXXXVIII, 22. odiendi sunt, juxta illud, Perfecto odio oderam illos. Sed sic eos odire, est vere diligere, quia ejusdem rationis est atque ex eodem caritatis fonte procedit, bonum alicujus amare, et malum ejus odire. Nil autem tam malum, tam nocivum, tam adversum est homini, ut peccatum ipsius.

Porro, secundum Thomam in secunda secundæ, de inimico possumus loqui tri-
A pliciter : Primo, in quantum est inimicus. Sicque amandus non est, quia inimicitia ejus peccatum est : displicere nobis debet, quod inimicatur et peccat. Secundo, consideratur inimicus secundum esse naturæ, qua ad Dei imaginem factus est, sed tamen in universali, in quantum est homo. Sicque dilectio inimici est de necessitate salutis, quia ab illa generali dilectione qua Deum proximumque amare jubemur, *Deut.* VI, 5;
excludi non debet. Tertio, consideratur ut *Matth.* XXII, 37-39.
est singularis persona. Et ita inimicorum
B dilectio non est absolute de necessitate salutis, quia non tenemur in speciali ad eum motum dilectionis habere, imo neque ad alios, quia impossibile est singulos sigillatim amare. Verumtamen dilectio inimici taliter in speciali, necessaria est ad salutem, quoad præparationem animi, ut scilicet homo paratus sit mente subvenire inimico, si articulus necessitatis occurreret, et etiam actualiter caritative ferri ad eum, causa exigente et casu se offerente ; sed sine tali necessitate, dilectionem im-
C pendere et subvenire, ad perfectionem, non ad præcepti pertinet necessitatem. Et juxta hoc, verum est quod in Enchiridion loquitur Augustinus : Hoc tam magnum bonum, ut est inimicos diligere, non est tantæ multitudinis, quantam credimus exaudiri in oratione qua dicimus : Dimitte *Matth.* VI, 12.
nobis debita nostra.

Sed huic Christi præcepto obviare videtur, quod in veteri Testamento multa leguntur, ex quibus videtur quod inimici sint odiendi : ut quum Moyses ait, Non *Deut.* XXIII, 6; *Matth.* V, 43.
D quæres eis bonum, et odio habebis inimicum. In Jeremia quoque habetur : Ne pro- *Jer.* XVIII, 23.
pitieris iniquitati eorum, et peccatum eo-

rum non deleatur. Ad hoc Thomas præfato A loco respondet, quod tales imprecationes et locutiones tripliciter possunt intelligi : Uno modo, per modum propheticæ præ-
Ps. IX, 18. nuntiationis, ut quum dicitur : Convertantur peccatores in infernum, id est, convertentur. Secundo, per modum optationis ex zelo justitiæ, non tamen quantum ad pœnam hominis, sed quoad justitiam punientis, ut scilicet divinæ justitiæ se op-
Sap. I, 13. tans conformet, quia nec Deus lætatur in perditione impiorum, sed in sua justitia. Tertio, ut desiderium referatur ad culpæ B amotionem, non ad pœnam, ut scilicet destruantur peccata. Quibus adjici potest, quod præfatæ imprecationes Scripturæ, etiam sic accipi possunt, ut inimicos optemus in vita hac taliter castigari, ne pereant in æternum ; si vero sint inimici Ecclesiæ et boni communis, optari potest ut tollantur de medio, quia et hoc expedit eis, ne gravius peccent : et ita ex æquitate et caritate hoc desideratur.

Benefacite his qui oderunt vos. Quia non sufficit intus diligere, nisi dilectio C procedat in opus loco et tempore opportunis, imo quum nulla forma tam prompte ac delectabiliter operetur ut caritas, quæ et omnes virtutes movet et excitat ad agendum, non veraciter diligit alium, qui ei, exigentibus causa, loco et tempore, non succurrit nec benefacit. Quumque ex anima et corpore constet homo, secundum corpus et animam benefacere ei debemus, videlicet spiritualia et corporalia impendendo, secundum modum prætactum, quemadmodum in Proverbiis Salomon loquitur: D
Prov. XXV, 21; Rom. XII, 20. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum ; si sitit, potum da illi. Hoc est quod ait Apo-
Rom. XII, 21. stolus : Noli vinci a malo, sed vince in bono malum. Hoc et Christus implesse se
Joann. X, 32. pandit, dicendo Judæis : Multa bona ostendi vobis ex Patre meo, propter quod horum me lapidatis ?

28 *Benedicite maledicentibus vobis,* id est eis qui vobis maledicunt, ut non solum opera bona, sed etiam pia caritativaque verba pro maledictoriis verbis rependatis his qui detrahunt vobis sive blasphemant vos. Hoc et Paulus ad Romanos scribit : Benedicite, inquit, et nolite maledicere. Rom. XII, 14.
Talibus ergo patienter loquendum est, si spes sit quod ex collatione seu responsione sint emendandi ; alioqui silendum est caute, et benedicendum occulte, ac condolendum peccantibus, juxta illud Psalmistæ : Posui ori meo custodiam, dum consi- Ps. XXXVIII, 2, 3.
steret peccator adversum me ; obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis. Verumtamen, si ex maledictione pravorum fides aliquorum vel bonum commune periclitaretur, aut jacturam pateretur justitia, sapienter ac juste respondendum, renitendumve esset ; et si maledicentes seu persequentes sint obstinati in malo, seu Religioni insidientur, orare licet ex zelo justitiæ ut corrigantur seu puniantur a Deo, quemadmodum Isaias et Ezechias con- II Par. XXXII, 20.
tra regem Assyriorum orasse leguntur. Postremo, quod maledicentibus sit condolendum, ostendit Chrysostomus, dicens : Qui proprias animas percutiunt, digni sunt lacrimis et fletibus, non maledictionibus. Nihil enim detestabilius est anima maledica, nec immundius aliquid lingua maledicente. Homo es ; aspidum venena non evomas, nec vertaris in belluam. Os tibi datum est, non ut mordeas, sed ut aliorum vulnera sanes.

Orate pro calumniantibus vos, qui scilicet crimina vobis false imponunt, seu aliter adversantur seu injuriantur. Quomodo autem et quando exhibenda sint adversariis signa seu opera ista dilectionis S. Thomas docet : Signa, inquiens, atque effectus caritatis ex interiori dilectione procedunt, et proportionantur eidem. Ideo, sicut tenemur inimicos diligere in communi, de necessitate et ex præcepto, in speciali vero, secundum animi præparationem ; sic quoque communia dilectionis beneficia et signa eis subtrahere nefas est, ut sunt ea quæ impenduntur proximis in communi : ut dum quis orat pro cunctis fidelibus, aut communitati aliquid præstat. Si talia subtraherentur inimicis, signum

esset invidiæ et vindictæ : contra quod
Lev. xix, 18. Moyses ait in Levitico, Non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. Porro, alia sunt specialia caritatis signa seu beneficia, quæ alicui specialiter exhibentur; et talia inimicis impendere, non est de necessitate præcepti, nisi secundum cordis præparationem, ut homo sic stet quod talia eis impertiret, si necessitatis articulus se offerret. Alias hoc facere, est perfectionis, qua quis studet non
Rom. xii, 21. solum non vinci a malo, quod est necessitatis, sed insuper vincere in bono malum, satagens inimicum beneficiis ad amorem suum inducere, quod ad perfectionis cumulum pertinet, sicut et Glossa insinuat. Quo autem quis perfectius diligit Deum, eo intuitu ejus amplius amat homines universos, et abundantius benefacit eis, præsertim orando pro ipsis : et hoc maxime, quoniam cordialissime Deum cupit ab omnibus honorari ac diligi, atque de ejus inhonoratione præcipue contristatur. Istud
Luc. xxiii, 34. Christus etiam in cruce pendens implevit, orando, Pater, ignosce illis : prout per Isa-
Is. liii, 12. iam fuit prædictum, Ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.

29 *Et ei qui te percutit in unam maxillam, præbe et alteram.* Istud consilium est, non præceptum : ideo non oportet hoc semper exteriori opere adimplere, sed habere cor præparatum ad sustinendum alterius percussionem maxillæ, antequam percussus scandalum suscitet, vel contra caritatem quid operetur. Unde et Christus a sacrile-
Joann. xviii, 22, 23. go in faciem cæsus, alteram non præbuit, sed sceleratum sapienter et caritative corripuit. Implendum est ergo hoc consilium, secundum quod proximo prodesse videtur.

Hic quoque pensandum, quantum evangelicæ legis doctrina perfectior sit lege
Exod. xxi, 23-25. Mosaica, quæ mandavit talem reddere percussuram cædenti, qualem intulisset. Dicit autem Chrysostomus : Medici dum calce feriuntur ab insanis et ægris, tunc maxime miserentur eis. Tu quoque similem habeas pietatem ad delinquentes : ipsi enim præcipue infirmantur. Nec prius desistamus,

A quam amaritudinem evomuerint totam : tunc ipsi ad cor redeuntes, uberes tibi gratias agent; et Deus te coronabit, eo quod fratrem tuum a pessima ægritudine liberasti. Sed contra hoc maxime agunt, ut ait Basilius, qui non solum non cæsi indignantur aut ulciscuntur, sed etiam si tanta eis non impendatur reverentia, quanta se dignos arbitrantur. Iterum ait Chrysostomus : Qui repercutit, legis implet mandatum, non Christi. Sed dicis : Dignus est repercuti. Etiam ; sed tu non es dignus
B repercutere, quia illius discipulus es qui quum malediceretur, non maledicebat. Si I Petr. ii, 23.
alterius oculum excutis, numquid tuum recuperasti? Non; sed cum membro tuo patientiam perdidisti. Diabolus procurat vulnera corporum propter vulnera animarum. Si non repercusseris, ab homine quidem victus videris, sed diabolum vicisti. Itaque sublime est istud implere consilium, sicut et Beda affirmat : Quid tam magnum sicut percutienti præbere maxillam? Nonne indignantis animus frangitur,
C ira sedatur, et per patientiam hujus ille mutatur, vel ad pœnitentiam invitatur? Ergo per hujus impletionem mandati et consilii, homo Christo conformatur, diabolus ab homine vincitur, plena pax inter homines obtinetur.

Et ab eo qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere, id est, non solum quiete patienterque feras, quod vestimentum tuum injuste tollat a te, sed permitte eum auferre tibi tunicam tuam, quæ vicinior magisque necessaria corpori
D exstat, quam vestimentum exterius. Circa quod ait Cyrillus : Vult te Dominus esse contemptorem rerum. Hæc est enim virtus animæ quæ omnino aversa est a passione cupiditatis divitiarum : decet namque eum qui pius est, oblivisci malorum, ut et ea quibus caros amicos juvamus, persequentibus conferamus. Chrysostomus quoque : Non dixit (inquit) Christus, Sustine humiliter injuriantis animum, sed, Procede per sapientiam, et ulterius dispone te ad patiendum quæ injurians facere

cupit, et supera insolentiam ejus ubertate A prudentiæ tuæ, ut habito pudore in excellenti patientia tua discedat. Sed dices, Quomodo potest hoc fieri? quum tamen videas Deum factum hominem tot passum propter te. Et adhuc quæris et dubitas quomodo possibile sit nequitiis ignoscere conservorum? Quid tale passus es, quale Dominus tuus Christus, dum ligaretur et flagellaretur, sputa perferens, mortemque patiens? Denique huic verbo est simile, quod in Matthæo loquitur Christus : Ei qui vult tecum judicio contendere et tunicam B tuam tollere, dimitte ei et pallium. Circa quæ multa scripsi ibidem : propter quod lectorem ad locum illum remitto.

Matth. v, 40.

Aliqui quoque breviter dicunt, quod istud sit consilium, atque secundum animi præparationem intelligendum, sicut et verbum præcedens : ut scilicet potius sustineat homo sibi indumenta prædicta ac similia tolli, quam suscitet scandalum, vel aliquid agat caritati contrarium. Non autem sustinendum esset, quando ex tali permissione nutriretur rapiens in sua mali- C tia : imo in tali casu non esset bonum hoc sustinere, nisi propter scandalum vel aliud majus malum vitandum : quod de scandalo pusillorum, veniente videlicet ex infirmitate aut ignorantia, maxime intelligendum est. Vel scandalum alio modo sedandum est, ut errans primo instituatur, instruatur, ut scandalizari desistat. Quod si informari noluerit, jam scandalum ejus non erit scandalum pusillorum aut infirmorum, sed Pharisæorum, quod ex malitia oritur : propter quod vitandum non sunt bona tem- D poralia dimittenda, quia hoc vergeret in detrimentum boni communis, et rapientibus noceret in anima. Ideo verbum Christi intelligendum est secundum animi præparationem, videlicet dummodo aliunde expediat. Bona autem Ecclesiæ atque reipublicæ propter scandalum vitandum dimittenda non sunt, sicut nec cetera quæ sunt de necessitate salutis, quia talium conservatio imminet his quibus commissa sunt. Hæc aliorum* dicta recitando inducta sunt.

* aliquorum

Omni autem petenti te tribue. Non semper tribuendum est quod petitur, ut si 30
quis petat sibi omnia bona alterius simul dari. Itaque, si discrete ac rationabiliter petit, dandum est ei quod petit, si petito adsit facultas : dandumque est secundum veræ prudentiæ discretionem. Quod si irrationabiliter aliquis petit, dandum est ei spirituale beneficium, scilicet rectæ instructionis, consolationis, ædificationisve verbum, quod corporali beneficio exstat præstantius, juxta illud Ecclesiastici : Nonne ardorem refrigerabit ros? Sic et verbum melius quam datum. Nonne ecce verbum super datum bonum? Dicit autem Ambrosius, Ejusdem criminis est, habenti sua auferre, et indigenti quod quærit denegare, quum possis tribuere : quia et Chrysostomus protestatur, Homines, non domini, sed dispensatores sunt divitiarum. Sed istud ad eos potissimum pertinet, ut liberaliter dent egenis, qui beneficia pinguia habent Ecclesiæ : quibus ait Bernardus, quia quidquid simplici victui atque vestitui superservaverint sibi, furtum, rapina, sacrilegiumque exsistit. De hoc in Matthæo plenius dictum est.

Eccli. xviii, 16, 17.

Cf. in Matth. v, 42.

Et qui aufert quæ tua sunt, ne repetas, scilicet cum lite et contentione, vel cum scandalo pusillorum. Huic consonat illud Apostoli : Jam omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? Circa quod loquitur Augustinus : Hoc ipsum vestro peccato agitur, quod inter vos negotia judicio determinanda habetis, quia peccatum est habere judicium contra fratrem. Porro, si hoc absolute intelligatur, daretur injustis et imperfectis grandis libertas atque occasio rapiendi bona aliorum, maxime innocentium. Ideo aliqui addunt, quod perfectis liceat sua repetere simpliciter, hoc est sine lite, sine causa, absque judicio, sed non convenit eis inde movere causam coram judice; infirmis vero seu imperfectis liceat repetere sua coram judice, et contra fratrem habendo judicium, sed non con-

I *Cor.* vi, 7.

tentiose aut fraudulenter, seu coram judice A infideli. Sed nec hoc videtur satis resolutorie dictum. Ecclesia namque non peccat habendo judicia, et religiosis licet coram judice sua repetere. Fideles quoque in terris infidelium habitantes, nec judices fideles habere valentes, possunt ut apparet, ad infideles concurrere judices. Hinc alii dicunt, quod liceat, non autem expediat, sæcularia habere judicia, et quod religiosis ac perfectis licet coram judice sua repetere quasi bona communia, non ut propria. Itaque verbum hoc Salvatoris, sicut B et cetera quædam præhabita, intelligendum est secundum animi præparationem, et dummodo aliunde expediat : ut magis sit homo paratus pati damnum, quam scandalum pusillorum suscitet, si illud aliter sedari non valeat; aut aliud agat caritati contrarium.

31 *Et prout vultis* voluntate rationabili discreta, *ut faciant vobis homines, et vos facite illis similiter :* hoc enim fraterna requirit dilectio. Unde sicut tenemur proximos diligere tanquam nos ipsos, ita te- C nemur facere eis sicut nobis ab ipsis fieri cupimus. Præterea inter præcepta legis naturalis sunt duo communia atque præcipua : quorum primum est negativum, ut
Tob. IV, 16. habetur in Tobia, Quod ab alio oderis tibi fieri, vide ne alteri facias : aliud est affirmativum, et ponitur hic a Christo. Et quoniam illud affirmativum est majoris perfectionis majusque continet, quam negativum illud præfatum, ideo decuit hoc a Christo in evangelica lege, quæ est lex perfectionis, proponi. Implendum est au- D tem præceptum illud loco et tempore opportunis. Et quo aliquis perfectius illud impleverit, eo in caritate perfectior comprobatur.

32 *Et si diligitis illos qui vos diligunt,* id est, si illos dumtaxat diligitis, *quæ vobis est gratia,* id est merces a Deo præstanda? Utique nulla de condigno, et nisi pœnitendo, inimicos quoque dilexeritis. *Nam et peccatores diligentes se diligunt :* quia hoc naturale est. Verumtamen peccatores non semper diligunt eos a quibus spiritualiter diliguntur : imo frequenter odiunt eos, quia corripiuntur aut castigantur ab eis, sicut in Proverbiis scriptum est : Non amat *Prov.* XV, 12.
pestilens eum qui se corripit. Et Amos :
Odio, inquit, habuerunt corripientem, et *Amos* V, 10.
loquentem perfecte abominati sunt. Signum autem quod quis diligat amicos, non ex caritate, quæ est amor infusus ac spiritualis, et meritorius, sed ex amore carnali, naturali, sociali, mercenario, aut simili, est dum inimicos non diligit, quia caritas se extendit ad omnes. Qui ergo inimicos non diligit, in peccato mortali est, tanquam divinæ inobediens jussioni : idcirco talis nihil meretur a Deo de condigno, nec aliquod præmium felicitatis æternæ, quamvis Deus ex sua pietate nullum bonum, etiam in peccato mortali factum, relinquat irremuneratum, quia aliquid in vita præsenti rependit pro illo. Porro amicos diligere spiritualiter, scilicet propter Deum ex caritate, et non tantum quia amici sunt seu quia nos diligunt, meritorium est vitæ æternæ, sicut et omnis actus ex caritate procedens. Imo multo innaturalius vitiosiusque consisteret non amare amicos, quam non amare inimicos : plures namque sunt rationes diligendi amicum quam inimicum. Gratia autem naturam non destruit, sed perficit. Propter quod dilectio spiritualis, dum naturalem amorem sibi substernit ac perficit, perfectissima dicitur. Quid autem sit melius magisque meritorium, diligere amicum Cf. in Matth. v, 47.
vel inimicum, tetigi super Matthæum.

Dicit circa hæc Chrysostomus : Plures causæ sunt quæ varias dilectiones constituunt; dilectio vero spiritualis universas præcellit. Nihil enim terrenum eam parit, non utilitas, non beneficium, non natura, non tempus, sed de cœlo descendit. Quid autem miraris, si non indiget beneficio ut consistat, quando nec ex casu malorum pervertitur? Pater quidem carnalis passus injurias, rumpit fœdus amoris ; conjux post jurgia, virum relinquit; filius si longævum videat patrem, gravatur. Sed Pau-

Act. XIV, 5, 18. *Exod.* XVII, 4.
lus apostolus ivit ad lapidantes benefactu-
rus eis ; Moyses pene lapidabatur a Judæis,
et tamen orabat pro eis. Adipiscamur ergo
spirituales amicitias, quia sunt insolubi-
les. — Denique qui alium spiritualiter di-
ligit, intuitu Dei hoc agit, ita quod Deus
est finis et ratio diligendi, optatque pro-
ximo bona gratiæ in præsenti, et dona
gloriæ in futuro, ita ut diligat eum, vel
quia bonus est, vel ut bonus sit : idcirco,
quamvis ille ingratus et malus sit, iste
illum non cessat diligere. Diligere quoque
alium propter bonum opus quod agit, gra-
tuitum est ; diligere vero propter benefi-
cium seu proprium commodum, mercena-
rium est.

33 *Et si benefeceritis his qui vobis benefa-
ciunt, quæ vobis est gratia,* id est præmi-
um desuper dandum ? *Siquidem et pecca-
tores hoc faciunt :* qui quum sint in peccato
mortali, nihil meritorium vitæ æternæ ope-
rantur. Istud rursus intelligi debet sicut
verbum præcedens, videlicet quod bene-
factoribus et non malefactoribus seu ad-
versariis benefacere, utpote non intuitu
Dei, nec ex spirituali dilectione, sed quia
benefactores sunt, non sit alicujus meriti
apud Deum. Nihilo minus pravissimum et
innaturalissimum esset, benefactoribus non
rependere vicem pro posse, tempore op-
portuno : imo magis debitum hoc est, quam
benefacere aliis. Sed dum quis sic benefa-
cit benefacientibus sibi, quod aliis non be-
nefacit loco et tempore congruis, signum
est quod illis benefacit, non ex Dei amore,
34 sed solum quia benefecerunt sibi. *Et si
mutuum dederitis his,* hoc est, pecuniam
aut simile quid concesseritis illis, *a qui-
bus speratis recipere* in persolutione quod
mutuastis, *quæ gratia est vobis ?* id est, a
Deo mercedem habebitis nullam in vita
beata. Quod intelligendum est, quando mu-
tuum alicui conceditur, non ex caritate
spirituali Dei et proximi, et propter præ-
mium vitæ æternæ, sed ex affectu carnalis
vel naturalis amoris, cum proposito repe-
tendi. *Nam et peccatores peccatoribus fœ-
nerantur,* aliqua concedendo, *ut recipiant*
A *æqualia,* id est tanta seu tanti valoris ut
sunt quæ mutuaverunt seu concesserunt.
Itaque plus peccatores a Christo censen-
tur, qui ad usuram concedunt.

Verumtamen diligite inimicos vestros, 35
naturam seu personam, non culpam in il-
lis amando. *Et benefacite eis.* Istud jam
paulo ante dictum est, atque expositum.
Et mutuum date, id est concedite, *nihil
inde sperantes,* id est, ultra quod conces-
sistis nil exquirentes, nec favorem, aut
servitium temporale, seu simile aliquid ;
B nec propter temporale quid principaliter
mutuantes, sed principaliter ex Dei amo-
re propter felicitatem æternam. Unde per
Ezechielem Dominus jubet : Usuram et su- *Ezech.* XVIII, 17.
perabundantiam non accipietis. Et Psalmi-
sta virum justum describens : Pecuniam *Ps.* XIV, 5.
(inquit) suam non dedit ad usuram. Quod
autem Moyses in Deuteronomio ait, Non *Deut.* XXIII, 19, 20.
fœnerabis proximo tuo, puta Judæo, sed
alieno, permissio fuit mali minoris, pro-
pter majus malum vitandum, scilicet ne
suis proximis ad usuram concederent, sic-
C ut permisit eis dare libellum repudii, ne *Ibid.* XXIV, 1.
uxores suas occiderent, quia ad utrumque
hoc vitium fuerant proni. Itaque dandum
est mutuum, quum et in Deuteronomio
scriptum sit : Non obdurabis cor tuum, *Ibid.* XV, 7, 8.
nec contrahes manum tuam ; sed aperies
eam pauperi, et dabis mutuum quo eum
indigere conspexeris.

Denique, quantum sit scelus usuræ te-
statur Gregorius Nyssenus : Malignam fœ-
neratorum excogitationem si quis appellet
furtum et homicidium, non peccabit. Nam
D quid refert suffosso pariete quemquam
erepta possidere, an fœnorum necessitate
possidere illicita ? Quam difficulter vero
debeat quis ad usuram accipere, ex verbis
Basilii patet, dicentis : Sed ais : Qualiter
ergo victum acquiram, videlicet si a fœ-
neratore non debeo mutuum sumere ? Cer-
te labora, servi, mendica. Unumquodque
tolerabilius est fœnoris mutuo. — Ex in-
ductis elicitur, quam gravissima sit cleri-
corum usura, eorum præsertim qui de
redditibus seu bonis Ecclesiæ sibi invicem

ad usuram concedunt. Nam et Philosophus naturali ratione inductus, affirmat quod usura sit maxime contra naturam. Usurariis vero potissimum competit illud Ecclesiastici : Avaro nihil est scelestius. Nihil est iniquius, quam amare pecuniam : hic enim et animam suam habet venalem. *Eccli.* x, 9, 10.

Præterea verbum Christi quo ait, Mutuum date nihil inde sperantes, Basilius et alii quidam ita intelligunt, ut concedendum sit absque proposito et spe repetendi et recipiendi ab eo cui conceditur, atque a solo Deo merces sit præstolanda. Ait quippe Basilius : Considera virtutem sermonis, videlicet verbi Christi, quo ait, Date mutuum, etc., et miraberis pietatem auctoris. Quum daturus es pauperi divinæ caritatis intuitu, id ipsum et donum est et mutuum : donum, ob insperatam retributionem; mutuum, ob munificentiam Domini, qui vice pauperis tibi restituet. Unde et in Proverbiis scriptum est : Fœneratur Deo qui miseretur pauperis. *Prov.* xix, 17. Cui expositioni consonat littera sequens, qua Christus promittit : *Et erit merces vestra multa,* id est, copiosum a me præmium suscipietis in cœlo : quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor humanum comprehendere valet; *Is.* lxiv, 4; I *Cor.* ii, 9. imo ipsemet Deus gloriosus et felix, est objectalis merces atque felicitas horum qui præinducta Christi impleverint verba. Expositio autem Basilii potissimum locum habet ad indigentes qui facultatem restituendi, aut non, aut vix habent. Glossa vero exponit sicut superius dictum est. Siquidem ait : Duo sunt beneficii genera : primum, quum aliquid benevole damus ; aliud, quum reddituro communicamus. Utrumque autem fieri debet, non in spe retributionis humanæ, sed divinæ, quia sicut Deus est omnis boni principium, ita vult esse finis. Certumque est, quod verba Christi implere juxta expositionem Basilii, multo plus meritorium sit.

Verbum quoque Christi dicentis, Erit merces vestra multa, non refertur solum ad verbum immediate præcedens de mutuo, sed ad cetera præinducta, præsertim

A ad dilectionem et beneficentiam inimicorum. Nam et de ampliori promissione mercedeque subditur : *Et eritis filii Altissimi,* id est summi Dei : cujus filii sunt homines virtuosi prædicta implentes, per operum imitationem, per adoptionis gratiam, per dilectionis conformitatem : quod agitur in præsenti. Deus enim inimicis suis multa bona largitur; nec propter retributionem hoc agit, quia nostris bonis non indiget, *Ps.* xv, 2. sed ex propria bonitate, caritate et pietate, et finaliter propter se ipsum, quum ipse B sit omnis boni summus ultimatusque finis. Ejus ergo perfectionem imitemur, inimicos amando, eisque benefaciendo, et indigentibus succurrendo, finaliter propter Deum, non intuitu privati, aut proprii commodi : ut in bonis ad nos ipsos non reflectamur, sed ad Deum stemus semper pure conversi. In futuro autem erimus filii Dei per similitudinem ampliorem, quia per dona gloriæ Deo perfectissime assimilantur Beati, sicut ait S. Joannes : Nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid I *Joann.* iii, 2. C erimus. Scimus quoniam quum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Et Paulus : Tunc, inquit, cognoscam sicut et cognitus sum. I *Cor.* xiii, 12. Beatifica nempe cognitio et fruitio mentem creatam Deo superdignissimo præeminenter ineffabiliterque conformat, ita quod tota stat indesinenter atque inavertibiliter transformata in Deum et deificata in ipsum. Ecce quanta dignitas hominum esse filios Altissimi, hoc est incomparabilis Dei, qui penitus infinite præstantior est universis et singulis. D Unde de causa filiationis hujus subjungitur :

Quia ipse benignus, hoc est clemens atque munificus, *est super ingratos et malos,* id est peccatoribus, qui Dei beneficia non attendendo, nec Deo benefactori incomparabili gratias referendo, ingrati sunt; mali vero sunt, divina transgrediendo præcepta : vel ingrati, per aversionem mentis a summo et incommutabili bono ; mali, per conversionem mentis ad bonum caducum ac vanum. Juxta quod per Jeremiam

Jer. II, 13. loquitur Dominus : Duo mala fecit populus meus : me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas dissipatas.

36 *Estote ergo misericordes, sicut et Pater vester misericors est.* Misericordia virtus est qua quis alterius miseriæ condolet, relevatque eamdem pro posse. Deo ergo misericordia non competit quantum ad primum istorum, quia compassionis affectus in Divinitatis invariabili impassibilique natura non cadit ; sed secundum istorum perfectissime convenit Deo, qui omnibus indigentibus et miseris ad se clamantibus subvenit, miseriam culpæ aufert, de necessariis providet, et tandem ab omni calamitate culpæ ac pœnæ ereptos, ad æternam felicitatem perducit : imo ingratos et pessimos sæpissime prævenit gratiose, hortatur, convertit, salvificat. Dona quoque naturæ et bona fortunæ bonis et malis indifferenter et copiose largitur.
Matth. V, 45. Unde in Matthæo asserit : Pluit super justos et injustos, et solem facit oriri super bonos et malos. Quemadmodum itaque ipse superclementissimus Deus ex pura sua bonitate et maxima pietate, non propter utilitatem aut profectum sibi inde evenientem, sed ob nostram salutem, hæc operatur, et taliter miseretur; ita et nos aliis compati et subvenire ex caritate et pietate debemus, ad utilitatem, profectum et salutem eorum, non proprii intuitu commodi. Talis misericordia nos Deo vehementer commendat, conformat, caros efficit atque placentes : per quam et misericordiam im-
Ibid. 7. petramus a Deo, juxta illud Matthæi, Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

Insuper, duplex est miseria : utpote cul-
Prov. XIV, 34. pæ, de qua in Proverbiis Sapiens, Miseros, inquiens, facit populos peccatum : et hæc miseria est ipsamet culpa beatitudinis exclusiva et repugnativa. Alia est miseria pœnæ, scilicet adversitatis, tribulationis
Job XXX, 14. vel indigentiæ, de qua sanctus Job ait : Ad meas miserias devoluti sunt. Multo autem major est miseria culpæ quam pœnæ : ideo potissimum misericordes esse debemus,
A succurrendo proximis ut a peccatis suis purgentur, ipsos hortando, docendo, corripiendo, pro ipsis orando, et peccantibus, etiam dum peccant in nos, condolendo, non mox indignando, irascendo aut ulciscendo. Quod si fecerimus, tunc Deus peccantibus nobis misericorditer indulgebit, gratiamque emendationis infundet. Denique, si pensemus quam grave atque nocivum sit vulnus peccati in anima, peccantibus utique cordialissime compatiemur, et primo nobismetipsis, prout ordo
B caritatis efflagitat, sicut in Proverbiis scriptum est : Benefacit animæ suæ vir mise- *Prov.* XI, 17.
ricors ; et alibi, Miserere animæ tuæ, pla- *Eccli.* XXX, 24.
cens Deo. Hinc teste Ambrosio, summa christianæ religionis in misericordia et pietate consistit.

Nolite judicare, et non judicabimini. 37
His verbis prohibet nobis Christus inordinatum judicium aliorum, potissimum superiorum nostrorum, ac meliorum magisque sapientium : quorum potius est nos judicare, quam versa vice. Inordinatorum
C autem judiciorum quoddam dicitur usurpatum, ut dum judicanti deest auctoritas judicandi; aliud temerarium ac suspiciosum, quod scilicet non procedit secundum rationem prudentiæ; aliud injustum atque perversum, quod procedit non ex ratione et virtute justitiæ, sed ex impetu passionis. Hujusmodi inordinata judicia oportet vitare, nec incerta et dubia definire quali et quo facta sint animo. De manifestis vero et quæ bono animo fieri nequeunt, judicare permittimur.

D Quoniam ergo debiles sumus in ratione, ita ut faciliter fallimur et erramus, pronique sumus ad passiones et vitia rectum judicium pervertentia, Christus a multis periculis et peccatis nos eripit et præservat, dum judicare nos prohibet : quod utique passionatis summe periculosum est ; et præsertim cavendum est eis, ne proni sint judicare eos ad quos minus bene afficiuntur seu inclinantur, et contra quos cito tentantur, ne passione cæcati, de illis judicent vitiose. Sed se ipsum unusquis-

que discutiat, attendat, dijudicet, increpet A
I Cor. xi, 31. et castiget, quum dicat Apostolus : Si nos
ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. Hinc secundum Cyrillum, Christus hic sedat et tollit pessimam consuetudinem et passionem animarum nostrarum, principiumque contemptus aliorum. Quum enim deceat homines se ipsos circumspicere, atque secundum Deum conversari, hoc tamen multi non faciunt, sed examinant aliena, et si viderint aliquos infirmari seu cadere, tanquam propriarum passionum obliti, mox detrahunt. Dicit quoque B
Chrysostomus : Nec facile reperies quemquam, neque patremfamilias, neque claustralem, hujus erroris expertem. Sunt autem hæc diabolicæ tentationis insidiæ. Nam qui severe discutit aliena, nunquam propriorum reatuum merebitur veniam.

Porro quod ait Salvator, Non judicabimini, intelligendum est de judicio reprobationis seu condemnationis, de quo in-
Ibidem. ducta Apostoli fatur auctoritas. De quo in
Joann. v, 24. Joanne loquitur Christus : Quia qui verbum meum audit, habet vitam æternam, C
et in judicium non venit. Ex his infert Gregorius Nyssenus : Non ergo cum acrimonia præcipitetis in conservos sententiam, ne similia patiamini.

Nolite condemnare. Condemnatio ex judicio oritur. Quemadmodum ergo non quodcumque, sed inordinatum judicium (de quo dictum est) prohibetur, ita non quævis condemnatio aliorum, sed inordinata, vetatur. Non itaque hoc verbo prælati et principes prohibentur reos damnare ad mortem, vel carcerem, aut aliam pœnam. D
Nec rursus vetatur eum qui inexcusabiliter et apertissime peccat, damnare, id est damnatione dignum asserere, quia hoc Scriptura nos docet, quod qui mortaliter peccat, meretur infernum ; sed damnare propter incerta et levia, vel eum quem judicare inhibemur, vel absolute definire illum vel illum esse damnandum damnationeve dignum, incautum illicitumque consistit. Peccans namque, omni momento potest tangi a Spiritu Sancto ac pœnitere

in cordis sui secreto. Nec scimus quid aga- I Cor. ii, 11.
tur in alio, aut qualis postea erit, qui nunc vitiosus videtur. Verumtamen aperte sceleratos, secundum quod tales sunt, et quos in actu impietatis videmus manentes, damnare et reprobare sub quadam conditione implicita vel explicita licet, utpote, nisi pœnituerint : ut si quem videamus homicidium adulteriumve scienter committere, nullum est dubium, quin in mortali sit vitio, damnationeque dignus, et insuper nisi pœnituerit condemnandus. *Et non condemnabimini* damnatione æterna a Deo, si inordinatam damnationem ex caritate vitaveritis. Siquidem non judicare et non condemnare, non sufficerent ad vitandum damnationis judicium, nisi quis ex caritate Dei talia vitet : quod nemo implet, nisi qui in statu salutis est, et quæ Deus ab eo exigit, agit.

Dimittite injurias vobis illatas : juxta
illud Apostoli, Induite viscera misericor- Coloss. iii, 12, 13.
diæ, supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam ; *et dimittetur vobis* peccatum quo Deo fecistis injuriam. Ideo in Eccle-
siastico scriptum est : Relinque proximo Eccli. xxviii, 2.
tuo nocenti te ; et tunc deprecanti tibi peccata solventur. Et ecce hæc est infinita clementia atque dignatio supersublimis et incomparabilis Dei, quod ipse vult illi dimittere sua peccata, qui ignoscit peccanti in se : quum tamen peccatum per comparationem ad Deum habeat enormitatem quodammodo infinite majorem, quam per comparationem ad hominem contra quem fit, sicut Deus est dignitatis, sanctitatis, ac majestatis in infinitum majoris quam homo. Non ergo simus Deo ingrati, nec ad ignoscendum proximis tardi seu graves. — Potest et ita intelligi : *Dimittite* ea quæ pauperes vobis debent, vel captos quos expedit dimitti, vel temporalia bona, se-
cundum quod Petrus effatur, Ecce nos di- Marc. x, 28.
misimus omnia ; *et dimittetur vobis* peccatum quo Deo obligati ac spiritualiter
vincti estis, juxta illud Proverbiorum, Fu- Prov. v, 22.
nibus peccatorum suorum impius constrin-

Is. LVIII, 6. getur. Hinc in Isaia habetur : Dimitte eos A
qui confracti sunt liberos.
38 *Date* beneficia corporalia, vel spiritua-
lia, imo utraque, præsertim egentibus, *et
dabitur vobis* a Deo præmium copiosum.
Et ei qui dat propter Deum temporalia,
conferuntur ab eo spiritualia. Qui vero
spiritualia beneficia alteri præstat, oran-
do, hortando, docendo, corripiendo, ma-
gnum spiritualium charismatum sortitur
a Deo profectum. Denique generosi animi
est pronum esse ad dandum, quoniam jux-
ta divinum Dionysium, Bonum est sui dif- B
fusivum, et amor est communicativus ejus
quod habet. Dare quoque, ad liberalem
est pertinens. Liberalitas vero facit ho-
minem aliis valde acceptum et carum, se-
cundum Philosophum : ut patuit in B. Mar-
tino, quando adhuc militavit. Tenaces vero
et semper ad se ipsos reflexi, ignobilis
exstant mentis. Hinc in Actibus Paulus :
Act. XX, 35. Oportet, inquit, reminisci verbi Domini
Jesu, Quia beatius est magis dare quam
accipere ; et in Proverbiis quoque induci-
Prov. XXII, 9. tur, Victoriam et honorem acquirit, qui C
Eccli. IV, 36. dat munera ; et in Ecclesiastico, Non sit
porrecta manus tua ad accipiendum, et
ad dandum collecta. Attamen pauci, heu !
sunt, qui non proniores sint ad accipien-
dum quam ad dandum, juxta illud Isaiæ :
Is. I, 23. Omnes diligunt munera, sequuntur retri-
Philipp. II, 21. butionem ; et Paulo testante, Omnes quæ
sua sunt, quærunt. Nihilo minus multi
plus abundarent, si facilius darent, quia
individuæ sortis sunt dare et dari. Nam et
Deus misericordibus ac liberalibus etiam
in temporalibus benedicit. Estque com- D
mune dictum : Qui non dat quod amat,
non capit quod optat. In Proverbiis quo-
Prov. III, 9, 10. que legitur : De primitiis frugum tuarum
da pauperibus, et implebuntur horrea tua
satietate. Non tamen prodigalitas commen-
datur, sed datio ista ex virtute debet pro-
cedere, rationeque regi.

Postremo, hac brevi doctrina erudit Christus quomodo cum proximis conversemur, ut scilicet injurias dimittamus et beneficia demus. Quamvis autem ad præinducta implenda satis et super satis inflammare nos debeat bonitas Dei, et ejus præceptum consiliumve ad ista, nihilo minus Christus nostram non nesciens tarditatem, promissa proponit, imo et beneficia multo majora nobis spondet reddenda, ut vel mercedis intuitu provocemur, si tantæ perfectionis non sumus ut ex sincero Dei amore ista agere enitamur. Hinc subditur :

Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Per omnem hanc circumlocutionem insinuatur, quod ineffabiliter copiosa erit retributio operum caritatis ac pietatis in cœlo : quæ retributio per mensuram exprimitur, quoniam præmium merito correspondet ac proportionatur, quemadmodum mensurato mensura, et quoniam Deus secundum sapientiæ suæ
censuram omnia moderatur, atque in pon- *Sap.* XI, 21.
dere, numero et mensura constituit universa. Quamvis autem ista mensura efficienter detur ab uno Deo, Christus tamen pluraliter loquitur, Dabunt, videlicet pauperes quibus opera pietatis impenditis, quia illorum interventione ac meritis partim datur hæc merces. Itaque, *Mensuram bonam,* id est legitimam, ita quod non minus quam debetur seu tribui decet, præstabitur, *et confertam,* id est plenam et pinguem, *et coagitatam,* ut per compressionem plus capiat, *et supereffluentem,* id est tam abundantem et cumulatam ut supereffluat undique, *dabunt in sinum vestrum,* in sinu utique mentis in secretissimo cordis, in ipso intellectu et voluntate, ut intellectus æternam veritatem contempletur, et ea reficiatur, voluntas summa bonitate fruatur. Præterea, quadruplex bonum datur a Deo propter opera pietatis, utpote : bonum fortunæ, hoc est exteriores divitiæ, quæ subjacent instabilitati fortunæ. Ad ista potest referri mensura bona. Alia sunt bona naturæ : ad quæ refertur mensura conferta. Tertia vero sunt bona gratiæ : ad quæ pertinet mensura coagitata. Quarta sunt bona gloriæ : ad quæ mensura supereffluens spectat.

Eadem quippe mensura qua mensi fue- A
ritis, remetietur vobis, hoc est, juxta mo-
dum vestræ actionis, seu secundum pro-
portionem et gradum conversationis seu
meriti vestri, vel prout aliis feceritis, erit
mensura, seu modus, et gradus præmii
vestri : quia præmium merito correspon-
det, magisque pensatur secundum magni-
tudinem interioris affectus, quam operis
exterioris : juxta quod in Marco ait Salva-
Marc. XII, 42, 43. tor, quod vidua quæ misit duo minuta
plus omnibus misit. Hinc in Joanne di-
Joann. XIV, 2. cit : In domo Patris mei mansiones multæ B
sunt, id est diversi gradus præmiorum, se-
cundum differentias meritorum. Et Paulus
II *Cor.* IX, 6. testatur : Qui parce seminat, parce et me-
tet ; et qui seminat in benedictionibus, de
benedictionibus metet vitam æternam. In
Apoc. XVIII, 7. Apocalypsi quoque habetur : Quantum glo-
rificavit se et in deliciis fuit, tantum date
illi tormentum et luctum. Et per Isaiam
Is. XXVII, 8. Dominus ait : In mensura contra mensu-
ram judicabo eam. Nec obstat quod pro
temporali merito datur merces æterna,
quod item Dominus electos supra condi- C
gnum remunerat, et reprobos citra condi-
gnum affligit : quia ista mensuræ æquali-
tas, identitas, sive proportio, consideratur
in genere : ut qui plus peccavit, plus
puniatur ; qui amplius meruit, gloriosius
coronetur.

Sed dicet aliquis : Si eadem mensura
qua metimur, nobis remetietur, ergo, si
iniqua mensura metimur, iniqua mensura
nobis divinitus remetietur. Sed jam patet
hujus solutio. Non enim ille est sensus,
sed quod sicut fecerimus, fiet nobis, id D
est, retribuetur nobis secundum exigen-
tiam meritorum nostrorum, et si nos fue-
rimus aliis immisericordes ac duri, Deus
quoque erit nobis severus, quemadmodum
Jacob. II, 13. Jacobus asserit : Judicium sine misericor-
dia erit ei qui non fecerit misericordiam.

39 *Dicebat autem illis* quibus sermonem
hunc fecit, præsertim discipulis suis, *si-
militudinem* quæ subditur : *Numquid po-
test cæcus cæcum ducere ? Nonne ambo in
foveam cadunt ?* Hoc in corporalibus ita
est ; nec est similitudo tantum, sed veritas
et res. Attamen Christus hoc pro simili-
tudine dixit, quia per hoc aliud designavit,
videlicet quod etiam in spiritualibus ita
sit : utpote quod ille qui spiritualiter cæ-
cus est mente, id est ignarus, passiona-
tus, seu vitiosus, non est idoneus regere
seu per semitas æquitatis ad æternam bea-
titudinem ducere alios ; sed tam ipse quam
ei subditi seu commissi, cadunt, nunc qui-
dem in foveam, id est vitiorum profun-
ditatem, de qua in Proverbiis inducitur,
Impius quum in profundum venerit pec- *Prov.* XVIII, 3.
catorum, contemnit ; deinde ruunt in lacum
gehennæ, de qua sæpius fertur in Ezechi-
ele : Dormierunt cum his qui descendunt *Ezech.* XXXI, XXXII, passim.
in lacum ; atque in Psalmo, Æstimatus
sum cum descendentibus in lacum ; item- *Ps.* LXXXVII, 5.
que Job, Facies (inquit) superborum in *Job* XL, 8.
foveam demerge.

His verbis Christus discipulos suos, om-
nesque prælatos, doctores, et prædicatores
edocuit, quod sapientia divinorum, scien-
tia Scripturarum, splendor virtutum, cla-
ritas mentis, sint necessariæ eis ad hoc
quod aliis digne præsint : aliter se ipsos
aliosque præcipitant. Unde qui passiona-
tus est, et ex aliorum defectibus seu pro-
pter injuriam sibi illatam mox irascitur,
indignatur, turbatur, alios similibus mor-
bis infectos non valet curare ; sed verbo
et exemplo alios debet illuminare, et sua
humilitate, patientia, mansuetudine atque
modestia, aliorum superbiam, iram, inso-
lentiam, perversitatem curare. Itaque ri-
diculosa, imo potius periculosa res est
speculator cæcus, doctor inscius, præco
mutus, præcursor claudus, prælatus negli-
gens, rex injustus. Ideo ait Gregorius :
Dum pastor per vitiorum abrupta gradi-
tur, necesse est ut per præcipitium grex
sequatur. Siquidem pastor se habet in po-
pulo, sicut oculus in corpore. Unde in
Jeremia scriptum est : Quia stulte egerunt *Jer.* X, 21.
pastores et Dominum non exquisierunt,
propterea omnis grex eorum dissipatus est.

Non est discipulus super magistrum. 40
Hoc generaliter ita est, loquendo de magi-

stro discipuloque formaliter : quia discipulus in quantum discipulus, inferior est magistro in quantum magister est, sicut et pater est dignior filio ; quamvis materialiter discipulus, id est homo qui est discipulus, possit esse magistro suo potentior, altior, sanctior, ingeniosior, imo et doctior. Si autem specialiter per magistrum hoc loco Christus intelligatur, qui
Matth. xxiii, 10. in Matthæo ait, Magister vester unus est Christus : certum est quod hoc magistro nullus discipulorum sit major ; sed omnes inferiores et imperfectiores sunt eo, secundum quod Deus est infinitæ virtutis ; sed et ineffabiliter inferiores sunt eo secundum naturam assumptam. *Perfectus autem omnis* discipulus *erit, si sit sicut magister ejus,* id est, si ei assimiletur per imitationem, aut conformetur per æqualitatem. Non tamen simpliciter erit perfectus, sed perfectus in certo gradu, statu, seu ordine, utpote perfectus quoad id quod a suo discit magistro. Si autem per magistrum Christus intelligatur, constat quod quanto quis hunc magistrum plenius imitatur, eo vere perfectior invenitur : imo hujus magistri imitatio omnium est Christianorum perfectio, Augustino dicente : Summa christianæ religionis, est imitari quem colis.

Porro ista locutus est Christus, ut se ipsum proponeret discipulis in exemplum. Quasi dicat : Quum ergo prædictas virtutes, præcepta, consiliaque impleverim, adversarios diligendo, inimicis benefaciendo, et cetera quæ dicta sunt adimplendo, decet ut et vos discipuli mei hæc faciatis. Hinc
Joann. xiii, 15. in Joanne ait : Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos facia-
Ibid. xv, 20. tis ; rursusque, Si me persecuti sunt, et vos persequentur, quia non est servus major domino suo. Vel præinducta hæc verba protulit Christus, ad ostendendum quod cæcus cæcum non valeat ducere, id est prælatus insipiens alios regere : quia prælatus est velut magister subditorum suorum, ideo ipso errante, illi pariter errant, nec perfectiores sunt eo, regulariter lo-

A quendo, quamvis Deus electos suos non deserat, sed informet unctione superna et directione angelica.

Deinde Christus hortatur unumquemque ad sui ipsius custodiam, pariterque demonstrat per similitudinem aliam quod supra dixit, videlicet cæcum a cæco duci, seu peccantem a sibi simili emendari non
posse. *Quid autem vides festucam,* id est, 41
parvum et veniale peccatum consideras, *in oculo fratris,* id est in corde vel intentione seu aperto opere proximi *tui,* B *trabem autem quæ in oculo tuo est,* id est grande atque mortale peccatum quo cor tuum obtenebratur, *non consideras?* quasi dicat, Stulte te habes in hoc : quia ut alibi
Christus testatur, Quid proficit homo si *Luc.* ix, 25.
universum mundum lucretur, se ipsum autem perdat ? Ideo caritas debet esse ordinata, ut homo primo per caritatem sanet se ipsum, et aliis exemplarem se præbeat, sicque idoneus sit eos arguere, ne in
suis prædicationibus scandalizentur. *Aut* 42
quomodo potes dicere fratri tuo, id est proximo, C *Frater, sine,* id est, permitte et patienter sustine, ut *ejiciam festucam de oculo tuo,* id est, veniale peccatum de corde tuo per increpationem castigationemque auferam, *ipse in oculo tuo trabem non videns,* id est, in proprio corde mortale peccatum non pensans ? Tanquam dicat Salvator : O peccator, sapienter et ordinate non potes hæc dicere, quoniam ordo caritatis requirit ut primo animam tuam a magnis vulneribus cures, antequam alios a parvis læsionibus sanare adjicias. Teneris D quoque te idoneum exhibere ad executionem tui officii, o prælate, ut scilicet, Deo obediendo et virtuose vivendo, non præsumptuose, sed ordinate tuum prosequaris officium.

Hypocrita : quia eo ipso quo alios de parvis reprehendis seu curare vis culpis, ostendis te zelatorem justitiæ caritativum ac virtuosum, et tuam pallias iniquitatem, quum tamen sis vitiosus et præsumptuosus ; *ejice primum trabem de oculo tuo,* id est, in primis per contritionem, confessio-

nem, satisfactionem, purga te ipsum a tuis magnis excessibus, sicut teneris, non solum in quantum es christianus, sed insuper quia aliis præsides aut prædicas; *et tunc perspicies,* id est, illuminatum mentis oculum habebis, *ut educas festucam de oculo fratris tui,* id est, de minoribus eum peccatis expurges seu arguas.

Cf. in Matth. VII, 3-5. De ista materia super Matthæum multa conscripsi : nihilo minus propter ipsius fecunditatem, addenda sunt pauca.

Itaque quæritur primo, an liceat peccatori et vitioso prælato qui in mortalibus vitiis jacet, seu doctori aut prædicatori male viventi, prædicare et alios increpare sive corrigere. Quod non apparet, ex verbis Christi jam habitis. Denique Thomas super quartum Sententiarum affirmat, quod qui non implet quod docet et prædicat, eo ipso mortaliter peccat : et pulchram rationem assignat ibidem. Insuper Durandus ait, quod sacerdos in omni actu sui officii quem facit indigne, videlicet in peccato mortali, peccet mortaliter, scilicet celebrando, confessionem audiendo, vel prædicando. Ambrosius quoque scribit : Judicet de errore et culpa alterius, qui in se ipso non habet quod judicet, ne quum de alio judicat, in se ipsum ferat sententiam. Sed et Chrysostomus : Omnis (inquit) sacerdos qui vult docere populum, primo doceat semetipsum, alioqui nec alium reprehendat aut doceat. His auctoritatibus multi consentientes, affirmant quod si arguentis seu prædicantis aut judicis peccatum sit publicum, et tamen reprehendit, docet seu judicat alium, peccat peccato præsumptionis, et scandali; si vero peccatum ejus sit occultum, peccat per præsumptionem. Aliqui vero dicunt, quod peccator, aut corrigit ut prælatus alium, aut ut persona privata. Si ut prælatus, tunc, aut est peccator notorius, et sic corrigendo alium, peccat, tam scandalizando, quam suum officium indigne exsequendo ; aut occultus, et tunc peccat indigne officiando, ideoque reprehenditur. Porro si corrigit ut persona privata, non peccat, nisi A forsitan peccato scandali, si notorius sit peccator; aliis tamen apparet, quod etiam præsumptionis vitio maculetur. Thomas autem testatur, quod si peccatum prælati aut judicis sit occultum, incumbatque ei ex officio judicare sive arguere, potest cum timore et humilitate hoc agere. Unde et alii dicunt, quod si corde pœniteat, potest fratrem cum humilitate arguere. — Sed circa hæc quæritur, quid ergo prælatus aut judex hujusmodi faciet, quia sive corripiat vel doceat, sive non, incurrit periculum, B et sic videtur esse perplexus. Et respondendum, quod nequaquam perplexus est, sed in promptu habet consilium, invenitque remedium : quia statim potest et debet pœnitere, et vitæ emendationem incipere.

Præterea patet, quod veniale peccatum comparatur festucæ, mortale trabi : quia sicut festuca levior est trabe, sic veniale mortali : et sicut festuca oculum corporalem non excæcat, sed turbat et aliqualiter lædit, trabs autem seu magna pars ejus illum C excæcat; ita veniale oculum interiorem non prorsus excæcat, sed turbat, mortale vero excæcat. Itaque, qui proni sunt reprehendere alios, proniores sint reprehendere semetipsos, et patienter ferant dum ab aliis arguuntur. Sed videmus frequenter oppositum : imo, quo aliquis magis se occupat considerando, observando, arguendo aliorum defectus, eo proprios defectus minus attendit, et alicujus virtutis se putat, quum nihil sit, dumque corripitur, indignatur aut convitiatur. Ideo D dicit Basilius : Non solum oculus corporalis exteriora videns, super se visu non utitur, id est, se ipsum non intuetur, sed et ipse noster intellectus quum alienum velociter conjectat peccatum, lentus est circa propriorum perceptionem defectuum. Convenit autem istud maxime doctoribus et prælatis, secundum Theophilum, qui quum subditorum minima puniant, propria impunita relinquunt. Ideo Christus eos vocat hypocritas.

Postremo, qui alium vult corrigere, ista

observet. In primis corrigat se ipsum, quia
Prov. xviii, 17. ut Salomon loquitur, Justus prior accusa-
tor est sui. Secundo, pie et mansuete hoc
faciat, nisi forte quis quasi incorrigibilis
videretur, aut specialis causa exigeret ali-
ud. Ideo asserit Augustinus : Raro et non
sine magna necessitate objurgationes sunt
adhibendæ. Tertio, ex zelo caritatis atque
justitiæ fiat hoc, non ex impetu passionis.
Quarto, opportunitatem loci temporisque
Matth. xviii, 15. perpendat, ut sicut ait Salvator, præcedat
secreta correptio.

Deinde Christus per quædam similia
probat, exemplisque pandit, quod vitiosus
atque hypocrita non sit idoneus corrigere
alium, quoniam opus virtutum vere non
43 manat ab ipso. *Non est enim arbor bona,
quæ facit fructus malos, neque arbor ma-
la, faciens fructus bonos.* Hoc in arbori-
bus ita est. Etenim eo ipso quo arbor uti-
les profert fructus, bona censetur. Nulla
quoque arbor naturaliter mala est, quasi
natura ejus sit mala; sed quædam mala,
id est inutilis, appellatur, quæ fructus uti-
les non producit. Arbor namque ad fru-
ctum seu utilitatem ex ea provenientem
finaliter ordinatur. Ideo, si malos proferat
fructus, rite mala asseritur. Hinc subdi-
44 tur : *Unaquæque arbor de fructu suo co-
gnoscitur,* quemadmodum causa cogno-
scitur per effectum. Unde si fructus sint
boni, arbor est bona : quia effectus boni-
tatem a sua causa sortitur, bonitasque ef-
fectus præexsistit in causa ; nec aliquid
tribuit alteri quod non habet. Hoc conse-
quenter exemplariter declaratur. *Neque
enim de spinis colligunt ficus, neque de
rubo vindemiant uvam.* Ideo, dum quis
in aliqua arbore invenit ficus, concludere
potest quod sit ficulnea, et ubi invenerit
botros, elicit quod sit vitis. Sic ergo arbo-
res ex suis fructibus dignoscuntur.

Sed Christus ista principaliter non pro-
tulit propter arbores vel de ipsis arbori-
bus, sed in quantum per eas homines boni
ac mali figuraliter seu similitudinarie de-
signantur. Hinc præhabita quasi exponens,
45 adjecit : *Bonus,* id est virtuosus ac sapi-
ens, *homo de bono thesauro cordis sui,* id
est de spirituali sua opulentia, puta de
gratia gratum faciente, fide, spe, caritate,
ceterisque habitibus virtutum atque dono-
rum, *profert bonum,* id est virtuosas ac
meritorias meditationes, affectiones, ver-
ba et facta seu opera. Habitus namque est
quasi altera natura. Virtus autem est ha-
bitus, qua nullus male utitur, secundum
Augustinum. Ideo sicut natura est natu-
ralium operationum principium, ita vir-
tutes et dona proferunt germina virtuosa
jam dicta. *Et malus,* id est vitiosus, *homo
de malo thesauro,* id est interiori malitia,
de consuetudine prava, de habitu vitioso,
profert malum, id est, vitiosa producit :
quia effectus suæ causæ proportionatur, et
qualis quisque est, talia operatur; opera-
tio quoque arguit formam, id est, qualis
sit forma unde oritur, pandit.

Ex abundantia enim cordis os loquitur,
quia quod intus abundat, foris erumpit.
Itaque, si in corde regnet atque abundet
virtus et gratia, caritas atque devotio, ex
ore prodibunt verba divina, virtuosa ac
sancta; si vero in corde abundent vanitas
atque peccatum, inania et iniqua verba ex
ore procedent : quia et ea quæ sunt in vo-
ce, sunt earum quæ sunt in anima passio-
num notæ, id est signa sive indicia. Ideo
Seneca ait : Qualis vir, talis est sermo
ejus; et iterum, Cordis imago est sermo.
Nam qualis sit homo, ex verbis ejus per-
penditur. Ideo juxta Scripturam : Ex ver- Matth. xii, 37.
bis tuis justificaberis, et ex verbis tuis
damnaberis. Dum ergo loquaces, clamoro-
si, contentiosi, pungitivive sumus, quid
æstimari potest de nobis ab audientibus,
nisi quod dissolutam, intimoratam, inqui-
etam ac vitiosam mentem habemus? Hinc
religiosi potissimum linguas suas refrena-
re tenentur : et hoc maxime coram extra-
neis, ne scandalizentur. Propter quod in
Jacobo habetur : Qui putat se religiosum Jacob. i, 26.
esse, non refrenans linguam suam, hujus
vana est religio. Et in Proverbiis Salomon:
Vidisti, inquit, aliquem velocem ad loquen- Prov. xxix, 20.
dum? stultitia magis speranda est, quam

Ps. CXXXIX, 12. illius correctio. Atque in Psalmo : Vir linguosus non dirigetur in terra.

Itaque, per arborem homo designatur, et per arborem bonam homo virtuosus, per malam vitiosus. Quemadmodum ergo arbor bona, quamdiu permanet bona, malos non potest producere fructus, nec arbor mala, ut talis, bonos potest fructus producere : sic homo virtuosus, in quantum hujusmodi, mala non operatur nec agere potest, quia non agit nisi secundum inclinationem, formam habitumque virtutis ac gratiæ ; malus quoque, secundum quod vitiosus, nec agit, nec agere potest bona. Verumtamen non est per omnia de arboribus et hominibus simile : quoniam arbor solam naturæ sequitur motionem ; homo autem liberi exstat arbitrii, ideo potest converti atque averti, ita quod virtuosus potest fieri vitiosus, et econtra, loquendo de eis materialiter et in sensu diviso, non autem loquendo de eis formaliter et in sensu composito. Unde elicitur in quo sensu istæ sint veræ : Superbus non potest salvari ; Amans Deum non potest perire : quia in sensu composito veræ sunt. Superbus enim, ut talis, non valet salvari. Juxta quem sensum multa in epistolis Pauli ceterisque leguntur Scripturis, ut quum ait Apostolus : Neque adulteri, neque fornicarii, neque avari regnum Dei possidebunt. (I *Cor.* VI, 9, 10.)

Denique, sicut ex abundantia cordis os loquitur, sic ex eadem abundantia, manus, pes, et cetera membra operantur atque moventur, quoniam anima motrix est corporis, et corpus instrumentum est animæ in agendo. Hinc, sicut ex fructu cognoscitur arbor, sic ex actibus suis cognoscitur homo. Unde quod dicitur, Potentiæ cognoscuntur per actus et objecta, verificatur non solum de cognitione potentiarum quoad esse earum naturale, sed etiam quoad esse formale. Nihilo minus, quia hypocritæ et iniqui ac callidi multa mala operantur sub specie boni, quia jejunant, orant, et cetera ex genere bona efficiunt (propter quod in Matthæo loquitur Christus : Attendite vobis a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium) (*Matth.* VII, 15.); idcirco non semper cito et facile tales ex suis agnoscuntur operibus, sed sæpenumero cum grandi diligentia diuturnitateque temporis, ita quod finaliter cognoscuntur. Porro, an homo sit vere virtuosus, præcipue perpendi solet, si patiens sit in adversis, si non detrahat bonis, si laudem humanam non captet, si honores in ipso non varient mores. Hinc in Ecclesiastico scriptum est: Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis. (*Eccli.* XXVII, 6.) In Proverbiis quoque fertur : Quomodo probatur in conflatorio argentum, et in fornace aurum ; sic probatur homo ore laudantis. (*Prov.* XXVII, 21.)

Insuper, sicut in corporali thesauro sunt argentum, aurum, et gemmæ, pretiosæque vestes, et herbæ atque unguenta : ita in spirituali thesauro est aurum, videlicet caritas et sapientia, de quo auro scriptum est in Apocalypsi, Suadeo tibi emere aurum ignitum probatum (*Apoc.* III, 18.); item argentum, id est scientia et eloquentia, juxta illud Psalmistæ : Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum. (*Ps.* XI, 7.) Gemmæ sunt præstantissima septem dona Spiritus Sancti, quibus anima consolidatur in Deo. Vestes pretiosæ sunt virtutes, quibus anima decoratur, juxta illud Isaiæ : Induit me vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me. (*Is.* LXI, 10.) Herbæ sunt vita exemplaris, bonaque fama, sicut ait Apostolus : Christi bonus odor sumus in omni loco. (II *Cor.* II, 14, 15.) Unguenta sunt opera pœnitentialia ac salutis remedia, quibus animarum sananda sunt vulnera.

46 *Quid autem vocatis me, Domine, Domine, et non facitis quæ dico ?* quasi dicat : Inutiliter me Dominum vocatis et ingeminatis, dum mihi non obeditis. Hoc ait Salvator, ne quis abundantiam verborum putet sufficere ad salutem, quia jam dixit, Ex abundantia cordis os loquitur ; et item, ut doceat nos, quod observantia præceptorum sit ad consecutionem salutis necessaria, sicut et alibi ait : Si vis intrare ad vitam, serva mandata. (*Matth.* XIX, 17.) Unde qui Christum

nominat suum Dominum, nec tamen ei A
obedit, mentitur et similis est arbori, fo-
lia, non fructum portanti, quia de ratione
servi est domino deservire et obedire. Id-
Malach. I, 6. eo per Malachiam Deus locutus est : Ser-
vus timet dominum suum : si ergo Domi-
nus ego sum, ubi est timor meus? Hinc
malus et impius Christianus gravius dam-
natur quam infidelis, quia magis ingratus
est, et de ignorantia excusationem non ha-
bet. Nec huic verbo Salvatoris repugnat
I Cor. XII, 3. quod ait Apostolus, Nemo potest dicere Do-
minus Jesus, nisi in Spiritu-Sancto : acci- B
pit enim Dicere, stricte ac proprie, pro
expressione attenta et affectuosa, quæ ca-
ritatem exigit.

Deinceps ostendit Salvator, quæ sit uti-
litas obediendi præinductis suis præceptis,
47 seu acquiescendi præfatis consiliis. *Omnis*
qui venit ad me. Hoc Christus de corporali
accessu auditorum suorum dicere potuit;
nunc autem de spirituali accessu exponi-
tur, quo per fidem, caritatem, contempla-
tionem, devotionem accedimus Christum.
Et audit sermones meos, id est documen- C
ta, consilia, et præcepta quæ dixi, auribus
corporis et animæ auscultando, quando ab
homine proferuntur, vel solis interioribus
auribus, dum per divinam allocutionem
seu angelicam inspirationem intus dicun-
Ps. LXXXIV, 9. tur, juxta illud in Psalmo : Audiam quid
loquatur in me Dominus Deus ; *et facit*
eos, id est, opere implet : quod non so-
lum de opere exteriori, sed et de interiori
quoque actione intelligi debet, quia præce-
ptum caritatis per interiores actus præci-
pue adimpletur. Sic quoque accipit Chri- D
Joann. VI, 29. stus opus in Joanne, dicens : Hoc est opus
Dei, ut credatis in eum quem misit ille.
Sic etiam accipiendum est opus, dum Scri-
Apoc. XXII, 12. ptura testatur, unumquemque secundum
sua opera accepturum a Deo. Constat enim,
quod in interioribus actibus ratio meriti
atque demeriti magis consistat, ideoque
secundum istos maxime remuneratur ho-
mo a Christo. Itaque audire verbum Dei,
Jacob. IV, 17. ordinatur ad operari, quia ut dicit Jaco-
bus : Scienti bonum et non facienti, pecca-
tum est illi. *Ostendam vobis,* id est docebo,
cui similis sit, in prudentia et exercitio
ejus.

Similis est homini ædificanti domum, 48
qui fodit in altum, id est in profundum.
Altum quippe in Scripturis pro profundo
accipitur, sicut in Psalmo : Veni in altitu- Ps. LXVIII, 3.
dinem maris; et in Joanne, Puteus altus Joann. IV, 11.
est. *Et posuit fundamenta* domus *supra*
petram, id est super solidum saxosumque
locum. *Inundatione autem facta,* id est
aquis abundanter confluentibus, *illisum*
est flumen domui illi, id est, cum impetu
parietes domus concussit, *et non potuit*
eam movere, id est lædere sive destruere;
fundata enim erat supra petram, ideo for-
tis fuit et stabilis. Quemadmodum ergo ta-
lis ædificator egit prudenter ac fructuose,
nec passus est damnum structuræ, sed in
ea a fluviorum subversione est præserva-
tus; ita qui verbis Christi obedit, spiritua-
lem domum, id est conscientiæ suæ secre-
tum mentisque thalamum, vel virtutum
ædificationem, bonorumque actuum com-
paginationem ac nexum, fundat supra pe-
tram, id est stabile fundamentum, videlicet
Christum, de quo ait Apostolus : Funda- I Cor. III, 11.
mentum aliud nemo potest ponere, præter
id quod positum est, quod est Christus Je-
sus; et item, Petra erat Christus. Vel fun- Ibid. X, 4.
damentum istud est fides, timor, sive hu-
militas. Talis quoque fodit in altum, id est,
se ipsum profunde considerat, novissima
providet, terrenas atque carnales affectio-
nes de sui ejicit agro cordis. Quumque
abundantibus persecutionibus, adversitati-
bus, tentamentis, irruerit super eum flu-
men, id est abundantia tentationum, non
prosternetur, nec structura virtutum sua-
rum dejicietur, sed virtute et gratia Chri-
sti, cui innititur, resistet ac prævalebit
atque salvabitur.

Porro spiritualiter, homo cui obedientes
assimilantur, est ipsemet Christus : qui
domum, id est Ecclesiam, ædificavit supra
petram, id est fidei firmitatem, vel super
se ipsum, quemadmodum ait : Super hanc Matth. XVI, 18.
petram ædificabo Ecclesiam meam. Fodit

quoque in altum, id est in profundo humilitatis ac paupertatis, a quo sermonem præscriptum exorsus est; et præceptis humilitatis, vana ac tumida de cordibus ejecit fidelium. Huic itaque assimilantur fideles, qui Domini sui sequuntur vestigia. Qui enim se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare, ut Joannes ait. (I *Joann.* II, 6.)

49 *Qui autem audivit* verba mea, *et non fecit* quæ docui et præcepi, *similis est homini ædificanti domum suam super terram, sine fundamento : in quam illisus est fluvius, et continuo cecidit; et facta est ruina domus illius magna,* tanto utique major, quo stabili fundamento amplius caruit. Hoc in exterioribus ita est, atque ad litteram planum est. Tali igitur stulto ædificatori assimilatur, qui verba divina quæ audit aut scit, opere non observat. Domum etenim suam, hoc est operum suorum congeriem, vitiorum molitionem, conscientiam, mentem seu intentionem, ædificat super terram, id est terrenorum amorem, et super ista transitoria, carnalia et caduca, in quibus nulla est vera stabilitas : ideo fundamento caret virtutum, nec Christo innititur. Hinc fluvio, hoc est abundantia tentationum, irruente in eum, mox cadit et vincitur; fitque magna ipsius ruina, quia spiritualiter destruitur, imo et annihilatur, ita ut omni esse gratiæ ad pro-

A merendum idoneo spoliatur, atque a Deo ut nihilum reputatur, et usque ad inferni profunda dilabitur. Magna ergo est ruina, qua homo corruit per peccatum, quoniam rationalis anima spiritualiter moritur, ab altitudine caritatis et gratiæ præcipitatur, in vitiorum voraginem mergitur, felicitate quoque privatur cœlesti, et calamitate obruitur æterna ac infernali.

Postremo, per hominem stulte ædificantem, cui alii assimilantur, intelligi potest negligens pastor, vitiosus prælatus, prædi-
B cator et doctor non operosus, qui domum suam, id est propriam conscientiam, seu gregem sibi commissum, ædificat super terram, secundum sensum expositum. Talis quoque præsidens, dum carnalis est terrenaque sapit, recte terra vocatur, quemadmodum in Ecclesiastico scriptum est : Quid superbit terra et cinis? (*Eccli.* X, 9.) Quumque eis quibus præest aut prædicat, persuadet ut ipsum sequantur, ædificat eos super terram, hoc est super se ipsum et opera atque exempla iniqua et vana. Propter quod
C domus talis, seu congregatio illa, tentationibus omnino dejicitur, juxta illud prophetæ Job : Qui habitant domos luteas, et terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea. (*Job* IV, 19.) Et in Ecclesiastico : Secundum judicem populi, sic et ministri ejus; et qualis est rector civitatis, tales et inhabitantes in ea. (*Eccli.* X, 2.)

ARTICULUS XVII

ELUCIDATIO CAPITULI SEPTIMI : QUUM AUTEM IMPLESSET OMNIA VERBA SUA.

QUONIAM in præcedenti capitulo descripsit Evangelista mirabilem, supernaturalem et inauditam Christi doctrinam; deinde narrat præclara ejus miracula, soli divinæ possibilia potestati : quibus ostenditur doctor talium documentorum vere a Deo locutus, dum ei Deus ita testimonium
D perhibet, atque ad suæ confirmationem doctrinæ talia operatur; imo et ipse Christus verus Deus esse probatur, dum propria virtute, imperialique modo talia efficit signa.

Quum autem implessèt, id est, perfecte 1
protulisset, *omnia verba sua,* præcedenti

scripta capitulo, *in aures plebis :* distincte A
enim, facunde ac intelligibiliter loquebatur ; quorumdam etiam audientium, non
solum corporales aures implevit, sed et interiores instruxit, ita ut verba Dei fructuose hauserunt ; *intravit in Capharnaum.*
Matth. VIII, 2-5. Primo tamen sanavit leprosum, ut Matthæus habet.
2 *Centurionis autem cujusdam servus male habens, erat moriturus,* hoc est, letaliter
Ibid. 6. infirmabatur : fuitque paralyticus, secundum Matthæum ; et de infirmitate illa obisset, nisi Christus impendisset ei suffragi- B
um. Fuit ergo moriturus, secundum causas inferiores, naturales et proximas, quia mortifera fuit ejus infirmitas : juxta quem modum quarto Regum legitur Isaias Ezechiæ
IV *Reg.* XX, 1 ; *Is.* XXXVIII, 1. locutus : Dispone domui tuæ, quia morieris tu et non vives. Porro secundum causam superiorem, scilicet providentiam Dei, et virtutem pietatemque Christi, fuit curandus. *Qui illi erat pretiosus,* hoc est valde carus : ideo sollicitus fuit pro eo quasi pro filio, et quasi pro semetipso, im-
Eccli. XXXIII, 31. plens illud Sapientis : Servus fidelis sit C
tibi quasi anima tua. — Denique centurio non est proprium nomen personæ, sed nomen dignitatis sive officii. Dicitur namque centurio, qui centum sub se milites habet : quemadmodum quinquagenarius, qui quinquaginta milites habet sub se ; decurio, qui decem ; quaternio, qui quatuor. Fuit autem iste centurio natione gentilis, et ab imperatore Galilææ præfectus in certis negotiis, vel ad ejus custodiam deputatus.
3 *Et quum audisset de Jesu,* id est famam D
Christi in sapientia, potestate, pietate et miraculis, et quod intrasset Capharnaum, *misit ad eum seniores Judæorum* in Capharnaum habitantium, *rogans eum ut veniret et salvaret servum suum* ab infirmitate. Dicunt aliqui, quod centurio non rogavit Christum ut veniret ad servum curandum, quia infra habetur quod dixit,
vers. 6. Non sum dignus ut intres sub tectum meum. Verumtamen, quia Evangelista manifeste hic ait quod rogavit Jesum ut veniret,
potius reor quod primo rogavit ut Christus veniret, sed postea majestatem Christi profundius pensans, reputavit se ejus adventu indignum. Nec verbis Lucæ obviat, quod
in Matthæo legitur centurio Jesum acces- *Matth.* VIII, 5.
sisse atque rogasse. Hoc namque fecisse asseritur, quia per suos amicos id fecit. Misit quoque seniores Judæorum, quum propter reverentiam Christi, tum ut per illos facilius exaudiretur, quia senes magis sunt honorandi et audiendi ; tum propter magnitudinem causæ : pro magna etenim re rogavit, ideo magnos direxit legatos. Cur autem personaliter non accessit, ipsemet post pauca fatetur.
At illi quum venissent ad Jesum, roga- 4
bant eum sollicite, id est diligenter, *dicentes ei : Quia dignus est ut hoc,* id est
servi curationem, *illi præstes. Diligit enim* 5
gentem nostram. Forte ideo dilexit Judæos, quia vidit eos unius summi verique Dei cultores, et honestiori religioni deditos, quam gentiles quos novit ; vel quia inter Judæos morando, didicit quanta beneficia Deus populo illi contulerat, et quod magni Sancti, videlicet Prophetæ ac Patriarchæ, inter illos fuerunt. *Et synagogam ipse ædificavit nobis,* id est, suis fecit ædificari expensis. Synagoga vero hic dicitur domus cultus divini : ad quam confluxerunt Judæi, non ad sacrificia offerenda, quia hoc extra Jerusalem non licebat, templo constructo et stante, sed ad orandum laudandumque Deum, et ad legendum ac audiendum libros legis ac Prophetarum. Has duas causas allegant hi seniores, tanquam dicant : Quum diligat gentem nostram, cujus tu membrum sive suppositum es, patet quod diligat te, debeasque eum diligere, tum quia te amat, tum amore populi tui. Rursus, quia tu ceteris religiosior es, propter hoc præcipue debes ei affectum atque effectum caritatis impendere, quoniam domum cultus divini construxit. Apparet quoque ex circumstantia hujus evangelicæ lectionis, quod centurio fuit effectus proselytus, id est ad Judaismum conversus, vel saltem idolorum relicta cultura, unius

veri Dei cultor effectus, quia synagogam construxit Judæis : sicut nec jam aliquis ædificaret Christianis ecclesiam, nisi coleret Christum. — Quemadmodum autem Judæi tam sollicite rogaverunt pro centurione, ita et nos Christum in cœlis regnantem, sollicite orare debemus pro benefactoribus et amatoribus nostris, ac populi nostri, præsertim pro his qui cultum augent divinum, aut necessaria ad obsequium Dei ministrant.

6 *Jesus autem ibat cum illis :* non quia absens curare non potuit, sed ne servum visitare videretur despicere : sed et humilitatis daret exemplum et caritatis, ne et nos proniores simus visitare divites ægrotantes, quam pauperes, præsertim quum pauperes solatio atque subsidio magis in-
Joann. IV, 47-50. digeant. Hinc Christus ad filium reguli pergere recusavit, ut patet in Joanne. Insuper ivit cum illis, ne preces rationabiles seniorum videretur abjicere; et præsertim quia cor centurionis intuebatur : unde propter ejus fidem, humilitatem, devotionem, prudentiam, dilectionem, tam promptus fuit ei impertiri quod petiit.

Et quum jam non longe esset Jesus *a domo* centurionis. Secundum humanitatem quippe convenit Christo distare, appropinquare, transire localiter, qui ut Deus,
Jer. XXIII, 24. nusquam deest, et omnia implet, imo ipsis illabitur essentiis rerum. *Misit ad eum centurio amicos, dicens : Domine, noli vexari,* id est usque ad domum meam venire, ex quo accessu corporaliter possis lassari : quemadmodum apud Joannem le-
Joann. IV, 6. gitur factum, quum dicitur Jesus fatigatus ex itinere. *Non enim sum dignus ut sub tectum meum,* id est in domum meam, *intres,* quia peccator sum, et aliquando idola
Luc. v, 8. colui. Sic et Petrus dicebat : Exi a me,
7 quia homo peccator sum, Domine. *Propter quod et me ipsum non sum dignum arbitratus ut venirem ad te :* quia enim indignus sum tibi conjungi, non præsumpsi venire ad te. Sciebat quoque centurio, quod Judæi detestarentur communicare cum gentibus. Quoniam ergo vidit Christum cunctis Judæis tam præfulgentem in sanctitate, sapientia et virtute, putavit se ejus accessu indignum. *Sed* tantum *dic verbo,* id est præcipe, *et sanabitur puer meus.* In quibus verbis ostenduntur humilitatis profunditas, ac fidei magnitudo in centurione. Porro servum suum nominat puerum : vel propter dilectionem ad eum, juxta illud Ecclesiastici, Servus sensatus *Eccli.* VII, 23.
sit tibi dilectus quasi anima tua ; vel quia consuetudo est, tam in scriptis divinis, quam in modo loquendi multorum, ut servi pueri appellentur, quemadmodum in libris Regum loquitur David : Fuerunt va- 1 *Reg.* XXI, 5.
sa puerorum sancta.

Quæritur, quomodo centurio habuit tantam fidem de Christi dignitate atque potentia. Et respondendum, probabile esse quod audivit famam miraculorum Christi, et quam imperiose ac subito paulo ante curasset leprosum : forsitan etiam a Judæis audivit aliquid de adventu Messiæ ; et rursus, quomodo aliqui dicerent Jesum esse Messiam. Verumtamen, secundum Ambrosium et Bedam, potius ex inspiratione divina fuit in eo fides hujusmodi, sicut et ceteræ virtutes ipsius. Videtur quippe fuisse vir religiosus et bonus, quemadmodum de Cornelio centurione in Actibus *Act.* x, 1, 2.
fertur.

Deinceps ostendit per locum a majori, quod Jesus solo imperio etiam absens posset sanare. *Nam et ego homo sum sub po-* 8
testate constitutus, imperatori, ac præsidi, tribunoque subditus, *habens sub me milites* centum potestati meæ subjectos ; *et dico huic, Vade, et vadit ; et alii, Veni, et venit :* id est, uni militi jubeo, Perge illuc, alteri, Veni huc, moxque obediunt ; *et servo meo* jubeo, *Fac hoc, et facit,* id est, quidquid ei præcepero, statim obtemperat. Post expressionem autem militum nominat servum, quia præter milites habebat et alios domesticos famulos, quemadmodum in Actibus legitur Cornelius centurio *Ibid.* 7.
vocasse duos de domesticis suis, et militem, utique unum. Denique his verbis innuebat centurio, quod multo plus Jesus solo

potestatis suæ imperio, aut etiam angelorum ministerio, posset sanitatem conferre, ita quod ægritudo eo imperante discederet, sanitasque accederet. A

9 *Quo audito, Jesus miratus est* magnitudinem fidei et sapientiæ centurionis, quod scilicet Christi intelligeret majestatem. Quomodo autem in Christo fuerit admiratio, super Matthæum diffuse tractavi, et nunc breviter tangam. (Cf. in Matth. art. XVI, circa finem.) Itaque, qui in Christo non ponunt scientiam aliquam acquisitam, dicunt in eo non vere fuisse admirationem, quum juxta Damascenum, admiratio B ex imaginatione subita oriatur. Christus autem, secundum istos, omnia ab exordio incarnationis, tam præterita quam præsentia ac futura novit, et intuebatur in Verbo, imo et per scientiam habitualem inditam seu infusam : ideo nil improvisum aut subitum fuit in ejus apprehensione. Sed quod miratus asseritur, intelligendum est quod habitum seu apparatum prætendebat mirantis, ita quod miratio fuit in signo et apparentia, non in anima, nec quoad stuporem de novo imaginantis : C quæ apparentia non fuit inutilis aut deceptoria, sed fructuose rationabiliterque assumpta, quia ad hoc ut Christus doceret admirari debere fidem centurionis, aliorumque miram conversionem, et Judæorum incredulitatem. Hinc Beda ait : Quis in centurione fecerat ipsam fidem, nisi Jesus qui mirabatur ? Sed etiam si alius illam fecisset, quid miraretur qui præscius erat ? Quod ergo miratur Dominus, nobis mirandum esse designat. Omnes enim tales motus, quum de Deo dicuntur, non per- D turbati signa sunt animi, sed docentis magistri. — Alii ponentes in Christo scientiam acquisitam, dicunt quod fuit in eo vere miratio secundum istam scientiam, quia sic fuit in eo aliquid de novo cognitum, prius incognitum quoad istum modum habitumve sciendi, ex cujus apprehensione recenti admirabatur.

Et conversus, sequentibus se turbis dixit, convertendo faciem suam corporalem ad eas : *Amen,* id est vere, *dico vobis,* hoc est ad vestram instructionem, humiliationem ac utilem confusionem, quæ pœnitentiam parit, *nec in Israel tantam fidem inveni.* Hoc rursus difficultatem sortitur : non enim fides centurionis major fuit fide Virginis gloriosæ, aut Joseph sponsi ipsius ; nec iterum major fuit fide Joannis Baptistæ et parentum ipsius, aut Simeonis et Annæ. Ad quod multipliciter respondetur : Primo, quoniam multitudo dicitur aliqua agere, vel non agere, quando principales, aut major pars ejus hoc agit, sive non agit. Quoniam ergo major pars et principales Judæorum fuerunt increduli, Christus ait se in Israel, id est populo Judæorum, tantam fidem non reperisse : imo quia credentes ex Judæis comparatione aliorum paucissimi erant, et quod modicum est, pro nihilo reputatur, Christus præfato locutus est modo ; vel facilitate credendi, præfertur fides centurionis. Aliqui quoque affirmant, quod Christus sumit hic Israelem pro Synagoga, secundum quod illa a primitiva distinguebatur Ecclesia, ad quam præfati Sancti ac Christi discipuli pertinebant. Aliæ solutiones positæ sunt super Matthæum. Plane autem (Cf. in Matth. VIII, 10.) loquendo, apparet quod Christus nil aliud voluit dicere, quam quod in communi Israelitica plebe, seu populo illo communiter, non tantam invenerit fidem.

Et reversi qui missi fuerant a centurione *domum* ipsius, *invenerunt servum qui languerat, sanum :* quia ut in Matthæo habetur, centurioni locutus est Jesus, non utique ore ad os, sed per internuntios : Vade, et sicut credidisti fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora. (*Matth.* VIII, 13.) 10

Moraliter, per centurionem exprimitur quicumque bonus prælatus, fidelisque princeps : cujus servus seu puer, id est quicumque subditus, spiritualiter infirmatur, turbatur, tentatur, ita ut nisi ei gratia Dei subvenerit, protinus morietur in anima, incidendo peccatum mortale, deinde æternam mortem gehennæ. Pro tali ergo infirmo et passionato sollicitetur qui præsidet ; et si se ipsum censet ad orandum

pro peccatore tali indignum, devotos et
religiosos dirigat et inducat ad intercedendum pro languido. Tuncque Salvator videns prælati seu principis fidem, humilitatem et caritatem, intercessorum quoque instantiam, gratiose succurret. — Rursus, per centurionem intelligitur intellectus, cui centum milites, hoc est universitas bonarum ac fortium meditationum atque affectuum, parent, dum ad ejus imperium oriuntur et conquiescunt. Qui, dum vires animæ habuerit reformatas, dicit huic cogitationi, affectioni seu actioni, Veni, et venit, quia ad ejus præceptum, cogitatio seu affectio vel actio bona sibi inest, adsistit, cohæret; alteri vero dicit, Vade, et vadit, quia nunc uni actioni virtuosæ, nunc alteri oportet insistere. Unde sæpe bonæ cogitationi seu actioni virtutis unius jubendum est ut alteri cedat. Inordinatis vero actibus interioribus et exterioribus jubendum est ut recedant. Porro, servus languens et paralyticus moriturus, est appetitus sensitivus vehementer infectus, et passionibus, nisi Christus auxilietur, subdendus : pro cujus reformatione orare debet intellectus, et seniores Judæorum ad orandum transmittere, id est confessiones propriæ culpæ ac laudis divinæ, quarum merito Christus opem impendet. — Postremo, si centurio tantam caritatem, humilitatem, conatum, sollicitudinemque monstravit, pro sananda corporali ægritudine servi, quanto amplius oportet prælatum et patrem, pro curandis vitiorum languoribus in subditis seu filiis suis hæc agere?
Art. xvi in fine. Aliam moralitatem posui super Matthæum.
11 *Et factum est deinceps,* id est post sanationem servi centurionis, quamvis non immediate post illam, sicut ex aliis Evangelistis probatur, *ibat Jesus in civitatem quæ vocatur Naim :* quæ fuit civitas parva, duobus milliaribus distans a monte Thabor, secundum Bedam. *Et ibant cum illo discipuli ejus, et turba copiosa.* Quotidie etenim crevit fama et magnificentia Christi, ita quod frequenter multa millia comitabantur eum : et diversis ex causis

A diversi secum pergebant, ut dictum est. Maxime tamen confluebant ad eum propter incomparabilem excellentiam atque frequentiam ejus in faciendis miraculis : quia per miraculosos effectus cor hominis maxime attrahitur, concutitur, vincitur et
movetur. *Quum autem appropinquaret por-* 12
tæ civitatis, ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris suæ ; et hæc vidua erat ; et turba civitatis Naim *multa* fuit *cum illa,* pergente ad sepelitionem filii sui. Narrat autem S. Lucas tam distincte
B rem istam ad majorem veritatis certificationem.

Quam quum videret Dominus oculis cor- 13
poralibus ac interioribus, et benignissimo compassionis affectu. Attende quod in Scripturis non solet quis absolute Dominus appellari, præsertim a Sanctis, nisi verus
Deus, qui per Isaiam testatur : Ego Domi- *Is.* XLII, 8.
nus, hoc est nomen meum ; et in Psal-
mo : Dominus nomen illi. Quoniam ergo *Ps.* LXVII, 5.
Evangelistæ, præsertim Lucas, Christum frequenter Dominum nominant, insinuant
C quod ipse verus sit Deus. *Misericordia motus super eam,* hoc est, viduæ compatiens.

Fuerunt namque multæ atque fortissimæ rationes compatiendi viduæ illi : Primo, quia in maximo fuit constituta dolore propter mortem unici filii sui. Quemadmodum enim nil carius unico filio, sic dolor de morte ipsius intentissimus exsistit. Propter quod in Jeremia habetur :
Luctum unigeniti fac tibi planctum ama- *Jer.* VI, 26.
rum. Zacharias quoque : Dolebunt super *Zach.* XII, 10.
D eum, scilicet Christum, sicut doleri solet super unigenitum. Secundo, quoniam talis amor ad unicum filium maximus consistit in vidua : quia viri est destituta solatio, idcirco dolor ejus de unigeniti morte vehementissimus est. Tertio, quia vidua est persona multum miserabilis, quemadmodum orphanus, et pupillus, ac peregrinus,
et pauper. Ideo fertur in Psalmo : Domi- *Ps.* CXLV, 9.
nus custodit advenas, pupillum et viduam
suscipiet; et in Deuteronomio : Dominus *Deut.* X, 18.
Deus vester facit judicium pupillo et vi-

duæ, amatque peregrinum; itemque in Ec- A
Eccli. xxxv, 18, 19. clesiastico : Nonne lacrimæ viduæ ad ma-
xillam descendunt, et a maxilla ascendunt
usque ad cœlum ? Hinc crudelibus judici-
Is. i, 23. bus Isaias improperat : Causa viduæ non
ingreditur ad eos. Hinc itaque Christus
misericordiæ visceribus ineffabiliter afflu-
ens, misertus est viduæ huic de unici filii
amissione : præsertim quum et ipse uni-
cus esset suæ dulcissimæ filius Genitri-
cis, et sciret quantum diligeretur ab ea, et
quantum de futura sua morte et passione
illa esset contristanda, ploratura et affligen- B
da. Quarto, quoniam filius viduæ in adole-
scentia sua fuit defunctus, ideo plus fuerat
condolendum. Adolescentium enim mors
miserabilior est, quia in flore ætatis suæ
fuerunt, et cum grandi labore ac sollicitu-
dine parentum ad istam ætatem perducti
sunt. Insuper adolescentes solent esse ad
mortem minus dispositi, quoniam homi-
nes in illa ætate consueverunt esse lasci-
viores, instabiliores et minus experti. Pro-
pter quod in Ecclesiaste Salomon loquitur:
Eccle. xi, 10. Adolescentia et voluptas, vana sunt. In C
Prov. xxx, 18, 19. Proverbiis quoque profitetur, quod via vi-
ri in adolescentia sua sit sibi ignota.

Dixit illi viduæ desolatæ verbum bo-
num, verbum consolatorium : *Noli flere,*
quia causa fletus jam tolletur a te, et
causam copiosam gaudendi habebis, tanto
14 majorem quanto inopinatiorem. *Et acces-*
sit, et tetigit loculum, hoc est repositori-
um exanimis corporis. *Hi autem qui por-*
tabant, steterunt, sperantes quod Jesus non
frustra talia diceret, sicque accederet. *Et*
ait : Adolescens, tibi dico, hoc est, divina D
ac propria potestate omnipotenti præci-
pio, *surge,* id est revivisce, et signa vitæ
ostende surgendo ac ambulando. — Quæ-
ritur, cui Christus dixit, Surge : quando
enim verbum hoc protulit, adolescens ad-
huc mortuus fuit, ergo non fuit tunc ado-
lescens. Et respondendum, quod in Scri-
pturis multoties ponitur pars pro toto, et
totum pro parte, quemadmodum in Joanne
Joann. xix, 42. legitur : Ibi, videlicet in sepulcro, posu-
Ibid. xx, 13. erunt Jesum ; et Maria Magdalene ait, Tu-
lerunt Dominum, scilicet de monumento.
Ita et Christus nomine adolescentis intel-
ligere potuit corpus ejus, cui jussit iterum
animari, seu vivificari ; vel animam ejus,
cui jussit corpori rursus uniri ; vel utrum-
que, quamvis separatim ab invicem, ju-
bens illud conjungi.

Et resedit qui erat mortuus, hoc est, 15
protinus revixit, seque erexit, ac sedit
super instrumentum quo portabatur, *et*
cœpit loqui, in signum quod vere revixit.
Et dedit illum matri suæ, hoc est, assi-
gnavit eum suæ matri viventem, ut cum
eo læta rediret ad domum : quemadmo-
dum Elias suscitato filio viduæ, dixit, En III *Reg.* xvii, 23.
vivit filius tuus, ut legitur in libris Re-
gum. Similiter egit et Eliseus, quum fi- IV *Reg.* iv, 36.
lium Sunamitis suscitasset. Denique, sicut
alii infirmi a Christo curati, mox plenarie
restituti sunt sanitati ac robori naturali,
ut patet de paralyticis, quibus curatis, sta-
tim præcepit proprios lectos deferre ; sic *Marc.* ii, 9; *Luc.* v, 24; *Joann.* v, 8.
credo quod adolescens hic suscitatus, sta-
tim sanus et fortis processerit. Opera nam-
que Christi perfecta fuerunt, quemadmo-
dum Moyses in Deuteronomio testatur : Dei *Deut.* xxxii, 4.
perfecta sunt opera. Hinc creditur Chri-
stus adolescentem istum, etiam spirituali-
ter suscitasse, hoc est a vitiis emundasse,
si quæ habuit. Quod si in mortali pecca-
to discessit, magnificentior fuit suscitatio
ista, eo quod animam de pœnis inferni
abstraxit : ad quas tamen tunc nondum
absolute adjudicatus fuisset.

Accepit autem omnes timor, hoc est, 16
universos qui istud conspexerunt miracu-
lum, timor invasit. Qualis fuerit iste timor,
et de causis ejus, patet ex dictis. Non enim
fuit directe et proprie timor afflictivus,
et desolationem inducens, sed fuit timor
admirationis ac reverentialis, consolatio-
nem et grandem jucunditatem habens ad-
mixtam. *Et magnificabant,* id est, magnum,
gloriosum, potentem *Deum* esse profite-
bantur, quia ex effectu tam miraculoso,
supernaturali et inclyto, omnipotentiam
Dei pensabant, laudabant et honorabant.
Unde et gratia miraculorum, sicut et cete-

ræ gratiæ gratis datæ, ordinantur ad alio- A rum utilitatem, videlicet ædificationem eorum in fide atque reverentia Dei, sicut I *Cor.* XII, 7. ait Apostolus : Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Denique, in isto miraculo modus agendi mirabilior fuit quam opus, quod scilicet Jesus tam imperialiter ac repente fecit hoc signum. Non enim Elias aut Eliseus taliter mortuos sus- III *Reg.* XVII, 19-21 ; IV *Reg.* IV, 33, 34. citaverunt, sed instanter orando, et super defunctos procumbendo.

Dicentes : Quia, id est quod, *Propheta magnus,* hoc est magnæ sanctitatis et B potestatis, *surrexit in nobis,* id est, inter nos apparuit ac præfulsit. Quamvis etenim nondum putarent Jesum esse Deum, non tamen dubitabant quin divina virtute fecisset hoc signum : ideo Deum principaliter collaudabant, Jesum vero tanquam Dei ministrum, per quem et cujus sanctitate ac meritis, Deus fecisset tantum prodigium. Porro per Prophetam magnum, aliqui putant eos intellexisse Prophetam de *Deut.* XVIII, 15, 18. quo per Moysen Dominus dixit : Prophetam suscitabo eis de fratribus eorum tan- C quam te. Sed hoc litteraliter de Christo prædictum est, ut ipsemet docet. Aut ergo illi Judæi scripturam illam intellexerunt de Christo prænuntiatam : quo dato confessi sunt Jesum esse Messiam, quemadmodum Samaritani apud Joannem, dicen- *Joann.* VI, 14. tes, Quia hic est vere Propheta qui venturus est in mundum ; aut de alio aliquo præcipuo vate : et sic non intendebant asserere quod Christus esset Messias. Potius tamen reor, quod nomen Prophetæ sumpserunt communiter, intendentes quod Christus es- D set magnus Propheta, quemadmodum Elias et Eliseus ac alii quidam fuerunt. Unde *Matth.* XVI, 13, 14. et alio loco, quum quæreret Christus a discipulis, Quem dicunt homines esse Filium hominis ? responderunt : Alii Joannem, alii Eliam, alii Jeremiam, etc.

Et quia Deus visitavit plebem suam, hoc est, misericorditer fecit cum populo Judæorum, mittendo eis tam magnum Prophetam, tanta quoque beneficia impendendo plebi suæ per illum. Cur autem populus Judæorum specialiter dictus sit populus Dei, dictum est plenius.

Postremo, Christus suscitavit tres mortuos corporaliter : per quorum suscitationem designatur triplex hominum genus spiritualiter mortuorum in anima, quos suscitat spiritualiter. Suscitavit enim filiam archisynagogi jacentem in lecto, at- *Marc.* V, 38-41. que in thalamo : per quam figurantur qui solo consensu peccati in anima mortui sunt, vel sola prava affectione, seu cogitatione, occultisve vitiis. Suscitavit et juvenem istum extra portam elatum : quo designantur peccatores qui processerunt in opus et publice peccant. Suscitavit et Lazarum jam sepultum : quo exprimun- *Joann.* XI, 38-44. tur qui consuetudine vitiosa oppressi sunt, super quos puteus clausit os suum, hoc *Ps.* LXVIII, 16. est, qui in profundum vitiorum prolapsi sunt, indurati in vitiis : de quibus in Jeremia habetur, Induraverunt facies suas su- *Jer.* V, 3. pra petram, et noluerunt reverti.

Præterea, convenienter Evangelista istud recitavit miraculum post descriptionem curationis servi letaliter infirmantis, ut isto illud confirmetur miraculo. Quamvis etenim servus ille veraciter, secundum naturalium processum causarum, fuerat de suo moriturus languore, ita ut ejus curatio æquivaluerit suscitationem defuncti ; posset tamen perversus quis dicere, quod non fuit sic moriturus, et quod non fuit in Jesu potestas suscitandi defunctos. Sed hoc isto miraculo reprobatur. Nec dici potest, quod istud confictum sit, quia toti Judææ constabat ; et quando Lucas hæc scripsit, multi vixerunt qui illud viderunt. Nec ausus fuisset ista confingere : quia et tempore quo ista descripsit, Christiani ex paganismo conversi ardentissimi exstiterunt, et undique ad loca Terræ sanctæ ex maxima devotione multi eorum pergebant ; nec dubium quin solliciti fuerunt ad inquirendum de veritate eorum quæ in Evangelio continentur, et si non ex incredulitate, tamen desiderio veritatis perfectius cognoscendæ.

Denique subditur : *Et exiit hic sermo,*

hoc est rumor hujus miraculi, *in universam Judæam de illo,* videlicet Christo auctore tanti prodigii, *et in omnem circa* A *regionem,* id est ad circumjacentes provincias, scilicet Tyri et Sidonis atque Samariæ.

ARTICULUS XVIII

PROSECUTIO EXPOSITIONIS HUJUS SEPTIMI CAPITULI : ET NUNTIAVERUNT JOANNI DISCIPULI EJUS DE OMNIBUS HIS.

18 E*T nuntiaverunt Joanni* Baptistæ (qui B a baptizando Baptista est cognominatus) *discipuli ejus de omnibus his,* hoc est, non solum suscitationem præfati adolescentis defuncti, sed et cetera quædam Christi miracula. Unde in Matthæo scribitur : Joannes quum audisset in vinculis opera Christi. (*Matth.* xi, 2.) Præterea, secundum Bedam et Glossam, discipuli Joannis ista magistro suo nuntiaverunt, non ex corde sincero, sed ex tabescente invidia, dolentes quod Jesus ita præfulgeret, famaretur, ac præferretur magistro eorum Joanni. Sed mi- C rum videtur quod discipuli tam sancti magistri, quo major inter natos mulierum non surrexit, (*Ibid.* 11.) tam carnales et passionati fuerunt, imo et popularibus imperfectiores : nam turbæ Christum et ejus opera extollebant. Ad quod puto dicendum, quod utique quidam discipulorum Joannis vere devoti ac virtuosi fuerunt; aliqui vero carnales et imperfecti, amantes Joannem et zelantes pro eo, non sapienter, sed indiscrete, quemadmodum de Judæis scribit Apostolus : Testimonium illis perhibeo, D (*Rom.* x, 2.) quod zelum Dei habent, sed non secundum scientiam. Nec mirandum est hoc nimis de discipulis quibusdam Joannis, quum et electus ille e multis Josue legatur inordinate zelatus pro Moyse. Nempe quum puer Moysi retulisset duos viros prophetare in castris, Josue ait : Domine mi Moyses, prohibe eos. Cui increpatorie Moyses dixit : Quid æmularis pro me ? (*Num.* xi, 27-29.)

19 *Et vocavit duos de discipulis suis** [* *Joannes*], ceteris prudentiores, secundum Cyrillum, ut ipsi a Christo edocti, ceteros edocere essent idonei; *et misit* eos *ad Jesum, dicens.* Duos pariter misit, quia unus non sufficit ad testimonium perhibendum, sed in ore duorum vel trium testium stat omne verbum (*Deut.* xix, 15.); et item, quia pergenti per vias solatiosum est habere socium viæ, præsertim quum homo naturaliter sit animal sociale; insuper, quoniam tutius est duos tendere simul quam unum solum, ad vitandum pericula, juxta illud Ecclesiastæ : Væ soli, quia si ceciderit, non habet sublevantem. (*Eccle.* iv, 10, 9.) Melius est duos esse simul : habent enim emolumentum societatis suæ ; si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Quarto, propter socialis vitæ commendationem. Hinc infra habetur, quod Jesus designans septuaginta duos discipulos, misit eos binos in omnem civitatem et locum quo erat venturus. (*Luc.* x, 1.)

Tu es qui venturus es, an alium exspectamus ? Quod Joannes certissime noverat Jesum esse Christum in lege et Prophetis promissum ac prænuntiatum, nullus dubitat Christianorum : nam et ante suam incarcerationem, de ipso testimonium perhibens, Venit (inquit) fortior me, cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere (*Marc.* i, 7.); et rursus, Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. (*Joann.* i, 29.) Denique, quando Joannes quæstionem hanc fecit, Christus jam venerat. Cur igitur sciscitatur, Tu es qui venturus es ?

Itaque advertendum, quod verba hæc dupliciter exponuntur. Quidam namque sequentes B. Gregorium, ea exponunt : Tu

es qui venturus es ad passionem ac limbum inferni, an alium exspectamus, qui pro mundi salute passurus sit? Unde secundum Gregorium, Joannes duo quæsivit: primo, an Christus per se ipsum descenderet in infernum, id est limbum præfatum; secundo, an mori dignaretur pro mundi salute: et de istis, secundum Gregorium, dubitavit Joannes.

Sed hoc communiter non tenetur, quia
Luc. I, 15. Joannes propheta, et Spiritu Sancto repletus in utero matris, imo plus quam propheta, non minus, sed magis illuminatus fuit de Christi mysteriis, quam Prophetæ veteris Testamenti, quibus evidenter innotuit Christum esse passurum: imo in
Is. LIII: *Ps.* XXI. Isaia, et psalmo cujus exordium est, Deus, Deus meus, respice in me, passio Christi tam clare atque diffuse fuit prædicta, ut magis ibidem videatur res gesta narrari, quam futurum prædici. Hieronymus tamen dicit in Prologo super Danielem, quod nullus Prophetarum tam evidenter de Christo ejusque passione prophetavit ut Daniel: quod intelligendum est, quantum ad temporis determinationem: quia non solum prænuntiavit Christum venturum atque passurum, sed et tempus certum expressit; certissima quoque signa passionem
Dan. IX, 26, 27. Christi concomitantia addidit, dicens: Non erit ejus populus, qui eum negaturus est; et civitatem ac sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; et finis ejus vastitas, et usque in finem perseverabit desolatio: ut a Daniele plenius scribitur. Per Zachariam insuper prædictus est Christi ad limbum descensus, Propheta ad Chri-
Zach. IX, 11. stum loquente: Tu quoque, in sanguine testamenti tui, emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua. Non ergo ista ignoravit Joannes.

Præterea sancti qui erant in limbo, exspectabant certissime Christum ad eos educendos venturum; nec ignorabant Christum esse jam natum, ac virilis ætatis, quia et ejus infantiam a Simeone et Anna, parentibusque Joannis audire quiverunt, imo et audierunt. Quod vero passurus esset, passionique proximus, ut cetera taceam, a Moyse scire valebant, antequam Christus patiebatur: quoniam ante ipsius passionem, Moyses et Elias apparuerunt cum eo *Luc.* IX, 30, 31.
in monte, conferebantque secum de passione sua futura. Credendum est etiam, quod angeli sancti præfatos sanctos frequentius visitabant, et de proxima eorum liberatione eos appropinquante passionis tempore consolabantur.

Hinc prætactam expositionem reprehendens Cyrillus: Omnino, inquit, reprobanda est talis opinio. Nusquam enim reperimus sacram Scripturam disserere, quod infernalibus prænuntiaverit Baptista Christi adventum. Noverat quoque Joannes, quod Christus illuminaturus erat infernum, id est detentos in limbo, quum pro omnibus, scilicet vivis ac mortuis, mortem gustasset: sed quia Scriptura hunc prædixit futurum tanquam Deum et Dominum, alii vero Sancti missi sunt sicut famuli ante ipsum; ideo omnium Salvator ac Dominus a Prophetis nominabatur et designabatur per verba hæc, Qui venit, vel, Qui venturus est, juxta illud in Psalmo, Benedictus qui venit in nomine Do- *Ps.* CXVII, 26.
mini; atque in Habacuc propheta, Post *Habac.* II, 3.
modicum qui venturus est, veniet et non tardabit. Sicque Baptista nomen accipiens a Scriptura interrogat: Tu es qui venturus es? hoc est, an tu sis Christus qui prænuntiatus es esse venturus tanquam præcipuus et omnium summus? His verbis Cyrilli concordat illud Joannis: Illi homines *Joann.* VI, 14.
quum vidissent quod fecerat signum, dixerunt, Quia hic est vere Propheta qui venturus est in mundum.

Interrogavit ergo Joannes Jesum, an esset Christus, non ex dubitatione vel ignorantia, sed ad discipulorum suorum ignorantiam instruendam, quatenus ex verbis et factis Christi, ædificarentur in fide, atque ad Christi allicerentur reverentiam ac amorem. Sciebat quippe Joannes, quam fructuose ac optime Christus Dei Patris *I Cor.* I, 24.
sapientia increata ac infinita responderet.

Præterea Ambrosius aliam tangit expo-

sitionem, quod scilicet Joannes non dubitavit an Jesus esset Christus, sed an esset pro hominibus moriturus : sic tamen ut inde dubitaverit, non tanquam dubius, sed tanquam pius vates, ita quod non fide seu ex infidelitate, sed pietate dubitavit, sicut et Petrus quum audisset a Christo quod
Matth. xvi, 22. crucifigendus esset, dixit ad eum : Propitius esto tibi, Domine, nam hoc non fiet. Sed istud stare non potest, nec B. Ambrosius asserendo, sed aliorum opinionem recitando, hoc scribit. Nam et pietas talis, non vera neque laudabilis pietas exstitisset, et ex errore vel imperfectione notitiæ, seu inconsideratione, aut ignorantia emanasset. Propter quod Petro Christus ad
Ibid. 23. præinducta verba respondit : Vade retro me, satana, quia non sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum. Postremo Joannes ante Christi passionem non minoris fuit perfectionis in sanctitate ac sapientia, quam Apostoli post Christi passionem, Sanctique Spiritus susceptionem. Nulla ergo quasi pietas sic eum affecit ad Christum, ut crederet aut putaret eum non moriturum pro mundo, sicut nec Virginem gloriosam, quamvis majore pietate tam naturali quam infusa afficeretur ad Christum : certam namque et firmam de Christi passione habuerunt notitiam. Ideo non est simile de Petro, qui sicut et alii Apostoli, ante Christi passionem magnæ simplicitatis fuit ac ruditatis, ut Christus in Evangelio sæpius pandit, et Joannes evangelista de se ipso
Joann. xx, 9. testatur : Nondum sciebat Scripturas, quia oporteret Christum a mortuis resurgere. Quamvis itaque Petrus auditis Christi verbis quibus se prædixit passurum, non putaverit ea falsa ; quia tamen firmam ac fixam inde notitiam non habebat, pietas quædam eum ad contradicendum seu dubitandum induxit.

20 *Quum autem venissent ad eum viri, dixerunt : Joannes Baptista misit nos ad te, dicens : Tu es qui venturus es,* id est Christus quem Prophetæ prædixerunt venturum in mundum ad hominum redemptionem, *an alium* Christum ac redem-

A ptorem *exspectamus,* id est, præstolari debemus ? Isti fuerunt legati fideles, verba mittentis fideliter proponentes, non addendo aut subtrahendo. Quos sequi debemus, nisi forte quis per nos talia annuntiaret, quæ in pristina forma proferri non expediret. Scriptum est enim in Proverbiis : Legatus fidelis, sanitas. Rursus scriptum Prov. xiii, 17.
est : Lingua tertia multos commovit. Sed Eccli. xxviii, 16.
et in Proverbiis legitur : Qui alio repetit sermone, separat fœderatos. Prov. xvii, 9.

In ipsa autem hora, qua quæstionem 21
B hanc proposuerunt, *curavit* Jesus *multos a languoribus,* id est gravioribus seu prolixioribus morbis : qui per naturam difficilius curantur, secundum illud Ecclesiastici, Languor prolixior gravat medicum ; Eccli. x, 11.
sed in Christo cœlesti medico hoc locum non habuit, quippe cui non fuit difficile omne verbum, imo omnia sibi æque possibilia erant secundum naturam divinam ; *et plagis* violenter illatis, aut accidentaliter ortis ; *et spiritibus malis,* id est dæmonibus : quorum licet natura sit bona, quia
C a Deo creata, tota tamen mente inconvertibiliter ad mala intenti sunt; et si bonum quid ex genere agant, aut verum dicant, vel inviti hoc faciunt, vel ad malum referunt finem. *Et cæcis multis donavit visum.* Christus etenim intuens universa, et sciens cur discipulos suos misisset Joannes, tunc uberiora fecit miracula, ut non verbis, sed factis se Christum ostenderet, atque illorum auferret errorem.

Et respondens, dixit illis : Euntes, id 22
est, recedentes a loco hoc, *renuntiate Jo-*
D *anni,* amico et consanguineo, baptistæ et paranympho, præconi, præcursori et ange- Malach. iii, 1.
lo meo, *quæ vidistis,* id est miracula quæ hac hora vobis præsentibus feci, quæ statim subdentur, *et audistis,* id est miracula quæ me ab aliis percepistis fecisse, vel meam doctrinam : *Quia cæci vident,* id est, qui ante cæci fuerunt, nunc me eis visum miraculose reddente, corporaliter vident, *claudi ambulant.* Multos cæcos et claudos a Christo esse curatos, Matthæus, Lucas et Marcus copiose testantur : nullus tamen

eorum explicite docet aliquem a nativitate cæcum aut claudum, a Christo ad visum aut gressum esse reductum. Sed horum [Joann. IX, 1-7; V, 5-9.] utrumque scribit evangelista Joannes : non tamen hoc recitat, nisi de uno cæco, unoque claudo. An vero plures tales curaverit [Ibid. XXI, 25.] Christus, nescitur. Non enim omnia scripta sunt : imo de miraculis Christi, ab Evangelistis comparative loquendo pauca in speciali conscripta sunt, prout Evangelia legentibus patet. Unde de cæcis, claudis, ac surdis, de quibus jam mentio fit, incertum est an quidam eorum ex utero matrum tales fuerunt. Porro claudi in duplici genere sunt. Nam quidam eorum actu progressionis totaliter carent ; alii recte seu expedite nequeunt ambulare. Utrosque autem Christus curavit : illis gressum totaliter dando, in istis hunc reformando seu perficiendo.

Leprosi mundantur a lepra, me præcipiente. In toto veteri Testamento non legitur [IV Reg. V, 1-14.] quis curasse leprosum, nisi Eliseus propheta, qui etiam unum solum sanavit leprosum. Christus autem quamplures tales [Luc. XVII, 12-14.] mundavit : imo ut infra habetur, una vice decem leprosos curavit. *Surdi audiunt,* hoc est, qui paulo ante surdi fuerunt, me agente, recipiunt auditum. *Mortui resurgunt.* Si Christus quando hæc dixit, non nisi unum suscitasset defunctum, probabile est, quod pluraliter non dixisset, Mortui resurgunt. Plures ergo suscitasse ante hæc verba pie credendum est, quamvis ex Evangelio non innotescat eum suscitasse ante hæc verba, nisi filium viduæ : quamvis forte et filiam archisynagogi ante hæc suscitavit. Tres autem mortuos suscitasse in Evangelio scribitur; sed an plures suscitaverit, ignoratur, præsertim quia solen- [Joann. XI.] nissimam illam Lazari suscitationem tres Evangelistæ, Matthæus, Marcus, et Lucas, scribere omiserunt. Matthæus quoque et Marcus de suscitatione filii viduæ nil scripserunt.

Pauperes evangelizantur, hoc est, a me [Matth. V, 3.] beati prædicantur, qui dico, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum [A] cœlorum : quum tamen mundus beatos reputet divites, vilipendatque pauperes. Stultam quippe fecit Christus sapientiam [I Cor. I, 20.] hujus mundi; et prudentia carnis, mors [Rom. VIII, 6.] est. Vel, Evangelizantur, id est, in evangelica lege ac gratia instruuntur a me, ita quod divites pauperibus non præpono, nec personarum acceptor sum : juxta illud Isa- [Act. X, 34.] iæ, ubi Christus ait de Patre : Evangelizare [Is. LXI, 1; Luc. IV, 18.] pauperibus misit me. Si autem, Evangelizari, deponentale sit verbum, juxta antiquam grammaticam, sensus poterit esse, quod [B] pauperes evangelizantur, hoc est, Evangelium prædicant : quia discipuli Christi, qui omnia reliquerunt, populum baptizabant [Matth. XIX, 27. Joann. IV, 1, 2.] ac instruebant, ut in Joanne et alibi innotescit. Et istud verum est, sive per pauperes intelligantur humiles, sive voluntarie inopes.

Præterea patet, quod ad quæstionem Joannis Christus non verbis, sed factis, et utique supernaturalibus factis, respondit, ut solutio quæstionis tanto firmior esset ac certior, quanto efficacius est testimoni- [C] um operis quam sermonis. Rursus, jussit Christus hæc referri Joanni, sciens eum in Prophetis supernaturaliter eruditum, ita ut ex miraculis istis, potuit suis probare discipulis Jesum esse Messiam : eo quod fecerit ista tam imperiose, atque in confirmationem suæ doctrinæ, qua se Christum perhibuit esse (Deus enim falsitati non attestatur, aliqua in illius confirmationem agendo), et quia de Christo ista fuerunt prædicta per Isaiam : Ecce Deus [Is. XXXV, 4-6.] vester veniet; tunc aperientur oculi cæ- [D] corum, et aures surdorum patebunt; tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum. Unde in Joanne loquitur Christus : Opera quæ ego facio in nomine [Joann. X, 25.] Patris mei, testimonium perhibent de me; et rursus : Si non facio opera Dei, nolite [Ibid. 37, 38.] credere mihi; si autem facio, et si mihi non creditis, operibus credite.

Præterea, ut sæpius tactum est, quos Christus sanavit in corpore, sanavit et mente. Itaque spiritualiter cæcos, surdos, leprosos, claudos, mortuosque curavit :

imo interim innumerabiliter fecit hoc, et quotidie facit. Unde sex incommoda hominis hic tanguntur, juxta tropologicum sensum, quæ Christus per gratiam suam tollit a nobis. Primum est excæcatio rationis, videlicet error, ignorantia, seu perfidia mentis : quam Christus tollit ab anima, intellectum illuminando per fidem, ceterasque virtutes ac dona intellectum perficientia, ut sunt, sapientia, scientia, consilium, atque prudentia. Secundum est claudicatio interioris hominis, videlicet nutatio, instabilitas, acedia, seu obliquitas affectionis, qua mentis ad Deum impedi-
Ps. xvii, 46. tur processus, juxta illud in Psalmo : Filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis. Et in libris Regum Elias ait
III *Reg.* xviii, 21. vanis filiis Israel : Usquequo claudicatis in duas partes ? Hoc malum sanatur, dum Deus animam divino amore inflammat, et alacrem facit. Hinc secundum Augustinum, pes animæ amor est : qui si rectus fuerit, dicitur caritas ; si inordinatus seu curvus, vocatur cupiditas. Tertium est animæ lepra, videlicet carnalis concupiscentiæ fœditas, quæ in divitibus atque potentibus magis regnat : quam Christus tollit, a vitiis gulæ et luxuriæ hominem emundando. Quartum est surditas animæ, utpote duritia seu rebellio ejus ad obtemperandum verbis Dei : quam aufert Christus, mentem per gratiam emolliendo, ut docilis obediensque consistat, quemadmodum per
Ezech. xxxvi, 26. Ezechielem Dominus loquitur : Spiritum novum ponam in medio vestri ; et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum. Quintum est mors animæ, hoc est separatio ejus a Deo per peccatum mortale : quam Christus aufert, animam per caritatem vivificando, seu ad pœnitentiam excitando. Sextum est paupertas, hoc est carentia gratiæ et virtutum : quam Christus aufert, spiritualia charismata infundendo. Sicque pauperes evangelizantur, hoc est, qui sine gratia erant, per gratiæ infusionem beati censentur.

23 *Et beatus est,* nunc in spe, et per in-
A choationem ac meritum felicitatis futuræ, *qui non fuerit scandalizatus in me,* hoc est, ex verbis et factis ac persecutionibus meis, non fuerit ad ruinam peccati inductus, mihi invidendo, meis operibus detrahendo, ea sinistre interpretando, vel de mea majestate ac veritate discredendo, propter adversa et passionem mortis quam tolerabo. Multi quidem visis Christi miraculis credebant eum esse Messiam, sed visa ignominiosissima occisione ipsius, a fide prolapsi sunt : imo et ipsi Apostoli in *Matth.*
B Christi captione scandalizati fugerunt, sic- xxvi, 56.
ut prædixit, Omnes scandalum patiemini *Ibid.* 31.
in me in ista nocte. — Porro Christus directe nullum scandalizavit, quia omne verbum et factum ejus ordinatissimum fuit ; sed multi ex sua infirmitate aut perversitate in eo scandalizati fuerunt, ita quod fuit occasio atque materia, non causa directa, scandali talis. Per inducta autem verba, tangit et admonet Christus Joannis discipulos, qui ut dictum est, scandalizabantur in Christo, dolendo quod magistro
C eorum Joanni sic præponeretur a populo.

Et quum discessissent nuntii Joannis, 24
duo ejus discipuli, redeuntes ad suum magistrum, *cœpit* Jesus *dicere de Joanne ad turbas,* id est eum publice commendare : quod non fecit in præsentia discipulorum Joannis, ne blandiens videretur.

Primo autem laudat Joannem de mentis constantia : et hoc ideo, ne plebs, quæ ante audivit Joannem testimonium Jesu Christo præbentem, et jam quæstionis ejus formam audivit, Tu es qui venturus es, etc. ?
D putaret Joannem instabilem, et ex levitate ante testatum, nuncque ex ignorantia sciscitatum. *Quid,* hoc est qualem virum, *existis in desertum,* quo morabatur Joannes, *videre ?* Plures quippe percurrebant tam longi deserti itinera, ut eum viderent, secundum Cyrillum. *Arundinem vento moveri*?* Inquisitive et negative legendum est hoc. Quasi dicat : An existis videre hominem levem, instabilem, inscium, et carnalem, qui nunc aliquid asserat, et paulo post id neget, vel dubitet, qui similis est

* *agitatam*

arundini seu calamo, quem ad omnem dif-
ferentiam loci ventus impellit? Talis ergo
Joannes Baptista non fuit; sed tales sunt
homines passionati, infirmi, et præsertim
laudis propriæ amatores, qui impetu pas-
sionum a medio rationis faciliter proster-
nuntur, et nunc immoderate lætantur, nunc
inordinate tristantur, jam nimis inclinan-
tur, seu afficiuntur ad aliquem, jam nimis
avertuntur ab eo, prosperis extolluntur,
adversis franguntur, tam laude quam vi-
tuperio a rectitudine justitiæ inclinantur,
quia amore privato infeliciter pleni sunt,
non virtutibus radicati. Tales ergo non si-
mus, sed mentem in Deo figamus, nec
aliquid nos perturbet : imo imperturba-
tum animum habeamus, soli Deo placere
optantes, nec extra ipsum aliquid exqui-
rentes, imo de adversitatibus, vituperiis,
atque injuriis gloriantes, in quantum per
eas appropinquamus saluti.

Unde inconstantia vile et magnum est
vitium. Ad stabilitatem vero mentis sacra
Scriptura præcipue nos hortatur. Ait nam-
I Cor. xv, 58. que Apostolus : Stabiles estote et immobi-
les, abundantes in opere Domini semper;
II Thess. II, 2. et alibi, Non cito moveamini a vestro sen-
Hebr. XIII, 9. su; et rursus, Optimum (inquit) est gratia
stabiliri cor. Et in Ecclesiastico : Non te
Eccli. v, 11, 12. ventiles in omnem ventum; esto firmus
in via Domini, et in veritate sensus tui.
Quemadmodum autem virtus et sapientia
stabiliunt mentem, juxta illud Salomonis,
Prov. XXIV, 5. Vir sapiens fortis est, et vir doctus, robu-
stus et validus; sic peccatum et passio in-
constantiam pariunt, secundum illud Psal-
Ps. I, 4. mistæ, Impii tanquam pulvis quem projicit
ventus a facie terræ. Itaque Joannem se-
Ephes. IV, 14. ctando, impleamus illud Apostoli : Jam non
simus parvuli fluctuantes, nec circumfe-
ramur omni vento doctrinæ.

Consequenter laudat Christus Joannem
de rigore justitiæ in corporis castigatione.
25 *Sed quid existis videre?* hoc est, ad qua-
lem videndum egressi estis in eremum?
Hominem mollibus vestibus indutum? qua-
si dicat : Si hoc fecistis, errastis, quia Jo-
annes pretiosis et delicatis vestibus usus
A non est, sed veste humillima, vili, et aspe-
ra, utpote de pilis camelorum contexta.
Iste est sensus textus, quamvis aliqui per
vestem mollem adulatoria verba accipiant.
Dicit autem Gregorius : Nemo putet in flu-
xu et studio vestimentorum peccatum de-
esse, quum dicat Apostolus : Non in veste *I Tim.* II, 9.
pretiosa. Hieronymus quoque testatur :
Mollia vestimenta, mollitiem animæ indu-
cunt; et Chrysostomus : Mollis vestis rigi-
dam animam dissolvit. *Ecce qui in veste
pretiosa sunt,* id est, pretiosis indumentis
B utuntur, *et in deliciis,* hoc est voluptati-
bus carnis et oblectationibus vanis, *in do-
mibus regum sunt,* id est, in curiis prin-
cipum esse consueverunt. Joannes autem
non ibi, sed in solitudine versabatur; ma- *Matth.* III, 1.
luitque Herodem juste arguere, et propter *Marc.* VI,
hoc incarcerari, quam ejus peccata palpa- 17 *et seq.*
re, ac per hoc ipsius familiaritatem habere.
Tangit autem Christus hæc tria, ad vitam
carnalem spectantia, scilicet vestes pretio-
sas, delectationes sensuales, loca amœna :
quæ tria pœnitentibus sunt spernenda.

C Deinde ostenso quid Joannes non sit,
consequenter ostendit quid sit, id est, per-
fectionem et excellentiam ejus declarat.
Sed quid existis videre? hoc est, ad quid 26
videndum intrastis eremum? Ad viden-
dum *Prophetam?* id est, an egressi estis
ad intuendum Joannem quasi prophetam?
Hoc Christus quærendo non negat, sed con-
cedit et addit. Nam subditur : *Utique dico
vobis, et plus quam prophetam,* id est, Jo-
annes ad quem videndum existis, fuit plus
quam propheta. Fuit quippe propheta,
D Christi mysteria prænuntiando, eique vi-
am verbis propheticis atque operibus præ-
parando. Unde dictum est supra : Tu, puer, *Luc.* I, 76.
Propheta Altissimi vocaberis. Fuit quoque
plus quam propheta, quoniam scripturas
Prophetarum monstravit impletas, Chri- *Joann.* I,
stum præsentialiter ostendendo, sicque 29-36.
Evangelistæ implevit officium. Et sicut
Christus, sic et ipse Joannes fuit prophe-
tice prænuntiatus, fuit et in utero matris *Luc.* I, 13-
sanctificatus, atque ibidem Christo est at- 17.
testatus, et inter legem ac Evangelium

medius fuit. Nec obstat, quod ut apud Jo- A annem habetur, interrogatus Joannes, Propheta es tu? respondit, Non. (Joann. I, 21.) Sumit enim nomen Prophetæ adæquate, pro eo in quo ultra hoc donum non invenitur revelatio altior.

Quod autem Joannes fuit prophetice præ-
27 nuntiatus, subjungitur : *Hic est de quo*
scriptum est, per Malachiam : *Ecce ego* (Malach. III, 1.)
Deus Pater *mitto angelum meum,* hoc est Joannem conversationis angelicæ virum, et opus angeli exercentem annuntiando Christi adventum. Non tamen fuit angelus in B natura. In veteri autem Testamento angelus sæpissime pro nuntio ponitur, sicut in Isaia : Ite, angeli veloces, ad gentem avulsam (Is. XVIII, 2.); et rursus, Angeli pacis amare flebunt (Ibid. XXXIII, 7.). In Aggæo quoque propheta, ubi Hieronymus transtulit, Dixit Aggæus nuntius Domini de nuntiis Domini (Agg. I, 13.), alia translatio continet, Dixit Aggæus angelus Domini de angelis Domini. *Ante faciem tuam,* o Christe Unigenite mi, id est de proximo ante te, vel ante tuam manifestationem ac præsentationem in publico. Non enim Christus orsus est publice prædicare signaque facere, nisi post prædicationis Joannis exordium. *Qui præparabit viam tuam ante te,* hoc est, homines sua prædicatione, attestatione, baptizatione, disponet ad suscipiendum fidem, doctrinam, et præcepta tua, o Christe, antequam tu publice prædices. Istud expositum est plenius supra, ubi habetur : Tu, puer, Propheta Altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus (Luc. I, 76.). Quomodo autem Joannes, etiam per Isaiam prænuntiatus est, et viam Christo paravit, semel expositum est, super illud : Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus (Is. XL, 3; Matth. III, 3.). Allegat vero evangelista Lucas verba Malachiæ magis quantum ad sensum, quam quoad formam verborum. Sic enim translatio nostra habet : Ecce ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam (Malach. III, 1.) : et ita dicuntur hæc verba in persona Filii Dei.

28 *Dico enim vobis,* ad confirmandum quod Joannes sit plus quam propheta : *Major* spirituali magnitudine, id est sanctior et dignior, *inter natos mulierum Propheta Joanne Baptista non* * *est,* id est, nullus Prophetarum major est eo. (* nemo) Et sumitur jam mulier pro femina viro mixta, sicque Christus de Virgine natus excipitur; et ipsa Virgo Christifera, non inter natos, sed natas ponenda est. Matthæus autem plenius ac latius scribit, Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista (Matth. XI, 11.) : quibus verbis ostendit Christus, quod nullus illorum fuit major illo. Non tamen negat, quin quidam ei æquales sint. Magna etenim fuit sanctitas Moysis et Eliæ. Hieronymus quoque ait super Jeremiam : Neminem puto sanctiorem Jeremia. Aliqui vero affirmant Joannem prædictis esse majorem. Sed quoniam Salomone protestante, Spirituum ponderator est Dominus (Prov. XVI, 2.), stemus contenti verbis Christi, nec incaute addamus, quamvis certum sit Joannem quantum ad aliqua fuisse prædictis Sanctis majorem : siquidem in virginitate atque martyrio major C est Moyse. Multæ etiam prærogativæ considerantur in eo, quæ aliis defuerunt, sicut in quodam sermone pulcherrime docet Bernardus. Postremo Christus tam secure de Sanctis judicando, ostendit se hominum dominatorem ac judicem.

Qui autem minor est in regno Dei, major est illo. Per regnum Dei, Christus in Evangelio frequenter Ecclesiam intelligit militantem, sicut quum ait : Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti (Matth. XIII, 47.); et D rursus, Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala (Ibid. 41.). Interdum vero per regnum cœlorum, accipit triumphantem Ecclesiam, ut quum ait : Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei (Ibid. VII, 21.). — Si ergo hoc loco, per regnum Dei intelligatur præsens hæc militansque Ecclesia, sensus est : Qui minor est in regno Dei, id est Christus qui nativitate et quorumdam æstimatione posterior et minor fuit Joanne, quem

omnes Judæi ad tempus putabant esse
Messiam, major est illo. Christus enim ut
Deus, incomparabiliter et immense exce-
dit Joannem, in omni dignitate, sanctitate
ac perfectione; secundum naturam quo-
que assumptam, ut Verbo unitam et gratiæ
plenitudine decoratam, major est illo, imo
et omni intellectu creato. Sicque Christus
protulit verba hæc, ne quis ex inducta
laude Joannis incideret errorem, putando
quod et ipso Jesu Christo consisteret ma-
jor. Obscure tamen loquebatur, ne se vi-
deretur jactare. — Porro, si per regnum
Dei intelligatur triumphans Ecclesia, sen-
sus est : Qui minor est in regno Dei, id
est infimus Beatorum Deo in patria fruen-
tium, major est illo. Quilibet enim com-
prehensor, perfectior est in contemplatio-
ne et dilectione, quocumque puro viatore,
nec meritum æquatur præmio in actuali
perfectione. Nihilo minus multi viatores,
præsertim Virgo dignissima, in vita hac
majoris meriti fuerunt quam angeli mul-
ti unquam, imo quam aliquis angelicorum
spirituum, loquendo de Virgine gloriosa :
et ita in dispositione propinqua, majores
illis fuerunt. — Præterea contuendum, quod
quando Christus hæc dixit, nondum aper-
ta fuit janua regni cœlestis : idcirco ipso
Christo excepto, nullus hominum fuit in
cœlo. Hinc quod ait, Qui minor est in re-
gno Dei, de angelis sanctis accipitur : qui
non solum in donis gratiæ seu gloriæ, sed
etiam in natura specifica, majores fuerant
Joanne. Sicque Christus his verbis exclu-
sit errorem dicentium Joannem esse an-
gelum incarnatum.

29 *Et omnis populus*, id est vulgus, *audiens*
præscriptam commendationem Joannis a
Christo, *et publicani, justificaverunt Deum,*
non effective, sed ostensive, id est, justum
esse dixerunt, et operibus manifestaverunt,
baptizati baptismo Joannis ab ipso Joan-
ne. Ex hoc enim quod audiebant Joannem
ita laudari a Christo, laudaverunt Deum in
servo suo Joanne, per cujus prædicatio-
nem ac baptizationem ipsi, Deo agente, ad
justitiam a vitiis redierunt : unde et Deum
A justum ac juste operatum dixerunt, ope-
re profitentes illud Psalmistæ, Justus Do- *Ps.* CXLIV, 17.
minus in omnibus viis suis, et sanctus in
omnibus operibus suis. — Denique Deum
justificamus : primo, dum confitemur quod
ipse injustitiam omnemque culpam odit,
secundum illud Sapientiæ, Odio sunt Deo *Sap.* XIV, 9.
impius et impietas ejus ; secundo, quum
ei adscribimus, quod justitiam et omnem
virtutem bonitatemque diligit, juxta illud,
Justus Dominus et justitias dilexit ; ter- *Ps.* X, 8.
tio, quod omnis justitia ab ipso procedit;
B quarto, quod virtuosos juste glorificat, et
impios juste condemnat.
Pharisæi autem, qui ceteris religiosio- 30
res se reputabant et videri volebant, quum
tamen hypocritæ essent, et inani gloria
pleni, *et Scribæ,* qui de legis scientia tu-
muerunt, *consilium Dei spreverunt in se-
metipsos,* id est, consilium Christi, videli-
cet instructionem ejus salutarem de vitæ
correctione, abjecerunt; consilium quoque
Dei, id est secretum illud æternæ sapien-
tiæ decretum de modo salvandi genus hu-
C manum per Verbi incarnationem ac pas-
sionem, recipere contempserunt, Christo
hoc docenti credere respuentes. De quo
consilio Paulus in Actibus loquitur : Non *Act.* XX, 27.
subterfugi quominus annuntiarem vobis
omne consilium Dei. Hujus consilii con-
templatio dulciter sapuit Augustino, se-
cundum quod fertur de eo, quod non sa-
tiabatur præ dulcedine Dei, considerando
altitudinem consilii ejus super salvatione
generis humani. Insuper spreverunt consi-
lium Dei, id est consilia Christi de pau-
D pertate et ceteris actibus supererogatio-
nis. Unde quum Christus contra avaritiam
prædicaret, deridebant eum, dicentes : In- *Joann.* X, 20.
sanit; quid eum auditis? Postremo ipsemet
Christus, Consilium Dei Patris vocatur, se-
cundum Augustinum, per appropriationem
quamdam, quemadmodum dicitur veritas, *Joann.* XIV, 6; I *Cor.* I, 24.
ars et sapientia Patris. Quia enim per mo-
dum intellectualis emanationis procedit a
Patre, ea quæ ad intellectum proprie per-
tinent, ei appropriantur. Hoc increatum
Dei consilium isti spreverunt, dicentes :

Marc. III, 22. Joann. IX, 24. Quia Beelzebub habet; et, Nos scimus quia hic homo peccator est.

Insuper verba hæc, quæ jam exposita sunt quasi ab Evangelista interposita verbis Christi præcedentibus quibus laudavit Joannem, atque sequentibus quibus arguit Pharisæos ac Scribas, intelligi possunt quasi a Christo immediate post verba prædicta, prolata. Eritque sensus : *Omnis populus audiens* prædicationem Joannis antequam caperetur, *justificaverunt Deum,* subdentes se ei, et peccata propria confitentes : per quod Deum esse justum, quasi peccata odientem, monstrabant. *Pharisæi autem et Scribæ consilium Dei,* quo per Joannem docuit confiteri, baptizari, et Jesum pro Christo recipere, *spreverunt.* Hoc ergo spreverunt *in semetipsos,* id est contra se ipsos, contra animarum suarum salutem, ad propriam perditionem atque perniciem. Vel, Spreverunt consilium Dei in semetipsos, id est ad ipsos directum. De hac excæcatione et perversitate istorum Dominus
Is. XLII, 19. per Isaiam prædixit : Quis surdus, nisi ad quem nuntios meos misi ? quis cæcus, nisi servus Domini ? *Non baptizati ab eo,* scilicet a Joanne, cujus baptismum, doctrinam et testificationem de Christo spreverunt : sicut usque in præsens, quidam qui ceteris religiosiores videntur et doctiores, difficilius corriguntur.

Deinde infidelium Scribarum ac Pharisæorum increpationem Christus subjun-
31 git. *Cui ergo similes dicam homines generationis hujus,* id est incredulæ hujus collectionis? quibus illud Deuteronomii ap-
Deut. XXXII, 20. tatur : Generatio perversa est, et infideles filii. Sumitur quoque hic generatio pro hominibus generatis. *Et cui similes sunt ?* Quærit Christus, et quæstionem ingeminat, ut audientes reddat ad solutionem atten-
32 tos. *Similes sunt pueris sedentibus in foro,* etc. Ut ait Cyrillus, fuit quidam ludus apud pueros Judæorum, ita quod convenientibus pueris in unum, dividebatur caterva eorum in duas partes : qui ad designandam ac contemnendam repentinam transmutationem rerum transitoriarum vitæ præsentis, sic statuerunt, ut una eorum pars gauderet, canticumque jucundum cantaret, alia vero mœrens, carmen caneret lugubre. Insuper gaudentibus non congaudebant mœrentes, nec gaudentes condolebant mœrentibus ; deinde arguebant se invicem, cur una pars se alteri non conformavit.

Istis assimilat Christus Scribas ac Pharisæos, atque eorum fautores. Nam ait : *Similes sunt pueris sedentibus in foro :* quia in foro publice pueri ista fecerunt, et divisim sedentes, prædicta egerunt; *loquentibus ad invicem et dicentibus,* id est, quorum una medietas dixit ad aliam : *Cantavimus vobis,* id est, ad vestram exhilarationem canticum jucunditatis cecinimus, *tibiis :* quia simul cum musicis instrumentis fiebat hujusmodi cantus, sicut et David psalmos ore decantans, simul cum cithara lusit; *et non saltastis,* id est, nobis congratulati non estis; nec signa lætitiæ chorizando monstrastis. II Reg. VI, 5; Ps. XLII, 4; LXX, 22; etc. Resonat quippe quædam consona ex musico organo melodia : secundum quam, dum homo pede et consono corporis motu se agitat, dispositionem cordis manifestat intrinsecam. Deinde ponuntur verba exprobratoria alterius medietatis, puta mœrentium ad gaudentes. *Lamentavimus,* id est, lugubre carmen vobis cecinimus, ut vos ad compassionem provocaremus, *et non plorastis,* id est, compassi nobis non estis, nec per fletum compassionis ostendistis affectum.

Deinde Christus comparationem istam exponit, applicatque ad propositum. *Venit* 33
enim Joannes Baptista, id est, Deo agente atque mittente, natus est, in mundo vixit, ad homines a deserto egrediens venit, *neque manducans panem :* esca enim ipsius fuerunt locustæ et mel silvestre, ut Matthæus et Marcus habent ; *neque bibens vinum :* quemadmodum supra angelus dixit, Matth. III, 4; Marc. I, 6. Vinum et siceram non bibet. Luc. I, 15. Unde hoc loco per panem et vinum, consueta ac delicata hominum fercula poculaque signantur. *Et dicitis : Dæmonium habet,* id est, Joannes dæmoniacus est. Impii nem-

pe, quum viderint quempiam inconsuetam A abstinentiam præcipuumque rigorem vitæ servantem, opera ejus sancta pervertentes,
34 quasi obsessum diffamant. *Venit Filius ho-*
Baruch III, 38. *minis,* id est, vobis apparui, et inter vos conversatus sum, *manducans et bibens,* id est, solitis hominum refectionibus utens, et inter eos socialiter vivens; *et dicitis* de me, mihi detrahendo : *Ecce homo devora-*
*bibens vinum *tor,* id est gulosus, *et potator vini*,* id est ebriosus et voluptatis gulæ amator, *amicus publicanorum,* id est magnorum transgressorum, *et peccatorum* minorum, id est, B talibus se conformans, applicans et applaudens, ut possit invitari et delicate sustentari ab eis, sicque et mala culpæ fovens in eis. Itaque præfatis pueris Scribæ et Pharisæi comparantur, quoniam sicut una pars puerorum illorum alteri parti mœrenti non condolebat; sic isti Judæi Joanni Baptistæ lugubre carmen canenti, id est rigorose conversanti, pœnitentiam edocenti, atque ad luctum saluberrimum invitanti, non consenserunt, neque se conformaverunt. Iterum, sicut alia pars puerorum C illorum parti gaudenti non congaudebat; ita præfati Judæi Christo inter homines dulciter conversanti, futuræ vitæ gaudia prædicanti, ad spiritualem consolationem invitanti, acquiescere seque conformare spreverunt.

Tales et modo in Ecclesia multi sunt homines sensus perversi, qui omnia aliorum opera, etiam bona, interpretantur in pejus, imo quæ optima sunt, pessima arbitrantur. Et quia hujusmodi excellentia opera sanctitatis videntur eis impossibilia D esse hominibus, opinantur et dicunt talia cooperatione dæmonum fieri, eo quod dæmonum ope multa fieri queant, quæ homines naturaliter facere aut pati non valent, quemadmodum in arrepticiis et possessis conspicimus. Nam et dæmones corporalem hominis naturam et harmoniam sic possunt immutare ac deordinare, ut homo multis diebus non afficiatur ad cibum aut potum, neque indigeat : quia calor more naturali non agit in humidum radicale. Isti ergo perversi omnia aliorum facta pessime judicantes, sunt homines malæ inclinationis seu assuefactionis, vani et invidi, qui aliorum non congratulantur profectui, sed tristantur quod quis eis apparet perfectior : ideoque bonum quod eis deest, non laudant, nec sequuntur, nec venerantur, sed persequuntur in aliis, de- Rom. I, 30.
tractores et irrisores, Deo odibiles : quo vitio quidam qui religiosos se putant, animas suas commaculant, excæcante eos sua Sap. II, 21.
malitia. Porro alii sunt homines bonæ inclinationis seu indolis, proniores ad congratulandum aliorum prosperitati, quam ad detrahendum eorum profectui sive defectui : quod in se ipsis non habent, in aliis pie mirantur, honorant, sequuntur; sicque amando, fovendo, congaudendo, participes fiunt gratiæ aliorum.

Præterea patet, quod pars puerorum gaudentium Christo aptatur, qui tanquam sponsus inter suos conversans, ad spiritualem provocat lætitiam; sed pars puerorum mœrentium aptatur Joanni, qui strictissimam in eremo duxit vitam. Quoniam enim Christus venit quærere et salvum Luc. XIX, 10.
facere quod perierat, peccatoribus conve- Matth. IX, 10.
sci seque contemperare dignatus est, ut sua caritate, communione, familiaritate et clementia, eos ad pœnitentiam traheret, virtutibus ædificaret, ad discipulatum suum alliceret : sicque amavit eorum naturam sive personam, non vitia. — Postremo de horum expositione verborum super Cf. in Matth. XI, 16-19.
Matthæum plenius dictum est.

Itaque non assimilemur Scribis et Pharisæis, quibus indociles incorrigibilesque sunt conformes; sed dociles simus atque tractabiles, et pueris in foro sedentibus, id est sanctis viris, devotis prælatis, veris prædicatoribus in ecclesia, quæ dominicum forum est, quo fideles ad colloquendum Deo conveniunt, ubi et cœlestium præceptorum jura conduntur, acquiescamus : ita ut spiritualiter gaudentibus, et ad gaudendum in Deo hortantibus, congaudeamus, flentibus autem sua seu aliorum peccata, vel ob alias rationabiles causas,

compatiamur, conformemur et collugea- A
Rom. xii, 15. mus, sicut ait Apostolus, Flete cum flen-
tibus, gaudete cum gaudentibus : ut nec
inordinata lætitia, nec immoderata tristitia
inveniatur in nobis. Verum ut Gorra hic
scribit, Scribis et Pharisæis adhuc aliqui
similes sunt, qui si viderint aliquem hu-
militati studentem, judicant eum hypocri-
tam ; si mansuetudini et patientiæ, judi-
cant timidum ; si simplicitati, fatuum ; si
maturitati, phlegmaticum ; si devotioni,
singularem ; si paci et silentio, melancho-
licum sive phantasticum ; si orationi atque B
vigiliis, indiscretum ; si corripit alios, tur-
bator est pacis. Qui cohabitat talibus, di-
Job xxx, 29. cere potest illud Job : Frater fui draco-
num, et socius struthionum.

35 *Et justificata,* id est justa reputata,
honorata, et cognita, *est sapientia,* id est
evangelica Christi doctrina, sapientialis at-
I Cor. i, 24. que divina, vel Christus Dei Patris virtus
et sapientia, *ab omnibus filiis suis,* id est
universis veraciter veritatem sapientiam-
que amantibus, seu cunctis Christi disci-
Is. viii, 18. pulis. De quibus per Isaiam testatur : Ecce C
ego et pueri mei quos dedit mihi Dominus.
Joann. xiii, 33. In Joanne quoque ait : Filioli, adhuc mo-
dicum vobiscum sum. Tanquam dicat Sal-
vator : Licet a vobis, o infideles Judæi,
contemnar, et vana docere affirmer, nihilo
minus electi Judæi me audientes, me vere
sapientem et sapientialia prædicantem co-
gnoscunt, fatentur, honorant.

Christus quoque nunc loquitur de filiis
per gratiam adoptionis, de quibus ait Apo-
stolus : Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi Rom. viii, 14.
sunt filii Dei. Interdum vero aliqui di-
cuntur filii Dei ratione creationis, aut spe-
cialis cujusdam provisionis : de quali-
bus per Isaiam Dominus loquitur, Filios Is. i, 2.
exaltavi et enutrivi, ipsi autem spreve-
runt me ; et Christus in Evangelio, Filii Matth. viii, 12.
(inquit) regni projicientur in tenebras ex-
teriores.

Præterea, justificari quis dicitur tribus
modis : Primo, dum de injusto fit justus :
sicque dicunt doctores hominem non ju-
stificari sine gratiæ infusione. Sic Chri-
stus non justificatur. Secundo, dum justus
fit justior per profectum, juxta illud Apo-
calypsis : Qui justus est, justificetur ad- Apoc. xxii, 11.
huc ; et sanctus, sanctificetur adhuc. Et
apud Joannem ait Salvator : Omnem qui Joann. xv, 2.
fert fructum, purgabit eum Pater, ut fru-
ctum plus afferat. Sic rursus non competit
Christo justificari, nisi quantum ad mani-
festationem, prout de Christo dixit Præ-
cursor : Illum oportet crescere, me au- Ibid. iii, 30.
tem minui. Tertio, quantum ad aliorum
recognitionem, honorationem, seu osten-
sionem : sicut dum alicujus æquitas aliis
declaratur, vel ab eis cognoscitur, lauda-
tur, et honoratur. Sicque Deo, et Christo
secundum utramque naturam, competit
justificari, sicut et magnificari et glori-
ficari.

ARTICULUS XIX

EXPOSITIO RESIDUÆ PARTIS HUJUS CAPITULI SEPTIMI : ROGAVIT AUTEM ILLUM QUIDAM EX PHARISÆIS, UT MANDUCARET CUM ILLO.

QUOD in fine præcedentis articuli Evan- D
gelista doctrinaliter dixit, jam exem-
pliriter docet, videlicet sapientiam, quæ
Christus est, a suis devotis justificari, ab
36 aliis sperni. *Rogavit autem illum,* scilicet
Jesum, *quidam ex Pharisæis,* cujus, ut in-
fra dicitur, nomen exstitit Simon, *ut man-
ducaret cum illo. Et ingressus domum
Pharisæi, discubuit,* id est, cum eo come-
dit. Christus totius humilitatis magister,

omnisque perfectionis exemplar, nec cum publicanis propter eorum manifesta peccata, nec cum Pharisæis propter eorum latentia vitia, præsertim superbiam, nec cum divitibus, nec cum pauperibus, edere sprevit, in omnibus amans naturam, ut felicitatis capacem, atque ad Dei imaginem factam : simulque instruens nos ad perfectam humilitatem, ne quis nostrum incaute aliquem aspernetur aut vitet, nisi quantum docet seu jubet Ecclesia.

37 *Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix.* Quæ fuerit mulier ista, aliquando inter expositores grandis disceptatio fuit ; sed nunc sancta Ecclesia cum B. Papa Gregorio tenet, quod fuit Maria Magdalene. Idem asserunt Augustinus et Beda. Et quod verum sit, hoc non solum ex legenda beatissimæ Mariæ Magdalene, sed et ex Scripturis canonicis, puta ex Evangelio, evidenter ostendi super Matthæum. (Cf. in Matth. xxvi, 7.) Unde non videtur de hoc amplius dubitandum, et quæ præfato loco conscripsi, jam non arbitror repetenda. — Rursus, de civitate est quæstio, in qua scilicet civitate istud quod nunc scribitur factum sit. Ad quod Beda respondet, quod in civitate quadam Galilææ ; alii, quod in Jerusalem. Ait etenim Beda, Augustinum atque Gregorium sequens, quod Maria Magdalene bis unxerit Christum : semel et primo in urbe Galilææ, in medio evangelicæ prædicationis ; secundo in Bethania villa Judææ, circa terminum prædicationis præfatæ, passione instante, ut alii recitant Evangelistæ. (*Matth.* xxvi, 6, 7 ; *Marc.* xiv, 3 ; *Joann.* xii, 1, 3.)

Iterum quæstio est, cur Lucas mulierem hanc non proprio explicet nomine, sed peccatricem appellet. Ad quod ex Marco evangelista patet responsio. Siquidem Marcus inquit : Surgens Jesus mane prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalene, de qua ejecerat septem dæmonia : (*Marc.* xvi, 9.) per quæ intelliguntur septem peccata mortalia, quibus fuit repleta. Quod etiam in principio sequentis capituli Lucas testatur, quod scilicet septem dæmonia fuerunt ex ea ejecta. (*Luc.* viii, 2.) Plures quoque Sanctorum insinuant eam actibus luxuriæ fuisse subjectam. Hinc quasi habituata atque abundans sceleribus appellatur peccatrix. Quæ etiam ideo sic vocatur, ut ejus exemplo ad pœnitentiam provocemur, desperatione et pusillanimitate non frangamur, divinæ misericordiæ fiducia inflammemur, quantumlibet vitiosi fuerimus. Insuper peccatricem eam jam appellat, quoniam emendatio ejus nondum innotuit aliis, sed ab omnibus adhuc reputabatur peccatrix.

Ut cognovit quod Jesus accubuit, id est, comedens fuit, *in domo Pharisæi, attulit,* id est, secum portavit, *alabastrum unguenti.* Alabastrum, secundum Bedam, est genus marmoris candidi variis coloribus intertincti, quod ad conservanda unguenta solet cavari, quia optime ea conservare dicitur incorrupta. Alabastrum ergo hic sumitur pro vase facto de hujusmodi marmore, in quo continebatur unguentum quo utebatur Maria tempore suæ vanitatis, pro corporis sui odore ac refrigerio atque mollitie.

Et stans retro secus pedes ejus. Conside- 38
rando enim peccatorum suorum enormitatem, in tantum contempsit se ipsam, ut prorsus indignam se reputaret coram Christi facie apparere, ejus vultum adspicere, oculos ad eum levare : quemadmodum publicanus nec oculos audebat levare ad cœlum, sed percutiebat pectus suum, dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori. (*Luc.* xviii, 13.) Hoc et Maria hæc, etsi non verbis, tamen tota animæ corporisque dispositione ac gestu, dicebat. Sua quippe peccata, non verbis, sed rebus et fletibus confitebatur, paratissima utique ad oris confessionem ; sed tunc talis confessio nondum fuit præcepta : Christus namque sacramentum Pœnitentiæ seu Confessionis primo instituit. Denique, quia publica fuit peccatrix, omnibus sua reputavit peccata satis aperta. *Lacrimis cœpit rigare pedes ejus.* O quanta, quam cordialis, intenta ac penetrativa fuit hujus compunctio, contritio, devotio mulieris, quæ non vocata coram tot discumbentibus est ingressa, omnibus conspiciendam se repræsentans, et tam uberrime coram eis se ipsam deplorans,

quum tamen tantæ nobilitatis et opulen-
tiæ esset ! Sed quia sua peccata clare
advertit, digne pensavit, se ipsam profun-
dissime humiliavit, ineffabiliterque con-
tempsit. Idcirco, non solum non verebatur
confundi, despici, irrideri ; imo omnia ista
optavit, ut Deo, quem ipsa inhonoravit,
aliquam recompensationem honoremque
faceret, dum sicut ipsa Deum maxime in-
honoraverat per peccata, sic propter illius
honorem recompensandum, se ipsam præ-
bet maxime confundendam. *Et capillis ca-
pitis sui tergebat.*

Itaque, primo stetit post tergum Christi,
deinde se pedibus ejus provolvit, lacrimis
eos humectans. Ex Christi etenim præ-
dicatione fuit inenarrabiliter inflammata,
compuncta, et tota quasi in lacrimas re-
soluta, ipsumque Christum ardentissime
cœpit diligere. Et quamvis contactu pe-
dum Christi se judicaret indignam, tamen
magnitudine dilectionis victa, se cohibere
nequivit. Fervidus nempe amor nescit mo-
dum, mensuram non tenet, rationem non
sequitur. Non tamen directe, reprehensi-
biliter aut irrationabiliter, sed superratio-
nabiliter operatur, Sancti Spiritus sequens
tactum, succensionem, et sursum actio-
nem : propter quod communi lege non
coarctatur.

Et osculabatur pedes ejus, ex dilectionis
ardore sereno ac spirituali, et quasi gra-
tias agens pedibus sanctis, qui corpus illud
deferebant, per cujus os seu prædicatio-
nem ipsa fuit conversa. Præterea, quia
pedes sunt inferiores corporis partes, ad
eos audacius fiducialiusque accessit. Patet
quoque ex his, quod nudis pedibus Chri-
stus incesserit. *Et unguento ungebat,* quia
unguentum hoc refrigerativum fuit, et bo-
ni odoris, ac corporis delinitivum. Quem-
I *Tim.* IV, 4. admodum vero ait Apostolus, Omnis crea-
tura Dei bona est, scilicet quantum ad id
quod a Creatore naturaliter, pure, infini-
teque bono, sortita est. Abutentibus vero
aliquæ creaturæ sunt malæ, prout in libro
Sap. XIV, 11. Sapientiæ legitur : Creaturæ factæ sunt
in laqueum pedibus insipientium. Igitur

A Maria Magdalene creaturis quibus fuit ab-
usa, videlicet propriis membris ac aliis
rebus, orsa est bene uti in Christo. Oculos
namque, quibus vagissime et lascive fuit
multos intuita, jam lacrimando afflixit ;
capillos, quibus se vane ornavit, ad de-
ponendos pedum Christi pulveres immun-
ditiasque protendit; labia, quæ aliis libi-
dinose applicuit, pedibus Christi lacrimose
impressit. Sic et unguento suo jam optime
usa est, quo ante utebatur perverse.

Videns autem Pharisæus qui vocaverat 39
B *eum,* id est, Jesum ad convescendum invi-
tavit : videns, inquam, quomodo mulier
ista lacrimis suis pedes Christi rigaret,
capillis tergeret, oscularetur, ac ungeret,
ait intra se, id est cogitavit, *dicens,* verbo
mentali, quod est mentis conceptus, ex
quo verbum vocale procedit : *Hic,* id est
Jesus iste quem invitavi. Aspernanter sic
cogitavit, indignans Christo quod se a pec-
catrice sic contrectari permitteret. Unde,
sicut interdum ex indignatione non expri-
mimus nominatim eum de quo loquimur,
C verbo vocali, quemadmodum Judæi tem-
pore passionis dixerunt de Christo, Hunc *Luc.* XXIII, 2.
invenimus subvertentem gentem nostram;
et rursus, Non hunc, sed Barabbam : sic *Joann.* XVIII, 40.
aliquando cogitando de aliquo, dedigna-
mur eum interiori verbo nominatim intus
exprimere, sed per commune aliquid eum
notamus. *Si esset propheta :* cujus est ex
revelatione divina intueri secreta. Itaque,
Si esset propheta, ut multi existimant, et
ipsemet innuit, *sciret utique,* Deo revelan-
te, *quæ* determinate ac nominatim, id est
D quæ persona, *et qualis* in conversatione,
seu quam spernenda ac vilis, *est mulier
quæ tangit eum,* pedes ejus lavando, ter-
gendo, osculando, ungendo, *quia peccatrix
est,* id est magna et inveterata prævarica-
trix. — Aliquando in Scripturis peccator
sive peccatrix vocatur, quicumque pecca-
vit, etiam si solum venialiter fuerit pec-
cans et pœnitentiam egerit : imo dato quod
nunquam actualiter peccaverit atque ab
omni culpa immunis sit, sed originali pec-
cato quandoque fuit obnoxius. Aliter ve-

rificari non posset quod scriptum est : Nemo mundus a sorde, etiam si unius diei fuerit vita ejus super terram. *Job* xiv, 4, 5, juxta LXX. Et nihilo minus constat quod infantes baptizati omni careant macula culpæ, et morientes mox evolent. Chrysostomus quoque in homilia ait de Joanne Baptista, quod fuit peccator. Interdum magis proprie fertur peccator, qui mortaliter est transgressus, quamvis pœnituerit, et absque mortali sit. Sic Paulus non solum peccatorem, sed et peccatorum primum se nominat. I *Tim.* i, 15. Propriissime vero peccator asseritur, qui in mortalibus vitiis jacet scienter, præsertim qui diu et animo indurato sic permanet : sicque Pharisæus Mariam hanc nominat peccatricem, insinuans se peccatorem non esse.

Porro, in verbis istis mentalibus fuit hic Simon multipliciter errans et peccans : Primo, temerarie judicando, quia tam Christum quam Mariam judicavit culpabilem in hoc facto. Secundo, vitiose indignando, quia tam pœnitenti mulieri, quam suscipienti miserentique Christo, fuit indignatus. Tertio, culpabiliter reprehendendo : nam Mariam hanc de actu pœnitentiæ, et Christum de actu misericordiæ, quasi de vitiosis actibus reprehendit. Quarto, dupliciter mentiendo : non enim consequens est, ut si quis sit propheta, propterea sciat omnia aliorum secreta ; nec ista Maria, quando hæc egit, fuit peccatrix, secundum Pharisæi intentionem, imo jam per cordialem contritionem fuit justificata, fuitque amore divino succensa.

Sed, ut ait Gregorius, vera justitia habet compassionem; falsa, indignationem. Unde si Maria hæc Pharisæi se pedibus prostravisset, eam fortasse calcibus repulisset. Et ecce usque in præsens, multi huic Pharisæo sunt similes : qui non obstante quod ipsi fuerunt vel sunt peccatis, defectibus, passionibus squalidi, pleni ac lacerati, aliis tamen peccantibus mox immisericorditer indignantur, detrahunt et illudunt, non condolent, nec succurrunt, non pensantes illud Apostoli : Qui stat, videat ne cadat ; I *Cor.* x, 12. et rursus : Fratres, si præoccupatus fuerit *Galat.* vi, 1. homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis ; itemque : Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. *Galat.* vi, 2. Isti sunt imperfecti, inanes et leves, qui quum modicum quid justitiæ et virtutum inceperint, statim fatue gloriantur, derisibiliter extolluntur, alios aspernantur : qui si vere illuminati, sapientes, virtuosique essent, aliis caritative compaterentur, consilio atque auxilio suffragarentur. Hinc dicit Gregorius : Necesse est, ut quum peccatores quosque conspicimus, nosmetipsos prius in illorum calamitate seu vitiis defleamus, quia in similibus aut lapsi sumus aut labi possumus. Itaque propriam infirmitatem semper pensemus, omnique peccanti cordialiter condoleamus, pensantes quod nos quoque, aut tantum aut gravius caderemus, seu lapsi essemus, nisi divina pietas misericorditer adfuisset atque adesset. Si ita egerimus, vere sapientes misericordesque sumus, et fiet in nobis quod Christus promisit : Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. *Matth.* v, 7. Propter quod monet Apostolus : Considera te ipsum, ne et tu tenteris. *Galat.* vi, 1.

40 *Et respondens Jesus,* non verbis vocalibus, sed mentalibus, seu cogitationibus Pharisæi. Per quod ostendit se plus quam prophetam, cordis cogitationes intuendo, pandendo, ac instruendo : quum cogitationes affectionesque mentis inspicere, Deo sit proprium, nec Prophetis id competat, nisi ex revelatione divina ; *dixit ad illum,* puta ad Simonem : *Simon, habeo tibi aliquid dicere.* Ecce Christus Pharisæum reprehensurus, quam dulciter eum familiariterque affatur, et nomine proprio exprimens eum, facit intentum : ad innuendum quod qui alium corripere cupit aut habet, pie ac mititer hoc facere debet, dummodo per hujusmodi increpationem alter valeat emendari. Ideo scriptum est : Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me. *Ps.* cxl, 5. *At ille ait : Magister, dic.*

Deinde Christus proponit paradigma sive parabolam, quæ secundum sensum su-

perficialem, difficultatem non habet, ut A
patet in textu; sed mystica ejus intelligen-
tia pulchrior est. Est ergo parabola ista de
quodam piissimo creditore et duobus pau-
41 peribus debitoribus, Christo dicente : *Duo
debitores erant cuidam fœneratori : unus
debebat denarios quingentos, et alius quin-
42 quaginta. Non habentibus illis unde red-
derent, donavit utrisque,* id est, ambobus
debita illa dimisit. Itaque per fœneratorem
mystice designatur Deus omnipotens, libe-
ralissimus dator omnis boni, et justissi-
mus ultor omnis peccati : qui dicitur fœ- B
nerator duplici ratione : primo, quoniam
pro culpa pœnam exigit et infligit, imo
pro culpa temporali supplicium æternum;
secundo, quia pro donis naturæ et gratiæ
quæ nobis largitur, exigit bonum usum
illorum, et gratiarum actionem, atque pro-
fectum a nobis.

Porro, secundum hanc duplicem cau-
sam cur Deus fœnerator vocatur, debitores
dupliciter possunt intelligi. Si enim ob
primam causam Deus fœnerator dicatur,
per debitores intelligendi sunt peccatores, C
qui pro suis excessibus tenentur satisfa-
cere Deo, seu debitas luere pœnas. Unde
per debitorem quingentorum denariorum
accipiendus est, qui valde graviter multi-
pliciterque Deum offendit; per debitorem
vero quinquaginta denariorum, qui minus
peccavit. Isti debitores unde reddant non
habent, quoniam viribus suis absque gra-
tia Dei satisfacere nequeunt aut absolvi, et
præsertim non habent unde satisfaciant
Deo pro pœnæ debito infinitæ. Sed Deus
donat, id est indulget utrisque, dum ve- D
niam poscunt et quod in ipsis est faciunt :
imo interdum ex sua pietate immensa to-
taliter ac gratiosissime prævenit eos et
Act. IX, 1 *et seq.* excitat ad se ipsum, ut patet in Paulo apo-
stolo. Rursus, Deus donat istis utrisque, id
est, gratuitum gratiæ donum infundit, quia
sine gratiæ dono non fit culpæ remissio
Rom. III, 24. aut justificatio, dicente Apostolo : Justifi-
cati gratis per gratiam ipsius. — Si autem
propter secundam rationem Deus fœnera-
tor vocetur, per debitores intelliguntur,
qui varia Dei beneficia sunt sortiti : et
per debitorem quingentorum nummorum,
qui multa majora; per alium, qui minora.
Isti non habent unde restituant, id est, Deo
dignam vicissitudinem reddere nequeunt,
nec satis regratiari seu obsequi, præsertim
pro eo quod unigenitus Dei Filius tanta
pro eis assumpsit, fecit, ac pertulit : et
tamen, si pro posse Deo humiliter regra-
tientur ac fervide obsequantur, benignis-
simus Deus humani generis sciens imbe-
cillitatem ac insufficientiam, non solum
non despicit eos propter imperfectionem
eorum, sed etiam donat, id est, dona gra-
tiæ et varia beneficia sua auget in eis.
Habenti enim, id est de eo quod accepit *Matth.* XIII, 12.
gratias referenti, dabitur, et abundabit.

Deinde Christus volens concludere Pha-
risæum ex sui ipsius responso, interrogat
eum : *Quis ergo eum plus diligit?* id est,
quis duorum debitorum fœneratorem, imo
condonatorem illum, plus diligere obliga-
tur? *Respondens Simon, dixit : Æstimo.* 43
Sobrie loquitur Pharisæus, timens ex pro-
priis verbis convinci a Christo, cujus sa-
pientiam noverat esse magnam. *Quia is
cui plus donavit,* id est, qui majorem in-
dulgentiam aut beneficentiam est adeptus.
Ille quippe ceteris paribus plus amare te-
netur, quia plus datum est ei. Quanto enim
quis ab aliquo majora consecutus est bo-
na, veniamve majorem, tanto plus habet
illum diligere. Et istud præcipue verum
est et contingit in rebus humanis, ubi
amor frequenter causatur ex præcedenti-
bus donis : ideo amor major, ex donis pro-
cedit majoribus. *At ille dixit : Recte judi-
casti,* id est, verum a falso rite discrevisti,
veritatemque affirmasti. Itaque hoc Christi
exemplo, approbanda est veritatis prola-
tio, a quocumque sit pronuntiata, nec ex
odio seu vilipensione personæ debemus
veritati ab ea prolatæ, aut æquitati ab ea
peractæ, contradicere aut reniti, ut moris
est hominum passionibus subjectorum.

Deinceps Salvator parabolam hanc ap-
plicat ad propositum seu intentum. *Et* 44
conversus ad mulierem. Hoc de duplici

conversione verificatur. Præfatis namque verbis prolatis, Christus faciem suam corporalem situaliter convertit ad mulierem, retro secus pedes suos stantem, vel potius jacentem atque prostratam, illos tergendo ac osculando. Spiritualiter quoque se convertit ad eam, per respectum mentis suæ piissimum, et majorem gratiæ infusionem. Nam et ante sic converterat se ad ipsam, dicente Gregorio : Quid miremur, fratres, Mariam venientem, an Dominum suscipientem? Suscipientem dicam, an trahentem? Sed ut verius fatear, et trahentem dicam et suscipientem. Ipse enim ad pœnitentiam traxit intus, qui per mansuetudinem suscepit foris. *Dixit Simoni : Vides hanc mulierem?* id est, adspicere et considerare merito debes personam et facta hæc ejus. Unde et Christus notanter ait, Hanc mulierem, quasi dicat : Attende feminam istam valde notabilem, cujus gesta hæc sunt consideratione dignissima, quum ipsa sit pœnitentiæ forma, peccatorum exemplar, et spei electionisque vasculum, in
Rom. v, 20. quo sicut prius abundaverat culpa, ita abundat nunc gratia.

Intravi in domum tuam, invitatus a te : ideo curialiter, caritative, atque hilariter a te suscipi debui : quum tamen ita factum non sit, saltem tam perfecte ut decuit. Nam *aquam pedibus meis non dedisti,* id est, pedes meos aqua, quæ in promptu est, nec lavisti, nec lavari fecisti : quum tamen hoc de jure vel consuetudine hospitalitatis exsistat ; et Christo præcipue fieri debuit, qui nudis pedibus pergens, pedes frequenter habuit lassos, pulveratos, afflictos. Hinc in Genesi leguntur Abraham et
Gen. XVIII, 4; XIX, 2. Lot dixisse ad angelos, quos homines existimabant : Lavate pedes vestros. Et rursus,
Ibid. XXIV, 32. Laban legitur dedisse aquam ad lavandum pedes camelorum et virorum qui cum Abrahæ servo advenerant. *Hæc autem :* quam Christus nominatim non exprimit, non ex ejus aspernatione, sed appretiatione, et quia prædemonstrabilis fuit in pœnitentiæ actione, et exempli ostensione, ceterisque actibus, quæ Christus tam
A diligenter enumerare dignatur ; *lacrimis rigavit pedes meos :* quum tamen lacrimæ ab interiori trahantur, nec ita habeantur in promptu, et pretiosus sint humor : quo patet, quod valde excellat te circa me, qui mihi nec aquam ad pedum ablutionem dedisti. Præterea, quam beata sit pia lacrimarum effusio, pandit Chrysostomus, dicens : Sicut ubi vehemens imber prorumpit, fit serenitas, sic lacrimis effusis, oritur et apparet mentis tranquillitas, et perit caligo reatuum ; et sicut per aquam et
B Spiritum, sic per lacrimas et confessionem denuo mundamur. *Et capillis suis tersit :* quo claret, quantum nunc crinium suorum pristinum contemnat ornatum, quæ pedum immunditias abstergit per eos, quum tamen feminæ in decore compositioneque crinium soleant præcipue gloriari.

Osculum mihi non dedisti ; hæc autem ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos : quo innotescit, quod magis caritative atque humilius habuit se ad me 45
C quam tu, qui nec oris osculum mihi dedisti : quod pacis et amicitiæ signum est ; et fieri consuevit in primitiva Ecclesia in mutuo Christianorum occursu et salutatu, congruo loco et tempore. Propter quod Paulus sæpe in suis scribit epistolis : Salutate invicem in osculo sancto. Nam et Christus discipulos suos ad se redeuntes, seque salutantes, in osculo sancto suscipere consuevit. Propter quod instante passione, proditor loquebatur : Quemcumque osculatus fuero, ipse est. Unde patescit, *Rom.* XVI, 16; I *Cor.* XVI, 20 ; II *Cor.* XIII, 12; I *Thess.* V, 26; I *Petr.* V, 14. *Matth.* XXVI, 48.
D quam plenissima dilectione Christus amaverit naturam humanam, hominumque personas. Hæc autem de osculo spirituali, quod ex vera et interna dilectione emanat, sunt intelligenda. Porro, sicut amor carnalis totaliter vitiosus et fœdus est, ita et osculum ex eo progrediens.

Oleo caput meum non unxisti, quum tamen nudo capite sim incedens, et oleum tale quale mihi femina hæc impendit, mihi sit congruens ; *hæc autem unguento unxit pedes meos,* quum tamen pedes sint 46

capite, loco et dignitate inferiores : quo patet, quod ipsa magis appretiata sit pedes meos, quam tu caput meum.

47 Ex præinductis Christus concludit : *Propter quod,* id est, quia tam caritative, reverenter atque humiliter se habuit circa me, *dico tibi : Remittuntur ei peccata multa,* id est, universa ejus peccata, quæ multa sunt, remissa sunt ei a me auctoritative, secundum quod Deus sum, et ministerialiter, secundum quod homo sum : peccata nempe mortalia, quantum ad culpam pariter remittuntur; *quoniam dilexit multum :* fervor enim dilectionis, est spiritualis ignis peccata consumens. Propter
Prov. x,12. quod Salomon protestatur : Universa, inquiens, delicta operit caritas. Ideo Petrus
I *Petr.* IV, 8. hortatur : Ante omnia, inquiens, mutuam caritatem in vobis continuam habentes, quoniam caritas operit multitudinem peccatorum.

Circa hæc oritur difficultas. Supra enim asseruit Christus, ideo quemquam plus diligere, quia plus condonatum est ei ; hic vero infert oppositum, dicens quod ideo dimissa sunt huic multa peccata, quia multum dilexit : unde in parabola innuit, quod magnitudo remissionis et veniæ, seu donum, sit causa magnæ dilectionis ; nunc vero affirmat, quod amor sit causa doni, et magna dilectio causa magnæ remissionis. Præterea, si ideo dimissa sunt ei peccata multa quia multum dilexit, apparet quod dilectio, imo et magna dilectio, remissionem peccati præcedat : sicque in eodem erunt peccatum mortale et caritas.

Ad ista est respondendum, quod dupliciter dicitur peccatum dimitti, videlicet quantum ad culpam, et quantum ad pœnam. Christus autem nunc loquitur de remissione peccati quantum ad pœnam : et hanc remissionem præcedit et efficit magna dilectio, non obstante quod ex remissione majoris culpæ major oriatur dilectio, quantum ad actum amandi, loquendo de una atque frequenti causa dilectionis majoris, et ceteris paribus. Frequenter enim contingit, quod qui gravius peccasse se re-

A cordantur, ferventiores fiant, et Deo plus regratiantes, atque instantius pœnitentes ac obsequentes, dicente Apostolo : Ubi *Rom.* v, 20.
abundavit delictum, superabundat et gratia. Non tamen est consequens, nec Christus vult dicere, quod semper plus diligant, aut gratiam possideant ampliorem, quibus plura sunt condonata peccata. Non enim latro crucifixus cum Christo, et veniam consecutus, ferventior factus est Petro, Joanne, aut Jacobo, nec aliquis horum Virgine gloriosa, cui nullum actuale pec-
B catum unquam remissum est : quia non sola peccati remissio, aut doni receptio, causat et auget amorem, præsertim loquendo de divino amore, qui interdum ex sola Dei bonitate quibusdam perfectior intentiorque præstatur. Unde Christus nunc loquitur de causa amoris, et ejus effectu, prout ad suum congruebat propositum, ad reprimendum Pharisæi errorem.

Aliqui vero ad ista aliter responderunt, dicentes quod quædam est dilectio remissionem culpæ præcedens, et quædam hanc
C sequens : quia in justificatione impii tria sunt, scilicet primariæ gratiæ infusio, utpote fidei, spei et caritatis, cordis quoque contritio, et culpæ remissio. Et quamvis hæc tria simul sint tempore, non tamen causalitate. Nam infusio gratiæ est causa contritionis, et contritio est causa remissionis culpæ. Itaque patet, quod primaria dilectio præcedit remissionem peccati. Est autem et alia dilectio, quæ sequitur culpæ remissionem. Quum etenim anima sentit se Sancto Spiritu adspiratam, creditque
D probabiliter culpam sibi a Deo dimissam, amplius diligit, et magis movetur ad bene agendum : et forte ista secunda dilectio est præcedentis augmentatio, causata ex consideratione remissionis præcedentium peccatorum. Ergo de primaria dilectione intelligitur quod dicitur, Remittuntur ei peccata multa ; de secundaria autem locutus est Pharisæus, Æstimo quia is, scilicet plus diligit, cui plus donavit. Constat igitur, quod Maria seu quilibet pœnitens, dilectionem Dei primariam et gratiam prius

habuit quam remissionem peccati, non prioritate temporis, sed causalitatis, præsertim in genere causæ formalis, quum naturaliter prius sit esse gratiæ, sicut et cujuslibet rei, quam suum agere : et ita prius est esse gratiæ, quam suum officium oppositum, puta peccatum expellere.

Denique huic dicto Gorræ concordat quod in prima secundæ asserit Thomas, quod justificatio passiva impii est motus ejus ad justitiam, quemadmodum passiva calefactio est motus ad calorem. Deinde ostendit quomodo ad justificationem hanc requirantur infusio gratiæ, et motus liberi arbitrii ad consensum acceptationemque gratiæ infusæ, et motus fidei, motus etiam caritatis, sine qua nihil meritorium exstat, itemque motus liberi arbitrii contra peccatum, renitendo ei et fugiendo hoc ipsum. Postremo exigitur remissio culpæ, quia per hoc motus justificationis completur, quod culpa remittitur. Asserit quoque Thomas, quod licet justificatio impii fiat in instanti, nihilo minus inter ea jam dicta quæ requiruntur ad eam, est ordo : ita quod naturali ordine prior est infusio gratiæ, deinde motus liberi arbitrii in Deum, seu in gratiæ acceptationem, tertio loco sequitur motus liberi arbitrii contra peccatum ; remissio autem culpæ est ultimum, quia ad ipsam totus motus ordinatur. Verumtamen ex parte hominis, prior est remissio culpæ, quam infusio gratiæ, secundum viam generationis. Oportet enim impedimentum auferri, ante introductionem oppositi. Hæc omnia S. Thomas circa finem præallegatæ Summæ, pulchre declarat : quæ ob prolixitatem vitandam omitto.

Deinceps ait Salvator : *Cui autem minus dimittitur, minus diligit.* Hoc clare videmus, quod sæpe qui minus graviter deliquerunt, tardius confitentur seu convertuntur, et post conversionem remissius habent se, quam qui gravius peccaverunt : nam illi minus sibi indultum arbitrantur, et isti magis. Ob hoc tamen nullus audacius debet peccare, quia et verbum hoc Christi intelligendum est ceteris paribus,

A et ut frequenter, non autem simpliciter atque in omnibus. Non enim Maria Magdalene plus diligit Deum, quam benedicta Virgo Christifera : quamvis minus dimissum sit Virgini gloriosæ, imo nullum actuale peccatum dimissum est ei ; sed aliunde est ei major ratio diligendi Deum quam Magdalenæ. Alii quoque in innocentia sua persistentes, multo ferventius Deo deservierunt, quam multi præcipui peccatores conversi : sicut de sanctissimis Christi pueris Gregorio et Bernardo ac Thoma,
B aliisque innumeris, certum est. Hinc ait Chrysostomus : Opus est nobis ferventi anima, quia nil impedit hominem fieri spiritualiter magnum. Nullus ergo in peccatis constitutus desperet, nemo virtuosus dormitet, nec vane confidat, sæpe enim meretrix præcedit eum ; nec injustus diffidat, possibile namque est eum primos superare.

Dixit autem ad illam : Remittuntur tibi 48
a Deo *peccata tua* universa. Larga enim Dei pietas veniam non dimidiat. Porro
C quod ait, Remittuntur, etc., si intelligatur de remissione quantum ad culpam, exponendum est, Remissa sunt, sicut prætactum est. Si vero accipiatur de remissione quantum ad pœnam, exponi potest per modum temporis præsentis : quia ut dicitur, in hac vice Christus indulsit Mariæ Magdalene peccata sua, quantum ad pœnas eis debitas, plene sive totaliter, propter ardentem ejus ad Christum amorem, et vehementem suarum horrorem culparum. Remissio quippe peccati mortalis, aut nul-
D la est, aut totalis ; sed remissio pœnæ, communiter fit per partes, et non tota simul, secundum communem (ut tactum est) cursum, quamvis interdum fiat tota simul, ob caritatis ingentem ardorem, peccati ruborem, contritionis intentionem, confessionis humilitatem, vitiorum detestationem : quæ omnia fuerunt in Magdalena, quia etsi verbis non confitebatur, lacrimis tamen, suspiriis atque operibus hoc agebat ; nec tunc sacramentum Confessionis requirebatur.

49 *Et cœperunt qui simul accumbebant dicere intra se,* hoc est cogitare : *Quis est hic qui etiam peccata dimittit?* quasi dicant : Quam præsumptuosus est iste ! aut, Quomodo audet sic loqui? Quamvis namque Christus non dixerat, Remitto tibi, sed, Remittuntur tibi peccata ; ipsi tamen hæc verba sic acceperunt, tanquam dixisset, Remitto tibi, etc. Frequenter enim Christus de se ipso, quasi de alio loquebatur in tertia persona. Advertebant quoque, quod peccata dimittere Deo sit proprium, *Is.* XLIII, 25. qui ait per Isaiam, Ego sum qui deleo iniquitates tuas ; et cui in libro Job dici- *Job* XIV, 4. tur : Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es? Sed hæc non sunt contra Salvatorem, qui secundum quod Deus, dimittit peccata auctoritative, imo cum Patre et Spiritu Sancto unus est peccati dimissor ; secundum naturam vero assumptam, relaxat peccata instrumentaliter, atque ut meritoria causa.

50 *Dixit autem ad mulierem.* Non enim respondit ad cogitationem illorum perversam, quia ut ait Gregorius, Cœlestis medicus ægros respuit quos de medicamine deteriores fieri videt. Verumtamen non sequitur, quod Christus non responderit illis, quamvis Evangelista non scribat. Multa siquidem fecit et dixit Salvator quæ nullus Evangelistarum conscripsit : imo eo- *Joann.* XXI, 25. rum quæ operatus atque locutus est, pauca in speciali scripserunt, ut evangelica legenti volumina elucescit. *Fides tua te salvam fecit,* hoc est, merito fidei tuæ a peccatis tuis es liberata. Unde in Actibus *Act.* XV, 9. Apostolorum fertur de Deo : Fide purifi- *Hebr.* XI, 6. cans corda eorum ; et Paulus, Sine fide, inquit, impossibile est placere Deo. Nam fides est fundamentum principiumque virtutum, et per ipsam mens primo conjungitur Deo. Nec obstat quod paulo ante Christus asseruit, mulieri huic multa esse dimissa peccata quia dilexit multum : ad eumdem equidem actum virtuosum, multæ concurrere possunt virtutes. Nunc quoque est mentio de fide formata, quæ di- A lectionem includit, et operatur per eam. *Galat.* V, 6. *Vade,* hoc est, a me discedens persevera, *in pace* pectoris, quousque inducaris ad pacem æternitatis ; a vitiis quoque cessa, nec in pristinam vitiorum deordinationem labaris, sed Deo jugiter regratieris : quemadmodum ad Romanos ait Apostolus, Justificati ex fide, pacem habeamus ad *Rom.* V, 1. Deum. Hæc est pax vera et bona, mentis in Deo tranquillitas, quam ad Galatas *Galat.* V, 22. ponit Apostolus inter fructus Spiritus : qua injusti non tranquillantur, juxta quod B in Isaia legitur, Non est pax impiis, dicit *Is.* XLVIII, 22 ; LVII, 21. Dominus.

Circa præhabita quæritur, quis plus amare et regratiari tenetur, innocens vel peccator conversus. Apparet quod innocens, quoniam donum innocentiæ majus est dono gratiæ restitutæ. Augustinus quoque fatetur : Multo ardentius diligere debes Deum, qui flagitiosis quæcumque mala dimisit, in ea te cadere non permisit. Oppositum apparet ex eo quod dixit Salvator, verba Simonis approbando : Cui plus C donatum, hoc est, condonatum est, plus diligit ; et cui minus dimittitur, minus diligit.

Ad hanc quæstionem Thomas in secunda secundæ respondet, dicendo : Ubi major est gratia ex parte dantis, requiritur major gratiarum actio ex parte recipientis. Gratia vero ex parte dantis, dicitur major dupliciter : Uno modo, secundum quantitatem dati : et sic innocens Deo magis regratiari tenetur, eo quod donum innocentiæ majus sit dono gratiæ redditæ, ceteris paribus ; D est etiam donum innocentiæ magis continuatum, et incessabilius conservatum. Alio modo, gratia dicitur major, quia magis gratis tribuitur : et sic pœnitens magis regratiari tenetur. Eadem autem est ratio de amando magis aut minus. Aliqui etiam dicunt, quod innocens plus tenetur amare Deum et grates ei rependere ex commisso, sed pœnitens ex dimisso. Itaque, quoniam status innocentiæ, absolute loquendo, melior est statu pœnitentiæ, patet quod ceteris paribus, simpliciterque lo-

quendo, innocens plus amare habet et regratiari.

Postremo, quomodo mystice per Phari- A sæum Judaicus populus, per Mariam vero conversa designetur gentilitas, B. Gregorius in homilia satis prosequitur.

ARTICULUS XX

EXPOSITIO CAPITULI OCTAVI : ET FACTUM EST DEINCEPS, ET IPSE ITER FACIEBAT PER CIVITATES ET CASTELLA, PRÆDICANS.

1 E*T factum est deinceps, et ipse* Unigenitus Dei *iter faciebat per civitates et castella* Judææ, Galilææ, Samariæ, *prædicans,* hortando ad bene agendum, *et evangelizans regnum Dei,* id est, cœlestis regni felicitatem pro præmio dandam justis palam pronuntians. Dicitur autem regnum Dei, et regnum cœleste : regnum quidem Dei, a regnante et dante; regnum autem cœleste sive cœlorum, a loco vel civibus regni illius. Evangelizavit quoque Salvator regnum Dei, id est statum, processum, gratiam et præmium Ecclesiæ militantis, quæ ubertim regnum Dei et regnum cœlorum in Evangelio nominatur. Itaque et nos Christum sectemur, non vana et frivola, sed cœlestia proferendo, et ædificatoria proponendo, pensantes illud Hieronymi : Omne quod non ædificat audientes, in periculum vertitur eorumdem.

Et duodecim, puta Apostoli, ibant *cum illo.* Apostoli quippe, magis continue et familiarius quam ceteri discipuli, Christo
Luc. VI, 13-16. ubilibet adhæserunt : de quorum electione
2 et institutione dictum est. *Et mulieres aliquæ* ibant cum Jesu, *quæ erant curatæ* ab ipso *a spiritibus malignis.* Hoc dupliciter intelligi potest : primo, quod quædam illarum fuerunt obsessæ ; secundo, ut dicantur a dæmonibus curatæ, quia a vitiis valde multis et magnis fuerunt per Christi prædicationem gratiamque mundatæ. Certi autem dæmones, a certis vitiis nomina sortiuntur, quia ad ea specialiter tentant, inclinant, inducunt. Unde dicitur : B spiritus superbiæ, spiritus fornicationis. Qui autem hujusmodi vitiis sordent, a dæmonibus spiritualiter possidentur, tanquam captivi et servi eorum. A quo enim quis victus est, hujus et servus est, ut in secunda sua Canonica loquitur Petrus. *II Petr.* II, 19. Et Paulus impiis loquens : Resipiscant, inquit, a laqueis diaboli, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem. *II Tim.* II, 26. *Et infirmitatibus* corporalibus. Merito ergo secutæ sunt Christum tanquam magistrum et medicum cordium corporumque earum, gra- C tæ consistere et plus proficere cupientes. Videlicet :

Maria quæ vocatur Magdalene, a castro nomine Magdalum. Fuit enim soror Marthæ ac Lazari, *Joann.* XI, 1 *et seq.* filia opulenti atque prænobilis viri, et ex hereditate parentum devenit ei hoc castrum. *De qua dæmonia septem exierant,* hoc est peccata septem mortalia, quibus aliquando plena fuit. Unde et in Marco legitur : Surgens Jesus mane prima sabbati, apparuit primo Mariæ *Marc.* XVI, 9. Magdalene, de qua ejecerat septem dæmo-
D nia. *Et Joanna uxor Chusæ procuratoris* 3
Herodis : forte ejus qui tempore quo facta sunt hæc, vixit, videlicet Herodis qui decollavit Baptistam. *Ibid.* VI, 17-27. *Et Susanna :* quæ cordis constantia et virtute atque prudentia, similis facta est præclaræ illi Susannæ de qua in Daniele habetur. *Dan.* XIII. De Joanna autem præfata infra habetur, quod cum Maria *Luc.* XXIV, 10. Magdalene venit cum aromatibus ad sepulcrum, viditque duos angelos sanctos : et forte idem intelligendum est de Susan-

na, sicut ex verbis S. Lucæ idem conjicitur. *Et aliæ multæ* mulieres. Sexus nempe femineus ad devotionem solet esse magis dispositus, quam sint viri, quia feminæ communiter humilioris et mollioris sunt cordis.

Quæ ministrabant ei, scilicet Christo, et
Matth. xix, 27. ejus discipulis, qui pauperes erant, seu omnia reliquerunt, *de facultatibus,* hoc est opibus *suis,* quia opulentæ fuerunt atque devotæ : et rationabile esse pensabant, ut sicut ipsæ spiritualia a Christo quotidie susceperunt, sic ei in temporalibus ministrarent, præsertim quia a corporis et animæ morbis fuerunt liberatæ per Christum. Unde nec condignum aliquid ei valebant rependere, quum in Ec-
Eccli. xxx, 15. clesiastico scriptum sit : Melius est corpus validum, quam census immensus. Quemadmodum autem contra Julianum scribit Hieronymus, consuetudinis Judaicæ fuit, ut mulieres devotæ de substantia sua victum atque vestitum suis præceptoribus et doctoribus ministrarent. Sed quia hoc in gentilibus scandalum facere potuit, Paulus abjecisse se protestatur. Nihilo minus idem Apostolus pro modico reputavit, si illorum temporalibus sustentaretur, quibus ipse spiritualia impendebat, dum loqui-
I Cor. ix, 11. tur : Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si vestra carnalia metamus ?
Ibid. 5. Hinc iterum ait : Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut ceteri Apostoli ? Itaque Christus a mulieribus devotis talia sumens, dedit exemplum fidelibus, quod his qui aliis spiritualia impertiuntur, liceat de illorum corporalibus sustentari. Propter quod
Ibid. 14. ad Corinthios ait Apostolus : Ordinavit Dominus his qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.

Consequenter describitur prædicatio Sal-
4 vatoris. *Quum autem turba plurima conveniret, et de civitatibus properarent ad*
Matth. xiii, 2 et seq. *eum :* sicut in Matthæo legitur, ubi et quæ sequuntur habentur. In turba hac, multi carnales et imperfecti fuerunt : unde non omnes propter eamdem ad Christum con-

A fluxerant causam ; sed quidam ex devotione, quidam ex curiositate, ut viderent miracula, quidam ex invidia, ut insidiarentur, quidam ut sanarentur, quidam ut alerentur. *Dixit per similitudinem,* id est, parabolico utebatur sermone, proponens parabolas. Est autem parabola, rerum dissimilium genere sub aliqua similitudine facta comparatio. Præterea, multæ assignantur causæ cur Christus turbis in parabolis loquebatur : Primo, ut divina secreta, ac superna mysteria, carnalibus et
B indignis manerent ignota, secundum illud Matthæi : Nolite sanctum dare canibus. Matth. vii, 6. Hinc divinus Dionysius in Mystica theologia loquitur Timotheo : Vide ut nemo indoctorum hæc sciat. Secundo, ut fidelibus detur occasio fructuosæ exercitationis, in addiscendo, perscrutando, et exponendo parabolica dicta, juxta quod in Proverbiis inducitur : Sapiens animadvertet parabo- Prov. i, 6. lam et interpretationem, verba sapientium et ænigmata eorum. Tertio, ut Divinitatis perfectio et divinorum proprietas,
C doceantur in sensibilibus cunctisque rebus aliqualiter relucere, quemadmodum theologus Dionysius protestatur : Nil (inquiens) est, quod divinæ bonitatis participatione omnino sit expers. Et ad Romanos ait Apostolus : Invisibilia Dei, per ea quæ facta Rom. i, 20. sunt cognoscuntur. — Insuper, per hoc quod Salvator toties similitudinibus ex corporalium rerum genere sumptis est usus, clarissime condemnatur insania Manichæi, qui terrena hæc dixit a principe tenebrarum diabolo esse creata.

D Deinde parabola subditur. *Exiit qui se-* 5
minat seminare semen suum. Hoc, sicut sequentia, quantum ad sensum per verba immediate signatum difficultatem non habet. Sed sensus principalis, imo et litteralis, in parabolicis sermonibus non est qui per verba immediate insinuatur, sed qui per res verbis significatas intenditur : et ita exponenda sunt ista. Itaque ait : *Exiit qui seminat,* hoc est, Christus seminator verbi cœlestis in cordibus hominum, exiit *seminare,* id est ad seminandum, *semen*

suum, hoc est evangelicæ doctrinæ præ- A
dicationem. Hæc est seminatio spiritualis,
Osee x, 12. de qua in Osee legitur : Seminate vobis
in justitia, et metite in ore misericordiæ.
II Cor. ix, 6; Galat. vi, 8. De quo ait Apostolus : Qui seminat in be-
nedictionibus, de benedictionibus metet
vitam æternam.

Præterea, quamvis quod nunc ait Salva-
tor de exitu suo ad seminandum, intelligi
debeat de exitu suo a cœlo in terram per
Incarnationis mysterium (qui exitus voca-
Ephes. iv, 9. tur descensio, de qua dicit Apostolus, Quod
autem ascendit, quid est nisi quia primo B
descendit in inferiores partes terræ ? et
Ps. xviii, 7. Psalmista, A summo cœlo egressio ejus);
item de exitu suo ex utero Virginis, juxta
Ibid. 6. illud Psalmi, Ipse tanquam sponsus proce-
dens de thalamo suo ; de exitu quoque lo-
cali, quo egressus est de domo ad publi-
cum locum, ubi convenientius audiretur
a multis : nihilo minus exitus competit
Christo, etiam secundum divinam natu-
ram, quia eo ipso quo a Patre æternaliter
gignitur, ab ipso exire seu egredi dicitur,
Joann. xvi, 28. quemadmodum in Joanne loquitur : Exivi C
a Patre, et veni in mundum. Quocirca ait
Hilarius, sexto de Trinitate : A Patre ve-
nisse, et a Deo exiisse, non est significa-
tionis ejusdem, quum aliud sit a Deo in
substantiam nativitatis exiisse, aliud a Patre
in hunc mundum ad consummanda salu-
tis nostræ sacramenta venisse, quum exire
a Deo, sit ex nativitate subsistere. Augu-
stinus quoque super Joannem : Exiit, in-
quit, a Patre, quia de Patre est; in mundum
venit, quia mundo suum corpus ostendit.
De quo etiam Christi exitu Michæas asse- D
Mich. v, 2. rit : Egressus ejus ab initio a diebus æter-
nitatis. Rursus, exitus convenit Christo
secundum divinam naturam, quantum ad
operationem ejus ad extra, ut secundum
quod Deus dicatur exire, id est in actum
procedere : imo sic Deus dicitur inter ho-
mines ambulare et habitare, juxta illud
Deut. xxiii, 14. Deuteronomii : Dominus Deus tuus ambu-
lat in medio castrorum tuorum. Et per
Habac. iii, 13. Habacuc dicitur Deo : Egressus es in sa-
lutem populi tui, in salutem cum Christo
tuo. Hinc S. Dionysius ait, quod Deus ad
omnia egrediens et procedens, per bonita-
tis suæ communicationem manet in se ip-
so, inegressibilis atque immobilis.

Et dum seminat, id est Christo verbum
sapientiæ salutaris evangelizante, *aliud ce-
cidit secus viam,* id est, magna pars præ-
dicationis Christi descendit in corda homi-
num mundanorum, carnalia spiritualibus
præponentium : qui secus viam sunt, id
est, latis itineribus sæculi hujus, videlicet
operibus vitiosis, adhærent, nec a lata via
perditionis elongare se volunt. Quo contra
per Jeremiam dicitur : Juxta vias gentium Jer. x, 2.
nolite discere. Est autem et alia via bona,
de qua loquitur Isaias, Secus vias pascen- Is. xlix, 9.
tur : hoc enim ait de virtuosis. *Et concul-
catum est,* id est strepitu cogitationum
malarum, tentationum et affectionum vi-
tiosarum a fructu boni operis impeditum,
calcatum et victum. *Et volucres cœli,* id
est dæmones seu aeriæ potestates : qui
volucres cœli dicuntur, quia in aere cali-
ginoso morantur, et propter subtilitatem
naturæ eorum, itemque ob instabilitatem
et levitatem mentis ipsorum, et quoniam
inordinate ascendere sunt moliti. Inter-
dum vero per avem intelliguntur angeli
sancti, et etiam Christus, ob contemplati-
onis sublimitatem et velocitatem ac agili-
tatem in eis. Itaque, volucres cœli *come-
derunt illud,* hoc est, verbum Dei de
prædictorum cordibus áudientium suis ten-
tationibus abstulerunt. Ad quod spiritua-
liter pertinet illud Osee : Comederunt ali- Osee vii, 9.
eni robur ejus, et ipse nescivit.

Et aliud cecidit supra petram, hoc est 6
in corda indurata atque rebellia, de qui-
bus Jeremias loquitur : Induraverunt facies Jer. v, 3.
suas supra petram, et noluerunt reverti.
Unde ad Hebræos monet Apostolus : Ad- Hebr. iii, 13.
hortamini vosmetipsos per singulos dies,
ut non obduretur quis ex vobis fallacia
peccati. *Et natum aruit,* id est, quum ver-
bum Dei in corde hujusmodi cœperit pa-
rum fructificare, statim cessat ab opere
bono atque aufertur, *quia non habebat hu-
morem,* id est sapientiæ salutaris fluenta,

gratiæ rorem, caritatisque nutrimentum. In A talibus equidem cordibus non sunt virtutes, et dona Spiritus Sancti, saltem stabiliter. Quemadmodum autem humor aquarum alit et conservat arbusta; sic gratia Dei, virtutes, et dona Spiritus Sancti, mentem nutriunt et conservant, dicente Apostolo (*Hebr.* XIII, 9.): Optimum est gratia stabiliri cor. Hinc per Jeremiam Dominus de homine impio dicit (*Jer.* XVII, 5, 6.): Maledictus homo cujus cor recedit a Deo; erit enim quasi myricæ in deserto, et habitabit in siccitate. In Job quoque ait Scriptura (*Job* VIII, 11.): Numquid vivere potest scirpus absque humore. Itaque, sicut hic dicit Salvator, videmus interdum quod ex prædicatione verbi cœlestis compunguntur ad horam corda lapidea, indurata, timore mortis et inferni judiciique divini. Sed oriente in eis aliqua passione seu tentatione, mox pravitati consentiunt et arescunt, quemadmodum scriptum est (*Prov.* XXVIII, 14.): Qui mentis est duræ, incidet in mala.

Deinde ponitur differentia audientium
7 tertia. *Et aliud cecidit inter spinas,* hoc
est in corda passionata, ambitiosa et vana, qui superfluis curis, inordinatis timoribus, mortiferisque tristitiis afficiuntur, punguntur, torquentur, dum ad temporales divitias et caducos honores immoderate adspirant. Unde et talia perdere trepidant, habentibus invident, perditisque talibus contristantur. Hinc secundum Gregorium: Nihil quietius quam nihil hujus mundi appetere; nihil inquietius quam summo et invariabili bono relicto, vanis et transitoriis inhærere. Verumtamen, sicut in Job scriptum est (*Job* XXX, 7.), sub præfatis sentibus esse D multi delicias reputant. *Et simul exortæ spinæ suffocaverunt illud,* id est, præfatæ affectiones et sollicitudines inordinatæ, cum verbo prædicationis accepto et fructificare incipiente pariter erumpentes, oppresserunt fructum operis boni, et germen virtutis vicerunt et expulerunt, secundum quod virtus et opera ejus a vitiis eradicari feruntur. Dum enim hujusmodi homines incipiunt aliquid boni cogitare aut operari, statim exsurgunt et miscent se cogitationes et affectiones de temporalibus rebus, ac prævalent. Tales sunt homines passionibus subditi, qui mentis suæ agrum ab hujusmodi spinis ac tribulis non emundant. Quod quam fatuum sit, pandit Salomon (*Prov.* XXIV, 30, 31.): Per agrum, inquiens, hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti; et ecce totum impleverant urticæ, operuerant superficiem ejus spinæ. Auferenda sunt ergo a corde passiones et vitia, ut verbum Dei convalescat in eo. Propter quod per Jeremiam Dominus loquitur (*Jer.* IV, 3, 4.): Novate vobis B novale, et nolite serere super spinas; circumcidimini et auferte præputia cordium vestrorum, ne egrediatur ut ignis indignatio mea, et succendatur, et non sit qui exstinguat.

Sequitur differentia audientium quarta.
Et aliud cecidit in terram bonam, hoc est 8
in cor docile ac devotum, seu ad devotionem dispositum, quod vere atque stabiliter acquiescit sermonibus; *et ortum,* id est in actum procedens ac germinans, *fecit fructum centuplum,* id est, opus per- C fectum, et fructum protulit copiosum: quemadmodum alicubi terra fertur tam fertilis, quod semen in eam projectum centuplicatur. Unde in Genesi de Isaac legitur (*Gen.* XXVI, 12.), quod invenit in ipso anno centuplum, quamvis hoc forsitan fuerit ex supernaturali terræ illius fecundatione. Porro de hac fructificatione differentiam tripartitam inducit, dicendo (*Matth.* XIII, 23.): aliud (scilicet, fecit fructum) centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum: quod super Matthæum diffusius exstat expositum.

Ecce Christus quatuor ponit differentias audientium suas prædicationes, et in sola quarta asserit sermocinationem suam proficere. Pauci etenim Judæorum, comparative loquendo, per ipsum fuerunt conversi. Non ergo prædicator, exhortator, sive orator, immoderate tristetur, pusillanimitate dejiciatur, aut a bono inchoato desistat, si sua prædicatio sive oratio, non tantis proficiat sicut desiderat: imo magnum omnique labore dignissimum arbitretur, si vel unum lucrari valuerit, pro quo fu-

sus est sanguis Christi. Christus quippe A est seminator, prout in Matthæo profitetur: Matth. xiii, 37. Qui seminat bonum semen, est Filius hominis. Ceteri vero prædicatores, sunt velut cophini seminatoris illius, qui ex ipsis et per ipsos verba cœlestia in mentes spargit humanas. Etenim cathedram habet in cœlis, qui hominum corda docet in terris. Hinc loquitur Augustinus : Ego per quem Christus seminat, quid sum, nisi cophinus seminantis? Noli attendere ad vilitatem cophini, sed ad potestatem seminis, et caritatem seminatoris.

Hæc quæ parabolice prolata sunt *dicens, clamabat,* ut audientes faceret bene attentos, et magna continere mysteria verba sua ostenderet : *Qui habet aures audiendi, audiat.* Quamvis hoc communiter de interioribus auribus exponatur, ut sit sensus, Qui habet aures intellectuales, videlicet capacitatem mentalem ad intelligendum, audiat, hoc est, quæ dico diligenter attendat : nihilo minus exponi etiam de corporalibus auribus potest ; eritque sensus : Qui habet aures audiendi, id est corporales aures, per quas fit primordialis seu sensitiva auditio, audiat, non solum corporaliter, sed intellectualiter quoque audita consideret. Naturale est equidem homini, ut intellectiva sua cognitio ex sensitiva sumat exordium. Interior autem auditus est ipsemet intellectus, qui pro quolibet sensu interiori accipitur, seu per quemlibet illorum exprimitur, sicut ait Basilius. Denique triplex assignatur auditus, videlicet sensitivus, intellectivus et obeditivus, quia tunc proprie dicimur præcepta Dei audire, dum D obedimus eisdem. Hanc aurium distinctionem tangit Moyses, quum in Deuteronomio Deut. xxix, 2, 4. loquitur Israelitis : Vos vidistis universa magnalia quæ coram vobis fecit Dominus ; et non dedit vobis Dominus cor intelligens, et aures quæ possent audire. Postremo, ut asserit Beda, quoties in Evangelio vel Apocalypsi hæc admonitio, Qui habet aures, etc., interponitur, mysticum esse quod dicitur, demonstratur, atque intentius inquirendum.

9 *Interrogabant autem eum discipuli ejus, quæ esset,* id est, quid significaret, *hæc parabola.* Hoc sciscitati sunt, non statim proposita ista parabola, aut in navi qua prædicabat ; sed, ut in Marco habetur, Marc. iv, 10. quum esset singularis, id est separatus et vacans a turba. Itaque discipuli veritatis, avidi esse debent ac studiosi ad cognoscendum veritatem, et quum quæ audierint seu legerint non intellexerint, a magistris et doctoribus inquirere intelligentiam non omittant, nec erubescant, quia Apostoli B hoc fecerunt. Porro ut adstruit Origenes, parabola est sermo quasi facti, non autem facti juxta id quod dicitur, sed possibilis fieri, significativus rerum per transumptionem eorum quæ in parabola traduntur. Ænigma vero est processus sermonis in his quæ dicuntur quasi facta : quæ tamen non sunt facta, nec possibilia fieri, signant vero aliquid in occulto, sicut quod dicitur in libro Judicum, Ierunt ligna ut Judic. ix, 8. ungerent super se regem.

10 *Quibus,* puta Apostolis, *ipse dixit : Vo-* C *bis datum,* hoc est desuper concessum, *est,* et frequenter conceditur, per gratiam singularem, tanquam æternaliter prædestinatis ad beatitudinem tantam, *nosse mysterium regni Dei,* hoc est palam intelligere spirituales ac mysticos intellectus divinæ Scripturæ seu sacra secreta militantis Ecclesiæ. Tam enim Scriptura, quam militans Ecclesia, regnum Dei et regnum cœlorum vocatur, in qua cœlestis regni felicitas nuntiatur, atque spiritualium epularum deliciosa refectio continetur. Vel sapientia evangelicæ legis vocatur mysterium regni Dei, quia est quoddam occultum incredulis et perversis, per quod ad regnum supernum pertingitur, et quia quid sit beatitudo regni seu patriæ Beatorum et qualis sit status eorum, in ea addiscitur. Unde in Joanne ait Salvator : Pater, mani- Joann. xvii, 6. festavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo ; et denuo, Hæc est Ibid. 3. vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. Alibi quoque : Confiteor (inquit) tibi, Pa- Matth. xi, 25.

ter, quia abscondisti hæc a sapientibus et A prudentibus, et revelasti ea parvulis. Denique Apostolis, tanquam post Christum summis Ecclesiæ doctoribus, revelanda luculentius erant Scripturæ mysteria ac divina secreta, ut de his alios edocerent.

Ceteris autem datum est nosse mysterium regni Dei *in parabolis,* id est ænigmatice et obscure, propter incapacitatem seu culpam eorum, *ut videntes* corporaliter, *non videant* spiritualiter, quia meam humanitatem atque miracula foris cernentes, divinitatem meam et miraculorum vir- B tutem non consideraverunt, *et audientes* verba mea corporali auditu, *non intelligant* ea mentali intuitu. Et quod ait Salvator, Ut, non causaliter, sed consecutive accipitur : non enim ad hoc Christus parabolice est locutus, ut illi excæcarentur, sed ad suam prædicationem illorum excæcatio est secuta; et justo judicio negata est illis, tanquam indignis intelligentia spirituali, quia et si eam audissent, forsitan despexissent.

11 *Est autem hæc parabola,* hoc est ita ut C subditur exponenda. *Semen est verbum Dei,* id est, per semen intelligitur prædicatio, seu doctrina verbi cœlestis, sive Scripturæ. Verbum autem Dei aptissime semen vocatur, quoniam mentem fecundat, opus meritorium inchoat, fructum virtutis producit, animam reficit, et instar seminis in audientium cordibus spargitur. Sed et ipsemet Christus, increatum Dei Verbum, dicitur semen, juxta illud in Genesi : In semine tuo benedicentur omnes (*Gen.* XXII, 18; XXVI, 4; XXVIII, 14.) gentes. Christus etiam orsus est prædica- D re, ut se ipsum audientium cordi insereret, in ipsumque crederent ac sperarent, sicque per fidem, spem, et caritatem in ipsis maneret, sicut ait Apostolus : Habitare Christum per fidem in cordibus vestris. (*Ephes.* III, 17.)

Præterea quadruplex assignatur semen. Primum est semen seminatum et in utero Virginis incarnatum pro nobis, videlicet Christus, dicente Apostolo : Non dicit, In seminibus, quasi in multis; sed quasi in uno, In semine tuo, quod est Christus. (*Galat.* III, 16.) Secundum est semen seminatum in nobis, utpote verbum Dei, gratia, virtutes et dona Spiritus Sancti : de quo semine hic fit sermo. Tertium est semen seminatum a nobis, scilicet opera virtuosa, juxta illud Psalmi : Euntes ibant et flebant, mittentes (*Ps.* CXXV, 6.) semina sua. Quartum est semen seminatum de nobis, puta nos ipsi, quos Christus in sua seminavit Ecclesia : de quo semine scriptum est in Isaia, Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus. (*Is.* I, 9.) De quo etiam in Matthæo loquitur Christus : Bonum semen sunt filii regni, id est electi. (*Matth.* XIII, 38.) Unde in Isaia fertur de Christo : Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum. (*Is.* LIII, 10.)

Qui autem secus viam, id est homines 12 auditores designati per locum prope viam, penitus infecundum, *hi sunt qui audiunt* verbum Dei corporali auditu, informique seu inobedienti intellectu, quibus competit illud Jacobi : Si quis auditor est verbi Dei, et non factor, hic comparabitur homini consideranti vultum suum in speculo; (*Jacob.* I, 23, 24.) consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuit. *Deinde venit diabolus,* non essentiæ animæ illabendo, sed per tentationis suggestionem eam aggrediendo : cujus adventus vitiosis et reprobis est periculosus et pessimus, secundum illud Apocalypsis, Væ terræ et mari, quia venit ad vos diabolus, habens iram magnam. (*Apoc.* XII, 12.) Invidet nempe humanæ saluti : et tunc quemque magis cupit tentare, quum viderit eum boni aliquid inchoare. Et quoniam auditio verbi Dei, est melioris vitæ exordium, potissimum verbo Dei insidiatur, et illud de auditorum corde auferre molitur. Propter quod subditur : *et tollit verbum de corde eorum,* hoc est, salubrem verbi memoriam, et exsecutionem obedientialem sua tentatione tollit ab eis, quia non rite resistunt diabolo ; *ne credentes* fide formata, *salvi fiant,* evadendo peccata, consequendo gratiarum charismata et dona gloriæ sempiterna. Ad illam quippe beatitudinem ascendere nos mortales et corporales maxime dolet, et impedire cona-

tur, a qua ipse immortalis incorporalisque spiritus est prolapsus. Hinc, prout in Sa-
Sap. II, 24. pientiæ libro habetur, Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum.

Deinde exponit secundam differentiam
13 auditorum, et sensus jam habitus est. *Nam qui supra petram,* id est significati per petrosum et sterilem locum frustra seminatum, *hi sunt qui quum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum* Dei, hoc est, libenter atque hilariter audiunt prædicationem, ipsa veritate delectati, et justitiam suam synderesi approbantes, sicut præcipue sunt homines quidam bonæ indolis. *Et hi radices non habent,* hoc est profundas, fixas et habituales gratiæ ac virtutum perfectiones seu fecunditates, et firmum propositum ac stabile fundamentum, ex quibus opera fructuosa ac meritoria oriuntur, quemadmodum ex radice virgulta.
Ibid. IV, 3. Hinc in libro Sapientiæ asseritur : Adulterinæ plantationes non dabunt radices al-
Osee IX, 16. tas ; et in Osee, Radix eorum exsiccata est, fructum nequaquam faciet. Porro verbum Dei radicatur finaliter in solis electis. Propterea in Ecclesiastico Deus Pater ait Sa-
Eccli. XXIV, 13. pientiæ, quæ est Christus : In electis meis mitte radices. Hinc apud Joannem scri-
I Joann. III, 9. ptum est : Qui natus est ex Deo, non peccat, quoniam semen ejus manet in eo. Qui enim ex Deo est per prædestinationem, non peccat finaliter, id est, in peccato non consummatur, sed gratia Dei in ipso finaliter radicatur.

Quia ad tempus credunt, fide aliqualiter tendente in opus, *et in tempore tentationis recedunt,* id est, quando a visibilibus aut invisibilibus hostibus, mundo, carne, dæmone impugnantur, mente avertuntur a bono, et victi consentiunt falsitati. Tales sunt homines corde instabiles instar ovi versatiles ; et sicut arbor idcirco radice privatur, quia valde multoties transplantatur; sic hi virtutum radicibus non firmantur, quia nimis facile de bono in malum
I Reg. X, 10-12; XIX, 23, 24. mutantur. Et sicut Saul inter prophetas prophetabat, et inter iniquos insaniebat; sic isti inter virtuosos compunguntur, et

A inter vitiosos mox subvertuntur. Quo contra scriptum est : Non te ventiles in om- Eccli. V,
nem ventum; esto firmus in via Domini et 11, 12.
in veritate sensus tui. Apostolus quoque : Stabiles (inquit) estote, et immobiles, abun- I Cor. XV,
dantes in opere Domini semper. Postremo, 58.
Christus ad litteram hæc convenientissime protulit de auditoribus suis, quorum multi visis ejus miraculis, et doctrinis ipsius auditis, crediderunt quod esset propheta aut Christus; sed postea insurgente contra Christum sacerdotum et Pharisæorum at-
B que Scribarum persecutione, recesserunt a Christo. Præsertim tempore passionis a fide ipsius dilapsi sunt, quando populus universus clamavit : Sanguis ejus super Matth.
nos ; et, Non hunc, sed Barabbam. XXVII, 25. Joann. XVIII,

Deinceps tertiam audientium differen- 40.
tiam interpretatur Salvator. *Quod autem* 14
in spinas cecidit, id est designati per terram spinosam ac sterilem, *hi sunt qui audierunt* verbum Dei a prædicante ; *et a sollicitudinibus,* id est curis rerum terrenarum superfluis : unde ait Apostolus,
C Nihil solliciti sitis ; et Salomon, Exspecta- Philipp. IV,
tio sollicitorum peribit ; *et divitiis,* id est 6. Prov. XI, 7.
immoderato amore et abusu divitiarum : contra quod ait Psalmista, Divitiæ si afflu- Ps. LXI, 11.
ant, nolite cor apponere. Non enim substantia creaturæ, sed possidentis superfluus amor et inordinatus usus, in culpa sunt et condemnantur. *Et voluptatibus vitæ,* id est delectationibus vitæ carnalis, quæ opulentiam sequi solent. Dives etenim currit ad libitum, labitur ad illicitum. Propter quod per Jeremiam Dominus protestatur :
D Saturavi eos, et mœchati sunt. *Euntes,* id Jer. V, 7.
est, in sæculo atque exsilio isto, quod velut patriam diligunt, conversantes, aut corporaliter a loco prædicationis ad sua euntes negotia, *suffocantur,* id est, spiritualiter opprimuntur et occiduntur, vitam gratiæ amittentes, et vitia mortalia, quæ sunt interitus animæ, incidentes. Hinc ait Apostolus : Qui volunt divites fieri, incidunt I Tim. VI, 9.
in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa, inutilia et nociva, quæ mergunt hominem in interitum et perdi-

tionem. Et in Ecclesiastico quoque legi-
Eccli. xviii, 30, 31. tur : Post concupiscentias tuas non eas,
et a voluptate tua avertere. Si præstiteris
animæ tuæ concupiscentias ejus, facient
te in gaudium inimicis tuis. Recte autem
divitiæ vocantur a Christo spinæ, quia pœ-
nales generant affectiones in anima possi-
dentis, eo quod cum timore perdendi pos-
sideantur, et cum dolore perdantur. *Et
non referunt fructum :* id est, pro eo quod
verbum Dei annuntiatum est eis, opus seu
meritum obedientiæ non reportant. Quibus
II Petr. ii, 21, 22; Prov. xxvi, 11. timendum est illud Archiapostoli : Melius
est non cognoscere viam justitiæ, quam
post cognitionem reverti retrorsum. Con-
tigit enim eis illud veri proverbii : Canis
reversus ad vomitum suum ; et, Sus lota
in volutabro luti.

Postremo, quarta audientium differentia
15 explanatur. *Quod autem in terram bonam,*
id est figurati per terram fructiferam, et
per semen projectum in eam, *hi sunt qui
in corde bono* per dona naturæ, *et optimo*
per dona gratiæ : dona enim naturæ ap-
tant hominem ad virtutes, et subserviunt
gratiæ; *audientes verbum retinent,* id est,
auditam prædicationem memoriter ser-
Ps. cxviii, 11. vant, juxta illud in Psalmo : In corde meo
abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi ;
et fructum afferunt, id est, opera virtuo-
sa producunt, cognita adimplendo, sicut
Jacob. i, 22. Jacobus monet : Estote factores verbi, et
non auditores tantum, fallentes vosmetip-
sos. Afferunt itaque fructum *in patientia,*
id est æquanimi tolerantia adversitatum,
atque longanimi futurorum præstolantia
præmiorum, dispositionem Dei fideliter et
infrangibiliter præstolando, sicut ad He-
Hebr. vi, 15. bræos scribit Apostolus : Abraham longani-
miter ferens, adeptus est repromissionem ;
Ibid. xii, 1. et denuo, Per patientiam curramus ad pro-
positum nobis certamen. Unde ait Grego-
rius : Terra bona fructum per patientiam
reddit, quia nulla sunt bona quæ agimus,
si non æquanimiter proximorum mala to-
Jacob. v, 7. leramus. Et in Jacobo legitur : Agricola
patienter exspectat fructum terræ. Imo,
ut breviter dicam, sine patientia nemo po-

A test proficere, pacem mentis habere, Deo
glorioso placere. Ideo Paulus ad Hebræos
fatetur : Patientia vobis necessaria est, ut Hebr. x, 36.
reportetis repromissionem. Siquidem pa-
tientia est virtus moralis qua refrenatur
immoderata tristitia ex vitæ præsentis ad-
versitatibus orta. Quum ergo hæc vita sit
adversis occursibus plena ; imo tanto quis
molestius a diabolo impugnetur, quanto
se virilius ad virtutes extendere nititur :
constat quod sine patientia nullus no-
strum queat proficere.

B *Nemo autem lucernam accendens, operit* 16
*eam vase, aut subtus lectum ponit, sed
super candelabrum, ut intrantes videant
lumen.* Hoc juxta superficiem litteræ, in
exterioribus certum est, quod nemo ratio-
nabiliter agens, accendit lucernam, nisi ut
lumine ejus quisquam utatur : etiam si
ad horam occultetur lucerna, ideo tamen
accensa est ut congruo tempore præbeat
aliis lucem. Sed per lucernam intelligit
Christus Apostolos a se illustratos, quibus
regni cœlestis patefecit mysterium : ideo
C plane ut ipsi illud aliis declararent. Unde
de Joanne Baptista testatus est Christus :
Ille, inquiens, erat lucerna ardens et lu- Joann. v, 35.
cens. Rursus, lucerna intelligi potest evan-
gelica doctrina ac jussio, secundum illud
Proverbiorum : Mandatum lucerna est ; Prov. vi, 23.
lex, lux. Itemque in Psalmo : Lucerna pe- Ps. cxviii, 105.
dibus meis verbum tuum. Hanc lucernam
Christus in Apostolorum cordibus inflam-
mavit et illustravit, ut eam non occulta-
rent, sed panderent universis, prout in
Matthæo fatur : Quæ in aure auditis, præ- Matth. x, 27.
D dicate super tecta. Insuper, ut Maximus
ait, ipsemet Christus ut homo, lucerna est,
quam Deus Trinitas illustravit, ut omnibus
habitantibus domum, id est hunc mun-
dum, effulgeat ; et super candelabrum po-
sita est, id est super Ecclesiam, sicut ait
in Psalmo : Ego autem constitutus sum Ps. ii, 6.
rex ab eo super Sion montem sanctum
ejus, prædicans præceptum ejus.

Porro nomine vasis, intelligi potest oc-
cultatio verbi Dei ex timore carnali proce-
dens ; per lectum vero signatur occultatio

verbi Dei ex prosperitate et delectatione quietis terrenæ emanans : quorum utrumque prohibetur, Christo dicente, (Matth. x, 28.) Nolite timere eos qui corpus occidunt. Candelabrum vero vocatur Ecclesia, juxta illud (Apoc. I, 20.) Apocalypsis : Septem candelabra, septem Ecclesiæ sunt. Itaque evidenter et publice prædicandum docet Salvator, ut nec timore adversitatis, nec amore prosperitatis, lucerna divini occultetur sermonis. Quemadmodum autem candelabrum in altum erigitur, et in ipso lumen levatur ; sic qui in Ecclesiis præficiuntur, debent esse sublimes per vitam virtuosam, intusque lucidi per fidem, rectam intentionem ac sapientiam, et foris lucentes per doctrinam et exemplarem conversationem : in cujus signum, Creator ab exordio constituit luminaria in firmamento, quod est pars superior mundi, bestias vero in terra, quia carnales et fatui non debent esse prælati, sed subditi. Sed, heu ! contrario modo fit hodie, juxta quod in Ecclesiaste Salomon (Eccle. x, 7.) loquitur : Vidi servos in equis, et principes ambulantes quasi servos super terram. Nam et Aristoteles ait : Qui deficit ratione atque prudentia, naturaliter servus est, etiam si accidentaliter dominetur ; et qui prudentia viget, naturaliter dominus est, etiam si fortuito servus sit.

17 *Non est enim occultum, quod non manifestetur ; neque absconditum, quod non cognoscatur, et in palam veniat.* Per occultum intelligi potest quod ex propria natura homines latet, ut sunt cogitationes, affectionesque cordis ; per absconditum vero, quod per humanam latet astutiam, ut sunt exteriora opera callidorum, speciem boni habentia, quum sint mala. Vult ergo affirmare Salvator, quod omne vitæ hujus secretum in die judicii publicabitur. Sicque verba hæc sunt quasi comminatoria pœnæ, et per modum comminationis, inducentia ad hoc ut verbum Dei publice prædicetur. Secundo, intelliguntur hæc verba de mysteriis quæ Christus manifestavit Apostolis, et jussit per eos aperiri (Matth. x, 27.) hominibus : qui quod ipse docuit in

A obscuro, voluit per eos clare annuntiari in mundo. *Videte ergo quomodo audiatis,* 18
id est, solerter perpendite qua ratione et intentione vobis ista denuntiem, et diligenter hæc auscultate, atque ceteris eadem sicut vobis commisero, prædicate.

Qui enim habet, hoc est, dona Dei et verbum doctrinæ sollicite audit, memoriter tenet, vigilanter custodit et implet, *dabitur ei* incrementum gratiæ ac virtutum. Rursus, Qui habet, id est, Deo datori gratus est, considerando unde acceperit, B gratiasque agendo, dabitur ei gratia major : sed et habenti gratiam et meritum, datur gloria et præmium ; habenti bonum propositum et ferventem affectum, datur gratia exsecutionis et operandi facultas. *Et quicumque non habet,* hoc est, donum quod habet debite non custodit, vel Deo gratias non exsolvit, vel modicum habet, ita ut comparatione aliorum quasi nil videatur habere (ut illi qui per locum petrosum atque spinosum signati sunt, respectu eorum qui per terram bonam notantur, C quasi nihil habere videntur), *etiam quod putat se habere,* id est secure aut stabiliter possidere, *auferetur ab eo :* quia per ingratitudinem et negligentiam suam meretur bonis sibi concessis privari, quemadmodum dictum est de auditoribus malis verbi cœlestis, quod per tentationes et tribulationes irruentes vincuntur, donisque gratiæ destituuntur. — Itaque, quanto quis gratiam sibi collatam diligentius timoratiusque custodierit, atque in ea crescere studuerit, tanto plus bonis spiritualibus D abundabit, et mens ejus a Deo multiplici dono implebitur ; quanto autem intimoratior, incustoditior, et vane securior fuerit, tanto citius gratiam Dei amittet. Ideo ait Scriptura : Beatus homo qui semper est pavidus (Prov. xxviii, 14.) ; et rursus, Omni custodia custodi cor tuum (Ibid. iv, 23.) ; itemque, Si non instanter tenueris te in timore Dei, cito subvertetur domus tua (Eccli. xxvii, 4.). Sed quia hæc multi non implent, cito a bono labuntur proposito, dum ab objectis divitiarum, deliciarum aut honorum sæculi hujus moventur. Necesse est

ergo ut in virtutibus stabiles simus, et A passiones habeamus rationi subjectas, omnemque motum inordinatum prompte vincere valeamus.

19 *Venerunt autem ad illum,* scilicet Jesum, *mater et fratres ejus,* hoc est cognati, non filii Mariæ Christiferæ, ut mentiens dixit immundus Helvidius ; nec filii Joseph ex alia conjuge, ut aliqui putant : quorum æstimationem Beda redarguens, asserit etiam S. Joseph in virginitate mansisse, ut pudicissimæ Virginis custos et sponsus esset condignus. De his aut tali- B bus fratribus Christi, scriptum est in Jo- *Joann.* VII, 5. anne : Neque enim fratres ejus credebant in eum. Est equidem consuetudo Scripturæ, ut consanguinei alicujus fratres ejus vocentur : sicut in Genesi Abraham ait ad *Gen.* XIII, 8. Lot, Fratres sumus ; et in libris Regum II *Reg.* XX, 9. Joab ad Amasam, Salve, mi frater. *Et non poterant adire,* id est accedere, *eum præ turba.* Dicunt nonnulli, sequentes Chrysostomum, quod diabolus cernens quemadmodum Christus ostenderet se esse Filium Dei, induxit parentes ejus carnales, ut per C illorum præsentiam ejus obscuraret divinitatem, videlicet ne a populo Dei Filius crederetur, dum ejus carnalis adesset propinquitas. Sed nequaquam inductione aut suggestione diaboli arbitror beatissimam Virginem ad accessum hunc motam, sed ex fervida sui unici Filii dilectione, imo potius ex Spiritus Sancti ordinatione, ob nostram occasione hujus accessus datam instructionem, sicut subjungitur.

20 *Et nuntiatum est illi : Mater tua et fratres tui stant foris, volentes te videre.* D Lucas hoc loco non observat ordinem rei *Matth.* XII, 46 *et seq.*; XIII, 1 *et seq.*; *Marc.* III, 31 *et seq.*; IV, 1 *et seq.* gestæ, quia ut in Matthæo et Marco patet, quod jam dicitur, contigit Jesu exsistente in domo ante præscriptum sermonem. Et quamvis aliqui dicant, eum qui Christo prædicanti nuntiavit adesse matrem suam ac fratres, fuisse insidiatorem et malitiose commotum, tanquam diaboli advocatum, et experiri volentem an Christus propter carnales propinquos actum prædicationis omitteret ; quod si faceret, eum de carnali increparet affectu : nihilo minus absolute credendum quod in Marco manifeste *Marc.* III, 31. habetur, videlicet quod iste fuerat missus a matre Christi et fratribus ejus ad eum.

Qui respondens dixit ad eos : Mater mea 21 *et fratres mei, hi sunt qui verbum Dei audiunt et faciunt.* Hoc multipliciter intelligi potest : Primo, ut Christus dicat, auditores factoresque verbi Dei suam matrem et fratres suos, id est sibi tam caros, sicut mater a filio, et fratres a fratre amantur. Secundo, quod tanto propinquiores sint sibi, quanto rebus divinis fuerint magis intenti. Tertio, ut mater Christi spiritualiter nominetur : quoniam per contemplationem ipsum corde concipiunt, atque per prædicationem et exemplarem conversationem in aliorum cordibus ipsum gignunt, sicut ait Apostolus suis discipulis : In Chri- I *Cor.* IV, 15. sto Jesu per Evangelium ego vos genui, id est, ad esse spirituale induxi, ut Christus per fidem et caritatem esse et habitare inciperet vestris in mentibus. De qua generatione aliqui probabiliter dicunt intelligendum, quod per Isaiam de Christo prædictum est : Generationem ejus quis *Is.* LIII, 8. enarrabit ? Ibi enim subjungitur, Quia ab- *Ibidem.* scissus est de terra viventium, ut Hieronymus transtulit. Septuaginta autem interpretes transtulerunt, Quia tolletur de terra vita ejus : et redit in idem. Certumque est quod abscissio Christi de terra viventium, utpote crucifixio ejus, non sit causa ineffabilitatis suæ generationis divinæ a Patre æterno, nec etiam suæ generationis maternæ ex Virgine ; sed occisio illa est causa quod ineffabiliter admirabilis sit spiritualis generatio Christi in corde credentium, per multiplicationem fidelium. Nempe hoc summe ineffabiliterque mirabile est, quod totus pene mundus potuit ad tam incomprehensibilem fidem ac arduissimam legem hominis in patibulo interfecti converti. — Denique tales etiam sunt fratres Christi, non solum quia in natura humana cum ipso communicant, sed et quia adoptivi sunt filii Patris æterni, et Christo affectu ac opere assimilati. Unde in Joan-

Joann. I, 12. ne asseritur : Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Ad Hebræos quoque ait de Christo Aposto- *Hebr.* II, 17. lus : Debuit per omnia fratribus assimi- *Ibid.* II, 12. lari ; et rursus : Non confunditur fratres eos vocare, dicens, Nuntiabo nomen tuum fratribus meis.

Præterea Christus verba protulit præinducta, non quasi excludens honorem et amorem parentum, quum ipse per Moysen *Exod.* XX, 12; *Deut.* V, 16. jusserit, Honora patrem tuum et matrem tuam ; nec quasi aspernans et negans matrem et cognationem carnalem, quasi phantasticum habuerit corpus, ut Manichæus confinxit : sed secundum Ambrosium, ut paternis mysteriis magis quam maternis affectibus se debere ostendat, et religiosiores copulæ mentium doceantur esse quam corporum, nec propter opus externum debere omitti opus divinum ; item ut declararet se non solum habere matrem et fratres carnales, sed etiam spirituales ; et rursus, ut doceret nos carnalem affectum abjicere, nec propter cognatos sive parentes a Dei servitute debere recedere, nec operi Dei quidquam præferre. Postremo

A Christus ita locutus est, ad ostendendum quod felicior est conceptio spiritualis, quam carnalis secundum se. Ideo Augustinus in libro de Virginitate testatur : Beatior fuit Maria profitendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi : quia nil ei materna propinquitas profuisset, nisi illum felicius corde quam carne gestasset.

Ex his Domini Jesu verbis factisque patet, quam reprehensibiles sint Christiani, præsertim clerici, et maxime religiosi, qui facili occasione infra Horas vel debitas B orationes occurrentibus dant responsum sine necessitate, vel chorum egrediuntur, et interrumpunt divina, seu verba inania admiscent. Utinam tantum honorarent Deum dignitatis et gloriæ infinitæ, quantum hominem alicujus reputationis, cui si colloquerentur, non tam abrupte et irreverenter se ab ipso averterent seu abirent, præcipue si inferior illo quæreret eos affari. Itaque in hoc ipso nos emendemus, pensantes quod in libris Regum ait Altissimus : Quicumque glorificaverit me, glo- I *Reg.* II, 30. C rificabo eum ; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.

ARTICULUS XXI

PROSECUTIO ELUCIDATIONIS HUJUS CAPITULI, A LOCO QUO DICITUR : FACTUM EST AUTEM IN UNA DIERUM, ET IPSE ASCENDIT IN UNAM NAVICULAM.

QUIA supernaturalis fuit Christi doctrina et lex quam præstabat, oportuit eam supernaturalibus argumentis, puta miraculis soli Deo possibilibus, roborari, ut constaret eam esse divinam, quum ad ejus confirmationem talia operaretur Deus, qui falsitatis nec testis, nec confirmator potest consistere. Hinc in Joanne evangelista *Joann.* V, 36. ait Salvator : Opera quæ dedit mihi Pater, testimonium perhibent de me. Unde per totum evangelicæ legis textum, commixtim describuntur Christi documenta atque mi- D racula, ut unum fulciatur ex alio. Nunc ergo quoddam magnificum Filii Dei opus narratur.

Factum est autem in una dierum. Quem- 22
admodum in Marco habetur, quod hic fa- *Marc.* IV, 35. ctum describitur, contigit eodem die quo prædicatio parabolæ seminationis, et accessus virgineæ Matris immediate præscriptus. *Et ipse ascendit in unam naviculam.* Paupertatis enim et humilitatis magister, abjecta et parva elegit, atque in omnibus I *Cor.* I, 27, 28. ad humilitatem nos invitavit : idcirco par-

vam consuevit ingredi navim ipse, de quo A
Ps. xciv, 5. ait Psalmista : Quoniam ipsius est mare
et ipse fecit illud. *Et discipuli ejus,* puta
Apostoli, qui ei familiarius adhæserunt. *Et
ait ad illos : Transfretemus trans sta-
gnum,* id est ultra aquam hanc stantem,
non effluentem : quæ etiam dicitur mare,
juxta proprietatem idiomatis Hebræorum,
qui quamcumque magnam congregationem
aquarum nominant mare. Dicitur quoque
hæc aqua stagnum, a stando : quia alveum
quo extra proprium locum fluat, non ha-
bet ut flumina, sed in suo stans loco, ven- B
tis atque procellis est inquietum ; hincque
appellatur Genesareth, quasi generans au-
ram crispantibus ejus undis ex ventorum
impulsu. *Et ascenderunt* in naviculam.
23 *Navigantibus autem illis, obdormivit.*
Qui futuram mox tempestatem et Aposto-
lorum trepidationem prævidit, non casu
aut sine magna ratione, instante obdormi-
vit periculo. *Et descendit procella venti in
stagnum,* vel ex naturalibus causis, vel
potius Deo miraculose sic ordinante, ad
ostendendam Christi potentiam ; *et com-* C
plebatur navicula aquis, juxta illud Mat-
Matth. viii, 24. thæi : Ecce motus magnus factus est in
mari, ita ut navicula operiretur fluctibus.
Et periclitabantur : ita quod mortis peri-
culum eis instabat ; et accidisset, si non
24 subvenisset Salvator. *Accedentes autem,
suscitaverunt eum, dicentes : Præceptor,
perimus.* Quasi dicant : Tu qui tam impe-
rialiter miracula agis, adspice necessitatem
servorum et discipulorum tuorum. Præci-
pere autem et dominari propriissime com-
petit Christo ratione suæ divinitatis, quia D
sic propria auctoritate, independentique
potestate jubet ac dominatur tanquam nul-
li subjectus. Conveniunt quoque hæc sibi
secundum suam humanitatem, in quantum
omni creaturæ prælata et Verbo æterno
hypostatice est unita, habens super om-
nem creaturam imperialem potentiam, sed
dependentem ac instrumentalem. Propter
Ibid. xxviii, 18. quod ipse ait, Data est mihi omnis pote-
stas in cœlo et in terra : non quod post
resurrectionem primo donata sit ei, imo
ab incarnationis exordio data est sibi ; sed
post resurrectionem dicitur data, quantum
ad manifestationem et usum seu exsecu-
tionem solito ampliorem.

At ille surgens a somno : qui fuit in
Christo secundum naturam suam sensiti-
vam, non quoad partem animæ suæ intelle-
ctivam. Nam intellectus et voluntas animæ
Christi nunquam a suis actibus cessarunt,
puta ab actibus beatificæ fruitionis, sed
indesinenter per beatam visionem et feli-
cem fruitionem fuerunt Divinitati inten-
tæ. Certumque est quod in divina natura
somnus non cadat. Itaque Christus instan-
te tempestate, sponte se dedit ad somnum,
ut in se veritatem naturæ monstraret hu-
manæ, nec rogaretur succurrere nisi præva-
lente plenaria tempestate, sicque futurum
gloriosius perpetraret miraculum. Si enim
vigilasset, discipuli incipiente tempestate
mox Christi implorassent suffragium. Id-
eo quoque voluit tempestatem hanc eve-
nire, ut discipuli sui ex tempestatis tam
grandis subitanea et supernaturali seda-
tione, confirmarentur in fide, et ipse se
Dominum maris ostenderet, sicut ante per
signa in terra peracta Dominum terræ se
comprobavit. Nam et ideo navim ingressus
est, secundum Origenem.

Increpavit, id est, per modum increpan-
tis allocutus est eos, *ventum et tempesta-
tem,* hoc est commotionem, *aquæ :* non
quod, juxta Platonicorum quorumdam et
hæreticorum insanias, omnia elementa sint
animata, sed quia Creatori obediunt ac
subduntur ad nutum ipsius, quasi intelle-
ctualis essent naturæ. Unde et actus vitales
eis metaphorice adscribuntur, juxta illud
Psalmi : Viderunt te aquæ, Deus, viderunt Ps. lxxvi, 17.
te aquæ, et timuerunt ; itemque, Mare vi- Ps. cxiii, 3.
dit et fugit. Hinc scriptum est : Surgens Marc. iv, 39.
Jesus, comminatus est vento, et dixit ma-
ri, Tace et obmutesce. Idcirco in omni na-
tura creata ponitur potentia obedientialis,
qua Deo creatori in cunctis obedit. Sed
nunc subditur : *et cessavit* tempestas, *et
facta est tranquillitas,* tam materialis in
mari, quam spiritualis in mentibus disci-

pulorum de sua ereptione gaudentium : in A quo miraculo suam divinitatem ostendit, quia tam imperiose et repente hæc egit.

25 *Dixit autem illis,* id est discipulis : *Ubi est fides vestra?* Secundum Matthæum, di- Matth. VIII, 26. xit : Quid timidi estis, modicæ fidei? Mar- Marc. IV, 40. cus vero scribit eum dixisse : Quid timidi estis? nondum habetis fidem? Sed nulla est Evangelistarum discordia, quia totum redit in idem. Imo, secundum Augustinum in libro de Consensu Evangelistarum, omnia verba hæc dicere potuit et forsitan dixit, videlicet : Quid timidi estis? ubi est B fides vestra, modicæ fidei? etc. Itaque ait : Ubi est fides vestra? quasi dicat : Constat ex hac vestra trepidatione, quod necdum habetis fidem perfectam : quam si haberetis, tempestatem hanc potuissetis sedas- Matth. XVII, 19. se, imo et montes transferre. Habuerunt tamen aliquantulam fidem, qua credebant Jesum posse succurrere. Porro, quod suscitaverunt Jesum, ex fidei imperfectione et ignorantia prodiit. Æstimabant etenim Christo dormienti non omnia tam clare innotescere ut vigilanti, quasi somnus in ipso C actum rationis interrumperet, ipseque dormiens eorum periculum non adverteret, aut preces non sciret.

Qui timentes admirati sunt, ad invicem dicentes. Quamvis aliqui dicant non discipulos, sed alios qui erant in navi, fuisse miratos, magis tamen credendum est, quod omnes qui aderant sint mirati, quia nec discipuli ante tale conspexerunt miraculum, nec Christi majestatem perfecte noverunt. Sed cur facta tranquillitate timebant? Dicendum, quod iste fuit timor reverentiæ D Luc. V, 8, 9. et stuporis, sicut et Petrus timuit, viso miraculo captionis piscium miraculosæ; vel etiam timuerunt, quia comparatione et consideratione sanctitatis majestatisque Christi, propriam imperfectionem, fragilitatem et culpam profundius attendebant, sicque divinum formidabant judicium, et animarum suarum spirituale periculum. Vel certe timuerunt Christo appropinquare, arbitrantes se ejus præsentia esse in- Ibid. 8. dignos, sicut et Petrus locutus est : Exi a me, quia homo peccator sum, Domine. Sic legitur in Vita beatissimi Mauri discipuli S. Benedicti, quod illustris ille Florus S. Mauro se subdens, visis præclarissimis Mauri miraculis, non audebat eum tangere, et vix sine reverentiali timore audebat eum adspicere. *Quis putas hic est?* tanquam dicant : Major est quam scimus, vel a populo æstimatur, ita quod supra hominem quid apparet in ipso. *Quia et ventis imperat et mari, et obediunt ei.* Ex quo consideraverunt, quod vel Deus esset, vel Deo carus ac familiaris, quod ad suum præceptum elementa mox obtemperabant : quemadmodum Josue quasi imperans lo- Josue X, 12. cutus est soli et lunæ ut starent.

Postremo, de mystica horum significatione pertranseo, quia super Matthæum Art. XVII. hinc scripsi. Nos vero discipulorum Christi sequentes vestigia, ascendamus cum Christo in navim, id est, sæculi hujus adversitates et tribulationes pati non dedignemur; sed viriliter transfretemus hoc mare magnum et spatiosum, id est præ- Ps. CIII, 25. sens exsilium inquietudine et amaritudine plenum, scientes quia per multas tribula- Act. XIV, 21. tiones oportet nos ingredi regnum cœlorum. Denique tentationum tempestate nos invadente, mox Christum devotissimis precibus cum omni fiducia accedamus, eumque velut a somno excitemus, dicentes : Exsurge, Domine, adjuva nos. Qui enim in Ps. XLIII, 26. se ipso jam nunquam dormit, nobis quodammodo dormit, dum nos tribulari permittit. Imo quo dignior est anima corpore, eo instantius clamemus in cœlum ut ab animæ periculis, puta peccatis, eripiamur, quam a corporis nocumentis. Quumque virtute et gratia Christi senserimus nos adjutos, ejus caritatem atque clementiam circa nos miserrimos peccatores humiliter admiremur, et Christo cordialiter ac jugiter regratiemur.

Post hæc recitatur aliud Christi miraculum. *Navigaverunt autem,* id est, sta- 26
gnum præfatum transnavigando venerunt, Christus et ejus discipuli, *ad regionem Gerasenorum :* quorum regio sic dicta est, a

principali civitate terræ illius nomine Gerasa. Circa quod ait Beda : Gerasa est urbs insignis Arabiæ trans Jordanem, juxta montem Galaad, quam tenuit tribus Manasse, non longe a stagno Tiberiadis, in quo porci præcipitati sunt. Verumtamen Cyrillus ait : Veraciora exemplaria nec Gerasenorum habent, nec Gadarorum, sed Gergesenorum. Est enim Gadara civitas in Judæa ; stagnum autem vel mare nullatenus invenitur in ea. Sed Gerasa civitas Arabiæ est, nec mare nec stagnum juxta se habens. Est autem Gergesa, a qua et Gergeseni, urbs antiqua juxta Tiberiacum stagnum, circa quam est rupes stagno vicina, in quo ostenditur dejectos fuisse porcos a dæmonibus. Quia tamen Gerasa et Gadara confinium habent cum terra Gergesenorum, verisimile est inde ad horum terram porcos fuisse adductos. Hæc Cyrillus. Fuit autem hæc regio ex alio littore maris prædicti, ideo subditur : *quæ est contra Galilæam,* id est ex opposito ejus.

27 *Et quum egressus esset* Jesus de navi *ad terram* regionis jam dictæ, *occurrit ei vir quidam,* non ratione virtutis, sed sexus, vir dictus, *qui dæmonium habebat,* id est a multitudine dæmonum possessus, ut statim patebit ex textu, *jam temporibus multis,* ita quod diu fuit insanus ; *et vestimento non induebatur,* quia præ insaniæ et furoris magnitudine vestimenta sibi adhibita laceravit ; *neque in domo manebat :* dæmoniaci namque quietis sunt impatientes ; *sed in monumentis,* id est in foveis seu speluncis pro mortuorum sepultura paratis. Dæmon itaque mortis inventor et prima occasio, vasa a se possessa facit libenter in sepulcro morari, cupiens animas ad lacum trahere infernalem.

28 *Is ut vidit Jesum, procidit ante illum.* Homo obsessus Jesum corporaliter vidit ; sed dæmones Jesum spiritualiter cognoverunt, et vas a se possessum ad procidendum atque loquendum moverunt : ideo verba a dæmoniaco isto prolata, dæmonibus adscribuntur et competunt, in quorum persona dæmoniacus loquebatur. Procidit A autem diabolus ante Jesum, non humilitate, sed necessitate ; non amore boni, sed timore gravioris supplicii. Et simili modo confessus est et locutus verba sequentia. *Et exclamans voce magna* dæmon per hominem, *dixit : Quid mihi et tibi, Jesu Fili Dei altissimi ?* quasi dicat : Nulla nobis voluntatis communio, nulla intentionis et vitæ conformitas : quid ergo accedis ad me ? Hoc est quod ait Apostolus : Quæ conventio Christi ad Belial ? (II *Cor.* VI, 15.) Et in Ecclesiastico scriptum est : Sicut communicabit B lupus cum agno aliquando, sic peccator justo. (*Eccli.* XIII, 21, 22.) Quæ communicatio homini sancto ad canem ? Deinde tangitur causa cur præfata verba veritatis laudisque Christi dixerit diabolus, qui mendax est ab initio, et mendacia ex proprio loquitur ac libenter, (*Joann.* VIII, 44.) vera autem invitus aut coacte seu prava intentione, scilicet ut seducat tandem, veris falsa miscendo. *Obsecro te, ne me torqueas.* Diabolus quippe jam fuit expertus quam potenter et imperialiter Christus spiritus malignos ejecerit : idcirco formidabat a C Christo expelli, atque ab hominum læsione compesci : quod sibi tanto pœnalius est, quanto plus odit genus humanum. Sed et Christi præsentia sibi fuit pœnalis, sicut reo præsentia judicis, et servo fugitivo præsentia domini sui. Timuit quoque a Christo in infernum retrudi. Jam in hac dæmonum multitudine cœpit impleri quod ait Apostolus : In nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum. (*Philipp.* II, 10.) Nec mirum quod dæmon metuebat a Christo torqueri, cujus jam cœpit sentiD re pœnosum imperium.

29 *Præcipiebat enim spiritui immundo ut exiret ab homine.* Sed si Christus hoc jussit, cur dæmon statim egressus non est ? Et respondendum, quod Christus non imperavit diabolo statim exire : imo eodem momento egressus est quo Christus illum egredi voluit. Cur autem Christus nondum rogatus, in tantum compassus est huic obsesso, subjungitur. *Multis enim temporibus arripiebat illum,* id est, diabolus hominem istum invasit, possedit et agitavit,

atque vexavit; *et vinciebatur* obsessus iste A
catenis in manibus, ne manibus suis cuiquam noceret, *et compedibus custoditus,* id est, pedes ejus ligati fuerunt compedibus et adstricti, ne discurrendo aliquem læderet; *et ruptis vinculis,* non humana, sed diaboli potestate, *agebatur a dæmonio in deserto,* id est, impellente diabolo per deserta currebat : ad quod eum impulit dæmon, ne homo aliqua arte aut potestate tentus denuo ligaretur, et ut omni humano privaretur auxilio in deserto. Sciebat nempe diabolus quam veraciter scriptum sit : B
Eccle. IV, 10. Væ soli, quia si ceciderit, non habet sublevantem.

30 *Interrogavit autem illum Jesus, dicens.* Non ex ignorantia inquisivit, sed ut ex dæmonis responsione excellentia virtutis Christi in dæmonum expulsione clarius emicaret; et ad multiplicem nostram informationem, ut agnoscamus quam innumerabilis sit multitudo invisibilium adver-
Philipp. II, 12. sariorum nostrorum, sicque cum timore et tremore nostram operemur salutem, in Domino confidentes. *Quod tibi nomen est?* C
Sciebat Christus quod multitudo dæmonum esset in homine; sed quia unus pro omnibus loquebatur, ab ipso Christus nomen vel illius vel totius catervæ sciscitabatur. *At ille dixit : Legio.* Hoc respondit pro se et tota caterva secum hominem possidente. Porro quod subditur, sunt verba Evangelistæ causam hujus responsionis pandentis. *Quia intraverunt dæmonia multa in eum,* id est in hominem istum. An tamen fuerit ibi præcise legio, videlicet sex millia sexcenti sexaginta sex, in- D
certum putatur.

31 *Et rogabant eum,* scilicet Christum, uno illorum loquente forsan pro omnibus, *ne imperaret illis ut in abyssum irent,* id est in profundum inferni aut pelagi. Unde in
Marc. V, 10. Marco habetur : Rogabant eum ne expelleret eos extra regionem. Optabant equidem inter homines seu apud eos manere, non ex amore, sed odio, ut nocerent. Abyssus variis modis accipitur in Scripturis : primo, pro magni maris immensurabili profunditate ac mole, secundum illud Genesis, Rupti sunt fontes abyssi magnæ; se- Gen. VII, 11.
cundo, pro infernalis ergastuli profundissima vastitate; tertio, pro informi materia, ut rursus, Tenebræ erant super faciem Ibid. I, 2.
abyssi; quarto, pro humanæ mentis inscrutabilitate; quinto, pro divinæ dispositionis incomprehensibilitate, juxta illud in Psalmo, Judicia tua abyssus multa. Maxime Ps. XXXV, 7.
autem metuebant hi dæmones ad inferni profunda jactari : ad quæ tamen se noverant tandem Christi virtute mergendos, saltem in die judicii, juxta illud Isaiæ : In Is. XXIV, 21, 22.
die illo visitabit Dominus super militiam cœli in excelso, id est aerias potestates et contrarias fortitudines, et super reges terræ; et congregabuntur congregatione unius fascis in lacum, et claudentur ibi in carcere.

Erat autem ibi grex porcorum multo- 32
rum, scilicet duorum millium, secundum Marc. V, 13.
Marcum, *pascentium,* id est, alimentum sumentium, *in monte.* Nec obstat quod Marcus ait, Circa montem. In tanta enim Ibid. 11.
porcorum multitudine constat quosdam eorum prope montem, quosdam super montem ivisse. *Et rogabant eum,* non ex humilitate, sed coacta subjectione et majoris tormenti formidine, *ut permitteret eis in illos ingredi.* Ex quo patet, quod sine divina permissione, rationali creaturæ nil facere prævalent seu nocere, quando et brutis nocere non queunt, nisi permissi a Deo. Unde, ut patet in Job, nec substantiæ Job I, 9-12; II, 4-6.
atque familiæ sancti Job, nec ipsi beato Job aliquid poterant mali inferre, nisi desuper licentiati. Sed, cur petierunt in porcos intrare? Ad quod una responsio est, quia porci juxta hunc locum fuerunt, et ut graviorem evaderent pœnam, velut si reus igne necandus gladium petat; item, quia per porcos signantur luxuriosi, in quibus dæmones libenter morantur. Aliqui insuper dicunt, quod tantus sit dæmonum rancor in homines, quod et jumentis et ceteris rebus eorum optant nocere.

Et permisit illis ingredi in porcos, non propter dæmonum preces, qui indigni sunt

exaudiri, sed ob alias rationabiles causas. A
Primo, ut ostenderetur dignitas rationalis
creaturæ super irrationales, dum ob unius
viri curationem permittitur tanta bruto-
rum suffocari pluralitas. Secundo, ut oc-
casione occisionis porcorum, istud mira-
culum eminentius divulgaretur ad gloriam
Dei, ædificationemque hominum. Tertio,
ut dæmonum crudelitas plenius pandere-
tur. Et forte etiam propter peccata homi-
num illorum, permisit porcos eorum occi-
33 di. *Exierunt ergo dæmonia ab homine, et*
intraverunt in porcos ; et impetu abiit B
grex porcorum a dæmonibus agitatus, *per*
præceps, id est valde præcipitanter atque
celerrime, *in stagnum,* hoc est mare Ge-
nesareth, *et suffocatus est* in aquis. In quo
facto dæmonum patet crudelitas.

34 *Quod ut viderunt factum qui pascebant,*
scilicet porcorum custodes, *fugerunt,* ne
damnum porcorum eis imputaretur, et ex
timore ne et ipsi a dæmonibus impeteren-
tur. Tam horrendum quoque insolitum-
que negotium eos in fugam convertit, ne
simile quid eis in corpore eveniret. *Et* C
nuntiaverunt in civitatem Gerasa, *et in*
villas, id est in locis ubi habitabant ad
35 quos porci spectabant. *Exierunt autem*
habitatores urbis prædictæ atque villarum,
videre quod factum est. Naturale etenim
est hominibus nova et mira atque insolita
libenter videre, nec sufficit eis illa audis-
se. Homo enim est animal admirativum,
naturaliter scire desiderans. *Et venerunt*
ad Jesum, quem perceperunt mirabilium
horum factorem, *et invenerunt hominem*
sedentem, a quo dæmonia exierant, vesti- D
tum ac sana mente ad pedes ejus, tan-
quam humiliter gratias referentem, discere
cupientem, et Christo de cetero adhærere
optantem ; *et timuerunt :* eodem modo et
vers. 25. causis eisdem, sicut paulo ante dictum
est, expavisse eos qui fuerunt cum Jesu
in navi, quum ad imperium Christi mare
et ventus protinus obedissent.

36 *Nuntiaverunt autem illis,* de urbe præ-
fata et villis ita advenientibus, *qui vide-*
rant, quomodo sanus factus est a legione,
id est, qui cum Christo præsentes erant
quando obsessum a dæmonum legione cu-
ravit. Hi, inquam, narraverunt illis qualiter
Christus dæmoniacum liberavit, quia de
pastorum affirmatione forsan contenti non
erant, sed ab eis damnum intendebant exi-
gere, sicut Laban a Jacob ; sed isti excusa- *Gen.* XXXI, 39.
verunt pastores. *Et rogaverunt illum,* vi- 37
delicet Jesum, *omnis multitudo regionis*
Gerasenorum, id est magna pars : et forte
principales gentis illius, juxta quem mo-
dum loquendi dicitur civitas aliquid face-
re, quia principales personæ ipsius hoc
faciunt ; *ut discederet ab ipsis.* Cujus pre-
cis subjungitur causa : *quia timore ma-*
gno tenebantur, id est, grandi terrore com-
prehensi fuerunt, secundum modum de
exsistentibus in navi cum Christo præta- vers. 25.
ctum. Ideoque rogabant ut ab eis disce-
deret, vel quia ejus præsentia se considera-
bant indignos, vel quia similia aut majora
damna timebant, si apud eos diutius mo-
raretur, aut plures curaret. Sed miseri isti
et imbecilles, fontem salutis a se depreca-
bantur abire, cujus instructione eatenus
indigebant : et hoc, quare ? nisi quia eum
non noverant, et vera in spiritualibus dis-
cretione carebant, et ad terrena magis
quam ad cœlestia ac spiritualia afficie-
bantur.

Ipse autem ascendens navim reversus
est ad loca et populum Judæorum, ad quos
primo ac specialiter missus fuit a Patre. *Matth.* XV, 24.
Itaque infirmos quibus se oneri esse con-
spexit, ex probitate sua reliquit, prædica-
toribus dans exemplum, ut quum viderint
se in uno non proficere loco, migrent ad
alios, ne ex eorum importunitate aliqui de-
teriorentur. Propter quod in Ecclesiastico
scriptum est : Ubi non est auditus, non *Eccli.* XXXII, 6.
effundas sermonem. Et iterum ait Scriptu-
ra : In auribus insipientium ne loquaris, *Prov.* XXIII, 9.
ne despiciant doctrinam eloquii tui ; item-
que, Quasi cum dormiente loquitur, qui *Eccli.* XXII, 9, 8.
narrat verbum auri non audienti.

Et rogabat illum, id est Jesum, *is a quo* 38
dæmonia exierant, ut cum eo esset, id est,
ut permitteret se cum ipso transire, et se

in discipulum acceptaret : quod ideo flagitavit, ne elongatus a Christo, rursus a dæmonibus comprehenderetur, et ut Christi doctrina plenius instrueretur. Sed et specialem concepit dilectionis affectum ad Christum pro beneficiis tantis, atque in ejus præsentia, efficientia et eloquentia de-
Ps. XLIV, 3. lectabatur, quia speciosus forma fuit præ filiis hominum, diffusaque exstitit gratia in labiis ejus. Ideo ei de cetero inseparabiliter adhærere, corporaliterque optavit adesse : in quo utique rationabiliter movebatur. Sed rationabilius fuit, quod Christus ei commisit, ut subditur. *Dimisit autem eum Jesus,* hoc est, a se redire præcepit, et ad propria reverti injunxit, *di-*
39 *cens : Redi in domum tuam* materialem,
seu ad tuam cognationem, *et narra quanta tibi fecit Deus,* id est, beneficia tibi a Deo collata cunctis tuis denuntia ad gloriam Dei, et ad conversionem illorum.

Circa præinducta aliquæ quæstiones occurrunt. Primo, cur Christus huic præcepit prædicare mirabilia in ipso patrata,
Matth. VIII, 4; IX, 30; *Marc.* V, 43. quum aliis a se curatis tacere mandaverit? Secundo, cur hunc ad suum discipulatum non sumpsit? Ad primum dicendum, quod Christus huic præcepit miracula sua narrare, et aliis inde tacere, quia sæpe ex humilitate celanda sunt talia, sæpe autem ex caritate Dei et proximi sunt pandenda. Ideo quoque jussit huic ista narrare, quoniam regio illa fuit veri Dei cultu et cognitione privata. Et Christus recessit ab eis, ideo quasi vicarium prædicatorem ipsis reliquit. Insuper, quoniam Christus dando humilitatis exemplum, dixit sanato, Narra quanta tibi fecit Deus, non, Quanta tibi ego feci : ideo quando ad Patrem retorquet miraculum, dicit, Narra; quando vero loquitur de se ipso, hortatur tacere. Ex his claret responsio ad secundum. Ad quod tamen quidam respondent, quia discipulis Christum sequentibus contulit Christus po-
Luc. IX, 1. testatem faciendi miracula, ut infra habetur. Si autem iste post suam curationem fecisset miracula, potuissent malitiosi, et etiam simplices homines, æstimasse quod talia cooperatione dæmonum faceret, sicque et jam ceterorum discipulorum prodigia diffamata forte fuissent. Et ex hoc consuetum esse dicunt in Ecclesia, ut dæmoniaci et furiosi, quamvis curati sint, non tamen ad ecclesiastica promoventur officia.

Deinde describitur obedientia hujus curati. *Et abiit per universam civitatem,* hoc est per totam urbem de qua fuit, vel per omnem urbem regionis præfatæ, *prædicans quanta illi fecisset Jesus.* Jesus autem præcepit ei prædicare quanta sibi fecisset Deus ; sed iste prædicavit quanta sibi fecisset Jesus, quoniam opera Jesu credebat divina potestate peracta, vel, ut aliqui dicunt, jam ex illuminatione superna credidit Jesum esse Deum.

Præterea oritur quæstio, cur Lucas non nisi unum dæmoniacum narret a Christo in loco jam dicto curatum, quum Matthæus asserat duos simul ibidem a Christo curatos. *Matth.* VIII, 28. Ad quod sancti patres respondent, quod unus illorum fuit celebrior, aut magis insanus ; sed et numerus major non excludit minorem, neque econtra, quando absolute exprimitur : ideo inter Evangelistas nulla exstat discordia. — Præterea, circa verba diaboli quibus superius ait, Quid mihi et tibi, Jesu Fili Dei altissimi? posset inquiri, qualem de Christo notitiam habebat diabolus. Ad quod plene responsum est supra. *Luc.* IV, 34.

Juxta intelligentiam spiritualem, per dæmoniacum istum ferocissimum et furiosissimum, intelligi potest quilibet peccator in vitiis obduratus, sine verecundia peccans, qui etsi verba Dei multoties audiat, se tamen emendare non acquiescit. Qui talis est, obsessus fuit a dæmonum turba, quia quot mortalibus vitiis sordidatur, quasi a tot malignis spiritibus possidetur, qui ei spiritualem sensum atque salubrem rationis usum miserabiliter abstulerunt : ita quod propria suæ mentis vulnera non sentit, nec sibi indicari permittit, imo ipsum curare cupientibus indignatur; nec in his quæ ad suam spectant salutem, rectum

sortitur judicium, sed vere dulcia censet amara, et tenebras luci præponit. Denique vestimentis non utitur, quoniam anima ejus, Dei gratia, donis atque virtutibus non ornatur. Nec manet in domo, hoc est in thalamo conscientiæ suæ, nec in ecclesiasticæ unitatis obedientia salutari; sed in monumentis, hoc est vitiorum spurcitiis, et in corpore suo mortali, vili ac fœtido,
Ps. v, 11. juxta illud : Sepulcrum patens est guttur eorum. Vinciebatur quoque catenis atque compedibus, id est, vitiosis habitibus, atque pravissimis consuetudinibus, velut dæmonum laqueis, irretitus fuit et involutus, quemadmodum in Proverbiis scriptum
Prov. v, 22. est : Iniquitates suæ capient impium, et funibus peccatorum suorum constringetur. Sed et ruptis vinculis, hoc est pravis habitibus in actum erumpentibus, agitur in deserto, id est, per latissima vitiorum discurrit itinera, et a nemine vult domari.

Catenæ quoque et compedes intelligi possunt præcepta legis naturalis et evangelicæ, quibus anima hominis bene ligatur, ne ad vitia derivetur. Sed impius, quamvis animæ ejus hæc proponantur aut constent, nihilo minus ea dirumpit, spernit, et prævaricatur, quemadmodum per
Jer. II, 20. Jeremiam Dominus ait plebi rebelli : A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti, Non serviam. Talis quoque præcipue fuit populus gentilis, antequam per Christi Apostolos converteretur ad legis evangelicæ æquitatem. Unde Augustinus et alii multi, per terram Gerasenorum intelligunt omnem regionem gentilium, et per dæmoniacum istum, populum illum. Sicque per hoc quod Christus post maris transfretationem, in navi dormitionem, et suscitationem, ingressus est Gerasenorum provinciam, figuratur quod post conversationem suam in sæculo isto, de quo ait, Veni in altitudinem maris, post *Ps.* LXVIII, 3.
dormitionem suam in cruce ac monumento, et resurrectionem, introivit terras gentilium, mittendo ad illos Apostolos suos, et mentes eorum ingrediendo per fidei et gratiæ infusionem.

Postremo, quamvis homo vitiis obstinatus inconvertibilis videatur, et secundum cursum communem raro hujusmodi emendetur, interdum tamen per omnipotentem Dei clementiam tangitur, compungitur, et salvatur, ita ut virtutibus vestiatur, sanaque mente ad pedes Christi resideat, hoc est, ejus doctrinis fideliter sit intentus, in tantum ut omnes qui viderint, obstupescant. Cui ita converso præcipitur, ut quanta sibi fecerit Deus, proximis suis ad Dei gloriam eorumque ædificationem denuntiet, sicque gratiam sibi concessam aliis pro viribus impertiatur, et dicat : Quid re- *Ps.* CXV, 12.
tribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi ? Ideo Petrus hortatur : Virtutes, I *Petr.* II, 9.
inquiens, annuntietis ejus qui vos vocavit in admirabile lumen suum ; et rursus : Unusquisque sicut accepit gratiam, in al- *Ibid.* IV, 10.
terutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. Unde et Isaias ait : Miserationum Domini re- *Is.* LXIII, 7.
cordabor, laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis Dominus, et quæ largitus est nobis secundum indulgentiam suam.

ARTICULUS XXII

DECLARATIO RESIDUÆ PARTIS HUJUS CAPITULI, AB EO LOCO QUO HABETUR : FACTUM EST AUTEM QUUM REDISSET JESUS, ETC.

CONSEQUENTER in reliqua hujus parte A
capituli recitantur duo præclara Chri-
sti miracula, in quibus, sicut in ceteris
ejus prodigiis, gloriosior ac mirabilior vi-
detur fuisse modus agendi quam opus, sic-
ut patebit : quanquam unum signorum
istorum non nisi divina fieri quiverit po-
40 testate. *Factum est autem quum redisset*
Jesus, a terra Gerasenorum ad Galilæam,
vers. 37. ut præcedenti articulo tactum est, *exce-*
pit illum turba hilariter et devote. Vulgus
enim magis adhæsit Christo, et pauci pri-
matum. Unde et in Joanne Pharisæi lo- B
Joann. VII, 48, 49. quuntur : Numquid aliquis ex principibus
credidit in eum? Sed turba hæc quæ non
novit legem, maledicti sunt. *Erant enim*
omnes exspectantes eum, desiderantes eum
a præfata terra reverti, ut eloquentissimis
ejus sermonibus et præclarissimis signis
instruerentur. Omnes ergo qui erant in
41 turba illa, ipsum præstolabantur. *Et ecce*
venit vir, cui nomen Jairus, et ipse prin-
ceps synagogæ erat.
Marc. V, 21, 22. Eodem ordine quo Lucas, etiam Marcus
recitat istud miraculum. Sed difficultatem C
ad litteram facit, quod Matthæus ait in li-
bro suo, in quo legitur quod Christus a
Matth. IX, 1 *et seq.* terra prædicta rediens, ingressus est civi-
tatem suam, et ibi curavit paralyticum a
quatuor viris allatum. Deinde vocavit Mat-
thæum a telonio ad suum discipulatum.
Ingressusque est domum ipsius, et man-
ducavit cum ipso; et loquente ibidem Chri-
sto, Jairus iste accessit eum. Hinc in libro
de Consensu Evangelistarum asserit Au-
gustinus : Quod adjungit, Et ecce vir cui
nomen Jairus, non continuo factum acci- D
piendum est, sed post illud de convivio
publicanorum, sicut narrat Matthæus; cui
rei sic conjungit hoc, ut non possit aliud
factum consequenter intelligi. Itaque inno-
tescit, quod Evangelistæ non ubique eo-
dem ordine gesta et verba Christi descri-
bunt : sicut in ceteris veteris Testamenti
codicibus, ac libris propheticis frequenter
non observatur ordo temporis in descri-
ptione factorum.

Ponit quoque Lucas nomen viri istius,
propter majorem certitudinem facti : quod
nomen a Matthæo expressum non fuit. Id-
eo Titus ait : Est autem nomen positum,
causa Judæorum qui tunc noverunt quod
accidit, ut ipsum nomen quædam demon-
stratio miraculi fieret. Quocirca notandum
quod Lyra hic ait : Vir iste in Hebræo idio-
mate vocabatur Jair; sed nomina propria
Hebraica, quando transferuntur ad Lati-
num, communiter accipiunt hanc syllabam
us in fine : quemadmodum Jacob in He-
bræo, Jacobus in Latino; et Saul, Saulus;
eodemque modo Jair, Jairus. Denique prin-
ceps fuit synagogæ. Quamvis namque Ju-
dæi non nisi unum templum habuerunt ad
sacrificia offerenda, in singulis tamen ur-
bibus suis quasdam domus habebant, ad
quas causa orationis et lectionis divinæ-
que laudis, certis horis confluebant : quæ
domus vocatæ sunt synagogæ, sicut jam
vocantur ecclesiæ; et qui domibus illis et
ad eas confluentibus præerant, archisyna-
gogi seu principes synagogæ sunt appel-
lati, quorum unus fuit hic Jairus.

Et cecidit ad pedes ejus, scilicet Christi.
In quo patet ipsius humilitas, qua imple-
vit illud in Ecclesiastico scriptum : Quanto *Eccli.* III, 20.
major es, humilia te in omnibus. *Rogans*
eum ut intraret in domum ejus, quia filia 42
unica erat illi fere annorum duodecim, et

hæc moriebatur. Apud Matthæum sic legitur : Matth. ix, 18. Ecce princeps unus accessit, et adoravit eum dicens : Domine, filia mea modo defuncta est ; sed veni, impone manum tuam super eam, et vivet. Porro in Marco Marc. v, 22, 23. sic scribitur : Procidit ad pedes ejus, scilicet Christi, et deprecabatur eum multum, dicens : Quoniam filia mea in extremis est ; sed veni, impone, etc. Itaque Lucas formam orationis archisynagogi hujus non ponit, sed causam cur tam affectuose atque humiliter Christum precatus sit, pandit : et innuit triplicem causam. Prima est, quoniam filia sua moriebatur. Secunda, quia etiam unica filia fuit, ideo magis dilecta, et de ejus morte gravior dolor. Tertia, quia annorum fere duodecim, sicque quasi ad nubiles annos devenit, et magna spes posteritatis suorum fuit parentum : idcirco de ejus morte vehementissime Tob. x, 1-7. tristabatur, sicut et parentes Tobiæ junioris, dum reverti tardabat.

Sed circa hæc oritur quæstio. Quomodo Matthæus dicat patrem puellæ dixisse ad Matth. ix, 18. Christum, Filia mea modo defuncta est, Marc. v, 23. quum Marcus asserat eum locutum, Filia mea in extremis est ? Ad quod patet solutio ex eo quod Lucas hic loquitur, dicens quod moriebatur. Quo constat, quod Jairo a filia sua recedente ut veniret ad Jesum, filia illa agonizabat, et ad mortem se cœpit disponere. Ideo Jairus, quum ad Christum devenit, probabiliter æstimavit quod mortua esset ; mortuamque asseruit, juxta modum loquendi, quo aliquid dicitur factum, quum pene jam factum, vel certum est, quod protinus fiet : quemadmodum illum mortuum affirmamus, quem scimus mox moriturum. Aliam demum solutionem Matth. ix, 18. posui super Matthæum.

Et contigit, dum iret Christus cum Jairo, cujus precibus acquievit, quia dolori et necessitati ejus condoluit. Jairus quoque fideliter atque humiliter Christum fuerat deprecatus, quanquam fides ejus non fuerit ita perfecta ut centurionis ; nec Christi divinitatem cognovit, quoniam corporalem ejus præsentiam ad suscitationem A filiæ putavit necessariam, ut ex verbis Matthæi et Marci probatur. Nec tamen ob hoc judicandus est infideliter accessisse. Nondum enim ad tam explicitam fidem de Jesu obligabatur. Præterea contuendum, quomodo ea quæ apud mundum sunt eminentiora, apud Christum frequenter sunt viliora seu minus curantur. Nam rogatus a regulo, ut descenderet ad domum ejus Joann. iv, 46-50. pro sanando filio ejus, non acquievit descendere, quamvis rogatus ; ad Jairi autem filiam rogatus accessit ; ad servum vero B centurionis etiam non rogatus venire Matth. viii, 5-7. voluit. Et contigit dum iret, *a turba comprimebatur :* quia non solum discipuli, sed et turba copiosa, secundum Marcum, ibat Marc. v, 24. cum Christo. Sperabant nempe gloriosum videre miraculum.

43 *Et mulier quædam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim,* id est, per duodecim annos certis horis sanguinis fluxum sustinuit. *Quæ in medicos erogaverat omnem substantiam suam,* id est omnes divitias, *nec ab illis potuit curari,* vel quia natura- C liter incurabilis fuit, aut valde difficulter curabilis. Frequenter etiam pluralitas medicorum periculosa est, quia sæpe sibi invicem in pluribus contradicunt, et se mutuo in sanatione ægroti impediunt, atque circa particularia faciliter errant, Hypocrate dicente : Vita brevis, ars longa, experimentum fallax, judiciumque difficile. Ex quo videtur, quod mulier ista non fuit Martha soror Mariæ Magdalene, quamvis quidam hoc dixerint. Martha enim usque ad Christi passionem exstitit opulenta : D aliter eum et ejus discipulos tam liberaliter non hospitasset ac aluisset. Et ipsa post Spiritus Sancti missionem legitur suas vendidisse divitias, atque ad pedes Apostolorum pretium posuisse.

Verius ergo putatur quod in Ecclesiastica historia scribit Eusebius Cæsariensis, quod mulier hæc fuit civis Cæsareæ Philippi. Ait ergo septimo libro præfatæ Historiæ : Mulierem quam sanguinis profluvio laborantem a Salvatore curatam tradiderunt Evangelistæ, Cæsareæ Philippi constat ci-

vem fuisse ; et præ foribus domus illius, A basis quædam in loco evidentiore collocata monstratur, in qua ærea imago videtur mulieris illius, quasi genibus provolutæ, et pro sanitate palmas suppliciter protendentis. Adstat vero et alia statua ære fusa, videlicet Christi imago stola circumdata, et dexteram porrigens mulieri. Atque ad pedem statuæ hujus quædam nova specie nascitur herba, quæ quum exorta fuerit, excrescere usque ad stolæ illius fimbriam solet : quam quum herba vertice suo crescens contigerit, vires inde ad depellendos B omnes morbos languoresque conquirit, ita ut quæcumque fuerit illa infirmitas corporalis, haustu exiguo madefacti germinis depellatur. Quæ herba nil virium habet, si antequam æreæ fimbriæ summitatem tetigerit, dirumpatur. Hanc statuam ad similitudinem vultus Jesu formatam tradebant : quæ permansit usque ad tempora ista, sicut nos ipsi oculis nostris inspeximus. Præfatos quoque insignes triumphos beneficii sibi a Christo collati, statuit ipsa hæc mulier in memoriam rei gestæ. C

Præterea diuturnitatem, incurabilitatem, et sumptuositatem præfatæ infirmitatis Evangelista tam vigilanter expressit, ut mox describendum miraculum demonstretur magis præclarum.

44 *Accessit retro,* ex pudore et humilitate, et quia occulte voluit tangere. Secundum
Lev. xv, 25. legem quoque fuit immunda. *Et tetigit fimbriam vestimenti ejus.* Circa hoc aliqui dicunt, quod Christus portavit vestimentum secundum consuetudinem Judæorum :
Num. xv, 38, 39. quemadmodum in Numeris Deus legitur D filiis Israel præcepisse, ut facerent sibi quatuor fimbrias, per quatuor angulos palliorum, in quibus ponerent vittas hyacinthinas, quas intuendo recordarentur omnium præceptorum Dei. Hoc ad cærimonialia pertinebat præcepta, et observabatur a Christo, sicut et alia quædam cærimonialia jussa. *Et confestim stetit fluxus sanguinis ejus.* Cum magna enim devotione
Matth. ix, 21. et fide tetigit vestem Christi, quia ut ait Matthæus, dicebat intra se : Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero. Tantam etenim credidit sanctitatem ac potestatem inesse Christo, ut redundaret et diffunderetur usque ad vestimenta ipsius, sicque illa essent instrumentum curandi, in quantum fuerint indumenta Christi.

Et ait Jesus : Quis est qui me tetigit? hoc 45
est, quæ persona taliter me tetigit? Non ex ignorantia quærit, nec de qualicumque tactu quæsivit, quum a pluribus non solum tangeretur, sed etiam comprimeretur ; sed quærit, ut ex mulieris humili confessione turba ædificetur, et Jairus in fide et spe roboretur, ipsaque mulier meritum sortiatur, et Deus ab omnibus glorificetur. *Negantibus autem omnibus,* quod eum tetigissent. Sed quomodo omnes negare hoc poterant, quum plures tetigerint eum? Et respondendum, quod omnes, hoc est quidam de omnibus, id negabant, ut sit distributio pro generibus singulorum, non pro singulis generum. *Dixit Petrus, et qui cum illo erant,* puta Apostoli, inter quos Petrus eminebat, idcirco pro omnibus loquebatur : *Præceptor.* Ideo Christum præceptorem vocavit, quia videbat quod tam imperialiter mirabilia perpetrabat, et quia dignum putavit ut Christo omnes parerent; item quia præsertim discipulorum suorum magister fuit ac Dominus. Magistri autem præceptores dici consueverunt. Unde et Alexander Aristotelem sæpe præceptorem appellat in epistolis quas ei direxit. *Turbæ te comprimunt et affligunt,* hoc est, comprimendo corporalem quamdam tibi inferunt pœnam (quia a turba sic premi pœnale est), *et dicis, Quis me tetigit?* quasi dicat : Mirum quod hoc quæris. Petrus enim putavit de solito simplicique contactu quærere Christum. Sed Christus de singulari quodam tactu ex fidei magnitudine prodeunte se sciscitari insinuans, repetit quæstionem, ejusque causam annectit. Nam subditur :

Et dixit Jesus : Tetigit me aliquis, hoc 46
est aliqua persona : non enim a viro se tactum declarare intendit; *nam et ego novi virtutem de me exisse.* Hoc dupliciter

explanatur, quia per virtutem intelligi po-
test miraculosus iste effectus curationis,
itemque virtus activa hujus effectus, quæ
exivit, id est, in opus processit, seque dif-
fudit. Nec mirum si a Christo virtus illa
a Christi divinitate tanquam sanativa pro-
cessit, quum gemmæ et herbæ nonnullæ
suo queant tactu curare. Porro virtus illa
a Christi divinitate, tanquam a causa pri-
ma et principali, egressa est, et ab ejus
humanitate, tanquam a causa secundaria
instrumentali : quia humanitas Christi fuit
suæ divinitatis instrumentum animatum,
conjunctum, immediatum, ac proprium,
sicut et corpus nostrum est animæ nostræ
instrumentum. Supraque jam habitum est,
Luc. VI, 19. quod omnis turba quærebat eum tange-
re, quia virtus exibat de eo, et sanabat
omnes.

47 *Videns autem mulier,* ex Christi repe-
tita inquisitione, et assertione qua dixit,
Novi virtutem de me exisse, atque ex
vultus sui dispositione, *quia non latuit
eum,* scilicet Christum sua curatio : quo
patet, quod mulier hæc imperfectam co-
gnitionem habebat de Christo, putans eum
occulta nescire ; *tremens venit :* quia tan-
tus fuit timor interior, quod redundavit
in corpus, et tremorem causavit in eo. For-
sitan autem timuit increpari a Christo,
Lev. XV, 25. quod contra communem legem ipsa im-
munda ausa fuisset contingere ipsum. *Et
procidit ante pedes ejus* ex humilitate, et
quasi gratias agens, ac veniam postulans,
si eum in aliquo offendisset ; *et ob quam
causam tetigerit eum, indicavit coram om-
ni populo* qui adstabat, *et quemadmodum
confestim sanata sit.* Hoc etenim totum ad
Christi curatoris sui gloriam pertinebat.
48 *At ipse* tanquam indulgentissimus et vere
dulcissimus, *dixit ei : Filia :* quia ut cre-
ditur, de genere Abrahæ fuit, et filia, pro-
pter caritatem Christi paternalem ad eam,
et quia electa a Deo, fidei quoque ac gra-
tiæ particeps ; *fides tua te salvam fecit,*
hoc est, per fidem tuam caritate formatam
meruisti curari, imo et mente, si quas cul-
pas habebas, sanari. Christus enim quos

A corporaliter curavit, spiritualiter quoque
fertur sanasse. *Vade in pace,* hoc est, esto
secura, et in mentis tranquillitate Deo gra-
tias age ac permane.

Juxta mysticum sensum, per feminam
sanguine duodecim annis fluentem, intel-
ligi potest quælibet anima vitiorum insta-
bilitate disperiens, et præsertim, quæ car-
nalium concupiscentiarum operibus fœtet,
squalet et tabescit. Talis anima sæpe se
emendare concupit ac molitur ; sed desi-
deriorum, voluptatumque vehementia re-
B tardatur ac vincitur. Ideo medicos consulit,
id est, homines spirituales et prædicatores
pro se orare precatur, atque ut faciant hoc,
exteriora sua eis largitur. A quibus quum
se curari non posse advertit, eo quod in
peccandi persistat affectu, sicque obicem
ponat exauditioni precis illorum ; tunc re-
tro accedit ad fimbriam vestis Christi, hoc
est, personaliter manum ponit ad aratrum,
et Christi molitur sequi vestigia, humili-
ando se ipsam, et opera pietatis ac pœniten-
tiæ aggrediendo. Sicque tangendo fimbriam
C vestis Christi sanatur, hoc est, sacramen-
ta Salvatoris (sub quibus Christus seu gra-
tia ejus tegitur et consistit) sumendo, a
culpis curatur.

Adhuc eo loquente, hoc est Christo hæc 49
verba ad mulierem præfatam loquente,
*venit quidam ad principem synogogæ, di-
cens ei : Quia,* hoc est quod, *mortua est
filia tua, noli* ultra *vexare illum.* Marcus
autem sic ait : Adhuc eo loquente, vene- *Marc.* V, 35.
runt nuntii ad archisynagogum dicentes :
Quia filia tua mortua est ; quid ultra vexas
D Magistrum ? Sed non est inter beatissimos
Evangelistas dissonantia ulla, quum non
solum in sacra Scriptura, sed et in com-
muni usu loquendi frequenter numerus
singularis pro plurali ponatur, et econtra :
sed et numerus minor non excludit ma-
jorem, imo et major includit minorem.
Insuper patet ex verbis his, filiam nondum
fuisse defunctam quando pater ejus re-
cessit ab ea ad Christum. Nuntius quoque
de quo recitat Lucas, aliquid boni vide-
batur prætendere, quia nolebat Christum

frustra vexari, id est eundo ad domum Jairi fatigari ; sed erravit dupliciter : primo, quia putabat Jesum suscitare non posse defunctam ; secundo, quia putabat Christum more aliorum de necessitate fatigari in transeundo, quum tamen voluntate ejus hoc fieret, piaque dispensatione ac dignatione, ut veritatem in se humanitatis monstraret, et suis fatigationibus atque laboribus gratiam nobis multiplicem mereretur. Præterea, Christo molestum non fuit misericordiam impertiri, quum proprium sit ei misereri et parcere : imo justitiæ rigorem ultionemque exercere, sibi quasi molestum esse insinuat, dicendo per Isa-
Is. I, 24. iam, Heu ! ego consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis. Alienum quippe et peregrinum est opus istud ab eo, qui naturaliter bonus et pius est ; et ex nostra perversitate hoc efficit, ut apud Isaiam habetur.

50 *Jesus autem audito hoc verbo* nuntii
* *respondit* præinducti, *dixit* patri puellæ,* eum piissime consolando, atque in fide et spe roborando : *Noli timere,* quod defunctam suscitare non queam ; *crede tantum,* non respiciendo ad naturalium cursum ordinemque causarum, secundum quas impossibile est mortuum suscitare, *et salva erit,* hoc est, a morte redibit ad vitam et sanitatem. Quo patet, quam securus fuerat Christus de miraculo a se perpetrando.

51 *Et quum venisset ad* Jairi *domum, non permisit intrare* locum ubi puella jacebat defuncta, *secum quemquam, nisi Petrum et Joannem et Jacobum* fratrem ejus. Hos enim Christus fecit sibi familiariores et
Matth. XVII, 1. ceteris eminentes : unde transfigurationi
Ibid. XXVI, 37. ejus interfuerunt, et passione instante assumpsit eos, cœpitque coram eis pavere ac contristari. Tres quoque suffecerant ad testimonium de miraculo perhibendum,
Deut. XIX, 15. quemadmodum ait Scriptura : In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum. Insuper turbam et ceteros discipulos a suscitatione puellæ intuenda removendo, docuit nos vanam gloriam fugere, et propter ostentationem nil agere, præsertim in supernaturalibus factis. Permisit etiam secum intrare *patrem et matrem puellæ,* quia ad patris ejus instantiam fecit hoc signum, et puella ad suos parentes præcipue pertinebat.

Flebant autem omnes qui erant in Jairi 52
domo, *et plangebant illam,* id est, mortem defunctæ corde et oculis deplorabant. Erant etiam ibi, secundum Matthæum, tibicines, hoc est quædam personæ lugubre *Matth.* IX, 23.
carmen canentes, ut alios provocarent ad compassionem et fletum, sicut tunc moris fuit in funeribus Judæorum. *At ille dixit: Nolite flere,* hoc est immoderate propter mortem puellæ plorare, quasi mox resuscitanda non sit. Sic et Apostolus Thessalonicensibus scribit : Nolumus vos ignora- I *Thess.* IV, 12.
re de dormientibus, ut non contristemini sicut ceteri qui spem non habent. Non autem prohibet Christus piam ac moderatam mortuorum carorum deplorationem, quum in Ecclesiastico legatur, Luctus mor- *Eccli.* XXII, 13.
tui septem dies ; sed talis ploratio non debet excessiva consistere, præsertim quia mortuus naturaliter revocari non potest ad vitam : idcirco homo consolari debet se ipsum, et considerare quod plorando nil proficit. In inevitabilibus quoque damnis, periculis, atque defectibus, præcipuum remedium mœstitiæque solamen exstat oblivio. Hinc David ait : Propter infantem dum II *Reg.* XII, 22, 23.
adhuc viveret, jejunavi et flevi; nunc autem quia mortuus est, quare jejuno? Numquid potero eum revocare ? Ego vadam magis ad eum, ille vero non revertetur ad me. Verumtamen variæ sunt causæ cur mortui magis aut minus sint deplorandi : aut quia imparati sublati sunt, aut quia ex eorum morte aliis periculum imminet. *Non est enim mortua puella, sed dormit.* Per hoc negare non voluit, puellam illam vere esse defunctam morte naturæ ; sed dicere intendebat, quod per respectum ad se non esset penitus mortua, sed potius similis dormienti, quia facilius potuit eam revocare ad vitam, quam aliquis nostrum valeat dormientem suscitare a somno.

Et deridebant eum, non parentes puel- 53

læ, sed tumultuans turba exsistens in domo, *scientes quia mortua esset;* sed non intelligebant altitudinem sensus verborum *Joann.* XIV, 6. Christi, et eum qui essentialiter veritas est, mentiri putabant : et forsitan irridebant, quod se ad suscitationem defunctæ præberet, qui tanto falleretur errore. Denique frequenter legitur Christus a reprobis improbisque irrisus, nec tamen ob hoc a suæ efficientia pietatis cessavit. Non igitur ægre feramus, si a quibuscumque irrideamur, nec ob illorum irrisiones a bono inchoato cessemus. Sed nec ipsos irrisores nostros temerarie judicemus, nec nobismetipsis inaniter placeamus, si esse cupimus discipuli Salvatoris. Etenim qui I *Joann.* II, 6. se dicit in Christo manere, debet sicut ambulavit, et ipse ambulare. Et Paulus ait : *Rom.* XV, 1. Debemus nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere. Hinc loquitur Augustinus : Omnes qui volunt in Christo pie vivere, necesse est ut ab impiis et dissimilibus patiantur tanquam insani et stulti, quoniam ipsi justi præsentia bona amittunt, et invisibilia ac futura perquirunt. Postremo, irrisores il- *Prov.* XIX, 29. lud Salomonis perpendant : Parata sunt derisoribus judicia, et mallei percutientes stultorum corporibus.

54 *Ipse autem tenens manum ejus, clamavit dicens : Puella, surge.* Poterat utique eam resuscitare sine contactu atque clamore; sed manu sua manum illius apprehendit, ad ostendendum quod interior sua potestas interiora puellæ vivificaret, et quod corpus suum divinitatis exsisteret instrumentum. Imo, sicut juxta Philosophum, manus est organum organorum, ita secundum Augustinum, verbum est signum signorum. Propter quod Christus clamorem adhibuit : quod et ideo egit, ut magnitudinem demonstraret miraculi, atque ad excludendum omnem maleficii suspicionem occulti; itemque ad ostendendum longam illam distantiam qua anima puellæ distabat a corpore ejus. Anima enim illius, vel in purgatorio fuit, si pro venialibus non satisfecit; vel in limbo patrum, si satisfecit; vel in inferno, si in mortali peccato defuncta est : quod tamen non reor. Sed quia, quum hæc Christus clamavit, non erat puella, sed corpus exanime, cur dixit Salvator, Puella, surge? Ad quod faciliter respondetur, quod hic ponitur pars pro toto, sicut Joannis nonodecimo : Ibi, videlicet in sepulcro, posuerunt Jesum. *Joann.* XIX, 42.

Et reversus est spiritus, hoc est anima 55 *ejus,* quæ est spiritualis natura. Reversus est, inquam, ab occulto receptaculo suo ad corpus exanime, Christo jubente, et angelo sancto (ut creditur) reducente. *Et surrexit continuo.* In quo patet, quam potenter, imperiose, et gloriosissime operatus sit tantum miraculum. Neque enim orationem fudisse describitur, et adhuc sonus verborum ejus resultabat in aere, quando effectus tam miraculosus, soli divinæ potestati possibilis, est secutus. Recolamus quomodo in veteri Testamento Elias et Eliseus mortuos suscitaverunt, orando, et III *Reg.* XVII, 19-21; IV *Reg.* IV, 33, 34. super defunctos incumbendo frequenter : tuncque certius cognoscemus excellentiam personæ et operum Christi super illos, et super signa eorum. *Et jussit illi dare manducare,* ad comprobandum quod vere suscitata fuisset : sicut et Christus post resurrectionem suam apparens discipulis, et de resurrectionis suæ veritate ambiguis, Habetis, inquit, hic aliquid quod mandu- *Luc.* XXIV, 41. cetur? Marcus quoque testatur, quod pu- *Marc.* V, 42. ella protinus ambulavit.

Et stupuerunt parentes ejus, stupore 56 maximo, secundum Marcum, præ admira- *Ibidem.* tione tanti miraculi tam repente imperialiterque exhibiti; *quibus præcepit ne alicui dicerent quod factum erat.* Hoc Christus præcepit, non quia putavit tantum miraculum debere celari, sed ut nos humilitatem amare, vanitatem et ostentationem vitare doceret. Itaque, Christi exemplo laudem humanam jactantiamque spernamus. Unde Græcus ait : Præcepit ne alicui dicerent, ostendens quod ipse largitor bonorum est, non gloriæ cupidus, datque totum, nihil recipiens; qui vero venatur operum

gloriam, aliquid exhibet, et aliquid recipit. Postremo, licet Christus præceperit miraculum istud celari, protinus tamen a turba quæ Christum derisit, et puellam fuisse defunctam cognovit, fuit undique divulgatum, juxta illud Matthæi : Exiit fama hæc in universam terram illam. *Matth.* IX, 26.

Mystice, per archisynagogum prælatus Ecclesiæ designatur : qui si filiam, id est congregationem suam sibi commissam, viderit vel spiritualiter mortuam per peccata mortalia, aut morti tali jam proximam per dispositionem ad vitia, statim cum sollicitudine et fervore accedat ad thronum gratiæ Christi, et in terram prostratus, invocet Christi auxilium. *Hebr.* IV, 16. Si interea sibi denuntietur, Quia mortua est filia tua, id est indurata, incorrigibilisque effecta, non mox desperet, nec Deum cesset fervidissime deprecari pro reformatione illius. Tuncque Christus cernens caritatem, humilitatem, et diligentiam tam boni prælati ac patris, intus consolabitur eum, et a dejiciente ac opprimente timore eum piissime relevabit, atque interius seu per Scripturas vel angelum dicet : Tantummodo crede, et salva erit, id est, de mea gratia non diffidas, sed crede me in infinitum in omni pietate, bonitate, indulgentiaque majorem ac potentiorem, quam alicujus sit aut esse possit impietas : ideo congre-

A gationem aut personam tibi commissam gratiose salvabo, dummodo perseveraveris fideliter pulsans. *Luc.* XI, 8.

Sicque Christus per spiritualem visitationem adveniens, tibicines, id est eos qui congregationem seu personam hujusmodi quasi desperabiliter lapsam deplorant, redarguet, dicens : Nolite sic flere, quia congregatio seu persona non est irreparabiliter mortua, ut damnati morte peccati, sed dormit somno negligentiæ et culparum, ita quod gratia mei, qui omni-

B potens medicus sum, valet curari. Si vero præfati planctores Christum hoc asserentem, id est aliquem ejus vicarium seu ministrum ex parte Christi sic consolantem, derideant, Christus tamen ex sua benignitate immensa porrigit virtutis suæ auxilium spiritualiter mortuis ; atque sublimi clamore, id est fervida exhortatione, per sui ipsius inspirationem internam, per angelicam directionem, per prælatorum prædicationem, per informationem Scripturarum sanctarum, per adversitatum et

C tribulationum inflictiones multiplices, mortuis talibus gratiæ vitam restituit; et spiritualibus eorum parentibus præcipit, ut eis dent manducare panem refectionis mentalis, videlicet sacramentum Eucharistiæ, panem pœnitentialium lacrimarum, panem obedientiæ salutaris.

ARTICULUS XXIII

ELUCIDATIO CAPITULI NONI : CONVOCATIS AUTEM DUODECIM APOSTOLIS, DEDIT ILLIS VIRTUTEM, ETC.

POSTQUAM Salvator Apostolos multipliciter erudivit, atque in fide miraculis roboravit, consequenter ad aliorum informationem dirigit eos ; et ut diligentius audiantur, datur eis supernaturalis potestas ad miracula perpetranda, per quæ etiam se divinitus esse missos confirment.

D *Convocatis autem duodecim Apostolis, dedit illis virtutem, et,* pro id est, *potestatem super omnia dæmonia, et ut languores curarent,* hoc est, vim sanandi morbos contulit illis. Unde quod ait, Virtutem, referri potest ad dæmonum expulsionem ; quod vero subjungit, Et potestatem, ad languo- 1

rum miraculosam curationem. Vel virtus refertur ad vim interiorem; potestas autem, ad potentem exsecutionem. Porro in *Matth.* x, 1. Matthæo plenius scriptum est : Dedit eis potestatem spirituum immundorum, et ut curarent omnem languorem et omnem infirmitatem : ubi per languorem, intelligi potest morbus inveteratus et gravis, difficulter curabilis. Sed hæc omnia exteriora prodigia, sicut et ipsa Apostolorum prædicatio, ad spiritualem animarum curationem ordinabantur, ut ad eam auditores per prædicta inducerentur.

Circa hæc quæritur, qualiter Christus dedit Apostolis præfatam virtutem et potestatem agendi miracula : an scilicet sic, quod in ipsis Apostolis de cetero fuit aliqua vis realis eis inhærens, ad miraculosos effectus causaliter cooperans et concurrens; an potius sic, quod ipse de cetero voluit per Apostolos facere signa, non exsistente in eis aliqua vi præfata. Sed hujus solutio supra inducta est. Art. xiv, in fine.

Denique in hac collatione hujusmodi potestatis, ostendit Christus veritatem et omnipotentiam suæ divinitatis. Facere quippe miracula proprie dicta, naturalem creaturæ facultatem transcendit, secundum illud *Ps.* lxxi, 18. Psalmistæ : Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus. Aliis vero hanc conferre virtutem, prorsus divinum est, Divinitatique proprium. Propter quod ait Cyrillus : Attende hic divinam Filii potestatem, naturæ corruptibili non convenientem. Agere namque miracula aderat Sanctis, non natura, sed Spiritus Sancti participatione; sed hanc etiam aliis concedere potestatem, omnino alienum erat ab eorum virtute. Qualiter enim possit natura creata supra Spiritus Sancti dona habere dominium? At Dominus noster Jesus, tanquam naturaliter Deus exsistens, impertitur gratiam quibus vult, non invocans in eos alienam virtutem, sed infundens ex promptuariis propriis. Hoc itaque constat ex dictis, quod Christo ex parte suæ deitatis competebat hanc potestatem conferre, non ex sua humanitate, nisi instrumentaliter. — Sed his objici posset, quod Elias ascensurus in paradisum, dixit ad Eliseum, Postula quod vis ut faciam tibi, antequam tollar a te; *IV Reg.* ii, 9. Eliseo autem petente ut duplex spiritus Eliæ in se fieret, obtinuit *Ibidem.* quod petivit, Elia (ut apparet) faciente seu dante : et ibidem per spiritum duplicem intelligi solet gratia Spiritus Sancti ad prophetandum, et ad miracula peragenda. Et respondendum, quod Elias non fecit nec dedit Eliseo suum duplicem spiritum, nisi per modum causæ instrumentalis ac meritoriæ, utpote impetrando ipsi a Deo.

Postremo in hac donatione Apostolis facta, vehementer humiliata est altitudo diabolicæ pompæ, dum humilibus, idiotis atque simplicibus illis Apostolis, piscatoribusque egenis, super omnia dæmonia potestas est distributa. Sic plane decuit impios spiritus mortalibus ac corporalibus subjici creaturis, qui Domino majestatis immensæ assimilari volebant.

2 *Et misit illos prædicare regnum Dei,* hoc est, cœlestia bona beatitudinemque æternam hominibus annuntiare, et Deo obedientibus polliceri. Circa quod dicit Chrysostomus : Considera quod non committitur eis aliquid sensibile prædicare, sicut Moyses et Prophetæ bona promittebant terrena; sed regnum cœlorum, et quæcumque continentur in eo. Misit autem illos ad prædicandum combinatos, ut dicit Marcus, *Marc.* vi, 7. *et sanare infirmos* ab infirmitatibus corporis et animæ. Ideo autem prædicationis officio Christus gratiam miraculorum adjecit, ut ostensio miraculorum attestaretur magnitudini promissorum : quia ut ait Hieronymus, hominibus illis rusticanis, et absque eloquii venustate pollicentibus regnum Dei, nemo crederet, nisi signa efficerent, ut fidem daret verbis virtus ostensa, novaque facerent qui nova docebant.

3 *Et ait ad illos : Nihil tuleritis in via,* id est nullum eorum quæ mox specialiter nominabuntur. Quum enim arcta sit via, *Matth.* vii, 14. exonerare se debet viator, præsertim si sequi hunc cupit qui exsultavit ut gigas ad *Ps.* xviii, 6. currendam viam. *Neque virgam.* Idem ha-

Matth. x, 10. betur apud Matthæum, ubi et calceamenta Apostolis prohibentur. — Sed contrariari *Marc.* vi, 8, 9. videtur quod in Marco ait Salvator : Nihil tuleritis in via, nisi virgam tantum; et ut calceati essent sandaliis. Et respondendum, quod secundum Augustinum libro de Consensu Evangelistarum, Christus ad litteram permisit Apostolos virgam portare, ad ostendendum quod victui necessaria eis ab auditoribus deberentur. Consuetudo etenim erat apud Judæos, quod doctores et prædicatores eorum virgam ferebant in manu, in signum doctrinæ, et item in signum quod hi quibus prædicabant, tenerentur eis victualia ministrare. Porro hoc loco et in Matthæo virga metaphorice et spiritualiter sumitur, pro innitentia cordis super quamcumque rem temporalem, ut sit sensus : Neque virgam, id est, non innitamini alicui temporali, sed Deo; juxta illud Isaiæ : *Is.* l, 10. Quis ambulat in tenebris, et non est lumen ei? Speret in nomine Domini, et innitatur super Deum suum. De sandaliis vero dicendum, quod sunt incompleta calceamenta, nec reputantur pro calceis.

Neque peram, id est repositorium victualium, *neque panem,* quanto minus cibaria delicata, *neque pecuniam; neque duas tunicas habeatis,* id est, vestem superfluam non possideatis. Hinc Glossa Bedam sequens, testatur : Simplex vestimentum est, quidquid alicui necessarium est secundum qualitatem loci aut temporis; duplex autem est, quod ultra necessitatem est. Hieronymus quoque ait : Non dicit ut aliquis instante frigore unica tunica contentus esse debeat, sed ut in tunica vestimentum intelligamus : ne alio vestiti, aliud nobis futurorum timore servemus. In quo reprehenduntur, qui parthicas vestiunt, et qui equos onerant mutatoriis vestimentorum. Itaque, secundum Gregorium Nazianzenum, Mittens Christus ad prædicandum discipulos, sic vult eos virtuosos esse, sic constantes atque modestos, et ut breviter loquar, cœlestes, ut non minus propter eorum modum vivendi, quam propter verbum, evangelica propagaretur doctrina. Unde secundum Chrysostomum, quasi ex hominibus angelos fecit eos, jubens eos omni terrenarum rerum sollicitudine ac cupiditate carere, ut sola cura teneantur doctrinæ, et totam spem suam in Deo constituant, menteque libera prædicationi et ceteris actibus vacent divinis.

Sed circa hæc quæritur : Christus namque cœpit facere et docere, cur ergo Apostolis prohibuit ista, quum ipse in prædicando tulerit sacculum, peram, pecuniam, *Act.* i, 1. quorum custodem posuit Judam? Cui quum in Cœna dixisset, Quod facis fac citius, putabant Apostoli quod dixisset ei Jesus, *Joann* xiii, 27,29; xii,6. Eme nobis quæ ad diem festum necessaria sunt, aut ut egenis aliquid daret : nam et loculos habuit, et quæ mittebantur, portavit. Denique in Joanne habetur, quemadmodum discipuli introierunt civitatem *Ibid.* iv, 8. Samaritanorum ut emerent cibos. Et respondendum, quod Christus hæc ex eleemosynis habens, tulit et habuit ea pro communi gregis sui ac egenorum necessitate, non quasi propria privataque bona: dans posteris formam, quod ob totius sustentationem congregationis hæc licite habeantur. Hoc quoque sciendum, quod juxta temporum et locorum ac negotiorum diversitatem et congruentiam, Christus diversa dedit præcepta discipulis. Bis autem misit ad prædicandum discipulos : semel ante passionem, et pro tunc dedit eis præinducta mandata, quia tunc eis satis ab auditoribus præstabatur, quoniam libenter audiebantur ab eis, eo quod non prædicarent tam incomprehensibilia et supernaturalia de Christo sicut post ejus passionem. Quando secundo missi sunt a Christo ad prædicandum, et prædicaverunt supermirabilia de Domino Salvatore, cœperuntque Judæorum ac gentium vitia publice increpare : propter quod a pluribus invite audiebantur, sicut Salvator prædixit, Eritis *Luc.* xxi, 17. odio omnibus hominibus propter nomen meum : ideo tunc permissi sunt secum ferre prædicta. Unde in Cœna Christus ait Apostolis : Quando misi vos sine sacculo *Ibid.* xxii, 35, 36. et pera et calceamentis, numquid aliquid

defuit vobis? Quibus respondentibus, Nihil, adjecit : Sed nunc qui habet sacculum, tollat, id est, secum portet, similiter et peram.

Deinceps Christus docet discipulos unde
4 necessaria habeant. *Et in quamcumque domum intraveritis,* gratia hospitandi, reficiendi, quiescendi ac instruendi, *ibi manete, et inde ne exeatis,* hoc est, eam non totaliter relinquatis, quasi non redituri ad eam, quamdiu vultis in urbe seu villa eadem prædicare : et hoc intelligendum est, nisi rationabilis causa mutandi hospitii eveniret. Et quod ait, In quamcumque domum, non de qualicumque, sed de honesta domo debet intelligi. Propter quod
Matth. x, 11. in Matthæo dicitur : In quamcumque civitatem vel castellum intraveritis, interrogate quis in ea dignus sit, scilicet vestro ingressu, ut sit bonæ famæ atque laudabilis vitæ, ne ex diffamia et vitiis hospitis vestri incurratis infamiam, et alii in vobis scandalizentur, vestramque contemnant doctrinam. Prohibet igitur Christus frequentem et inordinatam hospitii mutationem, levitatis discursum seu gyrovagationem. Hinc ait Ambrosius : Alienum a prædicatore regni cœlestis cursitare per domos, et inviolabilis hospitii jura mutare. Et Cyrillus : Jussit eos in una domo manere, ut nec hospitem gravent, eum videlicet dimittendo, nec ipsi gulositatis et levitatis suspicionem incurrant. Hinc in Ecclesia-
Eccli. xxix, 31. stico scriptum est : Nequam vita hospitandi de domo in domum. Unde, ut mentem nostram valeamus stabilire in Deo, corpus nostrum a discursibus vanis discamus frenare; et qui prædicator est verbi Dei seu pastor ovium Christi, prædicatione et exteriori necessaria seu utili occupatione cessante, ad quietum se tribuat locum, et Deo intentus sit, orando, legendo, providendo et contemplando, imo et se ipsum sagaciter discutiendo, purgando ac perficiendo, ut illic gratiarum charismata sortiatur a Deo, quæ postmodum devotissime proponat atque communicet populo.

5 *Et quicumque non receperint vos,* id
A est, hospitium vobis negaverint, et sermones vestros contempserint; *exeuntes de civitate illa,* id est, dum inde exitis, *etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos,* id est, in testimonium seu signum magnitudinis culpæ ac damnationis illorum, abjicite versus illos pulverem qui pedibus vestris adhæsit, non ex impatientia, sed zelo justitiæ. Excutiendus est itaque pulvis pedum in illos : primo, in testimonium quod usque ad illos devenerint, ita quod illi excusationem non Joann. xv, 22.
B habeant ignorantiæ suæ; secundo, in testimonium perversitatis illorum; tertio, in testimonium quod terrena eorum non quærant; quarto, in testimonium quod eis communicare non velint; quinto, in testimonium futuræ damnationis illorum qua in infernum excutientur.

Præterea, ut elicitur ex prædictis, Christus hoc loco septem prohibet prædicatoribus, pastoribus et prælatis. Primum est pluralitas sarcinarum seu multiplicitas temporalium onerum, quum dicitur, Nihil
C tuleritis in via. Propter quod scribit Apostolus : Omnis qui in agone contendit, ab I Cor. ix, 25.
omnibus se abstinet. Prædicator autem et prælatus, si vere hujusmodi sit, contra peccatores agonizat. Secundum est rigor immoderatus, quum ait, Nec virgam. Tertium est curiositas victus, dum dicit, Neque peram. Quartum est avaritia, quum scribitur, Neque pecuniam. Quintum est vestium superfluitas. Unde ait Apostolus : Haben- I Tim. vi, 8.
tes victum et quibus tegamur, his contenti simus. Sextum est instabilitas, dum ait,
D Ibi manete. Septimum est, non communicare iniquis et induratis, quum subditur, Quicumque non receperint vos.

Deinceps subditur Apostolorum obedi-
entia. *Egressi autem,* id est corporaliter a 6
Christo euntes ad loca præfixa, *circuibant per castella,* per civitates quoque, ut patet Matth. x, 11.
ex verbis Matthæi. Unde patet quod loca minora negligenda non sunt propter habitantium paucitatem, præsertim quum magnum atque præ cunctis mundi opibus desiderabile sit saltem unum convertere.

Evangelizantes, id est, aliis salutaria do- A
cumenta tradentes : non de bonis illorum
se ipsos delicate pascentes, sicut jam mul-
ti qui de lacte lanaque ovium pascunt et
vestiunt semetipsos, quibus tamen non
Ezech. prædicant. Propter quod per Ezechielem
XXXIV, 2 *et seq.* æterna eis damnatio prædicitur. *Et curan-
tes* corpora languida materialiter, et ani-
mas peccatrices spiritualiter, *ubique,* sine
personarum acceptione, puta in omni loco
ad quem directi fuerunt, et ubi ægros cu-
ram optantes repererunt. Sed nunc, proh
dolor ! multi sunt qui se animarum medi- B
cos profitentur, et tamen malis exemplis
occidunt quos spiritualiter sanare tenen-
tur. Porro Marcus hæc Apostolorum gesta
Marc. VI, 12, 13. plenius exprimens : Exeuntes, inquit, præ-
dicabant ut pœnitentiam agerent, et dæ-
monia multa ejiciebant, et ungebant oleo
ægros multos, et sanabantur. Joannes quo-
Joann. IV, 2. que evangelista testatur quod baptizabant.
Et ecce horum tam magnifica operantium
Luc. VI, 16. unus exstitit proditor Judas ! Nullus ergo
præsumat, nec periculosam sibi securita-
tem promittat, sed et dona gratiæ gratum C
facientis, humilitatem, mansuetudinem, pa-
tientiam, magis quam dona gratiæ gratis
datæ, expulsionem dæmonum, efficienti-
am sanitatum, optemus.

7 *Audivit autem Herodes tetrarcha.* Iste est
Herodes Antipas, filius Herodis cujus tem-
pore natus est Christus. Hic vero Herodes
Ibid. III, 1. fuit Galilææ tetrarcha, ut dictum est supra
plenius. *Omnia quæ fiebant ab eo,* id est
præfata miracula Christi, et qualiter disci-
pulos mitteret ad prædicandum atque cu-
randum, et baptizaret per eos. Omnia au- D
tem opera Christi audivit in generali magis
quam in speciali, quanquam multa etiam
in speciali perciperet. Fama etenim Chri-
sti undique fundebatur, quoniam nunquam
in veteri Testamento legitur quisquam tot
perpetrasse miracula, nec discipulis suis
tantam potestatem dedisse. *Et hæsitabat,*
anxie ambigendo de Jesu quis esset. Circa
quod ait Chrysostomus : Peccatores scien-
tes et nescientes quemque strepitum per-
timescunt : peccatum enim nemine argu-
ente hominem prodit, nemine accusante
condemnat, et pigrum ac timidum reddit
delinquentem.

Causa quoque timoris subjungitur. *Eo
quod diceretur a quibusdam : Quia Joan-* 8
nes Baptista *surrexit a mortuis.* Quo audi-
to, expavit Herodes, ne forte plagaretur ab
eo qui tantæ videbatur et erat potentiæ,
sicut quinquagenarii fuerunt ab Elia pla- IV *Reg.* I, 9 *et seq.*
gati. Itaque isti credebant Jesum esse Jo-
annem. Sed constat quod isti non diu aut
nunquam noverunt facialiterque viderunt
Jesum. Si enim ante decollationem Joannis
ipsum novissent, non taliter æstimassent.
— Circa hæc quæritur, quomodo Lucas as-
serat hæsitasse Herodem, quum in Matthæo
et Marco scriptum sit, quod Herodes af-
firmaverit Jesum esse Joannem. Matthæus
nempe ait dixisse Herodem : Hic est Joan- *Matth.* XIV, 2; *Marc.* VI, 14.
nes Baptista ; ipse surrexit a mortuis, et
ideo virtutes operantur in eo. Ad quod Au-
gustinus respondet in libro de Consensu
Evangelistarum, quod Herodes primo hæ-
sitavit propter rumorum varietates ; sed
postea credidit Jesum esse Joannem, sicut
et alii quidam, propter vitæ sanctitatem,
famæ eminentiam, et quia congregavit
multos discipulos, et per Apostolos bapti-
zavit. Hi quoque putabant Joannem post
suam resurrectionem ad potestatem majo-
rem promotum, et ideo jam miracula age-
re, quamvis ante suam decollationem nul-
lum fecerit signum.

A quibusdam vero dicebatur : *Quia Elias
apparuit.* Non dixerunt, Surrexit, sed, Ap-
paruit, quasi de paradiso reversus, scientes
eum non fuisse mortuum, sed translatum. IV *Reg.* II, 11.
Hi ergo putabant Jesum esse Eliam, pro-
pter miraculorum potentiam atque justi-
tiæ zelum. *Ab aliis autem* dicebatur : *Quia
Propheta unus de antiquis,* id est de nu-
mero antiquorum vatum, *surrexit,* putan-
tes Jesum esse aliquem illorum. Multiplex
autem error exstitit in Judæis, et quidam
eorum putabant animas transcorporari. Di-
cit etiam hoc loco Theophilus : Judæi resur-
rectionem mortuorum exspectabant in vita
carnali, et in comessationibus ac potibus.

9 *Et ait Herodes.* Secundum Matthæum, A
Matth. xiv, 2. loquebatur pueris suis. *Joannem ego de-
collavi.* Hoc ait, secundum Chrysostomum,
non suum piaculum ostentando, sed suam
formidinem consolando. Attamen ei potest
II Reg. I, 16. dici illud Davidis : Os tuum locutum est ad-
versum te, dicens, Ego interfeci christum
Domini. *Quis autem est iste, de quo ego
audio talia?* quasi dicat, Aliquid magni
esse videtur. *Et quærebat videre eum,* an
esset Joannes, cujus faciem noverat, et ex
curiositate optans videre miracula. Sed de-
siderium Herodis fuit accediæ, superbiæ et B
indevotioni admixtum : alias facile perve-
nisset ad Jesum in Galilæa tunc prædican-
tem. Dicit autem Chrysostomus : Quam
magna res est virtus ! Nam Joannem de-
functum Herodes formidabat, et præ timo-
re etiam de resurrectione philosophatur.

10 *Et reversi Apostoli* a locis in quibus
prædicaverunt, ad Jesum, *narraverunt illi
quæcumque fecerunt,* dæmones expellen-
do, infirmos curando, homines instruen-
do. Hæc suo nuntiaverunt magistro, quasi
illi totum adscribentes, non se ipsos ja- C
ctantes. *Et assumptis illis, secessit seor-
sum in locum desertum, qui est Bethsai-
dæ,* id est propinquus civitati sic dictæ, de
Joann I, 44. qua Petrus et Andreas fuerunt. Denique,
prout Matthæus et Marcus describunt, de-
Matth. xiv, 12, 13; Marc. VI, 30, 31. collato ab Herode iniquo S. Joanne, vene-
runt discipuli ejus, et nuntiaverunt hoc
Christo. Quo audito, abiit, sicut jam di-
ctum est, non timore Herodis, quem po-
tuit unico annihilare imperio, sed ob alias
causas : quarum unam Marcus tangit, di-
Marc. VI, 31. cendo, Erant enim qui veniebant et redi- D
bant multi, et nec spatium manducandi
habebant. Alia ratio fuit, ut doceret prædi-
catores atque prælatos, post occupationes
externas vitæ activæ recurrere ad locum
abstractum, ad vacandum contemplativæ
actibus vitæ.

11 *Quod quum cognovissent turbæ, secutæ
sunt illum.* Diversi enim diversas ob cau-
sas, ut dictum est, sæpe Salvatorem sequi
solebant. *Et excepit illos* caritative ac pie,
delectatus devotione simplicium. Minores
quippe et simplices sequebantur, majores
et scioli persequebantur, quemadmodum
usque in præsens contingit. *Et loquebatur
eis de regno Dei,* videlicet de magnitudine
gaudiorum cœlestium et beatitudine vitæ
futuræ; *et eos qui cura indigebant,* puta
infirmos, *sanabat,* tanquam piissimus me-
dicus. Exsistentes etiam in peccatis et cu-
rari spiritualiter cupientes, sibique acquie-
scentes, sanavit ab animarum languoribus
seu peccatis.

Subinde describitur præclarum Christi
miraculum. *Dies autem cœperat declina-* 12
re. Unde Matthæus ait : Vespere autem fa- Matth. xiv, 15.
cto. *Et accedentes duodecim* principales
discipuli, Christo familiariores, atque ad
alloquendum eum audaciores, *dixerunt il-
li : Dimitte turbas* quas docendo et curan-
do detines tecum, *ut euntes in castella
villasque quæ circa sunt,* id est huic loco
propinqua, *divertant et inveniant escas :
quia hic in loco deserto sumus,* in quo ni-
hil venale apparet. Quamvis Apostoli hoc
ex quadam compassione et providentia
videantur dixisse, suam tamen imperfe-
ctionem in verbis his multipliciter osten-
derunt : non credentes, vel potius non
pensantes, quod Christus turbam posset
miraculose reficere ; opinantes quoque,
quod turbæ cum Christo manentes possent
fame periclitari.

Ait autem ad illos : Vos date illis man- 13
ducare. Hoc ait omnium sapientissimus
magistrorum, imperfectionem fidei disci-
pulorum pie redarguens, quasi dicat : Non
solum ego, sed et vos potestis illos refice-
re, si tamen tantam fidem habetis ut de-
cet. *At illi dixerunt : Non sunt nobis plus
quam quinque panes, et duo pisces :* qui pa-
nes, secundum Joannem, hordeacei erant; Joann. VI, 9.
*nisi forte nos eamus et emamus in omnem
hanc turbam escas.* Ita discipuli sunt locu-
ti, non quasi suo indignantes magistro, aut
irrationabiliter eum esse effatum insinu-
are volentes, sed ad designandum quam
impossibile eis esset propria potestate im-
plere quod dixerat Christus. Ideo subdi-
tur : *Erant autem fere viri quinque mil-* 14

lia, utpote præter mulieres et pueros, ut
Matth. XIV, 21. alii Evangelistæ testantur. Viri quoque di-
Num. I, 3. cuntur in Scripturis, qui viginti annos ad
minus sortiti sunt. Alii etiam Evangelistæ
Marc. VI, 44; *Joann.* VI, 10. absolute affirmant, quod fuerunt quinque
millia virorum. Scriptura enim divina de
minutiis numerorum vim non facit, vide-
licet an fuerunt modice plures aut pau-
ciores.

Denique apud Joannem, ubi miraculum
istud describitur, leguntur Christus et di-
scipuli aliqua inter se de materia ista locu-
ti, quæ Evangelistæ alii non scripserunt. Il-
Joann. VI, 5-9. lic quippe habetur, quod interrogavit Jesus
Philippum, dicens : Unde ememus panes
ut manducent hi? Deinde dixit Andreas :
Est puer hic unus, qui habet quinque pa-
nes hordeaceos et duos pisces ; sed hæc
quid sunt inter tantos? Sed hoc cum istis
facile concordatur. Et ut in libro de Con-
sensu Evangelistarum asserit Augustinus,
ex hac varietate loquendi salubriter edoce-
mur, nihil esse quærendum in verbis, nisi
loquentium voluntatem : cui demonstran-
dæ invigilare debent omnes veridici nar-
ratores, quum de homine, vel de angelo,
vel de Deo aliquid narrant.

Ait autem ad discipulos suos, id est ad
duodecim Apostolos : *Facite illos discum-
bere per convivia quinquagenos,* ita ut
quinquaginta sedeant in ordine uno. Sa-
pientis est omnia agere ordinate ; et taliter
ordinatis poterat facilius cibus inferri. Sed
Marc. VI, 40. obviare videtur illud Marci : Discubuerunt
per centenos et quinquagenos. Ad quod
libro de Consensu Evangelistarum Augu-
stinus respondet, quod istud nullum mo-
vere debet, quia Lucas partem dixit, et
15 Marcus totum. *Et ita fecerunt* Apostoli,
sicut Christus eis injunxit, *et discumbere
fecerunt omnes.*

16 *Acceptis autem quinque panibus et du-
obus piscibus, respexit in cœlum,* signifi-
cans se missum a Patre æterno, et quod
nisi virtute cœlesti, divina et supernatu-
rali, facturus esset istud miraculum, item-
Jacob. I, 17. que quod omne bonum desursum est, de-
scendens a Patre luminum ; *et benedixit*
A *illis,* scilicet panibus et piscibus, dando
eis ut mox multiplicarentur : sicut in Ge-
nesi legitur irrationabilibus benedixisse. *Gen.* I, 22.
Quo facto nos informavit, ut cibum non
accipiamus nisi benedictione præmissa.
Et fregit panes in aliquas magnas partes :
non in minutias scidit, sed frangendo mul-
tiplicabantur; *et distribuit discipulis suis,
ut ponerent* panes et pisces multiplicatos
ante turbas. Et manducaverunt omnes, et 17
saturati sunt, non de quinque panibus
duobusque piscibus tantum, sed de eo in
B quod omnipotentia Christi multiplicavit
quinque panes, duosque pisces. *Et subla-
tum est quod superfuit illis, fragmento-
rum cophini duodecim.* Ex quo constat,
quod panes et pisces tam pauci, multipli-
cati fuerunt in maximam multitudinem
panum et piscium, quia de reliquiis tot
sportæ impletæ sunt.

Porro de spirituali hujus miraculi in-
tellectu tot a doctoribus dicta sunt, ut
pene superfluum videatur quid addere :
unde nec moralitati nunc immorari in-
C tendo, præsertim quoniam super Joannem In Joann. art. XVI.
multa hinc scripsi ; nunc vero modice tan-
gam. Itaque per turbam præfatam, quæ
Christum corporaliter sequebatur, intelli-
gi possunt universi fideles, qui usque in
præsens ejus vestigia imitantur, sicut ait
Joannes : Qui se dicit in Christo manere, I *Joann* II, 6.
debet sicut ille ambulavit et ipse ambu-
lare. Per Apostolos vero signantur prælati,
quibus præcipit Christus ut docendo, ex-
emplariterque vivendo, alant sibi commis-
sos. Sed quia prælati sine Christi ope et
D gratia nihil valent, profitentur se ad spiri-
tualem hanc nutritionem suis viribus im-
potentes : idcirco necesse est ut dona gra-
tiæ eis concessa, quæ per panes quinque
duosque pisces figurantur, perficiantur ac
multiplicentur a Christo. Quumque a Chri-
sto hanc subventionem rite petierint, ip-
se libenter eis auxiliatur, præcipiens ut
greges sibi commissos discumbere faciant,
eisque dona sibi concessa communicent.

Præterea, per primum panem, intelli-
gendus est panis pœnitentiæ, id est cordia-

lis contritio pro peccatis, confessio oris, et
satisfactio operis : ad quem panem debent
prælati subditos suos hortari, et corda eo-
rum ad compunctionem movere. De quo
Ps. LXXIX, 6. pane accipi potest illud in Psalmo : Ciba-
Ps. CI, 5. bis nos pane lacrimarum ; et rursus, Per-
cussus sum ut fœnum, et aruit cor me-
um, quia oblitus sum comedere panem
meum. Secundus est panis doctrinæ : de
Eccli. XV, 3. quo in Ecclesiastico legitur, Cibabit illum
pane vitæ et intellectus. Unde per Jeremi-
Jer. III, 15. am Dominus loquitur : Dabo vobis pastores
juxta cor meum, et pascent vos scientia
et doctrina. Tertius est panis exemplaris
vitæ : qui subditis præcipue necessarius
exstat, præsertim quum absque eo, panis
doctrinæ modicum prosit. Cujus enim vi-
ta despicitur, prædicatio parum curatur.
I *Tim.* IV, 12. Ideo ait Apostolus : Esto exemplum fide-
lium in verbo, in conversatione, in cari-
tate. Quartus est panis Eucharistiæ, qui
bene confessis salubriterque instructis est
I *Cor.* XI, 27. porrigendus. De quo dicit Apostolus : Qui-
cumque manducaverit panem hunc et bi-
berit calicem Domini indigne, reus erit
corporis et sanguinis Domini. Quintus est
panis orationis seu meditationis devotæ,
qui mentem valde confortat. Unde pro sub-
ditis prælati incessanter intercedere de-
bent, et ipsos ad orandum inducere, quum
I *Thess.* V, 17. dicat Apostolus : Sine intermissione ora-
te. — Insuper, per duos pisces panibus
bonum saporem præstantes, intelliguntur
consolatio gratiæ in præsenti, et spes feli-
citatis futuræ : quæ duo reddunt animæ
universa, etiam adversa, suavia, in tantum
Rom. VIII, 18. ut cum Apostolo dicat : Non sunt condi-
gnæ passiones hujus temporis ad futu-
ram gloriam, quæ revelabitur in nobis ; et
II *Cor.* I, 3, 4. item, Benedictus Deus, qui consolatur nos
in omni tribulatione nostra. Hanc consola-
tionem copiosissime sensit, qui tam affe-
Ps. XXX, 20. ctuosissime dixit, Quam magna multitudo
dulcedinis tuæ, Domine !

Postremo, subditorum gregibus ita re-
fectis, manent copiosæ reliquiæ : quia quo
spiritualia bona liberalius communican-
tur, eo amplius abundant atque augentur,
A in tantum quod et ipsi prælati meritis
eorum quos præfatis nutriunt panibus, ad-
juvantur. — Postremo quæri posset ad lit-
teram, an seu quid potavit hæc turba in
refectione præscripta. De quo quid arbi- In Joann. VI, 13.
trer scripsi super Joannem.

Et factum est, quum solus esset orans, 18
erant cum illo et discipuli ejus. Videtur
in verbis his esse oppositum in adjecto. Si
enim solus exstitit orans, quomodo secum
erant discipuli ejus ? Vel, si erant cum
illo, non solus fuerat orans. Sed ad hoc
B facile respondetur : Primo, quia si oratio
ista in sensu formali sumatur, ita quod
dictio, Solus, excludat, non communionem
personæ, sed actus orandi, potuit esse so-
lus orans, etiam si in medio multorum
millium non orantium stetisset. Secundo,
quod dicitur, Erant cum illo et discipuli
ejus, non oportet intelligi, quod prope cor-
pus ipsius steterunt, sed quod turba quæ
pasta fuit recedente, Apostoli non abie-
runt, sed secum, id est non longe ab ip-
so, fuerunt. Tertio, Solus, potest hoc loco
C facere exclusionem extraneorum, et non
domesticorum, sicut episcopus dicitur es-
se solus in domo, quamvis cum eo sit
familia. Itaque, Christus ut homo oratio-
nem facturus, secessit seorsum, non quod
aliorum tumultu aut strepitu mens ejus
posset in devotione, attentione vel con-
templatione ullatenus impediri ; sed ad
nostram informationem hoc egit, ut præ-
sertim tempore orationis, impedimenta de-
votionis et occasiones distractionum vite-
mus. Propter quod apud Matthæum ait
D Salvator : Quum oraveris, intra in cubicu- *Matth.* VI, 6.
lum tuum, et clauso ostio ora Patrem in
abscondito. Præterea, sicut Joannes refert,
Jesus facto prædictæ refectionis miraculo, *Joann.* VI, 15.
fugit in montem, sciens quod venturi es-
sent quos pavit, ut raperent eum et fa-
cerent eum regem : ideo forte nunc dici-
tur, quod erat solus orans.

*Et interrogavit illos, dicens : Quem me
dicunt esse turbæ?* Non ex ignorantia quæ-
rit, sed ut occasione responsionis disci-
pulorum instruat eos. *At illi dixerunt :* 19

Joannem Baptistam, alii autem Eliam, A *alii* dicunt *quia,* id est quod, *Propheta unus de prioribus surrexit.* Matthæus au-
Matth. xvi, 14. tem adjungit, quod etiam quidam dixerunt eum esse Jeremiam. Cur quidam dixerint Jesum esse Joannem Baptistam, alii Eliam,
vers. 8. alii quemdam veterum vatum, paulo ante jam dictum est. Omnes itaque isti resurrectionem credentes, putabant viros sanctos post resurrectionem suam majoris esse potentiæ : et quoniam Christus præ ceteris vatibus fuit miraculis gloriosus, dicebant eum esse aliquem præcedentium B Prophetarum. Verumtamen quidam ex tur-
Joann. vii, 40, 41. ba credebant atque dicebant Jesum esse Christum, sicut in evangelio Joannis fa-
Ibid. xii, 42. cile demonstratur, qui etiam multos ex principibus asserit credidisse in eum. Et
Ibid. vi, 14. apud Joannem habetur : Illi ergo homines, quum vidissent quod fecerat signum, videlicet in præfata turbæ refectione, dicebant, Quia hic est vere Propheta qui venturus est in mundum, videlicet Christus : ut Chrysostomus tangit, qui circa verba Joannis sic ait : Ex hoc quod dicunt, C Qui venturus est in mundum, manifestum est quod Prophetam quemdam principalem exspectabant ; et ideo quod dicitur, Hic est vere Propheta, in Græco cum adjectione articuli ponitur, ad ostendendum, eum ab aliis esse Prophetis discretum.

Insuper, ut Matthæus refert, ista in-
Matth. xvi, 13. terrogatio facta est in partibus Cæsareæ
Marc. viii, 27. Philippi, sed Marcus factam enarrat eam in via in prædicta terra : quod ab invicem non discordat, quia exsistendo in illa provincia ambulavit in ea, et ambulando in D ea, jam venit et fuit in ea. Lucas autem non exprimit ubi sit facta quæstio ista : nec tamen immediate facta est post turbæ refectionem, ut ex Matthæo et Marco patescit, nisi sæpius facta dicatur. Unus autem Evangelista quædam omittit quæ alii ponunt, nec ipsi beatissimi Evangelistæ semper ordinem rerum observant gestarum in describendo.

20 *Dixit autem illis : Vos autem,* qui mihi familiariores estis et facta mea ac sapientiam meam præ ceteris scitis, imo experimentaliter noscitis, *quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus,* præ omnibus et pro omnibus aliis Apostolis : qui ab infantia sua vocatus est Simon, et postea *Joann.* i, 42. a Christo vocatus est Petrus ; *dixit : Christum Dei* esse te dicimus, id est regem Messiam Dei electum, a Deo in lege ac Prophetis promissum, et nostro hoc tempore divinitus missum. Matthæus vero Petri responsionem plenius exprimit, scri- *Matth.* xvi, 16.
bens : Tu es Christus Filius Dei vivi.

At ille increpans eos, præcepit ne cui 21
dicerent hoc. Solus Petrus respondit ; sed quia pro omnibus dedit responsum, exigentibus forte ab eo id ipsum Apostolis, ideo Christus increpat omnes. Sed cur increpat eos ? quum veritatem locutus sit Petrus : imo, ut in Matthæo legitur, Christus pro hac responsione Petrum vehementer laudavit, dicendo : Beatus es Simon *Ibid.* 17 *et seq.*
Bar Jona, etc. Et respondendum, quod increpatio hic extense accipitur pro seriosa commissione tacendi, per modum increpationis prolata. Unde Marcus : Comminatus *Marc.* viii, 30.
est (inquit) eis. Vel forte pro aliqua alia culpa increpavit eos, ut istam commissionem diligentius observarent, ut moris est facere.

Præterea quæritur, cur præcepit Apostolis istud tacere, quum ipsemet sæpius aperte se dixerit Christum, imo et Deum verum, dicendo Judæis : Ego et Pater unum *Joann.* x, 30.
sumus ; et, Pater quod dedit mihi, majus *Ibid.* 29.
omnibus est, puta divina essentia, quam Filius per generationem æternam habet a Patre. Et rursus : Quæcumque facit Pa- *Ibid.* v, 19.
ter, hæc et Filius similiter facit ; et, Sicut *Ibid.* 26.
habet Pater vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso ; multaque talia, quæ sacratissimus scribit Joannes. Denique Joannes Baptista publice *Ibid.* i, 26-36.
prædicavit Christum venisse, Jesumque esse Christum etiam digito demonstravit. Sed et utilissimum fuit Judæis scire, quod Jesus esset Christus. Cur ergo prohibuit hoc ipsum Apostolis? Et respondendum, quod Christus, utpote increata ac infinita sapi- I *Cor.* i, 24.

Sap. viii, 1. entia Patris, omnia ordinate sapienterque A
egit, congruo loco, aptoque tempore : ideo aliqua bona quibusdam ad tempus prohibuit, ut postea congruentius fierent. In tantum quoque verbis et signis declaravit se esse Christum, quod Judæi se per igno-
Joann. xv, 22. rantiam omnino excusare non queunt ; non tamen tam evidenter hoc manifestavit ante suam passionem ut postea, ne sua passio impediretur, qui ad hoc venit ut
I Cor. ii, 8. pateretur : quem si Dominum gloriæ cognovissent, crucifigere non ausi fuissent. Hinc ergo ante suam passionem noluit ab B Apostolis prædicari esse se Christum, ut post suam resurrectionem et ascensionem hoc opportunius facerent. Ipsi quoque Apostoli non fuerunt, ante passionem Christi, tantæ sapientiæ fortitudinisque in Deo, quod idonei erant prædicare Christi divinitatem, aut pro hoc ferre persecutionem et mortem, ut tangit Ambrosius; qui etiam dicit : Dominus Jesus Christus prædicari se primo noluit, ne ullus strepitus nasceretur, et ut fallat principem mundi, ut declinet jactantiam, doceat humilitatem, et C ne rudes ac imperfecti adhuc discipuli maximæ prædicationis molibus opprimantur. Postremo, et ipse Christus rationem prohibitionis suæ adjecit, ut subditur.

22 *Dicens : Quia oportet Filium hominis multa pati, et reprobari a senioribus* Judæorum, qui erant quasi judices ordinarii eorumdem, *et principibus sacerdotum,* scilicet pontificibus, *et Scribis,* id est legis doctoribus. Quomodo factum sit hoc, infra
Luc. xxii, xxiii. duobus capitulis, in quibus passio continetur, describitur. *Et occidi, et tertia die* D *resurgere.* Quomodo autem istud oportuit seu necessarium fuit, infra diffuse habetur. Et nunc breviter tangi potest, quod necessarium fuit, non quia aliter genus humanum liberari ab omnipotente Deo nequiverit, absolute loquendo, sed quia nullus fuit alius modus tam aptus. Rursus, necessarium fuit, non necessitate absoluta, sed potius ex suppositione, quia Deus ita prædixit, et necessitate conditionata, videlicet si Scripturæ verificari deberent.

Postquam Salvator passionem suam prædixit, consequenter declarat eos qui per ipsum salutem cupiunt adipisci, oportere
sequi ejus vestigia. Nam sequitur : *Dicebat autem ad omnes,* videlicet ad turbam in generali. 23
Secretiora namque sua mysteria solis revelavit discipulis, sed quæ ad salutem omnium exiguntur, omnibus patefecit. *Si quis vult post me venire,* id est me spiritualiter sequi, meæ conversationi conformari, ad patriam felicitatis pertingere, ut ubi ego sum et ipse sit mecum, Joann. xvii, 24.
abneget semetipsum, hoc est, propriam voluntatem relinquat, pristina vitia deserat, vitam suam pro Deo et veritate morti exponat. Propria autem voluntas hominis appellatur, quæ Deo et sacræ Scripturæ præceptis ac documentis contrariatur, per quam quis propria commoda quærit, et ad se ipsum inordinate reflectitur, atque quæ Deo displicent obtinere molitur. Hinc ait Basilius : Abnegatio sui ipsius est totalis præteritorum oblivio, et recessus a propriis voluntatibus. *Et tollat crucem suam,* id est, cruciformem seu pœnitentialem conversationem æquanimiter portet, ducat, sustineat, et omnem tribulationem, tentationem, seu persecutionem, et adversitatem sibi occurrentem viriliter ferat, corpus suum castiget, domet, et rationi servitutique Dei subjiciat, sicut ait Apostolus :
Qui sunt Christi, carnem suam crucifi- Galat. v, 24.
xerunt cum vitiis et concupiscentiis. Ad quod etiam ad Romanos nos exhortans :
Obsecro, inquit, ut exhibeatis corpora ve- Rom. xii, 1.
stra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Porro, secundum Gregorium, duobus modis crux tollitur : primo, corpus (ut dictum est) per abstinentiam affligendo ; secundo, animum per compassionem circa alios af-
ficiendo, sicut ait Apostolus : Quis infir- II Cor. xi, 29.
matur, et ego non infirmor? Quis scanda-
lizatur, et ego non uror? Et iterum : Flete Rom. xii, 15.
cum flentibus. Hæc autem agenda sunt
non uno die dumtaxat, sed perseveranter Matth. xxiv, 13.
usque in finem. Propter quod subdit, *quotidie.* Unde et Zacharias locutus est : Ser- Luc. i, 74, 75.

viamus illi in sanctitate et justitia coram ipso, omnibus diebus nostris. *Et sequatur me,* id est, per prædicta mihi adhæreat, obsequatur, et per semitas vitæ, per virtutum itinera, mea sectetur vestigia.

Denique, juxta præinductam expositionem, necessarium est ad salutem cunctis fidelibus abnegare se ipsum, et tollere crucem suam quotidie : ut scilicet quantum ad ea quæ divinis repugnant præceptis, et ceteris quæ ad salutem exiguntur, abnegemus nos ipsos, nostramque crucem
Matth. VII, 14. tollamus quotidie, eundo per arctam viam B quæ ducit ad vitam.

Alio modo hæc exponuntur, prout ad consilia supererogationisque opera pertinent, ac religiosos concernunt, ut sit sen-
* *Si quis* sus : *Qui* vult post me venire,* id est ad perfectionem tendere atque pertingere, sicut ego in omnibus totius perfectionis formam me præbui, *abneget semetipsum,* id est, propriam voluntatem omnino relinquat, illam Deo per votum obedientiæ offerendo, vicario Dei, tanquam Deo in omnibus quæ professionem respiciunt obediendo, C ut faciunt religiosi claustrales : quibus diligentissime est pensandum, quid de hujusmodi voti fida ac celeri persolutione dicat Scriptura. Scriptum est equidem in
Deut. XXIII, 23. Deuteronomio : Quod semel egressum est de labiis tuis, observabis, et facies sicut promisisti Domino Deo tuo. In Ecclesiaste
Eccle. V, 3. etiam præcipitur : Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere ; displicet enim Deo stulta et infidelis promissio. Imo secundum doctores, promissio illa obligat magis quam juramentum, ut jam inveniatur perjuro D deterior claustralis, qui professionem suam implere non satagit. (Verumtamen ad primam horum expositionem verborum spectat quod dicit Gregorius circa hæc verba : Quia nisi quis a se ipso deficiat, ad eum qui super ipsum est, non appropinquat ; nec valet apprehendere quod super se est, si nescierit mactare quod est.) Consulit autem Christus triplicem abnegationem, in qua fundatur professio seu promissio trium virtutum, quæ de cujuslibet

A religionis essentia esse dicuntur. Prima est abnegatio rerum exteriorum : de qua infra habetur, Qui non renuntiat omnibus *Luc.* XIV, 33.
quæ possidet, non potest meus esse discipulus. In hac fundatur paupertas. Secunda est abnegatio eorum quæ sunt partim intra nos, et partim extra nos, ut sunt uxor, soboles, et cognati. De qua abnegatione infra dicit Salvator : Si quis venit ad me, *Ibid.* 26.
et non odit patrem suum et matrem et uxorem, non potest meus esse discipulus. In qua fundatur continentia. Tertia est abnegatio sui ipsius, de qua hic : in qua fundatur obedientia.

Et tollat crucem suam quotidie, id est, observantias regulares, arctas et arduas, seu statuta monastica rite observet : quod est vere Christo configi, ejusque passio- *Galat.* II, 19.
nibus communicare et compati ; quod et præcipue meritorium est consolationis gratiæ in præsenti, glorificationisque patriæ in futuro, secundum illud Apostoli : Sicut II *Cor.* I, 5.
abundant passiones Christi in nobis, ita per Christum abundat consolatio nostra. Et iterum : Fidelis sermo : si commortui II *Tim.* II, 11, 12.
sumus, et convivemus ; si sustinemus, et conregnabimus. Itaque, qui internam consolationem jam cupit gustare, et demum æternam beatitudinem possidere, qui Christo vult conformari in gloria, modo non aspernetur pati convitia, aspera et adversa, imo glorietur in talibus, sicut nos hortatur beatissimus Petrus : Communicantes I *Petr.* IV, 13.
Christi passionibus gaudete, ut in revelatione gloriæ ejus gaudeatis ; et Paulus : Semper mortificationem Jesu in corpore II *Cor.* IV, 10, 11.
nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali. — *Et sequatur me,* qui descendi de cœlo, non *Joann.* VI, 38.
ut facerem voluntatem meam, sed ejus qui misit me.

Hæc itaque observare, est religiosorum, qui se ipsos Deo totaliter velut in holocaustum in sua professione obtulerunt, nil sibi de se ipsis proprium reservantes : qui si quod voverunt, digne impleverint, optimi sunt ; si autem implere neglexerint, pessimi comprobantur.

Quod autem abnegatio ista et propriæ crucis portatio quotidiana sint assumen-
24 dæ, consequenter Christus ostendit. *Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam.* Verbum hoc per se sumptum, dupliciter potest intelligi; sed quia mox subditur, Nam qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet illam, sensus litteralis est iste : *Qui voluerit animam suam salvam facere,* id est, in præsenti voluerit eam in propriis voluntatibus desideriisque nutrire et conservare, seu carnalem salutem sortiri, vel a mortis temporalis eripere pœnis, fugiendo martyrium, *perdet illam,* id est, damnationi æternæ obnoxiam faciet, perditamque in futuro comperiet : ita quod mortem temporalem pro justitia fugiens, mortem incurret æternam ; et carnalem prosperitatem amplectens, veram amittet salutem. Hinc communiter dicitur, quod impossibile sit nunc cum mundo gaudere, et postea cum Christo regnare. Econtrario autem subjungitur : *Nam qui perdiderit animam suam,* id est, in præsenti voluntates et concupiscentias ejus mortificaverit, instar Pauli, qui dixit,
Galat. II, 20. Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus, seu pœnis mortis exposuerit eam, ita ut vita præsenti ac sensitiva privetur, *propter me,* id est amore mei, et finaliter propter me, ut me summæ felicitatis objectum in æternum possideat, *salvam faciet illam,* id est, ad veram perducet salutem, et per mortem seu mortificationem temporalem pertinget ad vitam gloriæ æternalem. Huic simile est quod in
Joann. XII, 25. Joanne loquitur Christus : Qui amat animam suam, perdet eam ; et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit illam.

Porro quod dictum est, Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam, per se acceptum potest et ita exponi : Qui voluerit eam in futuro vere facere salvam sive beatam, perdet eam, id est, in sæculo isto afflictionibus seu pœnis mortis exponet. Per tribulationes enim pervenitur ad requiem, juxta illud Psalmi-

A stæ : Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium ; itemque : Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas ! et conversus vivificasti me. Unde Judith ait : Omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles ; illi autem qui tentationes non susceperunt in timore Domini et in patientia sua, exterminati sunt. (Ps. LXV, 12. Ps. LXX, 20. Judith VIII, 23-25.)

Insuper, quod sic temporaliter perdenda est anima ut in æternum salvetur, Christus subjungit : *Quid enim proficit ho-* 25
B *mo, si lucretur universum mundum,* id est, totius mundi hujus delicias, divitias et honores acquirat, et temporalia cuncta possideat, *se ipsum autem perdat,* id est, damnationem æternam mereatur atque incurrat, *et detrimentum sui faciat,* id est, bonis gratiæ privetur in sæculo isto, et donis gloriæ in futuro, sicque se ipsum spiritualiter quasi nihilum faciat et inane, spiritualium detrimentum seu carentiam incidendo ? quasi dicat : Talis non proficit, sed ineffabiliter deficit ; et quanto videtur C felicior præsentia obtinendo, tanto exstat miserior, vilior et pauperior, spiritualibus bonis carendo, æterna quoque supplicia promerendo. Unde, quanto anima corpore consistit præstantior, tanto plus eligenda ac obtinenda sunt bona ipsius, videlicet virtutes ac dona Spiritus Sancti, felicitasque æterna. Sed et omnis delectatio vana vitæ præsentis cum indicibili aspernatione vitanda est, amore cœlestium gaudiorum. Denique ista auctoritas applicari solet contra quosdam qui zelum animarum
D habere videntur, sed non secundum veram discretionem : qui circa aliorum conversionem seu profectum in tantum se occupant, ut negligant semetipsos. Qui contra caritatis ordinem agunt, quia tenetur homo post Deum præcipue amare se ipsum et propriæ providere saluti, atque in primis implere quod ab ipso exigit Deus. Unde et caritas dicitur incipere a se ipsa. (Rom. X, 2.)

Deinceps Christus per comminationem pœnæ inducit ad observantiam prædicto-

26 rum. *Nam qui me erubuerit et meos sermones,* id est, ex pudore mundano et vitioso omiserit confiteri me et dogmata mea, verecundans publice confiteri coram adversariis fidei atque justitiæ, se in hominem crucifixum credere, in illo sperare, eumque adorare; verecundans etiam confiteri ea quæ christianæ sunt fidei, ut quod Deus est unus et trinus, quod Unigenitus Dei est incarnatus ac crucifixus, quod Christus in unitate personæ est Deus et homo, quod futura sit resurrectio mortuorum : quæ interdum confiteri, fuit se irrisioni innumerabilium incredulorum atque crudelium tyrannorum exponere; *hunc Filius hominis erubescet,* id est, per modum erubescentis se circa illum habebit, eum abjiciendo, quasi verecundaretur de ipso : sicut et paterfamilias servum impium nominare dedignatur, et ad se pertinere verecundatur asserere; *quum venerit in majestate sua,* id est in magna et summa sua potestate, virtute et gloria, *et Patris,* id est in præfata majestate divina, quæ sibi et Patri, haud dubium quin et adorando Spiritui Sancto, una est et communis, *et angelorum,* id est cum potenti et maximo angelorum exercitu : quod erit in die judicii, quando Christus in majestate et gloria, omnium Beatorum vallatus agminibus, descendet ad judicandum vivos et mortuos, ut infra clarius describetur. Tunc nempe reprobos dijudicabit, repellet, damnabit. *Luc.* XXI, 27.

Vel, quod ait, In majestate sua, potest ad glorificatam suam humanitatem, ejusque creatam referri potentiam, omni alii creatæ potestati prælatam. Non enim in secundo adventu venturus est in humilitate, passibilitate et infirmitate, sicut in primo adventu, dum venit ut judicaretur; sed in humanitate glorificata, impassibili, præpotenti, ut judicet. Sic itaque veniet *in majestate sua* creata, humana, *et Patris,* id est etiam in majestate divina sibi ac Patri communi : et tunc Deus et homo ab omnibus esse scietur; non tamen ejus divinitas a reprobis per speciem cogno- A scetur; *et angelorum,* quia hæc majestas illorum asseritur, in quantum ei deserviunt. — Potest quoque ita intelligi : Quum venerit in majestate sua, id est, quum post suam passionem, resurrectionem et ascensionem apparuerit, atque resederit in regno suo cœlesti ac glorioso, quod etiam est regnum Patris ut principis, et angelorum ut civium ac servorum. Ex tunc enim Christus in natura humana perfecte glorificata cœpit particulare exercere judicium. — Insuper exponi potest hoc modo : B Quum venerit, id est, esse innotuerit, in majestate sua, id est in vera deitate ac majestate divina, tanquam Deus verus, æternus, immensus. Christus quippe usque ad Spiritus Sancti missionem et publicam Apostolorum prædicationem, non cognoscebatur esse verus Deus a viatoribus, nisi paucissimis; sed misso Spiritu Sancto, per Apostolorum prædicationem cœpit hoc innotescere multis. Est autem consuetudo Scripturæ, ut aliquid tunc fieri esse seu venire dicatur, dum manifestatur.

C Circa hæc quæritur, utrum, et quando, ac qualiter confessio fidei necessaria sit ad salutem. Ad hoc Thomas in secunda secundæ respondet : Quum fidem confiteri sit quid affirmativum, non cadit nisi sub præcepto affirmativo. Præcepta autem affirmativa obligant semper, sed non ad semper : imo obligant solum pro loco et tempore, atque secundum alias circumstantias ad virtutum opera requisitas. Hinc fidem confiteri tunc solum est de necessitate salutis, quando per hujus actus omis- D sionem honor Deo debitus ei subtraheretur, aut proximorum utilitas. Si autem fides videtur periclitari, tunc quilibet tenetur fidem publice confiteri; si vero ex confessione fidei oriatur major seditio, aut infidelium irrisio, et nulla proximorum utilitas, tunc non esset laudabile fidem confiteri, ne canibus sanctum detur. *Matth.* VII, 6.

Sed quoniam ardua sunt quæ Christus de sui imitatione cruciformi, et toleratione martyrii, abnegationeque sui præmonuit seu præcepit, consequenter promissione

quadam solatii, et remuneratione in vita A
27 præsenti, ad illa inducit. *Dico autem vobis vere : Sunt aliqui hic stantes*, et meum sermonem hunc audientes, *qui non gustabunt,* hoc est, non experientur aut sentient, *mortem* naturalem et corporalem : quæ a Sanctis fertur gustari, quia tam cito eis pertransit, et quasi vitæ æternæ ingressum eam suscipiunt; *donec videant regnum Dei,* id est militantem Ecclesiam in sæculo isto inclyte exaltatam, innumerabiliter quantum ad supposita credentia multiplicatam, et per quatuor plagas terræ B diffusam. Quod non solum ante B. Joannis evangelistæ mortem constat impletum, sed et ante Petri et Pauli occisionem : quod alibi satis monstravi. Et ipsemet Paulus
Coloss. I, 6. ad Colossenses testatur : Evangelium pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est ; et rursus, Evangelium prædicatum est in universa creatura quæ sub cœlo est. *Coloss.* I, 23.
Sic exponit Gregorius. Ambrosius vero et Theophilus sic exponunt : Donec videant regnum Dei, id est gloriam in qua justi erunt. Hoc autem dixit de sua transfiguratione, quæ forma erat gloriæ futuræ in regno cœlesti. Sunt aliqui hic stantes, videlicet Petrus, Jacobus et Joannes, qui non attingent mortem, donec tempore transfigurationis meæ, videant in qua gloria erunt qui me confitentur. Glorificatio etenim illa corporis Christi, similitudo et signum fuit gloriæ quam in regno cœlesti habitura sunt corpora electorum. Itaque ex perceptione præsentium munerum, certa effecta est exspectatio futurorum.

ARTICULUS XXIV

PROSECUTIO EXPLANATIONIS HUJUS CAPITULI NONI, A LOCO QUO DICITUR : FACTUM EST AUTEM POST HÆC VERBA, ETC.

CONSEQUENTER describitur qualiter C Christus implevit quod in fine præcedentis dixit articuli : Sunt quidam hic
28 stantes, etc. *Factum est autem post hæc verba,* in præcedenti scripta articulo, *fere dies octo,* hoc est, quasi octo dierum tempus defluxit, et contigit quod subditur : *et assumpsit Petrum, et Jacobum, et Joannem, et ascendit in montem ut oraret. Et facta est, dum oraret, species vultus ejus altera, et vestitus ejus albus et refulgens.* Matthæus istud clarius pleniusque describit, in tantum ut quod ibi habetur, sit D quasi expositio horum verborum. Sic equi-
Matth. XVII, 1, 2. dem dicitur ibi : Assumpsit Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et duxit illos in montem excelsum seorsum, et transfiguratus est coram eis; et resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.

Circa hæc primo inquiritur, cur Lucas dicat, Factum est post hæc verba fere dies octo, etc., quum Matthæus et Marcus affirment, quod post dies sex fecerit quæ hic scribuntur. *Matth.* XVII, 1; *Marc.* IX, 1. Ad quod respondetur, quod quamvis absolute Lucas dixisset, Post dies octo, adhuc tamen repugnantia nulla esset, quia intelligendum esset per inclusionem diei in quo Christus ista prædixit, itemque diei in quo ea implevit. Si vero dicendo, Fere octo, intellexit septem dies, intelligendum est per inclusionem unius dierum illorum. Matthæus vero et Marcus dies integros intermedios computarunt.

Insuper quæritur, cur dumtaxat tres secum assumpsit Apostolos, et cur istos magis quam alios. Et respondendum, ut in ore trium staret suæ testimonium transfigurationis, et ob summæ Trinitatis designandum mysterium. Numerus quoque *Deut.* XIX, 15; II *Cor.* XIII, 1.

ternarius diversis de causis fertur perfectus. Nam et Philosophus loquitur : Omnia super tria ponimus. Assumpsit autem Salvator hos tres Apostolos, tanquam præcipue sibi familiares et eminentes; et ut asserit Damascenus : Petrum assumpsit, tanquam futurum totius Ecclesiæ præsidem et pastorem ; Jacobum autem, tanquam moriturum pro Christo ante alios ; Joannem vero, tanquam theologiæ purissimum organum, ut visa gloria Filii, quæ
Joann. I, 1. non subjacet tempori, resonet illud : In principio erat Verbum, etc. Porro Ambrosius ait : Petrus assumitur, qui claves regni cœlorum accepit; Joannes quoque, cui committitur Mater; et Jacobus, qui primus solium sacerdotale conscendit. Ex quo verbo Ambrosii sequi videtur, quod Jacobus iste exstitit Jacobus Minor, qui Christianorum primus fuit in Jerusalem pontifex : quod etiam Augustinus super epistolam ad Galatas sentire videtur. Sed quia in præallegato verbo Matthæi evangelistæ manifeste habetur, quod assumpsit Jacobum et Joannem fratrem ejus, certissime est tenendum, quod fuit Jacobus Major. Aliqui vero pie excusant quod ait Ambrosius et habetur in Glossa, dicentes, quod per solium sacerdotale intelligunt cœlum, quod est solium Christi primi pontificis, vel martyrium, quia in primitiva Ecclesia sacerdotes et episcopi primi ad martyrium trahebantur. Certumque est, quod inter
Act. XII, 2. Apostolos Jacobus Major primus per palmam martyrii alta conscendit cœli empyrei.

Ascendit itaque Christus in montem Thabor in Galilæa (in quo postea undecim Apostolis se ostendit, ut in Matthæo legitur : de quo monte Petrus in secunda sua ait Canonica, ut dicetur), ut oraret, insinuans quod præsertim tempore orationis elevanda sit mens ad Deum, et a terrenorum affectibus separanda. *Et facta est, dum oraret, species,* id est dispositio seu figura, *vultus ejus altera,* id est mirabiliter alterata, quia radiosa atque splendiflua instar solis; non autem substantialiter mutata est substantia carnis Christi, aut quantitas ejus, sed qualitas clarificata; nec sola facies Christi, sed tota ejus caro hujusmodi fuit splendore perfusa. Quod si tantam claritatem assumpsit quantam post resurrectionem et nunc habet in corpore suo, constat quod vultus ejus quasi ineffabiliter sit clarior sole. Denique rite factum est istud Christo orante, ad designandum quod tempore orationis vultus interior mentis divinitus illustratur, quod item per orationem meremur glorificationem futuram, quodque fervor atque devotio orationis dispositio est ad transfigurationem ac ecstasim mentis. Unde in Actibus fertur, quod Petro orante, cecidit super eum mentis excessus. *Act.* X, 10.

(*Matth.* XXVIII, 16. II *Petr.* I, 18.) 29

Præterea, in resurrectione futura quatuor erunt dotes corporum glorificatorum: claritas, agilitas, impassibilitas, atque subtilitas : quæ, ut dicitur, erunt in corporibus ex redundantia beatitudinis animarum beatarum in corpora sua. Quum ergo anima Christi a primo suæ creationis instanti fuerit Divinitatem per speciem beatifice videns tam clare ut modo, præfatæ dotes ex tunc fuissent in corpore ejus ex redundantia præinducta, nisi divina dispensatione fuisset redundantia illa dilata : quæ tamen in transfiguratione hac fuit permissa, quantum ad claritatem ; quamvis aliqui dicant, quod claritas illa non fuit dos, nec dotis habuit rationem, licet fuerit, secundum essentiam, ejusdem rationis cum claritate quæ ponitur dos. De ratione namque est dotis, ut fixe permanenterque insit ; sed claritas illa inerat transeunter.

Insuper, de hac materia scribit Thomas in tertia parte : Voluit Christus coram discipulis transfigurari, ut ostenderet eis mercedem exspectandam in patria, dandam pro tribulationibus vitæ præsentis, ut per hoc in laboribus et passionibus vitæ hujus animarentur, et certificarentur de præmio. Dotes autem corporis gloriosi ex beatitudine animæ derivantur, ideo claritas illa Christi in transfiguratione, ex ejus divinitate felicitateque animæ suæ fuit origina- *Thom.* part. 3, q. 45, art. 3.

ta. Hinc asserit Damascenus : Clarificata
Exod. xxxiv, 29. fuit et Moysis facies, sed claritate extrinse-
cus adveniente. Christus autem ex innato
divinitatis fulgore est clarificatus.

Et vestitus ejus albus refulgens effectus
est. Hoc S. Marcus clarius describit, di-
Marc. ix, 2. cens : Vestimenta ejus facta sunt splen-
dentia et candida nimis, quasi nix, qualia
fullo non potest super terram candida fa-
cere. Sed qualiter factum sit istud, diver-
simode assignatur : quoniam Augustinus
sentire videtur, quod claritas seu albedo
in Christi vestimentis apparens, non fuit
subjective in eis, sed ex aeris illustratione
alba apparuerunt ac splendida, sicut pars
cœli vicinior soli. Aliis tamen apparet,
quod ad futuram corporum electorum glo-
rificationem declarandam, vestes Christi
sint veraciter in se dealbatæ et glorifica-
tæ. Claritas etenim vestimentorum Christi
præfiguravit futuram claritatem Sancto-
rum, gloriamque resurrectionis venturæ :
propter quod angelus resurrectionis domi-
Ibid. xvi, 5. nicæ testis ac nuntius, in veste candida in
Marco legitur apparuisse.

30 *Et ecce.* Recte præmittit demonstrati-
vum hoc, Ecce, quia res valde magna at-
que notabilis subditur. *Duo viri loqueban-
tur cum illo. Erant autem Moyses et Elias*
31 *visi in majestate,* hoc est, in magna clari-
tate, dignitate, seu reverentia, apparentes.
Hi duo præ ceteris apparuerunt, quia præ
ceteris patribus veteris Testamenti in mul-
tis excellenter laudantur, ac ceteris præfe-
runtur, præsertim in gloria miraculorum,
Num. xii, 3. in vitæ sanctitate ; et sicut Moyses fuit mi-
Eccli. xlviii, 1 *et seq.* tissimus, sic Elias erat justissimus. Tam
præclara igitur membra tanquam præci-
puas Synagogæ personas, decentissimum
fuit cum Christo Domino Synagogæ appa-
Matth. xi, 29. rere ac loqui, quia et Christus simul mi-
tissimus fuit atque justissimus. — Speci-
alem quoque hi duo viri conformitatem
habent cum Christo. Nam Moyses legisla-
tor ac mediator fuit populi veteris Testa-
Exod. xxxiii, 11. menti, et facie ad faciem loquebatur cum
Deo, quem etiam in hac vita per speciem
creditur conspexisse ; sed et tantæ clarita-
A tis habuit vultum, quod filii Israel eum *Exod.* xxxiv, 29 *et seq.*
nequibant adspicere. Sic Christus populi
novi Testamenti legislator est et media-
tor, cujus anima a suo exordio incessanter
vidit Deum per speciem, et tanti splendo-
ris in hac transfiguratione habuit faciem,
quod Apostolorum reverberavit intuitum.
Elias vero secundum Christi præcurret ad- *Malach.* iv, 5, 6.
ventum, suisque precibus cœlum clausit *Jacob.* v, 17, 18.
ac reseravit, et in virginea puritate per-
mansit : sic Christus claudit et aperit re-
gnum cœleste, cujus ingressum prohibet
B impiis, et præstat electis. Rursus, per Moy-
sen vere defunctum, et Eliam nondum
mortuum, monstratum est Christum esse
vivorum mortuorumque judicem. Per quo-
rum etiam apparitionem apertissime con-
demnatæ sunt hæreses asserentium alium
esse Deum legis ac Prophetarum, et Deum
evangelicæ legis, et quod Prophetæ de
Christo prælocuti non sint. — Denique
Christus testes suæ transfigurationis ades-
se voluit, tam Sanctos veteris Testamenti,
quam Sanctos novæ et evangelicæ legis,
C ad insinuandum quod homines utriusque
Testamenti salventur per ipsum.

Tenendum est quoque, quod Moyses et
Elias personaliter et vere adfuerint, non
in similitudine quadam, aut angeli in eo-
rum persona, ut quidam dixerunt. Moysen
autem quidam dicunt ad horam suscita-
tum a morte, atque in proprio corpore
apparuisse. Unde Hieronymus ait, quod
resurrexit ab inferis. Augustinus quoque
super Joannem de beatissimi Joannis evan-
gelistæ disputans sepultura, idem sentire
D videtur, inter cetera dicens : Quasi divina
virtus non potuerit ad horam corpus Moy-
sis suscitasse, videlicet in Christi transfi-
guratione. Alii opinantur, quod apparuit in
corpore assumpto, ut angeli : quod etiam
Thomas in tertia parte affirmat. Postremo,
de Elia tenendum est, quod in proprio cor-
pore de paradiso terrestri adductus sit vir-
tute divina, angelico forsan obsequio.

Et dicebant excessum, hoc est passionem
ejus, quem completurus erat in Jerusalem,
hoc est complete passurus seu completu-

rus, quia se ipsum tradidit in mortem, sicut in Joanne loquitur (*Joann.* x, 18.): Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam. Et ab Isaia dictum est (*Is.* LIII, 12.): Tradidit in mortem animam suam. Apostolus quoque (*Galat.* II, 20.): In fide, inquit, vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. Dicitur autem passio seu mors Christi excessus, quia in ea ostensus est excessus summæ dilectionis et pietatis ejus ad nos, et propter excessivum ejus dolorem pro nobis, atque ob excessivam crudelitatem Judæorum in eum. Denique in libro Machabæorum (II *Mach.* x, 9.) habetur, quod Antiochi vitæ excessus ita se habuit. Quo patet quod per vitæ excessum mors designetur, in qua præsens vita exceditur, quoniam extra intrinsecum terminum ejus transitur. Itaque, de Christi passione, tanquam de profundissimo maximoque mysterio, præclarissimi viri hi loquebantur cum Christo, ei gratias referendo, pro mundi salute precando, Judæorum impietatem mirando atque dolendo.

32 *Petrus vero, et qui cum eo erant,* scilicet Jacobus et Joannes, *gravati erant somno.* Si ante hunc somnum cœperunt Christi claritatem præfatam conspicere, ac etiam Moysen et Eliam, mirum quod tam cito obdormierunt, quum tam insolita visio timorem, stuporem, totiusque naturæ ingentem alterationem et concussionem, per quæ somnus satis diu aufertur ac impeditur, incutere soleat. Hinc Chrysostomus, asserens eos ante hunc somnum Christi claritatem vidisse, per somnum intelligit incussum eis vehementem stuporem ex visione prædicta : neque enim nocturnum tempus erat, sed lucis excellentia gravabat oculorum eorum debilitatem. Ambrosius quoque concordare videtur, dicendo : Premit incomprehensibilis splendor Divinitatis nostri corporis sensus, nec Dei gloriam humanorum ferre potest corruptela membrorum. Verumtamen textui magis consonare videtur, ut de somno naturæ seu corporali dormitione hæc exponantur : nam protinus subditur, Et evigilantes, etc. Itaque reor quod antequam Christi transfigurationem seu claritatem videre cœperunt, somno oppressi sint, Christo videlicet ante suam transfigurationem satis diu orante : quo interea transfigurato, experrecti sunt Apostoli, et tunc Christi fulgorem conspicere orsi sunt. Quod et textus insinuare videtur. Nam subditur : *Et evigilantes, viderunt majestatem ejus,* hoc est, claritatem magnificam et eminentiam ejus supra Moysen et Eliam, de quibus subjungitur, *et duos viros qui stabant cum illo* in vertice montis. Hinc dicit Theophilus : Christo orationi vacante, Petrus somno deprimitur, quia infirmus erat, et quod humanum erat implevit ; excitatus vero, ejus gloriam cernit.

Quæritur, quomodo Petrus et alii duo Apostoli Moysen et Eliam, quos ante non viderant, tunc noverunt. Ad quod aliqui dicunt, quod illustratione claritatis prædictæ. Arbitror autem, quod Moyses et Elias se ad Apostolos benignissime converterunt, et eos amorose adspexerunt, ac aliquo signo se innotuerunt eisdem; vel forte Christus audientibus Apostolis alloquebatur nominatim Moysen et Eliam, sicut amici convenientes solent se invicem ex nomine salutare.

Et factum est quum discederent ab illo, 33
videlicet Moyses et Elias a Christo : quia repente dum Christo complacuit, disparuerunt, atque ad sua reversi sunt loca ; *ait Petrus ad Jesum : Præceptor, bonum est nos hic esse,* hoc est, valde delectabile et securum est nos tecum in monte hoc commorari, ut te in tanta claritate et gloria hilariter contemplemur. Forte hoc dixit Petrus etiam ideo, quia videbat quomodo Scribæ et Pharisæi Christo insidiarentur; ideo optavit in loco hoc tuto manere. Chrysostomus vero ait eum ideo hoc dixisse, quia a Moyse et Elia audivit Christum in Jerusalem passurum esse. Sed non apparet certum, quod Petrus verba illa Moysis atque Eliæ audierit. Lucas namque jam scripsit verba illorum prolata, antequam Petri et aliorum Apostolorum somnum et excitationem describat. *Et faciamus tria taber-*

nacula, unum tibi, unum Moysi, et unum A *Eliæ.* Non sex, sed tria tabernacula fieri flagitabat, reputans se et condiscipulos suos in tabernaculis illorum trium magnorum posse manere, quemadmodum servi in domibus dominorum suorum morantur : se tamen in tabernaculo magistri sui manere optavit. Arbitrabatur quoque Eliæ desiderabilius esse in hoc monte manere cum Christo, quam terrestri in paradiso.

Hæc autem locutus est Petrus velut in vehementi stupore et ecstasi mentis. Ideo subditur : *nesciens quid diceret,* hoc est, B præ affectionis, admirationis, delectationis, devotionisque magnitudine, sensum propriorum verborum non multum aut non satis advertens, nec consideranda considerans. Non enim consideravit, quod si Christus ibi maneret, non prædicaret neque miracula faceret, nec pro salute sæculi moreretur, sicque hominum salus impediretur. Insuper, non in terra, sed in cœlo locus mansionis finalis quærendus est, nec in contemplatione claritatis humanæ naturæ Christi, sed divinitatis, est C constituenda felicitas. — Porro Marcus aliam hujus inadvertentiæ Petri causam assignat, dicendo quod ipse aliique discipuli
Marc. IX, 5. erant perterriti : quia et hoc naturale est homini, viso aliquo insolito, supernaturali atque magnifico, formidare, ut plenius di-
Luc. I, 12. ctum est de formidine Zachariæ. Excessivus quoque timor, sicut et ceteræ passiones immoderatæ seu prædominantes, usum rationis valde impediunt. Nam et anima vehementer in actu unius potentiæ occupata, in aliarum usu actuque virium mi- D noratur et debilitari asseritur.

34 *Hæc autem illo loquente, facta est nu-*
Matth. XVII, 5. *bes,* lucida, secundum Matthæum : quæ supernaturaliter facta videtur angelico famulatu, quia et declivius descendit quam solent descendere nubes, ut statim patebit; *et obumbravit eos,* hoc est, temperate operuit eos, videlicet Christum, Moysen et Eliam, secundum quosdam. Ait namque Theophilus : Petro dicente, Faciamus tria
Hebr. IX, 11, 12. tabernacula, Dominus tabernaculum non manufactum fabricat, et in illud ingreditur cum Prophetis, ut ostenderetur quod non minor est Patre : sicut enim in veteri Testamento habitare in nube Dominus dicebatur, sic et nunc nubes suscepit Dominum, non caliginosa, sed lucida. Nam *Exod.* XVI, 10; XIX, 9; *Lev.* XVI, 2; etc. obscuritas legis transierat. Sed quia nunc dictum est, Factum est quum discederent ab illo, videlicet Moyses et Elias, ait Petrus, Bonum est nos hic esse; alii aliter hæc exponunt dicentes, quod nubes obumbravit, non Moysen et Eliam qui jam abierunt, sed Apostolos, temperans eis splendorem Christi transfigurati ad intuendum. Augustinus quoque libro de Consensu Evangelistarum testatur post recessum Moysis ac Eliæ hæc contigisse.

Et timuerunt Apostoli ex tam admirabili visione. Nec obstat, quod etiam lætabantur, et dulci devotionis perfundebantur affectu, quia de eadem re secundum diversas considerationes variæ concipiuntur affectiones. Apostoli itaque gloriæ Christi congratulabantur, et in adspectu tantæ pulchritudinis oblectati fuerunt : propter quod ibi manere optabant. Hujusmodi autem timor, humanæ fragilitatis est signum atque effectus, quæ magnarum rerum adspectum ferre non valet sine pavore. Idcirco ait Gregorius : In quantam miseriam cecidimus, qui ipsum bonum ferre non possumus ad quod creati sumus? *Intrantibus illis,* videlicet Moyse et Elia, ut aliqui dicunt, *in nubem.* Sed quia jam dictum est quod Moyses et Elias nunc abierunt, potius ad Apostolos refertur : qui dicuntur nubem intrasse, quia operiebat protegebatque eos, quanquam ex tam insolito terrerentur operimento.

Et vox facta est de nube, dicens : Hic 35
est Filius meus dilectus. Hoc ipsum supra *Luc.* III, 22.
diligenter expositum est. Christus quippe est Filius Dei Patris, Patri coæternus, consubstantialis et coæqualis, a Patre infinite dilectus, in quantum est Deus; in quantum vero est homo, plus est dilectus a Patre seu tota superbeatissima Trinitate, quam universitas creaturarum simul acce-

pta. *Ipsum audite,* auribus cordis et cor- A poris, ei in omnibus obediendo, quum ipse
Joann. XIV, 6. sit via, veritas et vita, nemoque veniat ad Patrem nisi per ipsum. Ipse enim est summus magister atque salvificus mediator. Et si graviter peccaverunt, qui Moysen Dei servum non audierunt, nec ejus jussionibus paruerunt : quam enormiter peccant, qui unigenitum Dei Filium non advertunt, nec per obedientiam venerantur!

Denique, similis facta est apparitio et contestatio in Christi baptismo, et transfiguratione. Sed ibi ostensus est Spiritus B
Luc. III, 22. Sanctus in forma columbæ, ad ostendendam Christi innocentiam ; hic autem in nube lucente, per quam Spiritus Sancti illuminatio atque a calore vitiorum gratiosa refrigeratio designantur. Hinc asserit Beda : Sicut Domino in Jordane baptizato, sic etiam in monte clarificato, totius Trinitatis mysterium declaratur, quia gloriam illius quam in baptismo confitemur, in resurrectione videbimus. Nec frustra Spiritus Sanctus hic in lucida nube, illic apparuit in columba, quia qui nunc simplici C corde fidem quam percepit, servat, tunc luce apertæ visionis, quod credidit, cernet. Rursus, quoniam Christi baptismus fuit figura et causa nostræ regenerationis in gratia, et ejus transfiguratio figura et causa fuit nostræ clarificationis in gloria, decuit utrobique Christo testimonium perhiberi a Patre pro nostræ fidei confirmatione. Columba demum, quæ de terra est, gratiam vitæ præsentis, nubes vero de cœlo apparens, gloriam vitæ cœlestis congruentius præfigurat : ideo in baptismo columba, in D transfiguratione nubes fuit ostensa.

Præterea, de hac re princeps Apostolo-
II Petr. I, 16, 17. rum in sua Canonica inclyte loquitur : Non indoctas fabulas secuti, notam vobis fecimus Domini nostri Jesu Christi virtutem et præscientiam. Accepit enim a Deo Patre honorem et gloriam, voce delapsa ad eum hujusmodi a magnifica gloria : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Hinc etiam Joannes
I Joann. v, 10. scribit : Qui non credit in Filium, mendacem facit Patrem, quia non credit in testimonium quod testificatus est Deus de Filio suo.

Postremo, Thomas in tertia parte : In Thom. part. 3, q. 45, art. 4.
transfiguratione, inquit, atque baptismo Christi, vox Patris audita est, Hic est Filius meus dilectus, ad ostendendum quod Christus sit Dei Filius naturalis : cujus filiationis similitudinem quamdam sortiuntur fideles per gratiam, quæ in Baptismate datur, et per lumen gloriæ, quæ in ejus transfiguratione significabatur : unde Spiritus Sanctus in nube lucida in transfiguratione apparuit. In gloria namque futura, omnes Sancti fulgebunt ut sol. Matth. XIII, 43.

36
Et dum fieret vox Patris præfata, quæ angelico ministerio fertur formata, *inventus est Jesus solus,* hoc est a Moyse et Elia corporaliter separatus. Non autem est hoc intelligendum, quod usque ad vocis hujus prolationem Moyses et Elias cum Jesu permanserunt, quia ut dictum est, ante jam abierunt, ne ad eorum aliquem crederetur vox facta : sed ut ait Matthæus, quum fieret vox illa magnifica et tubalis, audientes Ibid. XVII, 6-8.
eam discipuli, ceciderunt in facies suas, timueruntque valde; et accessit Jesus et tetigit eos, dixitque eis, Surgite, nolite timere; et tunc inventus est Jesus ab eis solus, cessavitque claritas sui vultus, ita quod poterant eum irreverberatis adspicere oculis.

Et ipsi tacuerunt, et nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex his quæ viderant in hac transfiguratione : quia ut Matthæus et Marcus describunt, descenden- Ibid. 9; Marc. IX, 8.
tibus eis de monte Christus præcepit, Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a morte resurgat. Cujus jussionis multæ sunt causæ : Prima, ut doceret nos Christus propriam perfectionem seu excellentiam, quamdiu hic vivimus, occultare, nisi forte causa valde idonea requirat oppositum. Secunda, ut personis devotis daret exemplum, non faciliter nec sine rationabili causa revelationes suas manifestandi. Unde et Paulus non nisi post qua- II Cor. XII, 2.
tuordecim annos raptum suum descripsit.

Tertia, ne visio ista ob suam magnitudi- A
nem incredibilis putaretur, et sic alii non
credendo peccarent. Quarta, ne tempore
passionis gravius scandalizarentur, qui an-
te poterant ædificari ex visionis hujus re-
latione. Apostoli quoque fideliter ac obedi-
enter tacendo, reliquerunt nobis exemplum
tenendi in secreto quod nobis secrete in-
sinuatur aut occultandum committitur :
imo oppositum facere, est contra fidelita-
tem et ex suo genere peccatum mortale,
secundum Thomam. Propter quod in Eccle-
Eccli. xxvii, 17. siastico scriptum est : Qui denudat arcana B
amici, fidem perdit ; et, Denudare amici
Ibid. 24. mysteria, desperatio est animæ infelicis.
In Proverbiis quoque Salomon loquitur :
Prov. xi, 13. Qui ambulat fraudulenter, revelabit arca-
na ; qui autem fidelis est, celat amici com-
missum. Damascenus insuper ait, quod id-
eo Christus jussit visionem taceri, quia
sciebat alios discipulos adhuc imperfectos,
tanquam nondum plenam Spiritus Sancti
infusionem sortitos : idcirco fuissent forte
immoderate tristati, si a tam præclarissi-
ma visione se agnovissent seclusos ; et ne C
proditor ad invidiam concitaretur.

Consequenter describitur mira obsessi
37 curatio. *Factum est autem in sequenti die,
descendentibus illis,* videlicet Jesu cum Pe-
tro, Joanne et Jacobo, *de monte,* in quo
transfiguratio facta est Christi. Verba au-
tem hæc sonant, quasi Jesus et tres isti
Apostoli pernoctassent in monte, quemad-
Luc. vi, 12. modum supra scriptum est : Exiit Jesus
in montem orare, et erat pernoctans in
oratione Dei. *Occurrit illi turba multa,*
quæ fuit circa alios novem Apostolos con- D
Marc. ix, 14. gregata ; et ut in Marco habetur, viso Jesu,
accurrens salutavit eum. Quemadmodum
autem Christus cum discipulis in montem
ascendit, ut oraret et divina perageret, de-
inde ad turbas cum discipulis rediit, ut
fraternæ caritatis opera adimpleret ; sic
prælati cum officiatis et bonis filiis suis,
debent sæpe ad loca secreta confugere, ut
contemplativæ actibus vitæ insistant, et
rursus ad activæ opera vitæ reverti, ut
proximis suffragentur. Si autem aliqui sub-
ditorum, gustata dulcedine vitæ contempla-
tivæ ex inspectione pulchritudinis incre-
atæ, voluerint prælatum suum ab operibus
sanctis vitæ activæ retrahere, et cum illo
in contemplationum exercitiis permanere,
non acquiescendum est eis, sed ad descen-
sum sunt inducendi, dum caritas hoc re-
quirit.

Et ecce vir de turba exclamavit, di- 38
cens : Magister, obsecro te, hoc est, per sa-
cra te rogo : estque obsecratio dignissima
species orationis, et ad impetrandum ef-
ficacissima ; *respice in filium meum,* id
est, oculo pietatis et subventionis eum in-
tueri digneris. Hæc oratio probitatis sa-
gacitatisque fuit, quia in generali locutus
est, et Christi adspectum confessus est
esse salvificum. *Quia unicus est mihi :* id-
eo magis condolendum est mihi, eo quod
alterius prolis solatio caream, et iste mi-
hi tam carus necessariusque consistat. *Et* 39
ecce spiritus, utique malus, puta diabo-
lus : qui ob naturæ subtilitatem dicitur
spiritus, et ratione peccati, diabolus ; *ap-
prehendit eum,* id est, invadit et obsidet ;
et subito clamat hic filius meus ex repen-
tino ac vehementi dolore ; vel spiritus
clamat per ipsum, seu ipsum facit clama-
re ; *et elidit,* id est, prosternit, juxta illud
Matthæi : Sæpe cadit in ignem et crebro *Matth.* xvii, 14.
in aquam ; *et dissipat eum cum spuma,* id
est, membra ejus quasi confringit, undi-
que eum vexando, fatigando ac debilitan-
do, ita quod facit eum spumare, secundum
illud Marci : Ubicumque spiritus appre- *Marc.* ix, 17.
hendit eum, allidit ipsum, et spumat, et
stridet dentibus, et arescit ; *et vix disce-
dit,* hoc est, sæpe non nisi cum magna
difficultate recedit a filio meo, et ab ejus
vexatione cessat, *dilanians,* id est, gravis-
sime affligens, *eum,* in tali vicissitudinato
recessu. Quibus verbis innuitur, quod ju-
venis iste non fuit continue obsessus, sed
certis horis, tanquam arrepticius : ideo
scriptum est in Matthæo : Quia lunaticus *Matth.* xvii, 14.
est, et male torquetur. Dicuntur nempe
lunatici, quia secundum lunationes seu
tempore noviluniorum furorem incurrunt.

40 *Et rogavi discipulos tuos,* id est novem Apostolos, qui te exsistente in monte, manserunt cum turba, *ut ejicerent illum, et non potuerunt.* Aliqui dicunt, quod vir iste false accusat Apostolos, ita quod defectus ejectionis diaboli non fuit ex parte Apostolorum, sed viri istius, scilicet propter incredulitatem ipsius : et hoc satis videretur posse defendi, si non adspicerentur nisi verba Lucæ ac Marci ; sed ea quæ in Matthæo scripta sunt intuendo, invenitur oppositum. Idcirco dicendum, quod defectus iste fuit partim ex imperfectione fidei discipulorum, partim ex imperfectione fidei patris hujus obsessi. Ait quippe
Matth. xvii, 18, 19. Matthæus : Accesserunt discipuli ad Jesum secreto, et dixerunt : Quare nos non potuimus ejicere eum ? Dicit illis Jesus : Propter incredulitatem vestram. In Marco au-
Marc. ix, 22, 23. tem Jesus loquitur patri huic : Si potes credere, omnia sunt possibilia credenti. Et exclamans pater pueri, cum lacrimis ait : Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam. Patet ergo quod habuit fidem (aliter non rogasset pro hac re, primo Apostolos, postea Christum), sed imperfectam.

41 *Respondens autem Jesus, dixit : O generatio infidelis et perversa, usquequo ero apud vos, et patiar vos?* Hoc loquitur Christus patri pueri, ut aliqui dicunt, ceterisque Judæis incredulis. Alii dicunt, quod non patri pueri hujus obsessi, sed solis induratis Judæis ista locutus sit. Loquitur autem Scriptura de duplici generatione, videlicet bona et mala : ita quod universitas hominum electorum virtuose viventium, nominatur generatio bona : de qua
Ps. xxiii, 6. fertur in Psalmo, Hæc est generatio quærentium faciem Dei Jacob. Reprobi vero vitiosique homines dicuntur generatio ma-
Deut. xxxii, 5. la : de qua in Deuteronomio, Generatio
Matth. xxiii, 36. prava atque perversa ; et in Matthæo, Venient hæc omnia super generationem istam. Itaque generatio dicitur infidelis, quantum ad intellectum ; perversa, quantum ad affectum, quasi a Deo et a via veritatis ac æquitatis aversa. Præterea, Christus locutus est verba hæc, non ex indignatione culpabili, sed ex affectu et zelo justitiæ, qui aliquando appellatur indignatio bona, videlicet contra peccata. — Itaque ait : *Usquequo ero apud vos,* per corporalem præsentiam, *et patiar vos,* id est vestram infidelitatem et pravitatem quas detestor, et propter quas tristor ? Hoc ait, insinuando quod cito esset recessurus per passionem de sæculo isto, et quod ad Patrem optaret reverti ; item, quod vitia hominum penitus abominaretur. Non autem quasi impatiens aut tædio victus hæc protulit, sed gravitatem infidelitatis illorum declarans, quod post tanta sua documenta, exempla atque miracula, non fuerunt conversi.

Adduc huc filium tuum. Hoc Christus præcepit patri obsessi, non quod absentem curare non posset, sed ut ad aliorum ædificationem miraculum publice fieret.
Et quum accederet obsessus ad Jesum, *eli-* 42
sit, id est, in terram projecit, *illum dæmonium et dissipavit :* sicut expositum est. Ideo autem Christus permisit dæmonem hanc suam crudelitatem exercere in puerum istum, ut dæmonis malignitas turbæ magis claresceret, sicque saltem timore pœnarum vitam corrigerent ; item, ut miraculi magnitudo ad Dei honorem clarius monstraretur ; atque ad innuendum quod diabolus homines tunc fortius tentat, quum cernit eos velle vitam corrigere,
seque ab eis debere repelli. *Et increpavit* 43
Jesus spiritum immundum, puta diabolum, ob tantam suam ferociam : quia etsi non absque permissione divina ingressus est juvenem, crudeliter tamen et prava intentione eum vexavit. Apud Marcum apertius scriptum est : Comminatus est Jesus *Marc.* ix, 24.
spiritui immundo, dicens illi : Surde et mute spiritus, ego tibi præcipio, exi ab eo, et amplius ne introeas in eum. Quo patet, quod diabolus fuit surdus et mutus. Dicitur autem diabolus surdus et mutus ab effectu, quia possessum a se surdum facit ac mutum. Sed circa hoc quæstio oritur, quia jam dictum est, quod puer iste apprehensus a dæmone, mox clamavit. Et

respondendum, quod fecit eum mutum, A id est impotentem ad loquendum, non ad confuse vociferandum.

Et sanavit puerum dæmonem expellendo, et puerum a sua corporali infirmitate sanando, auditum quoque et loquelam ei restituendo. Sicque quatuor signa in eodem simul peracta sunt, quum dæmoniacus liberatur, æger sanatur, mutus loquitur, auditque surdus. Sed tria hæc signa posteriora, ad primum per concomitantiam quamdam se habuerunt, quoniam juvenis iste ex naturali causā non habuit B loquendi aut audiendi defectum, sed dæmon indisposuit organa sensuum ejus ac virium, ægritudinemque vexando induxit : idcirco expulso diabolo, alia incommoda paulatim cessassent. Sed Christus ea supernaturaliter fecit cessare, puerum citius ab eis eripiendo quam potuisset natura.

Marc. IX, 25, 26. Nam Marcus testatur : Exclamans, et multum discerpens eum diabolus, exiit ab eo ; et factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent, Quia mortuus est. Jesus autem tenens manum ejus, elevavit eum, et surrexit. C Ideo subditur : *et reddidit illum patri ejus :* ita quod pater ejus possedit eum, qui paulo ante fuit a dæmone obsessus, et patri suo ablatus.

44 *Stupebant autem omnes in magnitudine Dei,* id est, in tam magnifico signo divinæ potentiæ ostensivo, tam imperialiter facto, vehementer mirati sunt : imo ex consideratione effectus, ad contemplationem admirationemque causæ promoti sunt, ita ut divinæ potentiæ immensitatem sunt admirati. Et hic est potissimus D fructus hujus miraculi, ut scilicet ex ejus intuitu homines ad Dei venerationem inducerentur. Quamvis autem Christus hujus actor miraculi, fuerit verus Deus, hi tamen hoc ignoraverunt, sed divina virtute eum crediderunt istud egisse. Dicit quoque Salvator in Matthæo, genus hoc dæmoniorum non ejici nisi in oratione et jejunio : quod ibi expositum est. *Matth.* XVII, 20.

Juxta mysticum intellectum, Christus perfectis ascendit, eos contemplationis gratia illustrando ; imperfectis ac turbis descendit, dum eos de facilioribus instruit, et leviora eis proponit ac jubet, qui alta capere nequeunt. Porro, per obsessum lunaticum, surdum ac mutum, intelligitur quicumque magnus peccator : qui instar lunæ mutatur, et in vitiis nunc crescit, modo decrescit ; qui surdus est corde ad obedienter audiendum ea quæ suam concernunt salutem, et mutus ad laudandum Deum devote, ad confitendum salubriter, ad orandum instanter. Talem apprehendit diabolus, inducendo eum ad peccati dilectionem atque consensum ; clamareque facit, per intentum peccandi affectum, per murmurationem, præsumptionem, et impiorum verborum garrulationem. Elidit eum, in diversa vitia præcipitando ; dissipat, per inordinatarum affectionum malarumque cogitationum corruptionem ; stridere facit, per iram, impatientiam, et rancorem ; spumare facit, per luxuriam ; aridum efficit, per indevotionem bonorumque operum omissionem ; vix discedit, tenendo peccatorem in consuetudine vitiosa ; dilaniat quoque, naturalia vulnerando, seu vires inficiendo, et ad bona infirmas reddendo.

ARTICULUS XXV

ELUCIDATIO RESIDUÆ PARTIS HUJUS NONI CAPITULI : OMNIBUSQUE MIRANTIBUS IN OMNIBUS QUÆ FACIEBAT, ETC.

Eccli. XI, 27. QUOD in Ecclesiastico sapienter consulitur, Christus se implesse ostendit, qui omnibus ipsum magnificantibus, futuram suam passionem et aspernationem attendit, suisque prædicit Apostolis, sicut Evangelista prosequitur. *Omnibusque mirantibus in omnibus quæ faciebat,* id est, universis miracula ejus videntibus, admirantibus de cunctis mirabilibus quæ agebat : quia non minus admirabilis fuit modus agendi quam facta ejus mirifica, eo quod tam potestative ac imperiose egit miracula ; *dixit ad discipulos suos,* puta Apostolos, quibus tanquam familiaribus et amicis sua revelavit secreta ; quibus et dixit, Vobis datum est nosse mysterium regni Dei : (*Luc.* VIII, 10.) *Ponite vos in cordibus vestris,* non libris tantum, ut multi, nec tantum in cordibus aliorum, ut illi qui prædicant quæ non implent, *sermones istos,* et eos tanquam depositum custodite, utpote mysterium passionis. (II *Tim.* I, 14.)

Filius enim hominis futurum est ut tradatur in manus hominum, hoc est sensualitatem sequentium. Unde quod ait hic, Hominum, sonat in vitium, sicut quum ait Apostolus : Quum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis ? (I *Cor.* III, 3.) Interdum vero in Scripturis hoc nomen, Homo, sonat in bonum, et virtutem insinuat, ut quum Paulus testatur : Si secundum hominem, id est rationabiliter, ad bestias pugnavi Ephesi, hoc est, contra homines bestiales disputavi in Epheso. (*Ibid.* XV, 32.) Ratio vero hujus diversitatis est, quoniam licet homo a rationali perfectione speciem sortiatur : ita ut proprie dicatur homo, qui rationem sequitur ; et humanum, quod pium et rationabile est : nihilo minus major pars hominum, non rationem, sed sensualitatem, seu concupiscentias ceterasque ejus passiones sectatur : ita ut homo appelletur, qui carnalis est ; et humanum, quod erroneum exstat ac fragile, quemadmodum dicimus, Humanum est deficere et peccare.

At illi ignorabant, id est, non intelligebant, *verbum istud, et erat velatum ante eos,* id est, intellectibus eorum fuit occultatum atque ignotum. Hoc est velamen ignorantiæ, de quo dicit Apostolus : Velamen super cor Judæorum positum est. (II *Cor.* III, 15.) *Ut non sentirent illud,* id est, sensum verborum istorum non gustarent, nec penetrarent. In quo magna eorum simplicitas innotescit, quum Prophetæ tam evidenter Christi prænuntiaverint passionem, ipseque Christus eam tam præclare prædiceret. Non enim solum protulit verba quæ Lucas hic recitat, sed ut Matthæus et Marcus habent, verbis his addidit : Et occident eum, et tertia die resurget. (*Matth.* XVII, 22 ; *Marc.* IX, 30.) Sed notanda sunt verba Bedæ dicentis : Hæc ignorantia discipulorum non tam de tarditate quam de amore nascitur : qui carnales adhuc et mysterii crucis ignari, eum quem Dei Filium cognoverunt, occidendum credere non valebant. Et quia per figuras atque parabolas loqui solebat, etiam quæ de sua traditione prædixit, figuraliter aliud significare putabant. Sed his videtur contrarium, quod in Matthæo scriptum est, Et contristati sunt vehementer, scili- (*Matth.* XVII, 22.)

cet, auditis his verbis : quod non fuisset, nisi intellexissent eum de sua passione hæc loqui. Ad quod respondendum videtur, quod quidam eorum aliqualiter intelligebant hæc verba, quamvis non plene : nam et paulo ante Petrus, Jacobus et Joannes audierunt in monte Moysen et Eliam de Christi passione conferre.

Et timebant eum interrogare de hoc verbo, id est, quid sermo iste significaret. Cujus causam expositores assignant, quia jam ante audierunt Petrum dure increpari a Christo se occidendum prænuntiante, eo quod persuaderet oppositum, dicens : Domine, propitius esto tibi, nam hoc non erit. Propter quod audivit a Christo : Vade retro me, satana; non sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum. Itaque, si ista de causa, timebant Christum interrogare de intellectu verborum istorum, apparet quod utique consideraverunt eum de passione sua profari. Ad quod puto dicendum, quod quidam eorum suspicabantur hoc ipsum, sed dubii erant, non intelligendo plenarie : ideo cupiebant interrogare, sed formidabant redargui.

Matth. XVI, 22. *Ibid.* 23.

46 *Intravit autem cogitatio in eos, quis eorum major esset,* id est, de hoc cogitare cœperunt, vel ex diabolica suggestione, ut aliqui dicunt, vel ex vanitate infirmitatis humanæ : fuitque istud tentatio quædam ambitionis, quia de prælatione solliciti sunt mente. Et ut ait Chrysostomus, Christus sæpe permisit discipulos suos in cogitando, loquendo et operando errare, ut ex illorum errore occasionem accipiat docendi regulam æquitatis. Ait quoque Cyrillus : Multipliciter insidiatur diabolus diligentibus optimam vitam, et quos per carnales illecebras superare non potest, per desiderium vanæ gloriæ molitur dejicere.

Porro, hujus tentationis occasio fuit, secundum Theophilum, quia dæmoniacum prædictum curare nequibant : eis de hoc altercantibus, et uno dicente, Non propter meam impotentiam, sed alterius, curari non potuit : ut ex hoc accensa contentio fuerit, quis eorum major esset. Chrysostomus aliam causam assignat, dicendo quod audita morte Magistri sui, cœperunt cogitare quis illo occiso eis deberet præesse. Alii alias tradunt causas : quia videlicet novem Apostoli viderunt tres seorsum in montem ductos, humanum quid passi sunt; et item quia videbant Petrum præ ceteris in multis honorari a Christo. Unde et sæpe hanc tentationem incurrerunt. Nam primo, de ea cogitaverunt, ut dicitur hic. Secundo, de ea disputaverunt, juxta illud Marci : Interrogavit eos, Quid in via tractabatis? At illi tacuerunt : siquidem inter se disputaverant, quis eorum esset major. Tertio, disputatam Christo determinandam proposuerunt, secundum illud Matthæi : Accesserunt discipuli ad Jesum dicentes, Quis, putas, major est in regno cœlorum? Et non obstante eorum increpatione et Christi responsione ac informatione, adhuc quarto etiam in Cœna novissima contenderunt de ista materia, sicut infra habetur : Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major. — Tantam autem imperfectionem sapientiæ ac virtutum permisit Christus suis carissimis inesse discipulis, puta Apostolis, non sine maxima dispensatione ac rationabilissima atque utilissima causa. Ex hoc enim fides christiana potissimum confirmatur, quod primi illi prædicatores ipsius, usque post sui occisionem Magistri tantæ imperfectionis fuerunt, et subito tantæ perfectionis in omni sapientia, virtute, atque constantia sunt effecti, ut certissimum est non nisi divinitus fieri potuisse.

Marc. IX, 32, 33. *Matth.* XVIII, 1. *Luc.* XXII, 24.

Postremo, etiam inter pauperes Christi, inter eos qui mundo per vota solennia abrenuntiaverunt, inter claustrales, ista ambitionis stultitia invenitur : ex qua demum, secundum Gregorium, culpæ innumerabiles oriuntur. Quam nisi religiosus funditus exstirpaverit, sciat se parum aut nihil profecturum, et nunquam ad veram perfectionem venturum. Tantam ergo insaniam, velut infinitam amentiam, ac totius profectus venenum, prorsus abjiciamus.

47 *At Jesus videns,* visu mentali, *cogitati-* A
ones cordis illorum : quas vidit, tam per
intellectum divinum et increatum, quam
per intellectum humanum ; *apprehendit*
puerum, et statuit illum secus se. Puerum
illum quidam dicunt fuisse S. Martialem,
48 unum de septuaginta duobus discipulis. *Et*
ait illis, volens interiora illorum sanare,
ignorantiam informare, virtutes inserere,
Jesus, qui cogitata illorum cernendo, et
verbo et facto se ea vidisse probando,
Deum se esse monstravit : quia et Salo-
III *Reg.* VIII, 39; *Act.* I, 24. mon, et Petrus in Actibus ait, Tu, Domine, B
solus nosti corda omnium.

Quicumque susceperit puerum istum, id
est, hospitaverit, seu caritative tractaverit
hunc puerum innocentem, seu quemcum-
que pauperem designatum per ipsum, *in*
nomine meo, id est ideo quia fidelis est,
pertinensque ad me, atque ob meum amo-
rem, et ad honorem nominis mei (sicut
Coloss. III, 17. docet Apostolus : Omnia quæcumque fa-
citis in verbo vel opere, omnia in nomine
Domini nostri Jesu Christi facite, gratias
agentes Deo Patri per ipsum), *me recipit,* C
quia tam gratum est mihi, ac si meæ per-
sonæ id fieret, mihique reputo factum :
Matth. XXV, 40. juxta illud Matthæi, Quamdiu uni ex mi-
nimis meis fecistis, mihi fecistis. *Et qui-*
cumque me recipit, modo jam dicto, vel
etiam per spiritualem inhabitationem, et
obedientialem subjectionem, *recipit eum*
qui me misit, videlicet Deum Patrem, et
ejus gratiosam inhabitationem. Pater quo-
que honorem Filio suo exhibitum sibi ar-
bitratur impensum. Filius etiam protesta-
Joann. X, 30. tur : Ego et Pater unum sumus. Et apud D
Ibid. XIV, 23. Joannem loquitur : Si quis diligit me, ser-
monem meum servabit, et Pater meus di-
liget eum ; et ad eum veniemus, et man-
sionem apud eum faciemus. Itaque Deum
recipimus, dum famulos et pauperes ejus
suscipimus propter ipsum, quia tunc ca-
ritatem et gratiam, seu caritatis et gratiæ
incrementum meremur : caritatem autem
et gratiam, seu earum augmentum susci-
piendo, Deum suscipere dicimur. Deus quo-
que sibi reputat factum, quod ex caritate
fit suis pauperculis ac ministris : imo et
injuriam eis illatam sibi judicat factam,
quemadmodum per Zachariam fatetur : Qui *Zach.* II, 8.
tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei.
Et in Proverbiis Salomon ait : Qui calum- *Prov.* XIV, 31.
niatur egentem, exprobrat factori ejus. —
His verbis docet Christus, non prælatio-
nem, sed humilitatem et paupertatem esse
quærendam.

Potest autem et ita exponi : *Quicumque*
susceperit puerum istum in nomine meo,
id est, proprietates et formam hujus in-
nocentis juvenis propter me in se acce-
perit, imitatusque fuerit, *me recipit,* id
est, me spiritualiter induit, et mihi ve-
re unitur, placet ac incorporatur : sicut
ait Apostolus, Induimini Dominum Jesum *Rom.* XIII, 14.
Christum. *Quicumque* autem ita *me reci-*
pit, recipit eum qui me misit, quia in eo
Pater per gratiam magnam manet. — Præ-
terea, Christo secundum humanitatem com-
petit mitti, non solum a Patre, sed etiam
a Spiritu Sancto, imo et a tota superbe-
nedicta Trinitate, videlicet etiam a semet-
ipso secundum quod Deus est, ut dictum
est supra. Unde apud Isaiam loquitur Chri-
stus : Et nunc Dominus misit me, et Spi- *Is.* XLVIII, 16.
ritus ejus.

Deinde præinductum verbum Christus
corroborat. *Nam qui minor est inter vos*
omnes, id est ceteris humilior, et minorem
seu viliorem se reputans, aut profundius
se ipsum Deo subjiciens, *hic major est,* id
est perfectior, seu in gratiæ donis subli-
mior. Deus enim humilibus dat gratiam : *Jacob.* IV, 6.
et tanto majorem, quo plus humiliaverint
semetipsos. Se enim humiliando et Dei
omnipotentiæ substernendo, ad suscipien-
da gratiarum charismata mentes suas di-
gnificant et coaptant. Ideo Petrus horta-
tur : Humiliamini sub potenti manu Dei, I *Petr.* V, 6.
ut vos exaltet in tempore visitationis.

His humilitatis auditis præconiis, Joan-
nes quemdam reprehendisse se sciens, et
non satis humiliter se hoc fecisse metu-
ens, dixit quod subditur. *Respondens au-* 49
tem, id est, ad verba Christi convenienter
correspondenterve loquens, *Joannes, dixit:*

Præceptor, vidimus quemdam in nomine tuo, id est per invocationem, adjurationem, seu expressionem nominis tui seu tuæ personæ, *ejicientem dæmonia.* Tales fuerunt, de quibus in Actibus legitur, qui
Act. XIX, 13. dixerunt : Adjuro vos per Jesum quem Paulus prædicat. *Et prohibuimus eum* hoc amplius facere tanquam indignum, *quia non sequitur nobiscum,* id est, te cum nobis non sequitur, vel corporaliter communicando, vel spiritualiter omnia relinquendo, vel modo utroque.

50 *Et ait ad illum Jesus : Nolite prohibere* illum aut similes ipsi a tali officio. *Qui enim non est adversum nos, pro nobis est,* id est, qui aliquid docet aut agit quod non est doctrinæ meæ contrarium, in quantum hujusmodi est, pro nostra est parte ; nec a tali actu est prohibendus, quia et una veritas confirmatur per aliam. Sic et iste, quia in nomine meo dæmonia ejicit, nomen meum glorificat, et per consequens de me mala loqui vix potest. Unde in Mar-
Marc. IX, 38. co legitur Christus dixisse : Nemo est qui faciat virtutem in nomine meo, et possit cito malum loqui de me. Porro dæmones ejicere, sicut et infirmitates miraculose curare, ac prophetare, est donum gratiæ gratis datæ : ideo bonis malisque commune, nec requirit dignitatem vitæ in eo qui
Matth. VII, 22. agit. Ideo super illud Matthæi, Multi dicent mihi in die illo, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus? asserit Glossa : Miracula facere, prophetare, et dæmones ejicere, interdum non est meritum illius qui hæc operatur; sed invocatio nominis Christi hoc facit, ad condemnationem invocantis, vel ad utilitatem eorum qui vident vel audiunt ; et licet despiciantur qui faciunt, Deus tamen, cujus invocatio hoc principaliter facit, honoratur.

Porro, si Joannes illum putavit prohibendum ab ejectione dæmonum, quia corporaliter non venit post Christum sicut Apostoli, erroneum fuit, quum nec Joannes Baptista ita secutus sit Christum.
Ibid. XII, 30. Alibi tamen ait Salvator : Qui non est mecum, contra me est. Sed hoc de corporali præsentia intelligendum non est, sed de spirituali consensu. Hinc itaque dicit Beda : In hæreticis et malis Catholicis, communia sacramenta, in quibus nobiscum sunt, detestari et prohibere non debemus, quamvis Dominum non nobiscum sequantur. Denique philosophi et Sarraceni multa dicunt consona fidei nostræ; et Paulus apostolus, quorumdam poetarum testimonia ad confirmationem suorum assumit dictorum. Sic et sapientium illarum Sibyllarum testimonia, ad superabundantem fidei roborationem a sanctis Patribus allegantur. Tit. I, 12; Act. XVII, 28.

51 *Factum est autem quum complerentur,* hoc est appropinquarent, *dies assumptionis ejus,* id est tempus passionis, seu ascensionis. Tempus autem passionis, tempus assumptionis vocatur, quia per passionem de mundo fuit ad Patris dexteram assumendus, juxta illud Joannis : Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem. Et infra loquitur : Nonne sic oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? *Et ipse faciem suam firmavit,* id est, stabiliter situaliterque direxit ; nec huc atque illuc divertit, sed mente constanti ac imperterrita, Jerusalem versus iter arripuit, sicut subjungitur : *ut iret in Jerusalem :* quia ibidem mysterium passionis fuit complendum, et ibi verus Agnus exstitit offerendus, ubi agnus typicus immolabatur. Joann. XIII, 1. Luc. XXIV, 26.

52 *Et misit nuntios ante conspectum suum,* videlicet Jacobum et Joannem. *Et euntes* nuntii isti, sicut eis Magister præcepit, *intraverunt in civitatem Samaritanorum :* cujus nomen hic non explicatur, sed fuit civitas aliqua sibi in via occurrens ; et dicunt nonnulli, quod fuit metropolis regionis Samariæ, quæ appellatur Samaria, quia Samaria interdum est nomen urbis, interdum regionis ; *ut pararent illi,* videlicet suo Magistro ingressum sive hospitium, et Samaritanos exhortarentur ad suscipiendum Christum et ejus doctrinam : quemadmodum sequenti capitulo

Luc. x, 1. legitur, quod septuaginta duos discipulos misit binos et binos, in omnem civitatem et locum quo erat venturus.

53 *Et non receperunt eum* Samaritani : vel sic, quod in urbem eorum non introivit, ut dicit Theophilus ; vel, quod ei nec reverenter occurrerunt, nec audientiam neque hospitium præbuerunt ; *quia facies ejus erat euntis in Jerusalem,* id est, vultus sui dispositione prætendebat se Jerusalem versus proficisci. Vel Samaritani hoc perceperunt, ideo eum suscipere renuebant : *Joann.* IV, 9. Primo, ut asserit Beda, quoniam Samaritani non coutebantur Judæis, ut patet in Joanne : sicut nec Ægyptii, juxta illud, *Gen.* XLIII, 32. Illicitum est Ægyptiis comedere cum Hebræis. Secundo, quia Samaritani detestabantur pergentes in Jerusalem causa orationis, dicentes debitum orationis locum apud eos consistere. Propter quod mulier Samaritana objecit Christo, dicens : *Joann.* IV, 20. Patres nostri adoraverunt in monte hoc, et vos dicitis quia Jerosolymis est locus ubi adorare oportet. Porro Salvator cuncta prænoscens, quamvis præsciret Samaritanos nec se nec suos nuntios recepturos, misit tamen ad eos, quoniam quantum in se fuit, voluit plebem illam ad meliora allicere : sicut et ipse prædicavit plurimis Judæorum, quos ex sua prædicatione scivit pejores futuros.

54 *Quum autem vidissent Jacobus et Joannes* Samaritanorum hanc culpam, *dixerunt : Domine, vis dicimus,* id est, placet tibi ut dicendo agamus, *ut ignis descendat de cœlo* aerio, virtute divina, *et consumat illos,* propter tantum eorum excessum in te? Secundum Ambrosium, dixerunt hoc bono zelo et amore justitiæ, scientes hoc ipsi Phinces ad justitiam reputatum, quod *Num.* XXV, 7, 8; *Ps.* CV, 30, 31. fornicantes transfodit, atque Eliæ, quod *IV Reg.* I, 10, 12. ignem de cœlo impetravit ad suæ vindictam injuriæ, vel potius ad punitionem peccati deridentium ipsum. Sed Beda affirmat Apostolos adhuc rudes ista dixisse affectu vindictæ. Hoc quoque præsumptionis fuisse videtur, quod ipsi adhuc tantæ imperfectionis exsistentes, potestatem et imitationem tam perfecti viri ac præclarissimi vatis, puta Eliæ, usurpant : cui tamen postea in sapientia, potestate, ac perfectione nequaquam minores fuerunt.

Et conversus, id est, vultum ad eos dirigens, seu ab allocutione pia ad increpationem rigorosam se vertens, *increpavit illos, et dixit : Nescitis cujus spiritus estis,* hoc est, quo spiritu moveamini non pensatis, videlicet an Spiritu Sancto, vel proprio ; seu propriæ animæ dispositionem non advertitis, propria passione fucati, et arbitrantes vos bono dicere zelo, quod dicitis zelo indiscreto, seu vitioso, aut passionato ac perturbato. Passiones quippe rationis obscurant judicium, et irato apparet quod omnia liceant sibi quæ passio suggerit. Ideo Seneca loquitur : Irascenti tibi, id est, dum irasceris, nihil tibi volo licere, quia dum irasceris, omnia tibi putas licere. Isti autem Apostoli, quia personaliter missi fuerunt ad Samaritanos, et quoniam consanguinei fuerant Christi, ad præcipuam suam familiaritatem admissi, idcirco præ ceteris Apostolis pro Christo zelati sunt, et ita locuti. 55

Filius hominis non venit animas perdere, corporalem vitam exstinguendo, et animas in peccatis mortalibus exsistentes protinus a corpore avellendo atque damnando, dum homines peccant : idcirco non vult suam injuriam mox ulcisci : cujus patientiam mansuetudinemque sectari debent ejus discipuli; *sed salvare,* earum pœnitentiam longanimiter exspectando, imo et ad pœnitentiam eas hortando per se ipsum et suos ministros. Huic simile est illud Joannis : Non misit Deus Filium suum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. *Joann.* III, 17. Et Paulus : Christus, inquit, venit in hunc mundum peccatores salvos facere. *I Tim.* I, 15. Hinc ait Ambrosius : Non semper in eos qui peccaverunt, est vindicandum : quia nonnunquam amplius prodest clementia, tibi ad patientiam, et lapso ad correptionem, sicut et ipsi Samaritani post Christi ascensionem celeriter crediderunt, ut in Actibus habetur. *Act.* VIII, 5 *et seq.* Insuper Ti- 56

Ambrosius tus testatur : Christus contra Samaritanos A
non commovetur, ut ostenderet quia non
habet ultionis studium virtus perfecta, nec
ulla est iracundia, ubi plenitudo est cari-
tatis, nec excludenda est infirmitas, sed
juvanda : procul sit a religiosis indigna-
tio, procul sit a magnanimis cupiditas
ultionis.

57 *Factum est autem, ambulantibus illis,*
videlicet Jesu et ejus discipulis, *in via,*
dixit quidam ad illum. Sicut ex his quæ
Matth. VIII, 19 *et seq.* per Matthæum scripta sunt, comprobatur,
istud non accidit statim post immediate B
præhabita : ideo Lucas non exprimit tem-
pus, nec viam determinat, insinuans se
ordinem historiæ non servare. *Sequar te*
quocumque ieris, hoc est, tibi in omnibus
adhærebo, in prosperis et adversis. Sed
non sincero ac simplici corde hoc dixit,
sed falso ac ficto, sicut ex Christi respon-
sione elicitur.

58 *Et ait illi Jesus,* cordium secreta con-
templans : *Vulpes foveas habent, et volu-*
cres cœli aerii *nidos :* quod ad litteram
planum est, quoniam vulpes in antris suis C
morantur, et aves in nidis prolificant; *Fi-*
lius autem hominis non habet ubi caput
suum reclinet, hoc est, pauperrimam in
hoc mundo vitam elegi, ita quod nec do-
micilium habeo proprium, nec aliquod
temporale reclinatorium. Ex qua ratione
elicitur, quod vir iste perversa intentione
Christum accessit. Vidit quippe quod Chri-
stus discipulis suis potestatem contulit fa-
ciendi miracula : ideo voluit fieri ejus
discipulus, saltem per corporalem imitati-
onem, ut et ipse potestatem a Christo adi- D
pisceretur præfatam, atque per ejus usum
honores ac mundi divitias obtineret; vel,
ut Christum induceret ad plurimorum cu-
rationem, sicque ab illis lucra require-
IV *Reg.* V, 20 *et seq.* ret, sicut Giezi a Naaman Syro. Simili in-
tentione Simon magus locutus est Petro
Act. VIII, 19. atque Joanni : Date mihi hanc potestatem,
ut cuicumque manum imposuero, accipi-
at Spiritum Sanctum. Denique, secundum
Matth. VIII, 19. Matthæum, simulator iste fuerat scriba :
unde per suam peritiam confidit se plu-
rima lucraturum. Sed Christus ei verba
respondit inducta, tanquam dicat : Quum
tantæ sim paupertatis, quid quæris me
sequi ob congregandas divitias? Vel di-
cit hoc ista intentione : Si vis me sequi,
oportet te paupertatem meam voluntari-
am sponte sectari, omnemque cupiditatem
vitare.

Quæritur, quomodo dicat Salvator nil
se in hoc sæculo possidere, quum tamen
apud Joannem protestetur : Pater diligit *Joann.* III, 35.
Filium, et omnia dedit in manu ejus. Sed
et virgo Maria, quæ parentibus suis unica
fuit ex parte patris, domum et opes ab eis
accepit. Et respondendum, quod Christo
secundum naturam assumptam, ab incar-
nationis exordio data fuit a Patre pote-
stas atque dominium super omne creatum,
sed potestate hac usus non est quantum
ad actualem temporalium possessionem et
usum ; imo vitam elegit pauperrimam :
Primo, ut suæ inopiæ merito bonis gratiæ
in præsenti et bonis gloriæ in futuro di-
temur. Propter quod ait Apostolus : Quum II *Cor.* VIII, 9.
dives esset, propter nos egenus factus est,
ut ejus inopia divites essemus. Item, ut
non solum verbis, sed et factis, futuram
vitam doceret quærendam : quod maxime
egit, omnia temporalia perfectissime con-
temnendo. Rursus, ut viam perfectionis
verbo et opere prædicaret, ipse quoque
cœpit facere et docere. Quoniam ergo om- *Act.* I, 1.
nium mundanorum ac transitoriorum ve-
nit docere contemptum, decuit eum omnia
illa plenissime abdicare. Hinc Christi pau-
pertatem Jeremias admirans, ait : Quare *Jer.* XIV, 8.
quasi colonus venturus es in terra, et qua-
si viator declinans ad manendum? Postre-
mo, Virgo Christifera, Christo prædicatio-
nem suam incipiente, si temporale quid
possedit, creditur vendidisse atque paupe-
ribus contulisse. Non enim minus quam
Apostoli, qui omnia reliquerunt, implevit *Matth.* XIX, 27.
consilia Christi.

Possunt autem verba inducta metapho-
rice sic exponi : *Vulpes,* id est simulatores
et callidi, *foveas habent,* hoc est dolosita-
tes excogitatas et duplicitates profundas,

in quibus latent, suamque abscondunt ne-
quitiam, *et volucres cœli,* id est ambitiosi
et arrogantes, in altum se erigentes, *nidos*
habent, id est prælationes seu dignitates
terrenas, in quibus finaliter corde quie-
scunt, illis magis quam bono incommu-
tabili adhærentes; *Filius autem hominis*
non habet ubi caput suum reclinet, in ta-
libus scilicet.
59 *Ait autem ad alterum : Sequere me.*
Matth. VIII, 21. Iste alter jam cœpit esse Christi discipu-
lus, secundum Matthæum : ideo Christus
invitat eum ad sui perfectam sequelam, ut
cunctis relictis sibi perfecte adhæreat. *Ille*
autem dixit : Domine, permitte mihi pri-
mum ire, et sepelire patrem meum. Ad hoc
enim se obligatum putavit præcepto legis,
Exod. XX, 12. quæ jussit honorare parentes : imo mor-
tuos sepelire est unum de operibus mise-
Tob. XII, 12. ricordiæ, de quo et specialiter ore angelico
60 commendatur Tobias. *Dixitque ei Jesus :*
Sine ut mortui in anima per mortale pec-
catum seu infidelitatem, *sepeliant mor-*
tuos suos morte naturæ; vel, Mortuos, ea
morte qua et illi, ut scilicet tales se invi-
cem opportuno sepeliant tempore. *Tu au-*
tem vade et annuntia regnum Dei, id est,
cœlestis regni beatitudinem prædica. De-
nique Christus his verbis honorationem
et sepulturam parentum, opusque pieta-
tis non vetat simpliciter, sed in casu, ad
insinuandum quod omittenda sunt opera
minus virtuosa, ut fiant opera virtuosio-
ra, et quod corporalibus ac terrenis præ-
ferenda sint spiritualia ac divina, quan-
do necessitas aliud non requirit aut ca-
ritas. Ideo dum parentes habere queunt
aliunde victum aut sepulturam, non est
propter illorum sustentationem aut se-
pulturam omittendum opus divinum, cœ-
leste ac spirituale, præsertim si magna
sit operis hujus necessitas, ita quod ex
ejus omissione seu dilatione animæ pe-
riclitentur.
61 *Et ait alter* ad Jesum : quem alterum
quidam dicunt fuisse Christi discipulum,
sed imperfectum : *Sequar te, Domine,* ti-
bi perfecte de cetero adhæsurus; *sed per-*
A *mitte mihi primum ire, et renuntiare his*
quæ domi sunt. Sic et Eliseus ab Elia
vocatus : Osculer (inquit) oro te, patrem *III Reg.* XIX, 20.
meum et matrem meam, et sic sequar
te. Præterea aliqui dicunt, quod iste vo-
luit renuntiare domesticis suis seu co-
gnatis sive parentibus, eis dumtaxat va-
ledicendo, seque ab eis licentiando, et ne
quærerent eum; alii dicunt, quod volebat
eorum consensum exquirere, et eos su-
per re ista consulere.
Ait ad illum Jesus : Nemo mittens ma- 62
B *num suam ad aratrum,* hoc est, vitam
pœnitentialem, seu meliorem, qua ager
cordis excolitur per vitiorum exstirpatio-
nem, spiritualemque gratiæ insertionem
ac fecundationem, et operum productio-
nem bonorum, aggrediens, *et respiciens*
retro, id est, a bono inchoato deficiens, et
mente ad sæcularia rediens, sicut filii Is- *Exod.* XVI, 2, 3.
rael corde in Ægyptum reversi sunt, *aptus*
est regno Dei, hoc est dignus felicitate re-
gni cœlestis : quia qui perseveraverit us- *Matth.* X, 22.
que in finem, salvus erit, et sola perseve-
C rantia coronatur. Hinc de talibus loquitur
Petrus : Melius erat non cognoscere viam *II Petr.* II, 21, 22.
justitiæ, quam post agnitionem retrorsum
reverti. Contigit enim eis illud veri pro-
verbii : Canis reversus ad vomitum; et,
Sus lota in volutabro luti. His verbis, ut
asserit Gorra, non reprobat Christus ac-
tum renuntiandi domesticis, sed pericu-
lum eundi ad illos. Ideo quoque Christus
hæc ait, ut doceat quam periculosa sit mo-
ra serviendi Deo : et præsertim periculo-
sum est redire ad suos, causa consulendi
D eos super religionis ingressu, nisi forte
spirituales exsisterent. Continuandum est
ergo opus bonum inceptum, et quæ pro
Deo reliquimus, rursus appetere non de-
bemus, ut faciunt ambitiosi et vani, qui
quum diu fuerunt in claustro ad officia
accenduntur tam fatue, et carnalia quæ
reliquerunt pro Christo, rursus visitare,
intueri, tractare peroptant. Unde ait et Be-
da : Si discipulus Dominum secuturus ar-
guitur, quia vel domui renuntiare velit :
quid fiet illis qui nulla utilitatis gratia

sæpe visitant domos illorum quos habent in mundo? — Vel sic : Nemo mittens, etc., aptus est regno Dei, id est dignus illud aliis prædicare.

Itaque verbis his Christus illos tanquam vere insipientes redarguit, qui propter non necessariam rerum suarum seu parentum, vel aliorum propinquorum dispositionem aut provisionem, omittunt, seu periculose dispendioseque differunt religionis A ingressum, aut vitæ perfectionem. Tam ineffabiliter etenim magnum est salutis nostræ negotium, ut omnia vana et frivola sint sine dilatione spernenda, nec aliqua temporis portio est infructuose seu negligenter expendenda. Idcirco ait Scriptura : Non tardes converti ad Dominum, *Eccli.* v, 8,
et ne differas de die in diem. Subito 9.
enim veniet ira illius, et in die vindictæ disperdet te.

INDICES

LOCA S. SCRIPTURÆ PRÆCIPUA

QUÆ AD ILLUSTRANDUM COMMENTARIUM

AB AUCTORE PASSIM ALLEGANTUR

GENESIS.

IV, 13. Dixit... Cain ad Dominum : Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear, 302 D.

IX, 6. Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius, 91 C', 296 B'.

XVII, 12. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, 421 C'.

XVIII, 21. Descendam, et videbo utrum clamorem qui venit ad me opere compleverint, 103 C.

XXI, 6. Risum (inquit Sara) fecit mihi Deus; quicumque audierit, corridebit mihi, 7 D.

XXII, 16-18. Per memetipsum juravi, dicit Dominus : quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum...; possidebit semen tuum portas inimicorum suorum; et benedicentur in semine tuo omnes gentes, 404 C.

XXX, 13. Dixit... Lia : Hoc pro beatitudine mea; beatam quippe me dicent mulieres, 395 A'.

XXXVII, 22. Non interficiatis animam ejus (Joseph), 246 B.

XLIX, 10. Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium, 21 C, 230 A'.

EXODI.

III, 14. Dixit Deus ad Moysen : Ego sum qui sum ;... sic dices filiis Israel : Qui est misit me ad vos, 176 D'.

XX, 17. Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus,... non ancillam, non bovem,... nec omnia quæ illius sunt, 368 A.

LEVITICI.

II, 13. Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies;... in omni oblatione tua offeres sal, 59 C.

XIX, 18. Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum, 518 A.

NUMERORUM.

XV, 35, 38, 39. Dixit... Dominus ad Moysen :... Obruat eum (transgressorem sabbati) lapidibus omnis turba... Faciant sibi (filii Israel) fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas, quas quum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, 115 D'.

XXIV, 17. Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel, 22 D.

XXV, 4. Tolle (ait Dominus ad Moysen) cunctos principes populi, et suspende eos contra solem in patibulis, ut avertatur furor meus ab Israel, 9 A.

DEUTERONOMII.

IV, 29. Quum... quæsieris... Dominum Deum tuum, invenies eum ; si tamen toto corde quæsieris, et tota tribulatione animæ tuæ, 437 B.

VI, 6, 8, 9. Erunt... verba hæc... in corde tuo,... et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque et movebuntur inter oculos tuos; scribesque ea in limine et ostiis domus tuæ, 251 A'.

VIII, 2. Recordaberis... itineris per quod adduxit te Dominus..., ut affligeret te, atque tentaret, et nota fierent quæ in tuo animo versabantur, 81 B.

XVII, 6. Nemo occidatur, uno contra se dicente testimonium, 298 B.

XVIII, 15. Prophetam de gente tua... sicut me suscitabit tibi Dominus... ; ipsum audies, 197D.
XIX, 15. In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum, 298B.
XXIII, 25. Si intraveris in segetem amici tui, franges spicas, et manu conteres ; falce autem non metes, 147D'.
XXV, 5, 6. Quando habitaverint fratres simul et unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri ; sed accipiet eam frater ejus, et suscitabit semen fratris sui, et primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israel, 13C.
XXXII, 15. Incrassatus est dilectus, et recalcitravit, 163A.

JUDICUM.

XIII, 22. Morte moriemur, quia vidimus Deum, 414C.
XVI, 3. Dormivit... Samson usque ad medium noctis; et inde consurgens, apprehendit ambas portæ fores..., impositasque humeris suis portavit ad verticem montis qui respicit Hebron, 355C'.

I REGUM.

II, 25. Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus ; si autem in Dominum peccaverit..., quis orabit pro eo ? 211B'.

II REGUM.

VIII, 18. Filii... David sacerdotes erant, 14D'.
XVII, 25. Amasa... erat filius viri qui vocabatur Jethra de Jezraeli, qui ingressus est ad Abigail filiam Naas sororem Sarviæ, quæ fuit mater Joab, 10B.

III REGUM.

XIII, 2. Ecce filius nascetur domui David, Josias nomine, 11C'.

IV REGUM.

XX, 1, 3. Ægrotavit Ezechias usque ad mortem; et venit ad eum Isaias..., dixitque ei :... Morieris... et non vives. Flevit itaque Ezechias fletu magno, 11C.

II PARALIPOMENON.

XV, 14, 15. Juraverunt... (Judæi) Domino... in omni... corde suo..., et invenerunt, 69A.
XVII, 7-9. Misit (Josaphat) de principibus suis,... et cum eis Levitas... et... sacerdotes,... habentes librum legis...; et circuibant cunctas urbes Juda, atque erudiebant populum, 50D'.
XXIX, 11. Filii mei, nolite negligere ; vos elegit Dominus ut stetis coram eo et ministretis illi, colatisque eum et cremetis ei incensum, 375A'.
XXXV, 18. Non fuit Phase simile huic... a diebus Samuelis prophetæ, sed nec quisquam de cunctis regibus Israel fecit Phase sicut Josias, 286B.

TOBIÆ.

IV, 16. Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne... alteri facias, 520C.
XI, 17. Benedico te, Domine Deus Israel, quia tu castigasti me, et tu salvasti me, 400A'.
XII, 12. Ego obtuli orationem tuam Domino, 212A.
— 15. Ego... sum Raphael angelus, unus ex septem qui adstamus ante Dominum, 158A'.
— 20. Tempus est... ut revertar ad eum qui me misit, 418A.

JOB.

XXX, 20, 21. Clamo..., et non exaudis me ; sto, et non respicis me ; mutatus es mihi in crudelem, 93A'.
XXXI, 1. Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine, 67B.
XXXIII, 15, 16. Per somnium in visione nocturna,... aperit aures virorum, et erudiens eos instruit disciplina, 17D'.
XXXIV, 10, 11. Absit a Deo impietas,... opus enim hominis reddet ei, et juxta vias singulorum restituet eis, 193C'.
XXXVI, 13. Simulatores et callidi provocant iram Dei, 83B'.
— 19. Depone magnitudinem tuam absque tribulatione, 378B'.
— 22. Ecce Deus excelsus in fortitudine sua, et nullus ei similis in legislatoribus, 365A.
XXXIX, 9. Numquid volet rhinoceros servire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum? 418D'.
XLI, 24. Non est super terram potestas quæ

comparetur ei, qui factus est ut nullum timeret, 154B.

PSALMORUM.

I, 4. Non sic impii...; sed tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ, 37D'.
— 5. Non resurgent impii in judicio, 430B.
X, 5. Dominus in templo sancto suo, 254D.
XV, 10. Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem, 318A'.
XVII, 45, 46. Populus quem non cognovi servivit mihi,... filii alieni mentiti sunt mihi, 235B'.
XVIII, 5. In omnem terram exivit sonus eorum, 320B.
XXI, 2. Deus, Deus meus, respice in me, 135A'.
— 7-9. Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me; locuti sunt labiis, et moverunt caput. Speravit in Domino, eripiat eum; salvum faciat eum, quoniam vult eum, 310C.
— 16. Aruit tanquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit faucibus meis, 308A.
— 17. Quoniam circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me, 305D.
XXIV, 15. Oculi mei semper ad Dominum, 175B'.
XXXIII, 4. Magnificate Dominum mecum, 394A.
XXXIX, 8, 9. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam; Deus meus, volui, 294A.
XL, 10. Homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem, 288C.
XLIV, 8. Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ, 272B.
XLVI, 6. Ascendit Deus in jubilo, et Dominus in voce tubæ, 358C'.
XLVIII, 13, 21. Homo quum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, 413A'.
LXI, 11. Divitiæ si affluant, nolite cor apponere, 217A'.
LXVII, 33, 34. Psallite Domino... qui ascendit super cœlum cœli ad orientem, 358C'.
LXVIII, 2, 3. Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam;... veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me, 170C'.
LXVIII, 21. Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit, 101A'.
— 22. Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto, 308B.
LXXI, 6. Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram, 19C.
— 10. Reges Tharsis et insulæ munera offerent, reges Arabum et Saba dona adducent, 25D.
— 18. Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus, 264D'.
LXXII, 23. Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum, 413A'.
— 26. Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum, 145C.
— 27. Perdidisti omnes qui fornicantur abs te, 341B'.
LXXVI, 3. In die tribulationis meæ Deum exquisivi, manibus meis nocte contra eum, 229B.
LXXVII, 34. Quum occideret eos (Israelitas), quærebant eum et revertebantur, etc., 475C.
LXXXIV, 9. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, 111A'.
XC, 11, 12. Quoniam angelis suis mandavit de te ut custodiant te in omnibus viis tuis; in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum, 43D'.
CIII, 10. Qui emittis fontes in convallibus, inter medium montium pertransibunt aquæ, 143B'.
CIV, 18. Ferrum pertransiit animam ejus, 431A.
CIX, 1. Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum, 20C.
CXVII, 20. Hæc porta Domini, justi intrabunt in eam, 94C'.
— 25, 26. O Domine, salvum me fac; o Domine, bene prosperare; benedictus qui venit in nomine Domini, 231C.
CXXXVIII, 22. Perfecto odio oderam illos, 516C.

PROVERBIORUM.

IV, 3. Ego (Salomon)... fui... tenellus et unigenitus coram matre mea, 14A.
IX, 4. Si quis est parvulus, veniat ad me, 203D.
X, 7. Memoria justi cum laudibus;... nomen impiorum putrescet, 284C.
XI, 7. Exspectatio sollicitorum peribit, 87B.
XII, 21. Non contristabit justum quidquid ei acciderit, 333B'.
XIII, 4. Vult et non vult piger, 174A, 417A.
XVIII, 19. Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma, 210B.

XIX, 25. Pestilente flagellato, stultus sapientior erit, 208D'.
XXI, 30. Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum, 316A.
XXVII, 8. Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir qui derelinquit locum suum, 125B.
XXIX, 21. Qui delicate... nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem, 270B.
XXX, 4. Quod nomen est ejus, et quod nomen filii ejus, si nosti ? 388A.
XXXI, 6, 7. Date siceram mœrentibus, et vinum his qui amaro sunt animo ; bibant et obliviscantur egestatis suæ, 307D'.

ECCLESIASTÆ.

III, 4. Tempus flendi, et tempus ridendi, 514A'.
XI, 3. Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit, 447B.

CANTICORUM.

I, 2. Oleum effusum nomen tuum, 84B.
— 12. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur, 428C.
V, 2. Ego dormio, et cor meum vigilat, 106D'.
— 3. Lavi pedes meos : quomodo inquinabo illos ? 263C'.
VII, 13. Omnia poma nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi, 171C.

SAPIENTIÆ.

II, 24. Invidia... diaboli mors introivit in orbem terrarum, 564A.
III, 13. Felix est sterilis et incoinquinata, quæ nescivit torum in delicto, 383A.
VI, 26. Multitudo... sapientium sanitas est orbis terrarum, 325.
VIII, 21. Scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, 214C'.
XI, 17. Per quæ peccat quis, per hæc et torquetur, 514A.
XII, 16. Virtus... tua (Domine), justitiæ initium est, 224B.

ECCLESIASTICI.

III, 18. Quam malæ famæ est, qui derelinquit patrem ! et est maledictus a Deo, qui exasperat matrem, 179A.
III, 19. Fili, in mansuetudine opera tua perfice, et super hominum gloriam diligeris, 54A.
— 27, 29. Cor durum habebit male in novissimo ;... cor nequam gravabitur in doloribus, 161D.
X, 9, 10. Avaro... nihil est scelestius... Nihil est iniquius, quam amare pecuniam : hic enim et animam suam venalem habet, 522A.
— 11. Languor prolixior gravat medicum, 541B'.
— 13. Quum enim morietur homo, hereditabit serpentes, et bestias, et vermes, 255D'.
XII, 6. Benefac humili, et non dederis impio, 73D.
XVII, 12. Mandavit... unicuique de proximo suo, 208B.
XVIII, 16, 17. Nonne ardorem refrigerabit ros? sic et verbum melius quam datum. Nonne ecce verbum super datum bonum ? 519A'.
XIX, 1. Qui spernit modica, paulatim decidet, 56B'.
XXIV, 44-46. Doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, et enarrabo illam usque ad longinquum,... et illuminabo omnes sperantes in Domino,... et relinquam illam quærentibus sapientiam, 363.
XXVII, 4. Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua, 97A'.
XXIX, 13. Perde pecuniam propter fratrem et amicum tuum, 73B'.
— 31. Vita nequam hospitandi de domo in domum, 585C.
XXX, 15. (Melius est) corpus validum, quam census immensus, 559B.
XXXIII, 31. Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua, 100D.
XXXIX, 6. (Justus) cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, 331D.
XLIV, 20. Non est inventus similis illi..., qui conservavit legem Excelsi, 425B.
L, 6, 7. Quasi stella matutina in medio nebulæ, et quasi luna plena..., et quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei, 3.

ISAIÆ.

I, 11. Holocausta arietum et adipem pinguium... nolui, 112A'.
— 24. Heu, consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis, 580B.
V, 1, 2. Vinea facta est dilecto..., et sepivit eam, et... ædificavit turrim in medio ejus, et torcular exstruxit in ea, 236C'.

IX, 1, 2. Primo tempore alleviata est terra Zabulon et terra Nephthali, et novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ gentium; populus qui ambulabat, etc., 48 B.
— 6. Parvulus... natus est nobis,... et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis, 240 C.
X, 23. Consummationem... et abbreviationem Dominus... faciet in medio omnis terræ, 79 B.
XI, 10. Radix Jesse qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum ejus gloriosum, 315 D.
XXI, 10. Tritura mea, et filii areæ meæ, quæ audivi a Domino..., annuntiavi vobis, 236 B'.
XXIV, 21, 22. In die illa visitabit Dominus super militiam cœli in excelso, et super reges terræ,... et congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum et claudentur ibi in carcere, 169 B.
XXVI, 16. Domine, in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis, 196 D'.
XXVIII, 9. Quem docebit (Dominus) scientiam? et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus, 92 D'.
— 16. Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum ; qui crediderit non festinet, 238 A'.
XXX, 26. Lux solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum, 168 D.
— 33. Præparata est... ab heri Topheth, a rege præparata, profunda et dilatata; nutrimenta ejus ignis et ligna multa, 278 B'.
XXXVII, 29. Quum fureres adversum me, superbia tua ascendit in aures meas, 242 D.
XLV, 25. Ad eum venient, et confundentur omnes qui repugnant ei, 152 A'.
XLVIII, 16. Et nunc Dominus... misit me, et spiritus ejus, 133 A.
XLIX, 1. Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei, 387 B'.
L, 6. Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus ; faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me, 299 A'.
LIII, 1. Brachium Domini cui revelatum est? 396 A'.
LIII, 2. Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti, 19 D.
— 8. Generationem ejus quis enarrabit, quia abscissus est de terra viventium, 567 C'.
— 10. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, 167 A'.
— 12. Cum sceleratis reputatus est, 309 B.
LVI, 7, 8. Domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis, ait Dominus, 77 B.
LX, 6. Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes, 25 D.
LXVI, 19. Mittam ex eis qui salvati fuerint ad gentes in mare, in Africam et Lydiam, tendentes sagittam, in Italiam et Græciam, ad insulas longe, ad eos qui non audierunt de me ;... et annuntiabunt gloriam meam gentibus, 320 C.

JEREMIÆ.

I, 6. A, a, a, Domine Deus,... nescio loqui, quia puer ego sum, 232 C'.
IV, 2. Jurabis, Vivit Dominus, in veritate, et in judicio, et in justitia, 68 C'.
— 14. Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? 110 A'.
XII, 9. Numquid avis discolor hereditas mea mihi?... Venite, congregamini... ad devorandum, 500 D.
XIII, 23. Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, et vos poteritis benefacere, quum didiceritis malum, 156 A.
XIV, 8, 9. Quare quasi colonus futurus es in terra et quasi viator declinans ad manendum? Quare futurus es velut vir vagus? 105 D, 163 C'.
XVI, 16. Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, et piscabuntur eos, 489 C.
XVII, 14. Sana me, Domine, et sanabor, 121 C.
XXIII, 24. Si occultabitur vir in absconditis, et ego non videbo eum? 76 B'.
— 28. Quid paleis ad triticum? 453 B.
— 29. Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petram? 479 D'.
XXXI, 15. Vox in excelso audita est lamentationis, luctus et fletus Rachel plorantis filios suos, et nolentis consolari super eis, quia non sunt, 29 B.
— 22. Creavit Dominus novum super terram : Femina circumdabit virum, 18 C, 387 D'.

XXXVI, 18. Ex ore suo loquebatur (Jeremias) quasi legens... omnes sermones istos, et ego scribebam in volumine atramento, 370 A.
LI, 25. Ecce ego ad te, mons pestifer, ait Dominus, qui corrumpis universam terram, 200 C.

BARUCH.

III, 24. O Israel, quam magna est domus Dei et ingens locus possessionis ejus ! 220 C'.

EZECHIELIS.

II, 6. Increduli et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas, 444 A'.
III, 4-7. Fili hominis,... non... ad populum profundi sermonis et ignotæ linguæ tu mitteris;... et si ad illos mittereris, ipsi audirent te; domus autem Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me, 142 C.
— 17. Speculatorem dedi te domui Israel, 350 C.
XXXIV, 22, 23. Salvabo gregem meum, et... suscitabo super eas (oves) pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David, 184 C', 290 C'.
XXXVI, 20. Polluerunt nomen sanctum meum, 60 B'.
— 26. Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum, 35 A'.

DANIELIS.

VII, 10. Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia adsistebant ei, 381 B.
IX, 17, 18. Propter temetipsum inclina, Deus meus, aurem tuam, et audi, 498 C'.
— 26, 27. Post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus; et non erit ejus populus qui eum negaturus est;... et finis ejus vastitas,... et usque ad... finem perseverabit desolatio, 186 C', 305 D'.
XII, 3. Qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ (fulgebunt) in perpetuas æternitates, 62 A'.

OSEE.

VII, 9. Comederunt alieni robur ejus, et ipse nescivit, 560 C'.
IX, 15. Exosos habui eos propter malitiam adinventionum eorum; de domo mea ejiciam eos, non addam ut diligam eos, 258 C.
XI, 1. Quia puer Israel, et dilexi eum; et ex Ægypto vocavi filium meum, 27 B', 183 A'.

MICHÆÆ.

IV, 8. Et tu, turris Gregis nebulosa filiæ Sion, usque ad te veniet... potestas prima, regnum filiæ Jerusalem, 413 C'.
V, 2. Egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis, 160 A'.
VI, 8. Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te : utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo, 255 B.
VII, 2, 5, 6. Vir fratrem suum ad mortem venatur;... ab ea quæ dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui, quia filius contumeliam facit patri,... filia consurgit adversus matrem..., nurus adversus socrum..., et inimici hominis domestici ejus, 131 C'.

HABACUC.

III, 18. Ego autem in Domino gaudebo, et exsultabo in Deo Jesu meo, 421 A'.

ZACHARIÆ.

II, 3, 4. Ecce angelus qui loquebatur in me, egrediebatur, et angelus alius egrediebatur in occursum ejus, et dixit ad eum : Curre, loquere ad puerum istum, 384 D.
III, 8. Ecce... ego adducam servum meum Orientem, 408 D.
VII, 10. Malum vir fratri suo non cogitet in corde suo, 63 D.
VIII, 21. Vadam etiam ego, 437 D'.
IX, 9. Exsulta satis, filia Sion; jubila, filia Jerusalem : ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator; ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ, 230 A.
XI, 12, 13. Dixi... : Si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam; et si non, quiescite. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me : Projice illud ad statuarium, decorum pretium quo appretiatus sum ab eis, 303 C.
— 17. O pastor et idolum derelinquens gregem !... Brachium ejus ariditate siccabitur, et oculus dexter ejus tenebrescens obscurabitur, 149 A', 263 A', 504 C'.

XIII, 7. Framea, suscitare super pastorem meum, et super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum ; percute pastorem, et dispergentur oves, 290 C'.
XIV, 5. Fugietis sicut fugistis... in diebus Oziæ regis Juda, 475 C.

MALACHIÆ.

II, 7. Labia... sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est, 138 A.
— 10. Numquid non pater unus omnium nostrum ? numquid non Deus unus creavit nos ? Quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum ? 205 A', 252 B.
IV, 5. Ecce ego mittam vobis Eliam... antequam veniat dies Domini magnus et horribilis, 140 A', 188 A'.
— 6. Convertet (Elias) cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum, 198 A'.

MATTHÆI.

X, 23. Quum... persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam, 27 B.

LUCÆ.

IV, 18. Spiritus Domini super me,... evangelizare pauperibus misit me, 136 C.
V, 8. Exi a me, quia homo peccator sum, Domine, 17 B.

JOANNIS.

I, 33. Ego nesciebam eum ; sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto, 40 C.
— 45. Quem scripsit Moyses... et Prophetæ, invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth, 30 A'.
III, 20, 21. Omnis... qui male agit, odit lucem ;... qui autem facit veritatem, venit ad lucem, 297 B.
VI, 51. Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi, 80 A'.
VII, 41, 42. Numquid a Galilæa venit Christus? nonne Scriptura dicit, quia ex semine David, et de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus ? 5 C.
VIII, 12. Ego sum lux mundi, 48 A.
XV, 24. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, 119 C.

ACTUUM.

I, 5. Vos... baptizabimini Spiritu Sancto, non post multos hos dies, 33 C.
— 15. (In cœnaculo) erat... turba hominum simul fere centum viginti, 356 B'.
— 18, 19. Suspensus (Judas) crepuit medius, et diffusa sunt omnia viscera ejus; et notum factum est omnibus habitantibus Jerusalem, 302 D.
II, 29. Sepulcrum ejus (David) est apud nos, 313 D'.
III, 18. Deus... quæ prænuntiavit per os omnium Prophetarum pati Christum suum, sic implevit, 403 C.
— 24. Omnes Prophetæ a Samuel et deinceps,... annuntiaverunt dies istos, 241 A'.
IV, 31. Quum orassent, motus est locus in quo erant congregati, et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, 391 A'.
V, 15. (Multitudo credentium augebatur) ita ut in plateas ejicerent infirmos,... ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis, 338 B'.
VIII, 10. Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna, 259 C'.
XIX, 4. Joannes baptizavit... populum dicens, in eum qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est in Jesum, 33 A'.
— 13. Adjuro vos per Jesum quem Paulus prædicat, 344 A.
XXIII, 3. Percutiet te Deus, paries dealbate, 71 C'.
— 6. Sciens... Paulus quia una pars esset Sadducæorum et altera Pharisæorum, exclamavit :... De spe et resurrectione mortuorum ego judicor, 131 A.

AD ROMANOS.

II, 5. Secundum... duritiam tuam et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, 85 D.
XI, 25, 26. Donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret, 219 D'.
XII, 21. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum, 71 C.

I AD CORINTHIOS.

II, 8. Si... cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent, 191 D.
— 15. Spiritualis... (homo) judicat omnia, 90 A.
III, 6. Ego plantavi, 180 B'.
— 11. Fundamentum... aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus, 189 C.
IV, 5. Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui... illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, 129 D.
V, 7. Pascha nostrum immolatus est Christus, 286 A.
VII, 33, 34. Qui... cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori; et divisus est... Virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu; quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro, 162 A.
XI, 27. Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini, 37 A.
XII, 7. Unicuique... datur manifestatio Spiritus ad utilitatem, 538 A.
— 8-10. Alii... per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii... sermo scientiæ,... alii gratia sanitatum,... alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, 274 A.
XV, 25. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus, 20 A'.
— 28. Filius subjectus erit ei qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus, 271 C'.
— 52. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba; canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti, 267 C'.

II AD CORINTHIOS.

V, 4. Nolumus exspoliari, sed supervestiri, 247 A.
VI, 10. Tanquam nihil habentes, et omnia possidentes, 219 B'.
X, 4-6. Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo,... destruentes... omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, et in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam, 364.
XII, 11. Nihil... minus fui ab iis qui sunt supra modum Apostoli, 118 B'.
XIII, 3. An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus? 31 D'.

AD GALATAS.

I, 10. Si... hominibus placerem, Christi servus non essem, 127 B'.
— 19. Alium... Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum, fratrem Domini, 295 D.
III, 1. O insensati Galatæ! 65 B.
IV, 19. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis, 159 B'.
VI, 1. Fratres,... si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, 151 B'.
— 4. Opus... suum probet unusquisque, et sic in semetipso tantum gloriam habebit, et non in altero, 272 C'.
— 16. Pax super... Israel Dei, 402 B.

AD EPHESIOS.

III, 14, 15. Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nominatur, 252 C.
— 18. Ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas et profundum, 378 D'.
IV, 13. Occurramus omnes... in mensuram ætatis plenitudinis Christi, 355 A.
VI, 15. Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis, 124 B.
— 19. (Orate) pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia, 339 C'.

AD PHILIPPENSES.

I, 29. Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini, 345 D'.
II, 21. Omnes... quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Jesu Christi, 328 C'.
III, 13, 14. Ego me non arbitror comprehendisse; unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens me ipsum, ad destinatum persequor, 55 C.
IV, 13. Omnia possum in eo qui me confortat, 226 A.

I AD THESSALONICENSES.

IV, 16. Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, 350 C'.

I AD TIMOTHEUM.

IV, 1. Spiritus... manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, 261 A'.
— 8. Corporalis exercitatio ad modicum utilis est, 114 C'.

AD HEBRÆOS.

I, 3. Qui quum sit splendor gloriæ,... sedet ad dexteram majestatis in excelsis, 249 D'.
— 14. Omnes (angeli) sunt administratorii spiritus, 385 C'.
II, 16. Nusquam... angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit, 398 C.
— 17, 18. Debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, et fidelis pontifex ad Deum... In quo passus est ipse et tentatus, potens est et eis qui tentantur auxiliari, 41 B'.
V, 7. Cum clamore valido et lacrimis offerens (preces), exauditus est pro sua reverentia, 294 C'.
— 8. Didicit ex iis quæ passus est obedientiam, 439 C.

JACOBI.

I, 5-7. Postulet a Deo,... et dabitur ei...; postulet autem in fide nihil hæsitans. Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris qui a vento... circumfertur. Non ergo æstimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino, 233 D'.
II, 13. Judicium... sine misericordia illi qui non fecit misericordiam, 278 C', 526 D.
— 19. Tu credis quoniam unus est Deus, bene facis ; et dæmones credunt, 155 C'.
III, 11, 12. Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem et amaram aquam ? Numquid potest... ficus uvas facere, aut vitis ficus ? 95 B'.

I PETRI.

II, 19-21. Hæc est... gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injuste. Quæ enim est gloria, si peccantes et colaphizati suffertis ? Sed si benefacientes... sustinetis, hæc est gratia apud Deum : in hoc enim vocati estis, 57 B'.
III, 15. Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est spe, 127 C.
— 20, 21. In (arca) pauci, id est octo animæ salvæ factæ sunt per aquam ; quod et vos nunc similis formæ salvos facit Baptisma, 32 D', 269 A.
IV, 10. Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei, 123 C.

II PETRI.

II, 5. (Deus) octavum Noe justitiæ præconem custodivit, 458 C'.

I JOANNIS.

III, 2. Nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam quum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est, 522 B'.
— 8. In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli, 403 A'.
IV, 17. Sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo, 74 B'.
— 20. Si quis dixerit quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est, 249 C.

JUDÆ.

14. Prophetavit autem et de his septimus ab Adam Enoch, 458 B'.

APOCALYPSIS.

I, 5. (Gratia vobis et pax) a Jesu Christo, qui est... primogenitus mortuorum,... qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, 407 D', 412 C.
— 7. Videbit eum omnis oculus et qui eum pupugerunt, 298 C'.
III, 18. Vestimentis albis induaris, et non appareat confusio nuditatis tuæ, 243 B'.
— 20. Ecce sto ad ostium, et pulso ; si quis... aperuerit mihi..., intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum, 113 D.
XVIII, 7. Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, 34 D.
XXI, 1. Vidi cœlum novum et terram novam ; primum enim cœlum et prima terra abiit, 268 D.

INDEX ANALYTICUS

A

AARON. Quænam fuerit illius uxor, 8 D'. — Ex illius progenie quomodo constituti sint XXIV sacerdotes principales, 372 B'. — Ex illo orti sunt parentes S. Joannis Baptistæ, 372 C'.

ABIAS. De ejus vice erat Zacharias, pater Præcursoris, quo sensu, 372 A'.

ABIATHAR, pontifex. Sub illo David intravit domum Dei, 333 A'.

ABNEGATIO, quid sit, 192 A', 591 B', et quo sensu necessaria ad salutem, 592 A. — Triplex abnegatio est de consilio, 592 D. — Quomodo per votum obedientiæ religiosæ perficiatur, 192 C', 592 B.

ABOMINATIO desolationis, quid sit ad litteram, 262 B', et mystice, 263 A'. — Quomodo in templo Jerusalem fuerit, 262 C'.

ABRAHAM, « Patriarcharum maximus », 6 A', ditissimus et tamen non cupidus, 217 A', perfectæ obedientiæ forma, 7 B. — Quare in Terra promissionis sepeliri voluerit, 313 C'. — Ex semine ejus incarnandum erat Verbum, 404 C. — Spiritualiter, quomodo generet Isaac, 7 A'. — Filii Abrahæ quo sensu ex lapidibus suscitari possint, 35 D.

ABSCONDITUM non est quod non cognoscatur, quo sensu, 566 D.

ABSTINENTIA est vitæ spiritualis initium, 514 B, et mentem optime roborat, 500 C'.

ABUNDANTIA. Ex abundantia cordis loqui, quid sit, 156 A. — Qui habet dabitur ei et abundabit, quo sensu, 162 A'.

ABYSSUS, quotuplici modo in Scripturis accipiatur, 572 D.

ACEDIOSI designantur per arbores quæ nullum faciunt fructum, 447 C', et per hominem cujus dextera erat arida, 504 B'. — Inter illos quinam religiosi et clerici sint computandi, 504 C'. — Quomodo sint curandi, 504 D'.

ACHIMELECH, pontifex, pater Abiathar, illum habuit successorem, 333 A'.

ACHIOR, propter virtutes suas, statim admissus est ad ritum Judæorum, 184 A.

ACOLYTHUS. Hujus officium quomodo Christus impleverit et approbaverit, 471 A'.

ACTUS habet speciem a fine, 75 C'. — In interioribus actibus magis consistit ratio meriti et demeriti, 531 D. — Omnis actus ex caritate procedens, meritorius est vitæ æternæ, 520 C'.

ACUS. Quo sensu facilius sit camelum per foramen acus transire quam divitem salvari, 217 C'.

ADAM vocatus est filius Dei, quo sensu, 459 B. — In ecstasi erat dum formaretur Eva, 213 C'. — De Christo verbis et rebus locutus est, 403 C. — De pœnitentia ejus non dubitatur, 459 C. — Utrum sepultus sit Calvariæ loco, an in Hebron, 307 A'.

ADMIRATIO, quid sit, 103 A, 107 B', 494 D'. — An fuerit in Christo, 103 B, 535 B. — Maria et Joseph mirabantur super his quæ de Christo dicebantur, quonam sensu, 429 A.

ADOLESCENS. Ejus mors quare miserabilior, 537 B. — Adolescens filius viduæ Naim quid designet, 538 B'; quomodo suscitatus fuerit, 536 D, 537 A'. — Adolescens quisnam sindone amictus Jesum vinctum secutus sit, 297 B', 352 A'.

ADORATIO. Alia est latriæ, alia duliæ, 98 C', 467 A'. — Quo sensu Christum adoraverint Magi, 25 A, discipuli, 177 B', et mulier Chananæa, 183 B.

ADRIANUS imperator suam statuam erexit in templo reædificato, 262 C', et omnes Judæos a Jerusalem expulit, 262 D', 263 A.

ADULATOR. Plus nocet ejus lingua quam gladius persecutoris, 515 A. — Falsi prophetæ quomodo Judæos adulatorie deceperint, 515 A'.

ADULTERIUM. Propter illud quando et quare dimittenda sit uxor, 214 D.

ADVERSARIUS. Quam prompte cum adversario consentiendum, 66 D. — Mystice, est Scriptura vel lex, 66 B'.

ÆGER. Spiritualiter, quomodo ægros sanet Christi discipulus, 358 C'. — Ægrotantes, præsertim pauperes, visitandi sunt, 534 B.

ÆGYPTUS valde apta est ad considerationem astrorum, quare, 341 D. — Cur in hanc regionem fugerit Christus, 27 C, et quomodo, 433 C.

ÆNIGMA, quid sit et in quo differat a parabola, 562 B'.

ÆTAS. Quænam sint diversæ ætates mundi, 221 A, et hominis, 222 B.

AGENS instrumentale non sortitur efficaciam nisi prout a principali agente movetur, 190 D'.

AGER, mystice est vita activa, Scriptura, caro Christi, 169 D', vel congregatio justorum, 263 C', aut Ecclesia, 269 D. — Quo sensu fuerit ager figuli, qui postea Haceldama vocatus est, 302 B'. — Ager Fullonis, quare sic vocatus, 302 C'.

AGILITAS. Per illam dotem Christus in cœlum ascendit, quo sensu, 358 D'.

AGNES (S.). Quædam ejus verba referuntur, 241 A'.

AGNUS. Ibi verus Agnus erat offerendus, ubi agnus typicus immolabatur, 607 C'. — Agnus paschalis, qui vocatur Pascha, 286 A, quandonam sacrificatus sit, 280 B.

AGONIA Christi in horto, qualis fuerit, 294 A'. — *Vide* Christus.

AGRICOLÆ, mystice sunt prælati et doctores, 236 B'.

ALABASTRUM, genus marmorei lapidis, in quo unguenta servantur illæsa, 282 A, 351 C.

ALBERTUS (B.) Magnus, O. P. theologus celeberrimus, episcopus Ratisbonensis, citatur, 417 D', 452 D'. — Allegatur etiam ejus liber de Laudibus B. Virginis, 19 B'.

ALEXANDER Magnus, sæpe in epistolis suis Aristotelem præceptorem appellat, 578 C'.

ALEXANDER unus ex pontificibus seu principibus sacerdotum perhibetur, 280 C'.

ALEXANDRIA. Ejus Ecclesia fundata est a S. Marco, 325, qui ibidem discipulos habuit a Philone laudatos, 325.

ALMA duo significat, scilicet adolescentulam et absconditam, 19 B.

ALPHÆUS pater fuit Jacobi minoris, 506 B'.

ALTARE dignius est quam donum, 254 C. — Mystice, est fides vel caritas, 65 D. — Quomodo relinquatur munus ante altare ut reconciliatio procuretur, 65 B'. — Non licuit, templo stante, fieri sacrificium nisi in altari, excepto casu dispensationis divinæ, 254 B. — In altari incensi, quod vocabatur etiam altare aureum, 375 B', quomodo thymiama crematum sit, 375 D. — Altare holocaustorum erat in atrio templi, 375 D.

ALTILIA designant spiritualia fercula, 241 D'.

ALTUM. Quare sic vocetur aqua maris a littore remota, 487 A. — Mystice, quisnam in altum ducere debeat, 487 B.

AMBITIO, præsertim religiosis vitanda, 605 D'. — De illa quomodo Christus tentatus sit, 44 D. — Hanc tentationem incurrerunt Apostoli, quare, 605 D, et quoties, 605 A'. — Ambitiosi designantur per invitatos euntes ad villam suam, 242 C; quomodo illis faveat diabolus, 467 B, et quænam sit illorum punitio, 226 C'.

AMBROSIUS (S.), episcopus Mediolanensis, sæpe allegatur, 14 D, 34 B, etc. — Ab illo amici Job reges vocantur, 21 B'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 14-17.)

AMEN, dictio Hebraica, quare translata non sit, 81 C'. — Est orationis signaculum fructuosum, 81 C'.

AMICUS, quomodo diligendus, 74 C', 520 A', 521 A. — Quid sit magis meritorium, diligere amicum vel inimicum, 74 D'. — Spiritualis amicitia insolubilis est, 521 A, et fructuosissima, 210 A. — Moris est amicorum in secreto colloqui, 191 D'.

AMINADAB, primus secutus est Moysen in mari Rubro, cum tribu Juda, 8 D'.

AMOR multiplex est, 520 A'. — Pes animæ dicitur, 543 B. — Fervidus amor modum nescit, 551 B, rationem non pensat, 182 B', et communi lege non coarctatur, 551 C, sed ad unionem impellit, 426 B. — Perfectus amator de præmio non requirit, sed de dilecto, 218 B'. — Amor proprius omnium vitiorum origo est, 364. — Amor carnalis quomodo noceat, 435 D. — *Cf.* Caritas.

ANDREAS (S.), apostolus, discipulus Joannis Baptistæ, 380 B', ter a Christo vocatus est, 48 B', 49 A. — Prædicavit in Achaia, 359 A'. — Quomodo gaudens ad crucem suam venerit, 512 D.

ANGELUS est spiritus ad Deum inavertibiliter conversus, 41 D, cujus natura altior est quam humana, 139 B, et mira potestas, 381 B', ita ut illi corporalia prompte obediant quoad

motum localem, 316 D'; attamen in pluribus locis simul esse nequit, 381 D. — Quid sit illius cognitio matutina et vespertina, 439 A. — Quo sensu omnes angeli ante Deum adstare dicantur, 381 A, quod superioribus ordinibus singulariter competit, dum inferiorum est ministrare, 381 B. — Utrum angeli superiorum ordinum ad exterius ministerium mittantur, 385 C. — Quomodo ab angelis audiat Deus quæ aguntur in mundo, 242 A'. — Quilibet homo sortitur angelum specialem, 205 C', cujus quanta sit cura, 44 A, 205 B', præsertim erga electos, 468 A'. — De nostro profectu vere lætantes, quo sensu de nostris peccatis contristentur angeli, 211 D'. — Apparere solent improvise, 376 C, cum inconsueto splendore ac fulgureo vultu, 376 C', terrentes primum, sed mox consolantes, 355 D, ita ut a malis spiritibus secerni valeant, 377 A, 380 D'.

Ad incarnationem Verbi potissimum ordinata sunt omnia ministeria angelorum, 385 C', qui a principio felicitatis suæ illud mysterium cognoverunt saltem quoad substantiam, 385 C'. Quo sensu Christo subjecti sint, 168 A, cui ministraverunt, quomodo, 45 B. — Illorum ministerio data est lex Mosaica, 366 D, propheticæ revelationes communiter factæ sunt, 425 D', columba et vox formatæ sunt in Christi baptismo, 39 D, 455 D'. — Angelus qui pastoribus Bethlehem apparuit in specie hominis, 413 D', an fuerit Gabriel, 416 C, et quare tanto splendore circumdatus, 414 A. — Canticum angelicum a quanta multitudine editum, 416 C, quomodo interpretandum, 416 D et seq., et a quonam complementum acceperit, 417 D'. — Quomodo angelus Christum confortaverit in agonia, 294 B'. — Terræmotus qui secutus est Salvatoris resurrectionem, productus est ab angelo, 316 D', qui deinde revolvit lapidem sepulcri, quare, 317 A, 354 D'. Cur illi species adolescentis, 355 A, aspectus sicut fulgur et vestimenta sicut nix, 317 C, 355 B. Quomodo mulieribus resurrectionem Christi annuntiaverit, 317 A', et illas miserit ad hanc annuntiandam discipulis, 317 C', specialiter Petro, quare, 317 D', 355 A'. Non solus erat ille angelus, sed alter vel duo cum illo, 355 C. — Tempore Ascensionis angeli a Christo plenius mysterium Incarnationis didicerunt, 385 D'. — Angelica hierarchia ecclesiasticam gubernat, 27 A, et sacrificio Missæ angelus adsistit, 376 D'. — Mortuorum suscitatio ministerio angelorum fiet in fine mundi, 168 C; cum Christo apparebunt, 193 B', 276 D', congregabunt electos, 267 B', et ultimi judicii erunt exsecutores, quomodo, 168 B, 277 A. In eodem die commovebuntur, quo sensu, 266 B'. — In V. T. sæpissime angelus pro nuntio ponitur, 545 B. — Summi Regis milites dicuntur angeli, 416 C, et eorum auxilium per montes designatur, 263 B'. — « Angelus » quare vocetur sacerdos, 138 A, necnon Joannes Baptista, 137 D'. Angelis cognata est virginitas, 386 A, siquidem virgines angelicam ducunt vitam, 215 A. — Falsum est nullum hominem inter ordines angelorum in cœlo posse collocari, 139 A'.

ANIMA est corporis endelechia seu forma, 246 D', necnon motrix, 530 D; continet in se formas inferiores, et convenientiam habet cum angelis in intellectuali perfectione, 357 D. Quanta sit ejus nobilitas, 205 D. — Quomodo distinguatur a spiritu, 394 B'. — Circa actum unius potentiæ multum intenta, impeditur in actu alterius potentiæ, 333 C. — Ejus immortalitas deducitur ex libris Moysis, 246 A', 247 B, Job, 247 C, et Prophetarum, 246 C. — In anima separata manent radicaliter vires sensitivæ, 247 A. — Sicut corporis ita et animæ numerantur ætates, quo sensu, 378 C'. — Anima æternaliter stat in illo affectu in quo recedit a corpore, 96 C', 127 D'.

Anima fidelis soli Deo serviat propter se, 44 C', 86 D', 405 C, cum potentiis suis omnibus, 166 C, per cultum latriæ, 45 A, et non tam homini quam Deo in homine ministret, 44 D. — Totis viribus Dominum magnificet, 394 C', et per bona opera glorificet, 60 A', coram fidelibus et gentilibus, 60 C', non propriam sed Dei laudem quærendo, 60 D', 416 B', 522 B'. In divinæ sanctitatis conspectu se profunde humiliet, 396 B, sibi autem non optet gloriam nisi in Deo, secundum Deum, et propter Deum, 416 C'. — In omnibus divinæ voluntati obtemperet, 94 D', 284 D, et quod de illa comprehendere non valet, omni reverentia veneretur, 144 A. — In præsentia Dei se constituat, 56 A', 405 D', et cuncta peragat, 406 A, perseveranter, 406 B; Deo vacet, 485 A, 492 A, in Deo figatur, 544 B, et gaudeat, 7 B', ejus misericordiæ fidens, 550 A'. Illi grata esse conetur, 276 D, 461 B', Creatorem suum ubique

et semper honorando, 80 C, nec illum contemni tolerando, 46 C. — Tanto minus Deo conjungitur quanto amplius transitoriis implicatur, 53 C. — Quomodo ab illo sanetur, 163 C, vel ejus admonitionibus non acquiescens puniatur, 257 D'. — A S. Spiritu, per dona ipsius, redditur bene mobilis, 329 A', et apta ad Deum contemplandum, 56 B. — Qualem vult Deum esse sibi, talem se exhibeat alteri. 91 D'.

Quanta devotione incarnationem Verbi recolere debeat, 384 B, totum affectum in Christo stabilire, 145 C, opera sua in illo fundare, 97 A'. Etenim quo plenius Christum imitatur, eo perfectior est, 527 C, et illum diligere nequit nisi omnia ejus mandata servet, 320 C'. — Mystice, quomodo fiat Bethlehem, in qua Jesus nascitur, 26 A', imo Christi mater, 393 B', vel sponsa, 241 C, illumque infantem deosculari possit, 428 C, ac muneribus lætificare, 25 A'. — Propter ipsum spiritualiter circumcidatur, 422 A, abneget semetipsam, et tollat crucem suam, 192 A', se perdat in præsenti vita, privatum amorem exstirpando, 192 D', ut se ipsam inveniat in futuro sæculo, 132 B', 193 A. — Jesum quomodo quærere debeat, 418 C', 437 B, illum in solitudinem sequi, 185 B', necnon ungere, 284 C; ejus crucem adspicere ut sanetur, 279 D, ut Christo patienti condoleat et conformetur, 129 C, 299 D, 309 C, 313 D, 316 A', ejus incendatur amore, 306 D', 312 A', et ad moriendum pro illo erigatur, 130 A. — Denique illum mystice sepeliat, quo sensu, 315 B.

Quomodo pacem in se habere valeat, et cum aliis, 56 C', 409 C, 417 C'. — Invidiam fugiat, bona opera proximi laudando, 503 A; amando, fovendo, congaudendo, particeps fiat gratiæ aliorum, 548 B', nec aliquem incaute aspernetur aut vitet, 550 A, sed quasi propriam æstimet fratrum necessitatem, 73 A'; cum pauperibus conversetur, 483 C', et languidis cum omni compassionis affectu subveniat, 490 A'. — Per indiscretum rigorem non se onerosam exhibeat, 374 B, et peccatoribus non detrahat, 552 D, pro quibus exorare monetur, 483 D', 523 A', ad indignationem non pronior quam ad compassionem, 484 A, 552 B'. Se ipsam potius quam alios satagat reprehendere, 528 C', et injurias magnanimiter sustinere, 46 C. — Si quem offenderit, veniam postulet, 65 A', quamprimum, 66 D; si vero offensa fuerit, ignoscere tantum tenetur, sed reconciliationem provocando, opus magnæ perfectionis exhibet, 65 A', 66 B. — Inimicos suos propter Deum diligat, 522 B', eis benefaciendo, 74 B, et pro eis preces fundendo, 74 C.

Triplici via, purgativa nempe, illuminativa et unitiva, perducitur ad cordis munditiam, 56 C, quam semper intendat et excolat, tanquam omnium exercitiorum finem, 56 D. — Digne ambulet vocatione sua, 276 A', pane obedientiæ et lacrimarum cum pane sacramentali enutrita, 26 A'. — Ne vanitate seducta gratias gratis datas desideret, sed potius gratiam gratum facientem, 96 C. Vas enim gratiæ esse debet intus mundandum, 255 B', et quotidie in gratia crescere, 55 C, pro nihilo tamen reputans quod egit, 55 D, et nunquam se satis justam existimans, 510 A'. Quo magis se gratiæ præparat, eo copiosius illam sortitur, 55 A', et in vita gratiæ conservatur ac roboratur per verbum Dei, 43 A. Studeat ergo veritatem cognoscere, 562 A', cogitare pœnas inferni, ut nihil carnale illam delectet, 38 B, necnon futuri judicii rigorem et gaudia electorum, 279 A. Omnia salubria quæ audivit, retineat et ad actum reducat, 420 B. — Mundum cordialiter contemnat, 515 C', cum ejus deliciis. 515 D'. — Non tamen indiscrete sed paulatim ad perfectionem ascendat, 500 D', quia sine patientia proficere nequit, 565 A'. — Oculum mentis semper ad cœlum erigat, 85 B', et conscientiam emundet ab intentione corrupta, 84 C, peccatum deflens, 437 C, ac magis eligens mortem pati quam venialiter peccare, 203 D'. — Superbiam fugiat, 552 A', et singularitatem, 421 D, præsertim in operibus devotionis, 61 A. Humanam laudem declinet, imprimis si magnum aliquid fecerit, 105 A, 492 A'; nec, de sua justitia confidens, se aliis præferat, 220 A', 224 B', sed amet nesciri, 41 B', 339 B. Correctionem patienter, gratanter et amorose recipiat, 209 B', non vincatur a malo, 210 B', nec propter irrisiones a bono inchoato cesset, 581 B. — Omni ignaviæ ac negligentiæ illi est reluctandum, 269 B', corporalis infirmitatis medela non multum nec absolute quærenda, 490 D, vitanda tam lætitia inordinata quam immoderata tristitia, 549 A, vel turbatio, 387 A, servanda prudentia simplex, et prudens simplicitas, 126 D. — Studeat

aures obturare, ne verba nociva audiat, 126 C; non de frivolis sed de cœlestibus loqui, 558 C; bonis transitoriis æterna præferre, 86 D', et temporalibus uti ad spiritualia augenda, 85 A. — Post occupationem externam ad cor suum redeat ut oret, 77 A', maxime pro vitiis fugandis, 491 C', et recolligatur, 485 A, 492 A.

Quid agere debeat in tribulationibus et tentationibus, 570 B'. — In tribulationibus non contristetur, 174 A', nec turbetur, 260 B; sed eas patienter accipiat tanquam peccatorum suorum pœnas, 57 B', 512 C, imo lætanter, 58 B, 512 D', et quasi magna Dei beneficia reputet, 345 D' : non solum propter retributionem, 58 D, sed etiam ut Christo passo assimiletur, 58 A'. — Semper ad tentationem se præparet, 469 C', quia tentatur eo amplius quo devotioni magis studet, 46 D. In tentationibus non dejiciatur, 462 A', sed tunc satagat Christum fiducialiter invocare, 462 B', custodiæ cordis insistere, 46 A', carnem suam crucifigere, 462 C', sensus exteriores refrenare, ne mors per corporis fenestras in illam intret, 67 B. Oculos avertat ne videant vanitatem, 67 C, præsertim tempore orationis, 204 D', et familiaritatem fugiat ejus qui peccati occasionem præbet, 67 A'. — Semper ad mortem se disponat, 269 A', 350 C', et thesaurizet sibi spirituales divitias quas sine fine possideat, 85 B'.

ANNA, mater Samuelis. Ejus canticum cum B. Virginis carmine in aliquibus coincidit, 393 D.

ANNA, prophetissa, plena fuit omni virtute, 432 C, sed imprimis per jejunia et orationes ad gratiam prophetiæ ascendit, 432 A. — Quo sensu non discesserit de templo, 432 A. — Quomodo Dominum confessa, 432 B', 433 A, et nobis imitanda sit, 432 A'.

ANNAS, pontifex erat anno quo Præcursor cœpit prædicare, 441 A. — Quare primum ad illum ductus sit Jesus, 297 A'.

ANNUS Domini acceptus, est tempus gratiæ, 473 D, vel prædicationis aut passionis Christi, 473 B'.

ANSELMUS (S.), Cantuariensis archiepiscopus. Allegatur ejus liber de Veritate, 365 B. (Migne *Patrol. lat.* tom. 158.)

ANTICHRISTUS quando venturus sit ignoratur, quare, 260 C'. — Ædificabit (ut dicitur) templum in Jerusalem, 263 D, et maxime in Terra sancta Christianos persequetur, 263 D. — Tempore ejus multi cadent a fide propter persecutionem, 261 A', quæ gravissima erit, 264 B, 265 C, et durabit annis tribus cum medio, 264 D, etsi brevianda sit, quo sensu, 264 C. — Antichristus miracula vera, sed ad fallendum, operabitur, 264 C', non tamen illa quæ totam naturæ creatæ facultatem excedunt, 264 D'. — Ipse et prædicatores ejus vocantur pseudochristi et pseudoprophetæ, 264 B'. — Seductis ab illo dabuntur quadraginta quinque dies, vel circiter, ad pœnitendum, 266 A, sed quidam ejus satellites in sua duritia perdurabunt, 269 B. — Illo occiso, quomodo totus mundus ad fidem sit convertendus, 262 A'.

ANTONIUS (S.). Citatur ejus Vita a S. Athanasio conscripta, 377 A.

APELLES, hæresiarcha, auctor fuit alicujus evangelii apocryphi, 3, 369 C.

APEX, particula in summitate litteræ posita, 62 A.

APOLLINARIS, hæresiarcha, corpus Christi divinitati esse consubstantiale docebat, 421 B'.

APOSTOLI. Unde illorum nomen, 505 D'; cur dicantur lux mundi, 60 A, necnon filii Christi, 499 A, et combinati numerentur, 122 C. — Electi sunt ut essent Christo quasi collaterales, 334 C, et ad prædicationem præcipue ordinati, 505 D'. Magis continue et familiariter quam ceteri discipuli adhæserunt Salvatori, 558 C, qui sua secreta illis revelavit, 604 B, et probabiliter illos baptizavit, 38 B'. — Ex illis quidam divites erant, 218 A'. — Ex habitu vel aliis signis, facile agnoscebantur ut Jesu discipuli, 229 A'. — Ante Christi resurrectionem imperfecti erant, 226 A', 541 C, in fide, 107 A, 177 B', 283 A', 587 C', et in fortitudine, 591 B; quod permisit Jesus ut fides postea confirmaretur, quomodo, 605 C'. — Illorum prædicatio qualis fuerit ante et post Passionem, 123 C'. Jubentur primum solis prædicare Judæis, quare, 122 B'. Duas tunicas habere quo sensu prohibeantur, 584 C. Virga quomodo ad litteram illis permittatur, non autem spiritualiter, 124 C, 584 A. Quare ante Passionem illis præcipiatur nihil possidere, 123 D, 584 C', et nihil secum portare, 123 A'; secus autem post Passionem, 123 D', 584 D'. Prædicaverunt in locis unde orti erant, 133 D'. — Quisnam dignus sit illos recipere ad vescendum vel quiescendum, 124 C', et quomodo Christo placeat, 132 C'. — Quomodo post

prædicationem se correctioni submiserint, 337 A', et in desertum locum ducti sint, 337 B'. — Cur illis data sit miraculorum facultas, 121 D, 582 D, et potestas super omnia dæmonia, 583 B'. Non ante Passionem sed postea mortuos suscitasse leguntur, 123 B. An montes ad litteram transtulerint, 233 C'. — Quo sensu habuerint potestatem ligandi et solvendi, 207 D'. — Sæpe tentationem ambitionis incurrerunt. quomodo, 605 A'. — Quidam eorum aliqualiter intelligebant verba Christi se passurum prædicentis, 605 A; quare alii illa non penetraverint, 604 B'. — Quare contristati fuerint in ultima cœna, 287 B'. Se nunquam a Christo recessuros affirmaverunt, quo sensu, 291 C'. Quanta illorum tristitia in horto Gethsemani, 293 A, et quomodo Christo relicto fugerint, 297 D. Mœstissimi etiam fuerunt in triduo sepulturæ, 499 B'. — Post resurrectionem, quoties Jesus illis apparuerit, 318 B'. In monte Thabor illum viderunt, 319 D, adoraverunt adoratione latriæ, 319 A', et ab illo missi sunt ad docendas omnes gentes, 320 C, ad prædicandum omni creaturæ, quo sensu, 357 C. Quomodo incredulitatem eorum exprobraverit Christus in die Ascensionis, 356 D'. — Spiritu Sancto repleti sunt, 460 B, et ab illo innovati, 114 D. — Quomodo ubique prædicaverint, 194 A, 262 C, 359 C, et quanto miraculo orbem ad fidem converterint, 488 D'. — Illis divinitus adjuncti sunt Matthias, Paulus, Barnabas et Silas, 506 B. Multi autem surrexerunt falsi apostoli, 121 A'. — Sæpe allegant sensum potius quam verba V. T., 23 B', 138 A'. — Illos vere humillimos quomodo Christus exaltaverit, 397 D. — *Cf.* Discipuli.

APPARITIONES Christi post resurrectionem quot et quales fuerint, 318 B'. — Quo sensu apparere dicantur Deus et angeli, 376 C.

AQUA. Frigidam aquam præbens non perdet mercedem suam, quo sensu, 133 A'.

AQUILA. Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ, quomodo, 265 C'.

AQUILEGIENSIS Ecclesia a S. Marco fundata est, 325.

AQUILO designat infernum, 447 B.

ARATRUM, mystice est vita pœnitentialis, 610 B'.

ARBOR, quid designet, 95 B', 155 C', 446 C', 447 A. — Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos, quo sensu, 95 C', 155 D', 529 B, 530 A. — Quid significent arbores quæ fructum nullum, 447 C', vel inutilem, vel bonum aut malum faciunt, 447 D'.

ARCHELAUS, filius Herodis Ascalonitæ, favit patri suo meditanti Christi occisionem, 30 B. — Quando in exsilium relegatus sit, 440 D'.

ARCHIPPUS, filius Philemonis, et episcopus Colossensium, quos Paulus excitat ad illum admonendum, 208 A'.

AREA, mystice est Ecclesia quotidie a Deo purgata, 37 C', 452 B', et in judicio purganda, quomodo, 452 A'.

ARENA. Mystice, quid sit domus supra arenam ædificata, 97 B', 532 B.

ARGENTUM, mystice est scientia et eloquentia, 530 B', vel sermo coloratus, 124 B'. — Ejus possessio Apostolis prohibetur, 123 D.

ARIMATHÆA, civitas Judææ, alio nomine vocatur Ramatha, 314 A'. — Ex illa venit Joseph decurio qui petivit corpus Jesu, 314 B', et illud sepelivit, 314 D'.

ARISTOTELES, quem sæpe præceptorem appellat Alexander Magnus in suis epistolis, 578 C', passim citatur, 52 D, 74 B, 136 A, etc. — Allegantur ejus libri Ethicorum, 306 A, Rhetoricæ, 91 B, de Anima, 439 B. — Ternarii numeri perfectionem affirmat, 194 B'. — Antonomastice « Philosophus » vocatur, 52 D, etc.

ARIUS, hæresiarcha, quantorum auctor malorum, 169 A'. — Ejus error in quo sistat, 237 C, et quomodo confundatur, 379 B'.

ARPHAXAD, utrum fuerit pater Sale naturalis, an tantum legalis, 458 D.

ARS humana naturam imitatur, sed non adæquat, 88 A. — Successive, non subito operatur, 149 D.

ARUNDO quassata quid significet et quomodo Christus illam non confregerit, 151 C. — Vento agitata quid repræsentet, 137 C, 543 D'.

AS nummus est parvi valoris, 130 C. — Duobus assibus dipondium æquivalet, 130 D.

ASINA super quam sedit Christus in die Palmarum, quomodo inventa sit, 229 C. Deputabatur ad usum pauperum, 229 C. — Mystice, significat Synagogam, ejusque pullus, populum gentilem, quare, 230 B'.

ATHANASIUS (S.) allegatur, 490 C. — Citatur Vita S. Antonii ab illo conscripta, 377 A. (Migne *Patrol. gr.* tom. 25-32.)

ATHENIENSES philosophi, quid exclamaverint visa eclipsi quæ tempore passionis Christi accidit, 311 D', et quomodo inde erectum

fuerit altare inscriptum : Ignoto Deo, 311 D'.
AUDITUS triplex distinguitur, 562 D.
AUGUSTINUS (S.), episcopus Hipponensis, opinari videtur Jacob in utero sanctificatum esse, 7 A'. — Quam dulcis illi fuerit contemplatio consilii Dei de salvando humano genere, 546 C'. — Allegantur ejus libri de Civitate Dei, 363, 465 A, 470 B', etc., de Consensu Evangelistarum, 434 C, 456 B', 498 D', etc., de Sermone Domini in monte, 509 C, de Virginitate, 159 D, 568 A', Enchiridion, 516 C', epistola ad Dioscorum, 433 B'. — Sæpe citatur adhuc, 154 A', 160 A', etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 32-46.)
AUGUSTUS. Quare ita cognominetur Octavianus Cæsar, 410 B. Non nisi hyperbolice dicitur universo orbi imperasse, 410 A'; sub eo tamen inaudita pax fuit in mundo, ad quid præfigurandum, 410 C', 417 A'. — Quadragesimo secundo sui imperii anno, 410 B', edictum constituit ut describeretur universus orbis, quo sensu, 410 B, et quare, 410 C. — In quatuor partes divisit regnum defuncti Herodis Ascalonitæ, 440 C', et quinquaginta septem annis regnavit, 410 B', 440 B.
AURES mentales, quid sint, 162 B, et quomodo beatæ, 163 D. — Qui habet aures audiendi audiat, quomodo, 562 B'.
AURUM, mystice est fides, caritas, donum sapientiæ, 25 A', 530 B', vel sapientia sæcularis, 124 A'. — Auri possessio Apostolis prohibetur, 123 D. — Jurare per templum fortius obligat quam jurare per aurum templi, 254 A.
AUSTER designat regnum cœlorum, 447 B.
AVARITIA gravissime damnatur in Scriptura, 84 D'. — Quomodo thesaurizent avari, 84 D', 85 C, et divitiis serviant, 86 D', quarum fallaciam experiuntur, 164 B'. — Avari animam suam venalem habent, 285 A. In parabola designantur per euntes ad negotiationem, 242 C. — De avaritia quomodo Christus tentatus sit, 44 D.
AZYMA. Sic vocatur manducatio azymorum, 351 A. — In Pascha azymos panes sumere non licebat Judæis nisi mundi essent secundum legem, 285 D'. — Prima dies Azymorum quandonam acciderit in hebdomada Passionis, 285 B. — In azymo pane Christus Eucharistiam consecravit, 286 C, ut Latini sentiunt contra Græcos, quorum varia argumenta refelluntur, 285 C. — Circa consecrationem in azymo vel in fermentato quomodo mutata fuerit Ecclesiæ disciplina, 286 B.

B

BALAAM, etsi ariolus, divinitus prophetavit, 96 A'.
BAPTISMUS, quotuplex sit, 32 A', 357 A'. — Baptismus Joannis Baptistæ, quid fuerit, 32 D, 33 C, quo sensu baptismus pœnitentiæ, 442 B, in remissionem peccatorum, 442 C. In quo differat a sacramentis V. L. 33 D. — Quænam ejus forma, 33 A', et ob quas causas collatus fuerit, 33 A'. — Gratiam præstitit non sua virtute, 329 A, sed ex fide suscipientis, 33 D', 36 D. — Quomodo fuerit inchoatio quædam sacramentorum N. L., 33 D. Nec pueris nec feminis dabatur, 33 D', 453 D'. — An rebaptizandi fuerint Jesu discipuli a Joanne tantum baptizati, 39 D'.
Baptismus Christi, qualiter a Joanne prædicatus, 328 A'. Cur et quomodo Salvator baptizari voluerit, 38 C, 40 A, nostro Baptismo efficaciam præbens, 38 D', 455 C'. — Sacramenti Baptismi quænam fuerint figuræ, 32 D', quænam sit forma, 320 D, mysterium SS. Trinitatis exprimens, 320 A', et qui effectus, 40 B, 455 C'. — Idem sacramentum quo sensu dicatur baptismus pœnitentiæ, 441 D', et quomodo peccata remittat, 494 B, prima post naufragium tabula, 472 C'. — In illo imprimitur character, 329 A, et sine illo non sufficit fides, quo sensu, 357 A'. Qui ficte ad illud accedunt, gratiam non recipiunt, 329 A, 441 D', an rebaptizandi sint, 329 B. — Baptismum quomodo præcedat catechismus, 320 B'. — Quonam sensu in nomine Christi baptizati fuerint aliquando primitivæ Ecclesiæ filii, 320 D. — Quid sit baptizare in Spiritu Sancto et igni, 33 B, 37 B, 329 A, 451 B'. Baptismus sanguinis in quo sistat, 33 C, 346 B.
BARABBAS, quisnam fuerit, 304 C.
BARNABAS (S.) divinitus constitutus est apostolus, 506 B.
BARTHOLOMÆUS (S.) apostolus, dives erat, 218 A'. Prædicavit in Armenia, 359 A'.
BARTIMÆUS, unus ex duobus cæcis prope Jericho curatis, 346 A'.
BASILIDES, hæresiarcha, auctor fuit alicujus evangelii apocryphi, 3, 369 C.
BASILIUS (S.), episcopus Cæsariensis, citatur, 448 D', 449 C, 462 B, etc. (Migne *Patrol. gr.* tom. 29-32.)
BEATI, quare filii Dei vocentur, 522 B', et in Deum transformentur, 522 C'; quomodo sa-

tientur in gloria, 55B', 510B', ita ut unusquisque illorum de sua felicitate plenissime sit contentus, 223B', et ab aliis beatus dicatur, 398D'. — Utrum prænoscant quantum beatitudinis quilibet electus adepturus sit, 223B'. — Quatuor dotibus decorabuntur eorum corpora, 463D. — Cœlum empyreum est illorum mansio, 217A.

BEATITUDO. Cognitio fidei est beatitudo viæ, 393B, et inchoatio quædam visionis beatificæ in patria, 393A. — Beatitudo æterna quomodo designetur per denarium diurnum, 221C, 223D'. — Est status omnium bonorum aggregatione perfectus, 270A', 275A, et ad illam sine gratia gratum faciente nemo pervenit, 366B'.

Beatitudines sunt actus virtutum, 51C', a fructibus Spiritus Sancti differentes, 51C'. — In qualibet earum ponuntur meritum et præmium proportionatum, 52C, 509B', 510A, ita tamen ut omnia hæc præmia unum et idem sint, 57D'. — Cur beatitudines aliæ post alias in Evangelio ordinentur, 52B', 54D, 55A. Inter octo beatitudines munditia cordis est summa ad quam aliæ referuntur, 52A', paupertas vero spiritus est ceterarum fundamentum, 53C. — Quatuor beatitudines apud Lucam enumeratæ quomodo præcipuis mundi cupiditatibus adversentur, 513C, et virtutibus cardinalibus aptentur, 513D.

BEDA (Ven.), Ord. S. Benedicti, citatur, 34A', 37D, 171C', etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 90-95.)

BEELZEBUB, princeps dæmoniorum. Per illum inferiores dæmones a Christo ejici dicebant Pharisæi, 119A', 152B'.

BENEDICTIO alia est consecrationis vel donationis, 428B', alia laudis, 428C'. — Quomodo maledicentibus sit benedicendum, 517D, et quando silenter, 517A'.

BENEFICIUM corporale quandonam denegandum impio, 73D, vel indiscrete petenti, 519A'. — Pro benefactoribus exorandum est, 534A, et illis benefaciendum, 521C. — Qui pinguia habent Ecclesiæ beneficia, quomodo eleemosynam facere debeant, 519C'.

BERNARDUS (S.), abbas Claræ Vallis, sæpe allegatur, 16D', 100B', etc. — Citatur ejus liber de Consideratione ad Eugenium, 147C'. — An, juxta illum, Incarnationis mysterium ignoraverint angeli, 385D. (Migne *Patrol. lat.* tom. 182-185.)

BETHANIA, idem sonans ac domus obedientiæ, 233A', erat viculus Lazari, Marthæ ac Mariæ, 232D'. — Cur illuc secesserit Christus in die Palmarum, 232D'.

BETHLEHEM civitas David vocatur, quare, 411D. — Duplex est locus hujus nominis, 21A. — Prophetia Michææ de Bethlehem Juda quomodo intelligenda sit, juxta duplicem ejus versionem, 23B', et impleta sit in nativitate Domini, 411D'.

BETHPHAGE, villa sacerdotum juxta montem Oliveti sita, 228D. Quid ibi actum sit in die Palmarum, 228D.

BETHSABEE, justa perhibetur, 10A'. Erat vera David uxor, quum natus est Salomon, 10D. — Quare in genealogia Salvatoris ponatur, 8A'.

BETHSAIDA, civitas supra mare Genesareth, pertinens ad fines Zabulon et Nephthali, 47B', patria S. Petri apostoli, 104A. — De impœnitentia notatur, 142B.

BLASPHEMIA, quid sit, 299A, 493D', et quotuplicis generis, 154B'. — Blasphemia contra Spiritum in quo sistat, 154C', 155A, et quo sensu irremissibilis sit, 154D', 155C. — Secundum legem, blasphemi interficiebantur, 299B.

BOANERGES, seu filii tonitrui. Sic duos filios Zebedæi vocavit Christus, quare, 334D.

BOETIUS (B.), philosophus, citatur, 476D'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 63, 64.)

BONUM, quotuplex sit, 516B. — Primum atque potissimum est nomen Dei, 216A', qui nempe est universale bonum, 79D, summum bonum cui nisi fuerit conjunctum cor nostrum, non perfecte quiescit, 146A. Nullus est bonus per essentiam nisi Deus, 216C, creatura vero bona est per participationem, 216C. Ex misericordia Dei procedit quidquid in nobis boni est, 279B'. — Bona temporalia ordinantur ad bona spiritualia, 85A, 449A, quæ terrenis incomparabiliter præstant, 219B'. Bona privata dimittenda sunt propter vitandum scandalum infirmorum, non autem Pharisæorum, 72B'. — Omnibus optare debemus bonum spirituale, 516B, bonum vero naturæ et fortunæ, in quantum saluti expediens est, 516B. — Bona temporalia quomodo quærenda sint, 89A, et adjiciantur Deum quærentibus, 89B. In pium usum convertenda sunt quæ derelinquuntur, 219D, 449A. — Arbor bona non potest malos fructus facere, neque arbor mala bo-

nos fructus, quo sensu, 95 C'. Bona loqui bene seu recta intentione nequit ille qui in malitia permanet, 155 D'. Malum in bono quomodo vincere valeamus, 518 B. — Nullum bonum, etiam in peccato mortali factum, manet irremuneratum, quo sensu, 520 B'. — Beatos Deus super omnia bona sua constituet, 270 A'. — Bonis Ecclesiæ abuti, quantum sit peccatum, 448 C'. Bona Ecclesiæ et reipublicæ non sunt dimittenda propter vitandum scandalum, 72 A'.

BOOZ, ditissimus et tamen non cupidus, 217 A', forte vixit trecentis circiter annis, 10 A.

BRIGITTA (S.). In ejus Revelationibus quid narretur de nativitate Christi, 412 A', de illius vultu cujus adspectus tristes consolabatur, 486 A, et de doloribus Mariæ, 430 D'.

C

CÆSAR. Unde hoc nomen, quod habuit Julius qui devicit Pompeium, 410 A, deinde Octavianus cognominatus Augustus, 410 B. — An licuerit Judæis tributum Cæsari solvere, 244 C'. — Imaginem Cæsaris Pilatus in templo collocavit, 262 C'.

CÆSAREA Palæstinæ. Ibi degebat Cornelius centurio, 188 B.

CÆSAREA Philippi. Quare sic vocetur urbs illa, 188 A, olim appellata Lais et postea Paneas, 188 B.

CAINAN, quonam sensu fuerit filius Arphaxad, 458 C. — Alter ejusdem nominis exstitit filius Enos, 459 A.

CAIPHAS, alio nomine Josephus, quomodo constitutus sit pontifex, 441 B. Illo officio fungebatur anno quo passus est Dominus, 441 A. Quare vestimenta sua sciderit, Jesum de blasphemia accusans, 298 D'. Quomodo videat Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, 298 C'.

CALCEAMENTA, quo sensu Apostolis prohibeantur, 124 A.

CALIX cruciatum designat, 225 C'. Per interiora ejus intelliguntur animæ interiora, 255 B'.

CALVARIÆ locus, quare sic vocatus, 307 A'. — Utrum ibi sepultus fuerit Adam, 307 A'.

CAMELUS. Quo sensu facilius sit camelum per foramen acus transire, quam divitem salvari, 217 C'. — Quinam camelum glutiant, culicem colantes, 255 D.

CANDELABRUM, mystice est Ecclesia, 566 A.

CANIS. Quinam designentur per canes quibus sanctum non est dandum, 92 B'. Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus, quo sensu, 183 D, 184 A.

CAPHARNAUM, urbs præcipua Galilææ, 98 D, 330 B, supra mare Genesareth sita, 47 A', pertinens ad fines Zabulon ac Nephthali, 47 B', quare civitas Christi vocetur, 109 C'. — Miracula ibi facta narrantur, 98 D, 104 A, 109 D', etc. — De superbia et impœnitentia notatur, 142 A'.

CAPTIVI designant vitiis implicatos, 473 A.

CAPUT mentem designat, 84 A. Quomodo mystice ungendum, 84 B. — Caput Ecclesiæ est Christus, 203 D.

CARIATHARBE. Sic vocabatur Hebron, quare, et quinam ibi sepulti sint, 307 B'.

CARITAS per vestem nuptialem significatur, 243 B'. Fundatur in communicatione felicitatis æternæ, 73 B', estque regina virtutum, 279 A', 395 B, quas omnes movet et excitat ad agendum, 517 C. Per illam dignoscuntur Christi discipuli, 344 D', et Deus se ipsum dat nobis, quomodo, 404 B', 606 D. — Quam fructuosa sit, 210 A, 409 C, quam prompte ac delectabiliter operetur, 517 C. Quasi propriam æstimat necessitatem proximi, 73 A', de cujus bono exsultat et tristatur de malo, 211 C', peccantibus semper ignoscens, 210 A', etsi aliquando pœnam non dimittat, 210 B', et ex illa aliquod odium procedat, 73 C'. — Sine illa nihil de condigno meremur, 133 D, nec habemus rectum divinorum saporem, 344 A'; omnis vero actus ex illa procedens meritorius est vitæ æternæ, 520 C'. — Ordo caritatis quisnam sit, 132 A, 193 C, 448 D, 527 B'. — Caritas quomodo præcipiatur, 73 B', 248 B, sive in Deum, 248 C', sive in proximum, 248 D', 516 C. In duobus caritatis præceptis continentur omnia præcepta, 249 A, sicut conclusiones in primis principiis, 249 C, ita ut caritas sit finis virtutum ac præceptorum, 249 D. — Illam quomodo promoveant consilia evangelica, 248 C. Ejus perfectio, in cœlo tantum possibilis, quænam sit, 248 B. — Unus est illius habitus, diversi autem actus, 249 A', inter quos est correctio fraterna, 208 A, 209 C. Per actus interiores præcipue præceptum caritatis adimpletur, 531 D. — Signa caritatis quandonam adversariis exhibenda, 517 D', 518 A. — Quanto perfectius Deum quis diligit, tanto amplius homines amat, 518 B. — Abundantia peccati

mors est caritatis, 261 D'. — *Cf.* Dilectio, Correctio fraterna.
CASSIANUS (Joannes) citatur, 65 D'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 49.)
CASTELLUM, quid sit ad litteram, 124 C', 229 A, 585 D', et mystice, 230 A'.
CATECHISMUS, quomodo Baptismum præcedat, 320 B'.
CATHEDRA pro doctrina accipitur, 250 C, vel pro judiciaria potestate, 250 D.
CAUSA. Ab illa effectus bonitatem sortitur, 529 C, et illi proportionatur, 529 B'. — Prima causa per causas secundas operatur, 87 A'.
CEDRON, torrens situs in valle Josaphat, 292 A.
CENSUS. Numisma census quid sit, 245 C.
CENTUPLUM redditur mundum relinquentibus, 219 A', quod non carnaliter est intelligendum, 345 C'.
CENTURIO urbis Capharnaum ex parte Romanorum ad quid deputatus, 101 B, 533 C. — Cultor erat unius Dei veri, 100 D', 534 A, et Judæos diligebat, quare, 533 B'. — An in propria persona ad Christum accesserit, 99 D', 100 B', 533 A'. — Ejus fides, humilitas, caritas et sapientia laudantur, 100 C, 534 A'. — Cur Christum rogaverit ne domum suam intraret, 100 B'. — Ejus servus obiisset nisi miraculose curatus fuisset, 533 B. — Quomodo centurio Christi potentiam intellexerit, 101 B, 534 B', et Israelitarum fidem superaverit, 101 D, 535 A'. — Figura fuit Ecclesiæ ex gentibus congregatæ, 101 C'. — Moraliter, est bonus prælatus, 535 D', vel intellectus cui parent diversi affectus, 536 A.
CEREBRUM. Utrum principale animæ sit in cerebro, an in corde, 182 B.
CHANANÆA mulier, quomodo pro filia sua rogans, 182 B', primum repelli visa sit, 183 A, deinde autem laudata sit et exaudita, 183 C'. — Quo illi asperior in verbis, eo benignior intus fuit Christus, 183 D'. — Mystice, Chananæa est Ecclesia, 184 B.
CHRISTIANI quam beati, 399 A. Illorum congregatio nunquam totaliter destruetur, 268 C. — Christianus impius magis damnatur quam infidelis, 531 A, et cadit super lapidem seu Christum, quo sensu 239 C.
CHRISTUS, id est unctus, 414 C'. Sic proprie vocatur solum Verbum Dei incarnatum, 6 A, 188 C', 425 B', et propter nos quodammodo abbreviatum, 79 A, seu Verbi persona increata in duplici natura subsistens, 414 D'; etsi plures Christi dicti fuerint, 5 B', et in illo nomine tota Trinitas aliquo modo intelligatur, 189 D, 320 D. — Duplex Christi natura per duplex nomen, Jesum et Emmanuel, designatur, 19 A. Aliter dicitur verus Deus, 366 A, Dominus, 415 A, 536 B', Unigenitus Dei, 385 C, Filius Dei, 353 A', increata Sapientia Patris, 142 A, Sol justitiæ, 168 A', Oriens ex alto, 408 C, Lumen luminum, 118 D', Rex regum, Judex ac Dominus universorum, 267 D, Rex Messias, mundi Salvator, 188 C', 414 A', Salutare Dei, 426 A', 443 D', Sanctus Dei, 480 A', 481 B', Sanctus Sanctorum, 353 A', totius puritatis et integritatis auctor, 386 A, pontifex, 472 C, templum Divinitatis, 472 D, brachium Domini, 396 A', 427 A, consilium Dei, 546 D', virtus et sapientia Patris, 328 D', facies Dei Patris, 328 D, primogenitus mortuorum, primogenitus omnis creaturæ, 412 C, mundi pretium, 353 A', medicus animarum, 498 A, et corporum, 331 B', summus Propheta ac Dominus Prophetarum, 231 B', rex Israel, 388 B, lapis abscissus de monte sine manibus, 238 D, lapis angularis, 238 A', legislator Christianorum, 252 C', primus ac principalis magister evangelicæ veritatis, 327 B, et summus doctor Ecclesiæ, 241 A. — Quare etiam dicatur puer, 150 A, electus, 150 B, qui venturus est, 134 A', Filius hominis, 148 D, filius David, filius Abraham, 6 B, 249 C', leo, 161 B, rhinoceros, 419 A, avis, 161 A. — *Cf.* Jesus, Verbum.
De Christi divinitate et humanitate. Inenarrabilis est Christi generatio, sive divina, sive humana, sive spiritualis; aliqualiter tamen describitur, 6 A'. Christus est Filius Dei, unicus, unigenitus, naturalis, non adoptivus, 188 C', 327 A, coæternus et coæqualis, 387 D', cujus divinitas demonstratur ex prophetiis, 480 D', necnon ex ipsius Christi gestis, 110 C, 138 C', 148 D, 201 C', 583 C, etc. — Secundum divinitatem, ubique est, 264 B', omnia implet, imo ipsis illabitur essentiis rerum, 534 C. Omnia potest, secundum suam absolutam potentiam, 332 A'; et tantum secundum potentiam ordinatam, 337 B, vel secundum exteriorem apparentiam dicitur aliquid non potuisse, 332 A', 339 C. — In utraque sua natura quomodo sit magnus, 387 C', bonus, 216 D, benedictus, 391 D', sanctus, 389 D. In illo est una personalitas et una filiatio; duæ vero generationes, sicut

et duæ naturæ, 390 B', et quædam venustissima permixtio cœlestium et terrestrium, 415 A'. Quomodo exierit a Patre, 221 C', 560 A, qui omnia illi tradidit, quo sensu, 144 B, 320 A, 325.

Humanitatis ejus quanta sit perfectio, 450 D'; quo sensu fuerit instrumentum Spiritus Sancti, imo totius Trinitatis, 460 D', 472 A, sed præsertim Verbi, 461 A. — Quomodo anima ejus fuerit creata, carni unita, ac utrumque Verbo hypostatice conjunctum, 390 D, ita ut ipsummet Verbum sit assumptæ humanitatis hypostasis, 390 B'. Quapropter Christus ut homo excedit omnem perfectionem omnium creaturarum simul sumptarum, 36 A', 39 B', 216 D, 387 D', et illi subjecta est omnis creatura, 104 A', etiam angelica, 168 A, 482 B'. — Quomodo unctus sit a Spiritu Sancto, 472 A, illoque plenus, 450 B', 460 C, 470 C, 471 D', ac tanta gratia donatus ut tota creatæ mentis capacitas in eo fuerit completa, 391 D', nec unquam in gratia, caritate vel contemplatione profecerit, 450 C'. — Quo sensu fuerit comprehensor simul et viator, 454 D, 463 D, 505 D, 569 A'. Quatuor dotes corporis gloriosi utrum ante resurrectionem suam habuerit, 195 B, 479 A, 596 A'. — Ejus scientia quam perfecta, 51 C, 174 B', 471 C', 494 C. Quomodo in Verbo noverit omnia, 103 B, 332 C', etiam futura, 110 C. — Qualis sit ejus sapientia infusa, 438 D', scientia acquisita et experimentalis, 103 C, 439 B. — Intellectum agentem habuit ejusque operationem, 439 B. — Admiratio quo sensu fuerit in illo, 103 A, 535 B. Non ex ignorantia interrogabat, sed ex aliis causis, 225 B, 227 D', 342 C. — Per spiritum ejus quid intelligatur, 332 B'. — Corpus ejus verum erat, non phantasticum, 159 A', 370 B, sed perfecte animæ subditum, 479 A. — Ejus passiones, seu propassiones, non præveniebant sed sequebantur voluntatis imperium, 292 B'; inferior enim pars animæ illius superiori obediebat, 333 D. Unaquæque potentia in illo exercuit actum suum, non impediendo alterius actum potentiæ, 333 C. — Christus fuit vere passibilis, 333 C', et secundum naturam humanam non differt ab aliis hominibus, quantum ad essentialia speciei, 387 C'. Non tamen omnes defectus nostros assumpsit, sed eos dumtaxat qui integritati et perfectioni naturæ non repugnant, 104 C'. — Qualis in eo fuerit somnus, 106 D', 569 A', qualis ira, et tristitia, 333 C.

De Christi adventu et vita. Christus a qualibet Persona divina missus est ut homo, 132 D', 606 C'; multoties figuratus non solum per determinatas personas, sed per totum populum Judaicum, 27 D', et prænuntiatus in veteri Testamento, 186 C'. — Ad veram pacem conferendam advenit, quod præsignabat pax sub Augusto stabilita, 410 C', 417 A'. — Quanam die conceptus sit, 383 D', homo perfectus a primo instanti, 18 C, et quare in Galilæa, non in Judæa, 384 A', in Nazareth, non in Jerusalem, 385 B. Cur ejus conceptio Spiritui Sancto appropriata sit, 16 D, et quonam sensu nativitas vocari possit, 18 B. — Natus est tricesimo, ut fertur, anno regni Herodis, 27 A', in Bethlehem, 23 D', 411 D', de Virgine, 19 D, 386 A, 389 A', desponsata, 16 B'. Quo sensu primogenitus Mariæ, 412 A; quibusnam pannis involutus, 412 A', et in quonam præsepio repositus, 412 C', abjectiora et corpori graviora eligens, 413 C. — Pastoribus quare nuntiata sit ejus nativitas, 415 B, et a quonam angelo, 416 C. Illum esse hominem, regem et Deum testati sunt Magi verbo, 22 B, opere, 25 A, et muneribus, 25 D. — Quomodo circumcisus octavo die, 420 B', gravissimo cum dolore, 422 A', et quibus de causis, 421 B'. Nomen Jesu accepit, 420 C', tanquam novum ac proprium, 421 A, quomodo interpretandum, 420 C', 421 C. — In templo præsentatus, 423 D, quinque siclis redemptus est, 423 C', 426 A. Quo sensu intelligenda sint quæ tunc Simeon de illo prophetavit, 426 C et seq. In Ægyptum fugit, quare, 27 B', et quomodo, 433 C; cujus regionis idola, illo adveniente, corruisse feruntur, 27 C. — Deinde crescebat et confortabatur spiritu, quo sensu, 433 A'; quomodo plenus sapientia, 433 D', et tamen in illa proficiens, 438 B'. Quanta ejus gratia, 434 A, sive gratia capitis, 439 B', sive gratia unionis, 439 C'. — Factus annorum duodecim, 434 B', 436 D, remansit in Jerusalem nescientibus parentibus, quare, 435 A; et cur, sedens in medio doctorum, 435 B', audierit illos, 435 C', et interrogaverit, 435 D', 436 B. Inventus in templo, parentibus suis locutus est, 437 D, non reprehendendo, sed aliquo sensu instruendo, 437 B'. — Subditus erat Mariæ et Joseph, 438 A, illis quotidie mini-

strans, 227 A, et ita optimum obedientiæ præbens exemplum, 438 D. — Cur baptizari voluerit, et quanta cum humilitate, 38 C', 329 B, incipiens quasi annorum triginta, 457 A. A Joanne baptizatus, ipsum baptizavit, 38 B', postea probabiliter etiam Apostolos, 38 B', sed alios generaliter non baptizavit, 37 B, 328 B'. — Per Christi baptismum, qui est figura et causa nostræ regenerationis, 600 C, data est aquis vis purgativa peccati, 455 C'. Quænam fuerit hujus baptismi forma, 454 B'. — Quo sensu tunc cœlum apertum sit, 454 D', Spiritus Sanctus sub specie columbæ descenderit, 39 D, 40 B, 329 C, 455 B, et vox Patris audita sit, 39 A'. Post baptismum suum Christus oravit, quare, 454 A, utrum pro se, an pro nobis, 454 B. — Cur deinde in desertum abierit, 41 A', 461 C, 462 A, quid ibi egerit, 329 A', quomodo jejunaverit, 41 C', et quare quadraginta diebus, 42 B, 463 A. Esuriit divina dispensatione ac propria voluntate, 463 C, ita ut mirabilior fuerit ejus fames quam jejunium, 41 D'. — Quomodo tentari voluerit, 461 A', quare, 462 D, et utrum per quadraginta dies, vel tantum postea, 462 B. A Lucifero ipso fertur tentatus, 464 A, 465 B, sub specie eremitæ, 466 D. Triplex ejus tentatio exponitur, 42 C, 464 B. Quænam ex illis tribus fuerit ultima, 45 D, et quomodo ad illas aliæ omnes reducantur, 469 C. — An Christum volando per aerem portaverit diabolus, 43 A', 466 C. Supra pinnaculum templi assumptus, Jesus invisibilem se reddidit, 43 C'. Quomodo illi omnia regna terræ ostensa sint, 466 A'. — Rursus illum tentavit diabolus, quandonam, 469 A', et utrum illum noverit esse Deum, 464 A', 465 A'. — *Cf.* Angelus, Magi, Maria, etc.

De Christi prædicatione. Ante Joannis incarcerationem cœpit Christus prædicare et signa facere, 47 A. Utrum prædicaverit tribus annis cum medio, 457 B, vel tantum duobus annis cum medio, 457 C. Civitates omnes et castella Galilææ circuivit, 119 B', et specialiter loca ad quæ Apostolos præmisit, 133 D', etiam ambulando frequenter docens, 227 C'. Delectabilis visu, 474 C, 485 D', 486 A, nudis incedebat pedibus, 36 B', 451 C, 551 D, 554 D, et nudo capite, 283 B, habens sacculum, peram, pecuniam, 123 B', 584 A', et probabiliter quatuor fimbrias in vestimento, 115 D', 578 D. Solebat ad domos amicorum suorum divertere, non ex necessitate, sed ex dignatione, 104 A, 331 A. — Non per librum, sed viva voce docuit, quare, 3. Verba ejus erant verba gratiæ, 474 C', ignea, 330 C, operativa et penetrativa cordis, 111 A'. Magister intus illuminans, 252 D, docebat sicut potestatem habens, quo sensu, 97 D', 330 C, 471 B, 480 A. Nova et supernaturalis ejus doctrina, 218 B, omnium philosophorum placita superat, 364, et ipsam rationem transcendit, 98 B. — Quam eloquens fuerit Christus, 479 D', quam discretus in suis præceptis, 133 B', 584 C', quam blandus quum bona commendaret, terribilis quum illicita increparet, 192 C, 199 D. Conformans sermonem suum audientium capacitati, 336 A', leviora illis proposuit qui alta sapere nequibant, 603 B'. — Misertus super turbas, 120 B, quo sensu non venerit vocare justos, sed peccatores, 112 C', 498 C; arundinem quassatam non confregerit, nec linum fumigans exstinxerit, 151 C; pauperes evangelizaverit, 472 A', et contritos corde sanaverit, 472 B'. — Quare in monte fuerit pernoctans in oratione, 505 C, et Apostolos quomodo elegerit, 505 D', nec sapientes nec nobiles, 506 A. — Sermo Domini in monte, 51 A, in Galilæa prædicatus, 98 D, directus est præsertim ad Apostolos, 59 B, 509 A, et legem evangelicam continet, 509 C. — Quomodo turbæ irruerint in Christum, 485 D, et quare, 50 D, 331 C. Cur frequenter docuerit juxta mare, 335 A, vel in synagogis, 471 B, 485 B'. In synagoga Nazareth, non fortuito sed deliberate reperit textum Isaiæ quem legit, 471 C'. — Quo sensu non missus sit nisi ad oves quæ perierant domus Israel, 122 A', 183 A; non venerit mittere pacem sed gladium, 131 D; non clamaverit neque locutus sit in plateis, 151 A; gallinæ pullos congreganti se comparaverit, 257 B'; et de discipulis suis dixerit : Ecce mater mea et fratres mei, 159 A', 567 A'. — Aliquando verbis, aliquando factis aliquid designavit aut præmonstravit, 341 C, 505 C. Allegando vetus Testamentum, frequenter sensum potius quam verba exposuit, 23 B', 328 C. Aliqua ejus præcepta ac consilia observanda sunt secundum animi præparationem, et dummodo aliunde expediat, 520 B. — Quomodo Herodianorum hypocrisim eluserit, 245 B, et contra Sadducæos animæ immortalitatem corporumque resurrectionem demonstraverit,

246 A', insuperabilis atque infallibilis argumentator, 246 B'. Moysis instar posuit benedictiones justorum et maledictiones impiorum, 252 C'. Quo sensu Præceptor a Petro dicatur, 578 C', et a Judæis Propheta magnus, 538 B. — Etsi se esse Christum prædicari noluerit, 191 C, 330 B', 331 D, divinitatem suam insinuavit, 98 B', et affirmavit, 148 D, 176 D', 502 B'. Paucos tamen Judæorum, comparative loquendo, sua prædicatione convertit, 561 D'. — Ad quid tendat ejus doctrina, 364. Quare et quam diligenter obediendum Christo legislatori, 368 D', cujus verba non præteribunt, 268 D.

Fecit quod docuit, 105 A', et se ipsum proposuit in exemplum, 527 C, omnis perfectionis ac sanctitatis exemplar, 128 C'. Secundum humanam naturam, in omnibus obedivit Spiritui Sancto, 329 D, cujus septem donis plenissimus fuit, 329 A'. Quanta ejus humilitas, 100 A', 105 A, 106 D, paupertas, 105 D, 483 C', 609 B', obedientia, 61 B, 201 D', misericordia, 580 A, mititas et amabilitas, 145 C', 338 B. — Actio ejus nostra est instructio, 470 A. — Neminem potuit scandalizare directe, sed tantum occasionaliter, 201 B'. Quare magis vitaverit scandalum Gentilium quam Pharisæorum, 201 A'. Alii scandalizati sunt ex divina ejus majestate, alii ex humana ejus humilitate, 136 C'. — Quomodo legem impleverit, 61 B, 63 A, et tamen interdum transcenderit, 491 D. Sabbatum non violavit, quo sensu, 61 B'. Cur leprosum tetigerit, contra legis prohibitionem, 99 A, 491 A'. — A mulieribus devotis victum sumpsit, quare, 559 C. — Cur fugerit illos qui eum regem proclamare volebant, 176 C, Herodem post Joannis incarcerationem, 174 C', 587 D, et Pharisæos insidiantes, 149 C'. — Quanam de causa in montem ascenderit orare solus, 176 C, vel in desertum secesserit, 105 A, 331 A', et quomodo vitam instituerit solitariam, 484 D'. — Non ex impatientia, sed ex zelo justitiæ, Scribas et Pharisæos increpavit, 178 C'; filios autem Zebedæi de nimio zelo reprehendit, 608 A'. — Pius magister discipulis suis quietem concessit, sed non longam, 337 B'. Illos solebat osculari ad se redeuntes, 554 C'. — Devotione simplicium delectabatur, 587 D. Parvulos quam blande receperit, 215 D; quos complexans, quid significaverit, 345 D. — Erat tamen etiam peccatorum amicus, quo sensu, 141 D, 497 B', 548 C'. Peccatores ad quos ingressus est vere pœnitentes fuerunt, 124 D', et qui illum corporaliter receperunt in mundo, etiam spiritualiter receperunt, 133 A. Mariam Magdalene quomodo Christus prædicatione sua converterit, 551 B, et illi pœnitenti peccata remiserit multa, etiam quoad pœnam, 556 C'. — Quid narretur de vultu ejus tristibus consolationem ingerente, 486 A. — Non venit ministrari, sed ministrare, quo sensu, 226 D'. Quomodo quatuor ordinum minorum officia impleverit, 471 A'. — Quomodo peccata remiserit, 555 A, 557 B. — Multa fecit et dixit quæ in Evangelio non scripta sunt, 557 C. — *Cf.* Apostoli, Evangelium, Lex, Parabolæ.

De Christi miraculis. Nullus in V. T. tot et tanta fecit signa ac Christus, 120 A, 184 A', 586 D, cujus innumerabilia fuerunt miracula, 484 A, sed pauca specialiter scripta, 542 A. — Miracula fecit Christus propria virtute, ut Deus, 470 A', et creata potestate, ut homo, 470 B'. Quomodo illa per humanitatem suam operatus sit, 99 A, 117 A', 492 C', nempe per animam, 482 D, per corpus, 228 A, 339 A', 484 C, per manus, 98 D', 215 B', etiam per vestimentum, 116 D. — Quos corpore sanavit, illos curavit et in anima, 50 C, 228 B, 542 D', 579 A', corporum curam ordinando ad animarum salutem, 503 C. Interdum sua miracula occultari jussit, interdum vero publicari, quare, 118 A', 149 D', 336 C', 574 C, et utrum peccaverint qui silentium de illis præceptum non servaverunt, 118 B', 332 A. Modo rogatus, modo non rogatus signa fecit, quanam de causa, 483 B'. Varia ejus miracula summatim recensentur, 541 B', 542 D'. In illis magis mirandus est modus agendi quam actio, 99 B, et Pharisæi nulla ex parte illa poterant calumniari, 232 B'. — Quomodo supra mare Genesareth ambulaverit, 176 B', et Petrum ambulare jusserit, 177 A; necnon tempestatem sedaverit, 569 C'. — Qualiter panes bis multiplicaverit, 175 A, 184 B. — Quomodo transfiguratus sit in monte Thabor, 194 C', 596 D, et quare, 595 B', 596 D'. Cur dumtaxat tres Apostolos secum assumpserit, 595 D', et quare Petrum, Jacobum et Joannem elegerit, 596 A. Claritas ejus qualis tunc fuerit, 194 D', 195 C, 596 C', et vestimenta ipsius an fuerint immutata, 195 D, 597 B'. Pluribus de causis eodem tempore apparuerunt Moyses et Elias, 195 C',

597 C, de Christi passione loquentes, 196 C. Cur etiam manifestata sit tota Trinitas, 197 A'; quale testimonium a Patre acceperit Christus transfiguratus, 197 C, 599 D', idem ac in suo baptismo, quare, 197 B'. Adfuit etiam Spiritus Sanctus, cur sub forma nubis lucentis, 600 B. De illa transfiguratione Christus silentium præcepit, quanam de causa, 198 B, 600 D', 601 B. — Sanavit multos surdos et mutos, ac cæcos et debiles, 340 A', necnon quamplures leprosos, 542 C, sed præter cæcum et claudum de quibus loquitur Joannes, incertum est an curati fuerint alii a nativitate cæci, claudi vel surdi, 542 A. — Quomodo sanati fuerint varii dæmoniaci, 108 B, 118 D', 152 B, 199 C', 330 B', 342 D, 480 B, 602 C', et quo sensu Christus in potestate et virtute imperaverit immundis spiritibus, 482 D. Quare dæmoni silentium imposuerit etiam vera proferenti, 481 D', et illum esse Dei Filium confitenti, 484 B'. — Cur leprosum sanatum ad sacerdotes miserit, 99 D, 491 A'. — Mulierem Chananæam pro filia sua orantem quomodo primum repellere visus sit, 183 A, deinde autem laudaverit et exaudierit, 183 C'. — Surdum et mutum in Decapoli quare apprehenderit seorsum, 339 A', qualiter sanaverit, et cur tunc ingemuerit, necnon postea ad Lazari sepulcrum lacrimatus sit, 339 C'. — Quomodo juxta Bethsaidam cæcum illuminaverit, 340 C', et quare non in instanti, sed paulatim, 341 B. Alios prope Jericho duos cæcos sanavit, 227 A', 346 A', quorum tetigit oculos, quare, 228 A. — Quomodo ambo paralytici in urbe Capharnaum curati fuerint : alter servus centurionis, 102 D', alter per tectum translatus, cui dimissa sunt peccata, 493 C. In eadem urbe multos infirmos sanavit, 484 B, quare per manus impositionem, 484 C. In domo Petri et Andreæ, 483 B, quomodo socrum Simonis a febri liberaverit, 483 C. Qualiter sanatus fuerit homo habens manum aridam, 503 A', et mulier a fluxu sanguinis curata sit, 579 A. — Quare Christum tangere quæsierint omnes, 507 A', et quo sensu virtus de illo exierit ad sanandum, 507 B', 508 D'. — Quomodo Christus evaserit manus eorum qui illum præcipitare conabantur prope Nazareth, 478 C', 479 A, et quale prodigium tunc accidisse narretur, 479 C. Illo jubente, 487 A, Petrus ejusque socii concluserunt copiosam piscium multitudinem, 487 D, miraculose adunatam, quibus modis, 488 C'. Per staterem in ore piscis creatum Christus tributum solvit, 201 C'. — Cur in desertum secesserit post miracula, 484 D', 492 A. — Filium viduæ Naim quomodo suscitaverit, 536 D, 537 A', etiam spiritualiter, 537 C', et quare tanta misericordia motus, 536 C', 537 A. Filiam Jairi quam potenter ad vitam revocaverit, 581 B'; cur illius manum tenens et simul clamans, 581 C, coram tribus tantum Apostolis, 580 D. Tres mortuos corporaliter suscitavit, per quos designatur triplex genus spiritualis resurrectionis, 538 A'. — Verus Deus probatus est quum secreta cordium revelavit, 494 D, propria virtute imperialique modo signa fecit, 532 D', et miraculorum potestatem Apostolis transmisit, 583 C.

De Christi gestis ante passionem. Frequenter Christus prænuntiavit se passurum, quare, 200 C', 224 D'. — Sabbato ante Palmas erat in domo Simonis leprosi, 281 A', ubi caput et pedes ejus unxit Maria Magdalene, 282 A, 283 B, quam Jesus defendit, quonam modo, 283 B'. — In die Palmarum veniens Bethphage, quid ibi egerit, 228 D. Dominum se affirmans, 229 D, quomodo, requisitis per discipulos asina et ejus pullo, 229 A, super utrumque animal sederit, 230 B, et sic Judæos et Gentiles sibi subjiciendos significaverit, 230 C'. Ovantes turbæ clamabant : Benedictum quod venit regnum patris nostri David, quo sensu, 346 D. Qualiter Jerusalem ingressus sit, 231 A, ejeceritque de templo vendentes et ementes, 231 C', quanto miraculo, 347 B, 478 D'. Quomodo cæcos et claudos ibidem curaverit, 232 B, et principes sacerdotum indignantes confutaverit, 232 B'. Quare postea Bethaniam secesserit, 232 D'. — Die sequenti ficulneæ sterili cur maledixerit, 233 B. Viduam pauperem laudavit propter duo minuta in gazophylacium missa, quo sensu, 349 A. Quomodo illum esse Christum Judæi cognoverint, 240 B', etsi illos latuerit ejus divinitas, 240 D'. Illum occidere quare voluerint Judæorum principes, 237 B'. Quomodo Christus Scribis et Pharisæis maledixerit, 252 C'. — Feria tertia post Palmas, egressus de templo, Bethaniam petiit, 258 C. Quod prædixit de templi destructione potest etiam referri ad ultimum judicium, 259 B'. — Feria quarta mansit in Bethania, quare, 280 B'. Eadem die consilium contra illum

fecerunt principes sacerdotum et seniores populi, 280 D'. A quibus traditus sit in mortem, 224 C'. Quomodo illum vendiderit Judas, 284 C', et quare pro triginta argenteis, 284 D'. — Feria quinta ultimam cœnam fecit; apud quemnam, 286 D'. Qualiter se tradendum esse denuntiaverit, 287 A', quo duplici signo proditorem indicaverit, 287 D', 288 A, quam pie simul et terribiliter Judam admonuerit, 288 D', cujus scelus in Psalmo XL prænuntiatum est, 288 C. Christus, Pascha seu Agnus paschalis vocatus, 286 A, panem non fermentatum, 286 C, in corpus suum transsubstantiavit, 289 A, per verba consecrationis, quorum sensus exponitur, 289 C. Quid tunc fregerit, 289 A. Ut creditur, ipse corpus suum et sanguinem sub sacramento accepit, 290 B, et Judæ etiam tradidit, 289 B. Quanta illius caritas in Eucharistia, 290 C, et quare illam consecraverit post agni paschalis comestionem, 290 A. — Ante passionem suam Extremam unctionem instituit, 337 C. — Apostolorum dispersionem prædixit, Zachariam allegans, quo sensu, 290 B'.

De Christi passione. Quare Christi passio dicatur excessus, 196 C, 598 A. — Qui illum occiderunt magis peccaverunt quam Sodomitæ, 126 A'. — Quomodo Christus languores nostros tulerit, et dolores nostros portaverit, 104 B', superabundanter pro nobis passus, 462 D', et nobis in omnibus promeritus, 462 D. Quanta mansuetudinis et patientiæ exempla in passione dederit, 295 B', 296 D, 298 A', 303 C, 304 A. — Quo sensu contristatus in horto Gethsemani, 292 B, 293 A', mortem naturali affectu abhorruerit, 292 C, etsi ad illam paratissimus fuerit secundum voluntatem et rationis judicium, 293 C. Oratio ejus in eodem horto qualis fuerit, 293 B, quare tribus vicibus repetita, 294 D, quo sensu conditionalis, 293 C, et exaudita, 294 C'; quomodo nobis imitanda, 293 D. Quo sensu impossibile fuerit ut Christus non biberet calicem passionis, 293 D, 296 D'. Quomodo in agonia factus sit, 294 A', et ab angelo confortatus, 294 B'. Tempore passionis, superior pars ejus animæ in inferiorem non redundavit, quo sensu, 294 A'. — Ingenti affectu obviam ivit adversariis suis, 295 A. Quare Judæ osculum acceperit, 295 B', antequam sua voce Judæos prosterneret, 296 A. — Primum ad Annam ductus est, quare, 297 A'. Falso coram Caipha accusatus, 298 B, cur tacuerit, 298 A', et deinde pontifici interroganti se Filium Dei esse responderit, 298 B'. Quomodo Petrum respexerit et converterit post illius triplicem negationem, 300 D'. Ab hora captionis suæ usque ad auroram duris pœnis afflictus est, 301 D. — Ductus est ad Pilatum, quomodo vinctus, 301 D'. Coram eodem accusatus, 303 B', quid illi dixerit, 303 C'. Quare gravissime jussus sit flagellari, 304 C'. Illi Barabbas antepositus est, quanta excæcatione, 305 C, et quomodo exauditi sint Judæi qui postulaverunt sanguinem ejus esse super se et super filios suos, 305 C'. — Antequam judicaretur ad mortem, 306 B, in prætorio illusus et spinis coronatus est, quomodo, 306 D, et an jussu Pilati vel persuasione Judæorum, milites Christum tam indigne cruciaverint, 307 A. — Crucem suam primum bajulavit, sed postea onus illud Simoni Cyrenæo impositum est, quare, 307 C. In Calvariæ loco quale vinum Christo oblatum sit, 307 C', 353 B, et quantum ille siti laboraverit, 308 A. Quia quatuor erant milites custodientes, ejus vestimenta in quatuor partes divisa sunt, 308 C, præter tunicam inconsutilem et artificiose elaboratam, 308 D, a Beata Virgine, ut creditur, 308 C'. — Christus in cruce nudus suspensus est, 308 C', quota hora, 353 C, et cur inter duos latrones, 309 B. Qualis inscriptio super caput ejus posita sit, 308 D', et quare, 309 A. Cur non descenderit de cruce, sicut injuriose illum exhortabantur Judæi, 309 D'. Ipsum etiam duo latrones illudebant, sed postea unus ex illis pœnitentiam egit, quare, 310 C', 353 A', et quam benignum Christum expertus sit, 311 A. Quomodo tunc tenebræ factæ sint super universam terram, 311 A, per tres horas, 311 C', et quid de hoc narret Dionysius Areopagita, 311 C. — Quanta tormenta Christus pertulerit in cruce, 312 C, et quo sensu fuerit a Deo derelictus, 312 D. Mors crucifixorum quare gravissima, 312 C. Eliam a Christo crucifixo vocari quinam dixerint, 312 A', 353 B'. — Emisit spiritum quanam cum libertate, 312 D', et quanto clamore præmisso, quo audito credidit centurio illum esse Filium Dei, 313 A, 353 D'. Post mortem illius quodnam templi velum scissum fuerit, 313 B, et ad quid significandum, 313 C. Cur eodem tempore terra supernaturaliter mota, petræ scissæ, et monumenta aperta sint, 313 D. —

Jesus crucifixus per serpentem æneum figuratus erat, 279D. Ex latere ejus in cruce dormientis sacramenta N. L. fluxerunt et efficaciam acceperunt, 368D. Est liber in quo resplendet quidquid ad salutem pertinet, 279D. Non tantum in cruce sed a principio creationis animæ suæ se ipsum tanquam hostiam obtulit, 472C. — Redemptio nostra per ejus passionem completa est, 401D', et ad omnes se extendit, quo sensu, 498D. Qualiter genus humanum ab omni peccato liberaverit, 18A', et quam sapienter nostram salutem operatus sit, 3.

De Christi resurrectione et ascensione. Resurrectionem suam quomodo Christus prædixerit, 298C, 317A'. — Quare, curantibus Joseph ab Arimathæa, 314B', et Nicodemo, 315A, sepultus sit in novo sepulcro, 314D', et honorabili modo, 315C. Quo sensu ibidem manserit tribus diebus et tribus noctibus, 157D. — Qualiter visitaverit et illuminaverit in limbo detentos, 408B'. — Quo sensu in resurrectione sua regnum susceperit, 320A. — Surrexit de sepulcro ante lapidis revolutionem, 317A, utrum in aurora an media nocte, 355C'. Custodes autem illius resurrectionem non viderunt, sed noverunt, quomodo, 319A. Terræmotus qui secutus est Christi resurrectionem, productus est ab angelo, 316D', qui deinde revolvit lapidem sepulcri, quare, 317A, 354D', mulieribus Salvatoris resurrectionem annuntiavit, 317A', et illas misit ad hanc annuntiandam discipulis, 317C', specialiter Petro, quare, 317D', 355A'. Quinquies apparuit Jesus in die Paschæ, 318B', et quinquies postea, 318C'. — Quomodo Mariæ Magdalene apparuerit, primum soli, 318B, et deinde cum aliis mulieribus, 318C; quare in prima apparitione illi prohibuerit suos pedes tangere, 318D. Duobus discipulis cur in aliena effigie sese ostenderit, 356B. Fratres vocavit discipulos suos post resurrectionem, quare, 318A'. — In die Ascensionis undecim Apostolis apparuit, 356A'; erantne cum illis etiam alii discipuli, 356B'. Quo sensu tunc novissime sese manifestaverit, 356C'. Exprobravit incredulitatem eorum, quomodo, 356D', et misit eos in universum mundum ad prædicandum Evangelium omni creaturæ, 320C, 357C, promittens illis miraculorum potestatem, 357C', et plus conferens quam promisit, 358C. Quomodo ad cœlum empyreum, qui est proprius ejus corporis locus, 273B', ascenderit sua virtute divina, 358C', sed et per dotem agilitatis, 358D', nube illum suscipiente et duobus angelis postea apparentibus, quare, 359A. Quo sensu sedeat a dextris Dei, 359A, sine fine regnaturus, 388D.

De Christo sanctificatore. Quanto miraculo Christus mundum ad se converterit, 6D', 238C', 488D', 567D. — In utero Virginis tam humanam naturam quam Ecclesiam sibi desponsavit, 499C. Quomodo suo corpori mystico uniatur, 132C'. In Ecclesia, cujus est sponsus, 113C', et caput, 203D, semper inhabitat per præsentiam spiritualem, 114A, 320D', 321A, per fidem et gratiam, atque per sacramentalem exsistentiam, 264B'. — Quod fit membris ejus, fit capiti, 203A', 278B. Quomodo sua vestigia sequentibus protinus obviet, 175A, et in medio sit eorum qui congregantur in ejus nomine, 210B. — Qui non est cum illo, contra illum est, quo sensu, 607D, et tamen qui non est adversus illum, pro illo est, 607B. Qualis sit ejus unio cum anima devota, 241C. — Sicut fulgur advenit in Ecclesia, 265A', quam benignus erga pœnitentem, 211 D, et quam terribilis erga immisericordem, 212C. Qualiter tribulentur ejus præsentia carentes, 176A', quos non statim visitat, ut ipsorum merita augeantur, 176C', sed tandem potenter adjuvat, 177C, et omnino pacificat, 177B'. — Quomodo spiritualiter reficiat sequentes se in solitudinem, 185B'. Qualiter dona Spiritus Sancti conferat, 472D'. Ejus meritum nobis applicandum est per sacramenta Ecclesiæ, vel per fidem et caritatem, 18A'. Quo sensu aliquis dignus sit illi servire, 37A. Quomodo Christus spiritualiter generetur, 567B', cujus felicior est conceptio spiritualis quam carnalis, 568A'. — Multiplici modo est signum cui contradicitur, 430D. Quomodo spiritualiter mortuos suscitet, 582B', et manum imponat omnibus qui contriti ad eum accedunt, 484D. Per corpus ejus genus humanum in corpore et anima sanandum est, 484C. — Auctoritate ejus dies dominica loco sabbati celebratur, 502B'. — *Cf.* Anima, Ecclesia.

De Christo judice. Quomodo Christo judicium competat etiam secundum humanitatem, 452C, et quo sensu ab illo igno-

retur ultimi judicii dies, 268B'. Qualiter tunc sicut fulgur, 265D, in nubibus venturus sit, 267C, cum corpore glorificato, 276D', et sessurus super sedem majestatis suæ, 277B, ad reddendum unicuique secundum opera ejus, 193B'. Ejus imperio mortui surgent, 267A'. Ut Deus, Christus judicabit per auctoritatem ; ut homo, per exsecutionem, 219C. Quo sensu venturus sit in majestate sua et Patris et angelorum, 594C. Tunc apparebunt in cœlo crux ejus, ceteraque Passionis arma, 267A. — Judex non durus sed justus, 275C, statuet oves, id est electos, a dextris suis, 277C, et hœdos, id est reprobos, a sinistris, 277A' ; omnia abscondita manifestabit, nisi interim in confessione aperiantur, 335B ; proprioque ore ultimam sententiam pronuntiabit, 150D', quibusnam verbis, 277B', 278A'. In illa die perfecte sibi copulabit totam Ecclesiam, 271C'. — *Cf.* Judicium.

CHRYSOSTOMUS (S.), Constantinopolitanus episcopus, quid sentiat de tribus quaterdenis generationum in Christi genealogia, 15C. Quid referat de Isaia propriam mortem prædicente, 11A', et de exspectatione stellæ quæ Magis apparuit, 22A'. Quomodo orandum sit, edocet, 78B. Citatur sæpius, 6A', 9B', 10C', 12D', etc. (Migne *Patrol. gr.* tom. 47-64.)

CIBUS non est accipiendus nisi benedictione præmissa, 588A'. Ex natura sua bonus, potest esse occasio spiritualis immunditiæ, 180A. Ejus purior pars in corpus comedentis convertitur, 181B'.

CIRCUMCISIO fiebat octavo die a nativitate, 399C', non sine gravissimo dolore, 422B, et in ea imponebatur nomen, 399C'. — Quare circumcidi voluerit Christus, 421B'. — Spiritualiter, quomodo circumcidi debeamus, 422A.

CIRCUMINCESSIO in Trinitate, quid sit, 460B'.

CIVITAS supra montem posita, quid significet, 60C.

CLARITAS Christi in Transfiguratione, qualis fuerit, 194D', 195C, 596C', et quid designaverit, 597B. — Claritas tanto copiosior erit in corporibus glorificatis, quanto eorum animæ Deum clarius videbunt, 168D.

CLAUDI duplicis generis a Christo curati sunt, 542B. Spiritualiter, quinam sint claudi, et quomodo ambulent, 136D, 543B.

CLAUSTRALIS religiosus perjuro deterior invenitur, si professionem suam implere non satagat, 592D.

CLAVI Christi apparebunt in die judicii, 267A.

CLAVIS, in spiritualibus quid sit, 189C', 191A. Potestas clavium in quo resideat, 189D', et quando data sit omnibus Apostolis, 191A. Utrum sint duæ claves realiter condistinctæ, 190A, 191A.

CLEMENS Alexandrinus testatur evangelium S. Marci a S. Petro approbatum fuisse, 325. (Migne *Patrol. gr.* tom. 8 et 9.)

CLEMENS (S.) Papa, quid narret in suo Itinerario de S. Petri pœnitentia, 301C'. (Migne *Patrol. gr.* tom. 1.)

CLERICI quinam sint acediosi, 504C'. Clericos sæcularibus negotiis se implicantes Christus de Ecclesia repellit, 232A.

COELUM est corpus sphæricum, « ubique æque remote distans a terra », 267D'. Si vespere rubeat, serenitatem; si mane, tempestatem prænuntiat, quare, 186C. Cœlum et terra transibunt, quo sensu, 268C. Cœlum post diem judicii pulchrius erit, 268C. Cœlorum summum quid sit, 267C'. — Cœlum empyreum est proprius locus corporis Christi, 273B', et Beatorum, 217A, 273C'. Quare thronus Dei vocetur, 69B, 254D. In principio mundi creatum fuit, 277B', et electis triplici sensu paratum, 277C'. Ibi nullus senescit, sed sempiterna juventus consistit, 355A. — Regnum cœlorum quid sit, 31D, 53D, et cur primæ ac ultimæ beatitudini tanquam præmium assignetur, 57C'. — Quomodo cœli aperti sint super Christum baptizatum, 39A, 454D'. — Per cœlos in quibus Deus residet, intelliguntur vel Beati, 79B', et sancti homines, 79C', vel cœli materiales, 79B'. — Signum de cœlo quodnam petierint Pharisæi et Sadducæi, 186C.

COENACULUM in quo cœnam ultimam fecit Christus, cujus fuerit domini, 286D'.

COGITATIONES sunt verba mentalia, quæ per verba vocalia exprimuntur, 182A. — Cogitationes aliorum homo cognoscere nequit, nisi Deo revelante, 152C'. Cogitationum malarum incensor non actor est diabolus, 182C.

COGNITIO hominis intellectiva a sensitiva sumit exordium, 562C.

COLLEGA bonus de lapsu sodalis sicut de proprio dolet, 287B'.

COLLIS omnis humiliabitur, quo sensu, 443D.

COLUMBA, quomodo et quare Spiritum San-

ctum repræsentaverit, 39D 40A, 455B, 600B. Designat etiam Christum, 424B, gratiam vitæ præsentis, 600C, simplicitatem et mansuetudinem, 424C, 455C. Quomodo simplices ut columbæ inveniamur, 126D. — Columbæ erant pauperum hostiæ, 232A, 423D'. Quare columbarum pulli pro purificatione matrum oblati sint, 424D.

COMPASSIO Mariæ quam fructuose meditanda, 431B'.

COMPREHENSOR quilibet clarius videt et ardentius diligit Deum quam aliquis purus viator, 138D', 546B. — Quo sensu Christus fuerit comprehensor simul et viator, 454D, 463D, 505D.

CONCILIA generalia a Spiritu Sancto reguntur, 210C.

CONCORDIA quam sit utilis, 209D', 210B.

CONCUPISCENTIA quandonam sit voluntaria et mortale peccatum, 67A. Triplici concupiscentiæ respondet triplex tentatio, 43C. Præceptum Decalogi de concupiscentia quo sensu a Judæis intellectum sit, 66D'.

CONDEMNATIO non quævis sed inordinata vetatur, 524C. — Licet reos condemnare, etiam ad mortem, 524D, et aperte peccantes damnatione dignos asserere, 524D.

CONFESSIO duplex est, nempe propriæ culpæ, et laudis divinæ, 143C, 432C'. — Confessio sacramentalis instituta est a Christo, 32D, cujus passionis merito datur gratia salubriter confitendi, 431B'. Ad illam tenetur etiam qui per contritionem a peccato curatus est, 99B', 491B'. Omnia abscondita manifestabit Salvator in die judicii, nisi interim in confessione aperiantur, 335B. Confessores pœnitentias nimis graves injungere non debent noviter pœnitentibus, 500D. — Quænam confessio baptismum Joannis præcesserit, 328C'. — Confessio fidei quomodo remuneretur, 130B'.

CONJUGES in religionem ingredi volentes quomodo separari possint, 214A. — *Cf.* Matrimonium.

CONSILIUM Dei Pharisæi et Scribæ spreverunt, quo sensu, 546B', 547B. — Consilia evangelica utrum difficilius adimpleantur quam præcepta moralia, 146B'. — Per consilium etiam intelligitur tractatus de pœna infligenda, 63B'.

CONSOLATIO quomodo lugentibus concedatur, 54D', 511C, et quo sensu animam reficiat, 145B'.

CONSUETUDO est altera natura, 501A'. Habet vim legis, si bona sit et laudabilis, 434C'. Difficillime convertuntur mole consuetudinis impiæ depressi, 339D', 495C'.

CONSUMMATIO sæculi quomodo peragenda angelorum ministerio, 168A, 259C. — *Vide* Judicium.

CONTEMPLATIO mentem Deo infigit, 381A'; per illam Christus spiritualiter concipitur, 159B'; et ex illa procedit exsultatio, 394A'. Certum non exigit locum, 381A', qui tamen, si sublimis sit seu opportunus, excitat ad Deum ferventer contemplandum, 176C. Contemplativæ vitæ exercitiis quomodo vacandum in solitudine, 492A. — Ad contemplationem quomodo disponant virtutes et dona, 56B, virginitas, 215A, humilitas, 146A, mansuetudo, 53D', ordinata tristitia, 196C'. Qualiter fleant ad altissimam contemplationem evecti, 511B. Munditia cordis cum ardenti contemplatione Dei identificatur, 56C.

CONTEMPTUS mundi quomodo a Christo prædicetur, 515C'. Nemo contemnendus, quare, 205D.

CONTRITIO peccato æquari debet, quomodo, 445B. Qui per illam sanatus est a peccato, nihilo minus sacerdoti debet confiteri, 491B'. Per contritos corde, quinam intelligantur, 472B'.

CONVENTUS. In medio ejus Deum laudantis Christus adest, 210C.

CONVERSIO mentis in quo sistat, 145B. Mundi ad Christum conversio quantum sit miraculum, 358D, 488D'.

CONVIVIUM quale Matthæus Christo fecerit, 111B', et quid mystice significet, 113C.

COR quandoque pro mente accipitur, 182C. Per illud etiam desiderium et cogitatio cordis exprimuntur, 85A'. Utrum principale animæ sit in corde vel in cerebro, 182B. — Ex abundantia cordis os loquitur, quo sensu, 529C', et quæ procedunt de ore, de corde exeunt, quomodo, 182A.

CORBONA, gazophylacium seu locus oblationum erat, 302A'.

CORNU significat potestatem, 402B', regem, 402C', vel denuntiationem magnæ rei, 402A'. — Cornu salutis quomodo Christus erexerit, 402A'.

COROZAIN, civitas supra mare Genesareth sita, pertinens ad fines Zabulon et Nephthali, 47A', de impœnitentia notatur, 142B.

CORPUS est animæ instrumentum in agendo,

530 D. Corpus humanum elementa continet, et ad cœliformem æqualitatem reducitur, 357 A'. Corpus glorificatum ad nutum obedit animæ, 358 D', et quatuor dotes habet, 463 D. — Corpora cœlestia incorruptibilia esse affirmantur, 454 D'. — Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ, quo sensu, 265 C'.

CORRECTIO fraterna omnes obligat, 208 A, semper sed non ad semper, 208 C. Quandonam ejus omissio licita sit, 208 C, vel illicita, 208 D. Quomodo facienda, 339 A', 529 A, 552 D', et accipienda, 209 B', 239 B'. Quantæ sit utilitatis communitati, 208 D'. — Ordo correctionis exponitur, 207 D. Quando et cur testes in illa adhibendi, 207 A', 209 C. Indigni sunt alios de parvis accusare, qui magnis subjacent vitiis, 178 C'. Prælati quomodo subditos corrigere debeant, 208 B, et subditi prælatos, 208 A'. — Publica peccata qualiter corrigenda, 208 D'.

CRASTINUM. De illo semper solliciti esse debemus quoad spiritualia, non autem quoad temporalia, quare, 89 B'.

CREATOR. Illi soli innotescunt initium et consummatio mundi, 268 A'. — *Vide* Deus.

CREATURA refertur ad Deum relatione reali, 246 C'. — Quid in illa sit potentia obedientialis, 107 D, 569 D'. — Rationalis creaturæ dignitas quanta sit, 75 D, 248 B'; de illa præcipuam curam habet Deus, 87 D. Quo sensu homo dici possit omnis creatura, 357 C. — Creaturæ inanimatæ non obediunt proprie nisi Deo, quo sensu, 107 A'. — Non creaturæ substantia sed inordinatus usus condemnatur, 564 C'; creaturis autem finaliter adhærere, est spirituale adulterium, 157 B. — Divina virtus in creaturis relucet, 70 A, ideoque qui jurat per illas eadem obligatione tenetur ac si per Deum jurasset, 70 A.

CRUX apparebit in die judicii, 267 A. Moraliter, quid significet, 132 C, 591 C'. Religiosorum crux qualis sit, 592 B'. — Mors crucifixorum quare gravissima, 312 C.

CUBICULUM, spiritualiter est cor hominis, 77 A'. Quomodo in illud intrandum sit ad orationem faciendam, 77 C.

CULICEM colantes et camelum glutientes quinam sint, 255 D.

CULPA sine gratiæ dono non remittitur, 553 D.

CUSTODES sepulcri Christi resurrectionem non viderunt sed noverunt, quomodo, 319 A. Qualiter mentiri edocti sint, 319 A, et quanta hujus mendacii absurditas, 319 B.

CYPRIANUS (S.), Carthaginiensis episcopus, allegatur, 455 B. (Migne *Patrol. lat.* tom. 4, col. 506.)

CYRILLUS (S.), Alexandrinus episcopus, citatur, 472 B', 476 A', 481 D', etc. (Migne *Patrol. gr.* tom. 68-77.)

CYRINUS, præses Syriæ, quomodo fecerit descriptionem ab Augusto edictam, 410 D', et quare a Syria illam inceperit, 411 B.

D

DÆMON, spiritus dicitur ob naturæ subtilitatem, diabolus vero ratione peccati, 601 B'. Aliquando etiam vocatur leo, 161 B, fortis, 154 A, inimicus homo, 167 B', immundus, quare, 480 B. — Licet natura ejus sit bona, tota tamen mente ad malum intentus est, 541 C', a Deo inconvertibiliter aversus, 41 D, 96 B', et peccat in omnibus quæ agit, 480 B, 541 C'. Tanquam Deum se adorari desiderat, 44 B', et si posset, ipsam Divinitatem occideret, 481 A'. Quanta illius superbia, 467 C, invidia, 480 A', 481 D, perfidia, 43 D', 334 B, 571 B'. — In illo permanserunt naturalia integra, 276 C. Illius potentia quanta sit, 548 D. Utrum aliquo sensu illi tradita sint mundi regna, 46 A, 466 D'. Non essentiæ animæ illabitur, sed per tentationis suggestionem illam aggreditur, 563 C', dolens nos ascendere ad beatitudinem ex qua prolapsus est, 563 D'. Incensor non actor est malarum cogitationum, 182 C, neque cordis occulta rimatur, 182 D.

Quomodo Jesum tentaverit, forte in forma hominis religiosi, 42 C. — Frequenter vacillavit in dignoscendo Christo, quomodo, 42 D, 305 A, 330 A', 464 A', 481 B', tantam de illo habens notitiam quantam ipse Christus permisit, 465 C. Si Jesum tanquam Messiam certo cognovisset, non ignorasset illum esse Deum, 480 C', 484 A'. Quomodo et quare Christum assumpserit et posuerit super templi pinnaculum, 43 D; utrum putaverit illum libenter vel coacte secum tendere, 45 C', et quo sensu illi omnia regna mundi ostenderit, 44 A', 46 C'. — Cur dæmones in porcos se mitti petierint, et a Christo obtinuerint, 108 B'. Quo sensu Jesum vocaverint Filium Dei, 108 D, 334 A, quod Christus illis prohibuit, quare, 330 B', 334 B.

Illos solo imperio Salvator ejiciebat, 507 D. Quare Judam ad eumdem prodendum, uxorem vero Pilati ad liberandum incitaverit dæmon, 305 A, qui etiam, si possibile esset, non omitteret Antichristum inducere ad Jesum occidendum, 481 A'.

Dæmonis suggestione contra Ecclesiam surrexerunt hæretici aliique reprobi, 167 B', qui ex illo oriuntur, non creatione, sed pravitatis imitatione, 167 C'. — Nititur præsertim prosternere proficientes, 463 B', 602 C', et solitarios, 463 C'. De spiritualibus vitiis tentat quos vidit vitia carnalia superasse, 463 D'. Cur ad tempus nos intentatos relinquat, 469 B'. Ad illum vincendum quomodo prosint oratio et jejunium, 200 D, vel carnis mortificatio, 462 C'. Facile illi dominatur qui edomuit passionem ab illo succensam, 200 B'. — Quænam sint dæmonis domus et vasa, 154 B, 158 C, 358 A'. Quando ab uno populo ejicitur, fortius nititur alium decipere, 158 B. Quomodo ambulet per loca arida, 158 B, et domum suam supra arenam ædificet, 97 C'. — Dæmones nihil agere possunt nisi permissi a Deo, 77 D', 572 C'. Diversi dæmones de diversis vitiis tentant, 200 D, et ab illis nomina sortiuntur, 558 D. In peccatum recidens pejoribus dæmonibus subjicitur quam antea, quare, 158 B'. Dæmones ex odio cupiunt esse cum hominibus, 336 D, 572 D, quos cruciando delectantur, 108 A'. — Ubique ferunt secum ignem suum, 108 B', et reproborum sunt tortores, saltem usque ad ultimum judicium, 212 C. Per volucres cœli designantur, quare, 160 C'.

DÆMONIACUS est quasi vasculum impletum dæmone, 108 C, 154 B, 571 D, qui per illum loqui potest, quo sensu, 108 D, 118 D', 571 D. — Duo dæmoniaci regionis Gerasenorum quomodo vexati sint, 108 C, et liberati, 108 B'; quorum sanatio conversionem obstinatorum significat, 109 B'. — Dæmoniacus cæcus et mutus qualiter curatus sit, 152 B, dæmone prius ejecto, 152 C, et mystice quem designet, 152 C'. — Dæmoniacus in synagoga Capharnaum quomodo liberatus sit, 330 B', 480 B, 481 D', verbo imperiali, non adjuratorio, 330 D', et quem figuret, 482 B'. — Dæmoniacus lunaticus qualiter tortus, 199 B, 342 A', 601 C', et sanatus, 199 B', 343 A, 602 C'. — Quare dæmoniaci, etiam post curationem, ad Ordines non promoveantur, 336 D', 574 A'.

DALMANUTHA utrum idem sit locus ac Magedan, 186 B, 340 C.

DAMASCENUS (S.) Mariæ genealogiam descripsit, 15 D'. Citatur, 14 C, 76 C, etc. (Migne *Patrol. gr.* tom. 94-96.)

DAMNATUS. Esse damnatum, quo sensu sit pejus quam non esse, 288 A'. Malus Christianus gravius damnatur quam infidelis, 531 A. Damnati, si possent, ipsam Divinitatem occiderent, 481 A'. — *Cf.* Reprobus.

DANIEL de Christo ejusque passione quam evidenter scripserit, 540 C. In ejus prophetia nuntiatum est tempus quo Christus venturus et occidendus esset, 186 C', necnon Jerusalem civitas destruenda, 237 C'.

DAVID, « regum maximus », 6 A', ditissimus fuit et tamen non cupidus, 217 A'. — Panes propositionis comedit, excusatus propter necessitatem, 147 B', 502 C. — Quomodo constituerit viginti quatuor sacerdotes principales, 372 B', inter quos fuit Abias, 372 C'. — In genealogia Salvatoris quare solus nominetur rex, 10 C. Quo sensu Christum vocet Dominum suum, 249 D', quem ex ejus semine oriturum Judæi communiter noverant, 249 C'. — Filii David, quomodo sacerdotes dicantur, 14 D'.

DEAMBULATORIUM templi. Super illud ascendebant ad prædicandum doctores Judæorum, 129 B'.

DEBILIS dicitur qui unam manum habet invalidam, 184 D.

DEBITOR. Omnis homo debitor est Dei, et debitorem habet proximum suum, quo sensu, 211 A'. Duo debitores fœneratoris quosnam designent, 553 C. — Dimittendum est debitoribus nostris, quomodo, 80 D', 82 D', 524 C', utrum etiam quoad pœnam justam, 80 D'.

DECALOGUS, non solum opera, sed etiam verba et cogitationes præceptis suis attingit, 63 C, quod patebat jam ex veteri lege, 63 D.

DECIMÆ de minimis rebus a Pharisæis et Scribis solvebantur et requirebantur, quare, 254 D'.

DEFECTUS aliorum qui considerat, suos minus attendit, 528 C'.

DELECTATIO actibus virtuosis est annexa, 7 A'. — Delectatio vana sedulo vitanda, 593 C'.

DENARIUS diurnus, quid designet, 221 C, 223 D'. — Denarius numerus, quomodo sit primus numerorum terminus, 271 C.

DENUNTIATIO publica, quando sit obligatoria, 208 D'.

DESCRIPTIO ab Augusto edicta, 410A, qualis fuerit, 410B; quomodo prima facta sit a præside Syriæ Cyrino, 411A. Quinam ad illam convocati sint, 411B, et quid professi sint, 411C'.

DESERTUM est locus aptissimus ad orandum, 331A', et ad contemplandum, 409B'. — An a Spiritu Sancto in desertum ductus sit Christus, 40D', et ubi situm fuerit illud desertum, 41C. Illuc secessit Jesus ut solitariam vitam commendaret, 41A'.

DESPERATIO est peccatum contra Spiritum Sanctum, 302A'.

DEUS dicitur Dominus ratione gubernationis; Salutare, ratione justificationis, 394B'. Illi soli convenit nomen tetragrammaton, 42A'. Bonum vero est primum atque potissimum ejus nomen, 216A'. Unus est enim bonus, 216C, et universale bonum, 79D. Quo sensu sit Pater noster, 79B, et Deus Israel, 401B. — Ejus essentia quid sit, 396A. Animam non habet, quum sit simplicissima unitas, 150A'. Absolute loquendo solus perfectus, 248B', 389D, infinitam habet perfectionem, 75C. — Qualis sit ejus immensitas, 79B', et quam intime præsens in omnibus, 79C'. Quo sensu illi adstet angelus, 381A, et omnis mens creata intra illum sit, 381A'. Cœlestium atque terrestrium moderator, 143B, in cœlo empyreo quomodo resideat, 416A', et maxime operetur, 69B, 79B'. Quo sensu dicatur apparere, 376C, inter homines ambulare et habitare, 560D. — Scientia Dei quanta, 78A, 130D. Illius proprium est cogitationes mentis inspicere, 133C, 152C', 552C'. Quare in Scripturis frequenter loquatur per modum ignorantis, 268C', recordantis vel obliviscentis, 398D, et quo sensu audiat ab angelis quæ in mundo aguntur, 242A'. Illi soli innotescunt quæ ex simplici ejus libertate dependent, 268A'. Reprobos non novit scientia approbationis, 273A'. — Dei voluntas nulla lege præstringitur, 383B, infinitaque gaudet potestate, 390A, 395B', ita ut illi possibilia sint omnia quæ sermone significantur, 389D', nec contradictionem implicant, 218C, et potestatis magis quam infirmitatis sunt, 390A. — Creator et moderator universorum temporum, 476D', cuncta de nihilo fecit, 446B. Solus ad nutum vento et mari imperare potest, 107C, omnibusque inanimatis, 107A'. Facillime rerum naturas commutat, 446C, et illi competit agere in instanti, quum placet, 490D', 494C'. Ab illo procedit quidquid essentiæ vel exsistentiæ est, 180B', quidquid in nobis boni, 279B'. — Ut prima causa operatur per causas secundas, 87A', ejusque voluntas causam non habet, sed essentialiter est sapientia atque justitia infinita, 144A. Quid sit ipsius voluntas antecedens et consequens, 206C'.

Deus est sanctitas prima, fontana, exemplaris, immensa, 395C', causa et ratio omnis sanctæ dilectionis, 248D'. Quo sensu velit omnes salvari, 207A, et tamen aliquando homines indurare dicatur, 482C'. Non permitteret mala, nisi posset ex illis elicere bona, 335C. Non valet esse falsitatis assertor, 98B, vel testis, 357C'. — Solus dimittit peccata, quonam sensu, 82D', 110B, 407C', 493D'. — Quanta ejus misericordia, 396B, 523B, cujus viscera quid sint, 407D'. Quam benignus erga pœnitentem, 211D, et quomodo per caritatem se ipsum det nobis, 404B'. Omnia diligit quantum ad id quod sunt, 243C', sed ipsi præcipua cura est de rationali creatura, 87D, 130A'. Est sponsus animarum, qui primo sibi desponsavit Synagogam, deinde Ecclesiam, 341C'. — Ejus clementia quanta sit, 524C'. — Dona naturæ et bona fortunæ bonis et malis largitur, 523B, quare, 522A'. Nullum bonum, etiam in peccato mortali factum, relinquit irremuneratum, 520B'. Electos supra condignum remunerat, et reprobos citra condignum affligit, 526C. Ipse est merces et felicitas Beatorum, 522C.

Deus est objectum, causa et finis fidei, 347B, ad quam confirmandam multa operatus est miracula, 357C'. Diligendus est ex toto corde, tota anima, tota mente, tota fortitudine, quo sensu, 247C'; nec diligitur proximus, nisi diligatur et Deus, 216D'. — Illi soli, per latriæ cultum, 45A, 467A', serviendum est propter se, 44C', et finaliter, 467C'. Quamvis non egeat nostris laudibus, justissimum est ut omni modo glorificetur, 80B, 416D. Quid sit illum magnificare, 393C', 394B, et justificare, 546A'. — Quantum timendus sit, 130B, fide, spe et caritate colendus, 405D'. Utrum odio haberi possit, 86C'. Ejus nomen quomodo polluatur, 394A, et in illum peccare quam grave scelus, 211A'. — Cur orandus sit Deus, quamvis omniscius et immutabilis, 78C'. Oblationes quare illi exhibendæ, 65D. Non vult sibi offerri quæ aliis debentur, 179D. — Quomo-

do recipiatur dum pauperes propter ipsum suscipiuntur, 606D. Cur pacifici vocentur filii Dei, 57B. — Dei proprium est omnes superbos humiliare, 252B', 396D'. — Nihil ei placet nisi in fide et caritate agatur, 65D. — Quomodo in templo habitet tanquam in propria domo, 254C, etsi cœlum vocetur ejus thronus vel sedes, 254D. — Deus non plene comprehenditur nisi a se ipso, 144D'. Quod de illo comprehendere non valemus, omni reverentia veneremur, 144A. Perfectissima autem cognitio quæ in via haberi potest de illo, est per ablationem seu negationem, quo sensu, 145A. — *Cf.* Christus, Spiritus, Trinitas, Verbum.

Dii gentium quinam fuerint, 77D', 188D'.

DEXTERA significat cogitationem bonam, 76A', prosperitatem, pietatem et consolationem, 376D.

DIABOLUS. Quare sic vocetur dæmon, 601B'. — *Vide* Dæmon.

DIES quandoque accipitur indeterminate pro tempore, 160A. Dies retributionis, quid sit, 473C'.

DIGITI designant discretionem, 339B'.

DILECTIO alia est gratuita, alia mercenaria, 521B. Diligere est alicui bonum velle, 74B. — Cui minus dimittitur minus diligit, quo sensu, 556D, et quinam plus Deum diligere teneatur, innocens an peccator conversus, 557B'. — Dilectio præcipitur erga proximum, 73B', etiam inimicum, 74A, 520B', 521A'. Non autem diligitur proximus nisi diligatur et Deus, 216D', qui est causa et ratio omnis sanctæ dilectionis, 248D'. — Diliges proximum tuum sicut te ipsum, quo sensu, 248D'. Quomodo ad fraternam dilectionem nos inducat oratio dominica, 79C. Quænam amicorum dilectio sit meritoria, 520B', et utrum sit magis meritorium diligere amicum quam inimicum, 74D'. — Spiritualis dilectio per virginitatem accenditur, 215A; fervens peccata consumit, 555B; perfectissima vero est, dum naturalem amorem sibi substernit ac perficit, 520C'. — *Cf.* Caritas.

DILIGENTIA quanta opus sit ad scribendum de rebus divinis, 371D.

DIONYSIUS (S.) Areopagita, « princeps theologorum », 27A, « deiformis theologorum dux », 171C, vel simpliciter « Theologus », 190C', quid narret de eclipsi solis quæ accidit Christo patiente, 311C. — Citatur ejus Theologia mystica, 92C', Ecclesiastica hierarchia, 190D', Epistola ad Demophilum, 54B, 251A, Epistola ad Polycarpum, 11C, 311C. — Allegatur etiam, 6B', 62A', 80B', etc. (Migne *Patrol. gr.* tom. 3 et 4.)

DIONYSIUS Cartusianus aptissime demonstrat ex animæ immortalitate futuram corporum resurrectionem, 246D'. — Vehementer deplorat cupiditatem quorumdam prælatorum; 255B, et increpat sacerdotes qui carnalibus vitiis inquinantur, 382A', vel eos qui Ecclesiæ bonis abutuntur, 448C'. — Invehitur etiam contra illos qui Pharisæorum invidiam imitantur, 141D'. — Librum suum de Antichristo ad memoriam revocat, 265A.

DIPONDIUM duos asses valet, 130D.

DISCIPULUS non est super magistrum, quo sensu, 128A', 527A. — Christus multos habebat discipulos, 507A, qui satis imperfecti et rudes erant antequam Spiritum Sanctum accepissent, 177A, 187A', 200A, 202A, 570B. Reputabant tamen se unum cum Christo, 182D', illique familiarissimi erant, 184D', et amore devincti, 200C', ita ut non libenter a suo magistro separarentur, 176B, 338B, illisque solis Jesus mysteria sua secretiora revelaret, 591A'. — Quare bini missi fuerint, 228D'. — Sæpius non habebant manducandi spatium, propter turbam concurrentem, 147B, 334B', 337C'. — Jaculatoriis orationibus frequentibus intendebant, 499A. — Quinam et quare Christum in furorem versum esse existimaverint, 334B'. — Cur increpaverint illos qui parvulos Christo offerebant, 215C; Salvatori templum ostenderint, 258D'; et inter se disputaverint quis eorum major esset, 343A'. — Post tempestatem sedatam, quare timuerint, 570D. Quantus illorum dolor, quum Christus passionem suam prænuntiaret, 200C', et ejus verba quomodo tunc intellexerint, 343D. — Duobus discipulis Emmaum pergentibus Christus apparuit, 356A, in alia effigie, quo sensu, 356B. — *Cf.* Apostoli.

Discipuli Præcursoris quomodo peccaverint Christi discipulos reprehendendo, 113B'. Aliqui eorum erant virtuosi, aliqui vero carnales, 539C, qui nonnihil mordacitatis contra Salvatorem habebant, 134C'. Quare duo discipuli fuerint a Joanne Baptista ad Jesum missi, 539B'.

DISCRETIO, quomodo in monitis habenda, 450C, et in perfectionis acquisitione, 500C.

— Spirituum bonorum malorumque discretio qualiter fiat, 377 A.

DISPENSATIO, quibus conditionibus sit legitima, 502 D. — Ejus mater est necessitas, quare, 147 C'.

DIVERSORIUM civitatis Bethlehem, quid fuerit, 412 D', et in quo loco situm, 413 B'.

DIVITIÆ omnia vitia fovent, 397 C', 564 C'. Illarum fallacia in quo sistat, 164 B', 217 D. — Illis servire quid sit, 86 D', et quare a Christo spinæ vocentur, 565 A. — Facilius est illas nondum possessas moderate amare, 217 B'. — Quum relinquuntur, in pium usum sunt convertendæ, 219 D. — Difficile est, sed non impossibile, divitem salvari, 217 D, nisi divitias magis amet quam Deum, 217 D'. Multi fuerunt ditissimi et tamen non cupidi, 217 A', 513 C'. Quinam divites dimittantur inanes, 397 B', 398 B, et reprobentur, 513 B', quinam vero laudentur, 397 D'.

DIVORTIUM quandonam locum habuerit apud Judæos, 67 D'. — *Cf.* Matrimonium, Uxor.

DOMINICA, auctoritate Christi, 502 B', observatur sicut olim sabbatum apud Judæos, 471 C.

DOMINUS dicitur Deus, ratione gubernationis, 394 B', atque præsidentiæ omnium, 401 D, ita ut solus independens habeat dominium, 401 A'; unde illi soli nomen Domini plene competit, 401 D, et in Scripturis modo absoluto defertur, 536 B'. — Duobus dominis non subordinatis nemo potest servire, 86 D. — Non est servus super dominum, quo sensu, 128 A'. — *Cf.* Deus.

DOMUS, mystice est Ecclesia a Christo ædificata, 97 C, 531 D', et omnibus hostibus fortior, 97 D, vel conscientia, aut operum bonorum structura, 97 B. — Domus patrisfamilias designat corpus corruptibile, 269 D'. — Domus diaboli quid sit, 154 B. — Quomodo spiritualiter domus supra petram fundetur, 531 C', nec dejiciatur, 531 D'; qualiter autem supra arenam ædificetur a stulto, 97 B', 532 B, a prælato vitioso, 532 B', et a dæmone, 97 C'.

DONUM. Illo dignius est altare in quo offertur, 254 B. — Date et dabitur vobis, quo sensu, 525 A. Qui habet dabitur ei, quomodo, 566 A'. — Dona Spiritus Sancti sunt habitus, 51 C'. In quo differant a virtutibus, 51 C', et quinam sint illorum effectus, 41 A. Ex illis quatuor intellectum, tria voluntatem perficiunt, 56 B. Quo sensu illa conferat Christus, 472 D'.

DRACHMA, octava pars unciæ, valet sex obolos, 201 A.

DUBIA, an semper in meliorem partem interpretanda, 91 D.

DULIA, est virtus quæ personis creatis debitum impendit honorem, 467 B'.

DURANDUS (a S. Portiano), Ord. Præd. theologus, citatur, 528 B.

E

ECCLESIA militans regnat in nomine Christi, 170 C, qui est ejus sponsus, 113 C', et caput, 203 D, in illa semper residens, 114 A, 321 A. — Comparatur areæ, 37 A', grano sinapis, 165 D, fermento, 166 A, sagenæ, 170 D, et vocatur regnum cœlorum, 62 C, 170 C. — Quomodo super petram ædificetur, 189 C. — In electis præsertim consistit, 189 B', sed nunc bonos ac malos continet, et quosdam de omni genere hominum, 170 A'. — Ecclesiastica hierarchia ab angelica gubernatur, 27 A. — Matri Ecclesiæ in omnibus est obtemperandum, 94 D', cujus agendi ratio erga hæreticos quænam sit, 169 D. Quod raro contingit, non est lex Ecclesiæ, 457 A'. — Ecclesia primitiva in magna sobrietate vixit, 114 A, 499 C'. Ejusdem filios quomodo Christus exaltaverit, 397 A', et vera pace donaverit, 405 D, quorum tamen multi ceciderunt a fide propter acerbitatem persecutionis, 261 A'. — Ecclesia per orbem diffusa est ante occisionem Petri et Pauli, 595 B, et usque in finem mundi durabit, 388 D, in die judicii quomodo coadunanda, 271 C'. — Qui Ecclesiæ habent pinguia beneficia, qualiter eleemosynam facere debeant, 519 B', et quantum peccent qui ejusdem bonis abutuntur, 448 C'.

ECLIPSIS solis quæ accidit Christo pendente in cruce, quomodo a Dionysio Areopagita visa sit, 311 C, et a philosophis Atheniensibus, 311 D'. Quænam quinque miracula in illa facta sint, 311 D.

ECSTASIS. In ecstasi erat Adam quum formaretur Eva, 213 C'. — Quasi in ecstasi locutus est Petrus ad Christum transfiguratum, 196 C'.

EFFECTUS a sua causa bonitatem sortitur, 529 C, et illi proportionatur, 529 B'.

ELEAZARUS, Ananiæ filius, quomodo pontifex Judæorum constitutus sit, 441 B.

ELECTI oves vocantur, 277 C, et benedicti Pa-

tris, quo sensu, 277 B'. Illis paratum est cœlum triplici modo, 277 C'. Etsi pauci sint relative ad vocatos, 224 D, tantus est illorum numerus quantus angelorum sanctorum, 224 A'. — Quomodo Christus animam suam dederit pro electis, 227 C, 289 B', qui perire non possunt, 264 D, 265 B. — In die judicii congregabuntur a quatuor ventis, 267 B', a summo cœlorum usque ad terminos eorum, quo sensu, 267 C', et separabuntur a reprobis, 277 C. Omnes simul remunerabuntur, 222 D', supra condignum, 526 C.

ELEEMOSYNA, quomodo facienda, 73 B, in secreto, 75 D'. An possit in aperto fieri, 76 B. — Si non corporaliter tribui valeat, saltem spiritualiter detur, 73 B. Beneficium corporale quandonam denegandum impio, 73 D, vel indiscrete petenti, 519 A'.

ELIAS, « ardentissimus zelator justitiæ », 140 A', « maximus divini honoris ac legis æmulator », 195 D', quadraginta diebus jejunavit, nihil edens nec bibens, 463 A. — Ejus tempore quomodo clausum sit cœlum, 477 A. Quare missus sit ad viduam Sareptanam, 477 D. Suscitavit mortuum, sed non imperando ut Christus, 117 D. Ex dispensatione divina bovem obtulit in monte Carmelo, 254 B. — In paradiso terrestri subsistit, 196 B. — Quare apparuerit in transfiguratione Christi, 195 C', 597 C, et utrum tunc personaliter adfuerit, 196 A, 597 C'. — Cur pro Elia Jesus a quibusdam Judæis habitus sit, 188 D, 586 D', et sub ejusdem Prophetæ nomine designetur Joannes Baptista, 140 D, 198 B', 379 C'. — Præcedet Elias secundum Christi adventum, 140 A', 195 C', 198 C, 380 B, et creditur rediturus ad populum Judaicum, 188 A', quem totum convertet, Antichristi mendacia aperiens, 198 A', 458 D'.

ELISABETH, uxor Aaron, erat filia Aminadab et soror Naasson, 8 D', 373 A.

ELISABETH, mater Joannis Baptistæ, erat ex stirpe Aaron, 372 C'. Quonam sensu ante Deum justa dicatur, 373 B. — Duplici miraculo filium suum concepit, quomodo, 374 B', 389 D', et quando, 382 B'. Quare se occultaverit quinque mensibus, 382 B', 383 A. — Repleta Spiritu Sancto jam ante prolis suæ conceptionem, 391 A', quomodo Mariam allocuta sit, 391 B', 392 D', et quanta cum humilitate, 392 A. — Qualiter nomen filii sui cognoverit, antequam Zacharias locutus fuisset, 400 A.

ELISEUS, « præcipuus director Israeliticæ plebis », 477 B', suscitavit mortuum, 117 D, attamen miracula minora et rariora fecit quam Christus, 184 A'.

EMMANUEL, quid significet, 18 D'.

ENDELECHIA, seu forma corporis, est anima, 246 D'.

ENOCH, quo sensu dicatur septimus ab Adam, 458 C'. — Cum Elia venturus est ad refellendum Antichristum, 458 D'.

ENOS, quo sensu cœperit invocare nomen Domini, 459 A.

EPIPHANIUS (S.), Salaminius episcopus, citatur, 421 B'. (Migne *Patrol. gr.* tom. 41-43.)

EPISCOPUS quam doctus esse debeat in Scripturis, 171 A. — *Adde* Prælatus.

EQUUS. Reprehenduntur qui equos onerant mutatoriis, 584 D.

ESSÆI putabant se sine gratia posse salvari, 34 A, sed Christo non restiterunt, et vitam quasi monasticam ducebant, 245 B'.

ESURIES Christi ad ficulneam venientis, quomodo intelligatur, 233 B. — Esurientes quinam bonis impleantur, 397 A', 398 B. Beati quinam sint esurientes corporaliter, 510 B, et spiritualiter, 55 B, 510 A'; quomodo satientur in cœlo, 55 B', 510 B', necnon in terra, 55 A', 510 C'.

EUCHARISTIA, in qua vere præsens est Christus, 283 C', 289 C, 321 A, est omnium legalium sacrificiorum finis, veritas et consummatio, 290 A. — Quare illam instituerit Christus, 290 A, et quanta cum caritate, 290 C. Non in fermentato pane Eucharistiam consecravit, 286 C, sed in azymo, 289 A, ut Latini sentiunt contra Græcos, 285 C. Panem in corpus suum transsubstantiavit, 289 A, et vinum in sanguinem, 289 D, per verba consecrationis, 289 C, 289 A', quæ suam vim consecrativam retinent, 290 D. Vinum autem quod consecravit Christus, putatur fuisse lymphatum, 289 D. — Quam salutares effectus Eucharistiæ, 290 B, quæ satiat animam, 55 A', 510 C', et cujus perceptio est figura futuræ unionis cum Christo in patria, 290 C. Quo sensu dignus sit aliquis Eucharistiam consecrare ac manducare, 37 A, 451 C. Melius est illam recipere ex fervore, quam ab illa abstinere ex timore, 103 B'. — Utrum mutata fuerit Ecclesiæ disciplina circa consecrationem in azymis vel in fermentato, 286 B'.

EUNOMIUS, hæresiarcha, dicebat Filium Patri esse minorem et puram creaturam, 237 C.
EUNUCHUS triplicis generis est, 214 D'. Cur aliquis fiat spiritualiter eunuchus, 215 A.
EUSEBIUS, Cæsariensis episcopus, auctor Ecclesiasticæ historiæ, quid narret de muliere a sanguinis fluxu sanata, 116 B, 578 D, et de monumento ab illa erecto, 116 B, 578 A. (Migne *Patrol. gr.* tom. 20.)
EUSTACHIUS (id est Eustratius, Nicæensis episcopus xıı° sæculo, Aristotelis commentator) falso docet nullum hominem inter angelorum ordines in cœlo posse collocari, 139 A'.
EUTRAPELIA est virtus per quam homo moderate se habet in ludis, 514 B'.
EVA formata est dum Adam versaretur in ecstasi, 213 C'. Ab illa viro posterisque ejus propinata est damnatio, 356 A.
EVANGELIUM Jesu Christi, quid sit, 327 A, ejusque veracitas quomodo confirmetur, 538 D'. Velut epistola nobis a Deo per Christum transmittitur, 98 C, illique subjicienda est omnis scientia, 364, nam ejus doctrina incomparabiliter documenta philosophorum superat perfectione et certitudine, 364. — Evangelium regni, quid sit, 49 A', 119 C', 262 B, 329 B'. — Evangelium omni creaturæ prædicandum, 357 C, per totum mundum diffusum est, 165 D', tempore Apostolorum, 262 D, et plenius post Antichristum diffundetur, 262 A', 349 D. — Quatuor evangelia ad quid composita, 3. — Evangelia apocrypha plura enumerantur, 3, 369 C.
Evangelistæ quomodo a divino Spiritu edocti, 370 A. Signantur per quatuor animalia de quibus Ezechiel, 4. Quo pacto concordent, quando diversimode referunt verba a multis prolata, 497 C. — Non pauca de vita Salvatoris aliis narrantibus didicerunt.370 A'. Non omnia documenta vel prodigia Christi scripserunt, 371 A, 486 D', 557 C, et parum curant de ordine historico, 486 D', 496 C', 576 A', 590 D. Frequenter describunt in communi Christi miracula, 119 D', quæ etiam simul cum ejusdem verbis referunt, quare, 232 C, 568 D. Sæpe allegant sensum potius quam textum veteris Testamenti, 23 B', 138 A'. — Matthæus moralem Christi doctrinam maxime descripsit, 4, 363; Lucas magis historicus est; Joannes de Verbi incarnati divinitate sublimius loquitur, 363. Sapientia naturalis in Joanne, moralis in Matthæo, rationalis in Luca præcipue fulget, 363.
EXCOMMUNICATIO per Apostolos eorumque successores pronuntiari potest, 207 C'.
EXEDRÆ, domunculæ circa templum sitæ, in quibus cubabant sacerdotes, 375 A.
EXITUS Christo convenit ex parte sive divinæ sive humanæ naturæ, quo sensu, 160 A'. — Exitus viarum, mystice sunt vitia et errores, 243 A.
EXORCISTÆ Judæorum dæmones ejiciebant, 104 A', 330 D', 482 B, proferendo exorcismos a Salomone editos, 153 D. — Exorcistæ officium quomodo impleverit Christus, 471 A'.
EXPIATIO. Hujus nominis solennitas qualiter apud Judæos celebrata sit, 375 C', decima die Septembris, 375 D'.
EXSULTATIO ex plenitudine interioris jucunditatis signa lætitiæ foris ostendit, 58 B. — Ex contemplatione et caritatis actu procedit, 394 A'.
EXTREMA UNCTIO infirmorum fuit ante passionem a Christo instituta, 337 C.
EZECHIAS ut sanctus laudatur, 11 B. — Cur ægrotans tantopere fleverit, 11 C. — A letali morbo per Isaiam sanatus est, 478 B, et in ejus gratiam dies pene triplicata fuit, 11 C.
EZECHIEL fertur præclara fecisse miracula in Chaldæa, 478 C.

F

FACIES facile immutatur secundum diversas animæ affectiones, 83 C. — Conscientiam designat, 84 A. Quomodo mystice lavanda sit, 84 B.
FAMA. Ejus cura non est negligenda, quare, 438 B'.
FATUUS. Qui « fatue » dicit proximo suo, ille est qui manifestam infert contumeliam, 63 B'.
FEBRIS, mystice quid sit, 483 C'. — Febricitantem Petri socrum quomodo curaverit Christus, 104 B, 483 C, et quanto miraculo, 104 C, 483 D.
FERIA. Quare Christiani hoc nomine vocent dies hebdomadæ, 316 C.
FERMENTUM, mystice in bonam vel in malam partem sumitur, quare, 166 A'. — Exponitur fermenti parabola, 166 A. — Per fermentum designatur doctrina Pharisæorum et Sadducæorum, 187 D'.
FERVOR in quo sistat, 418 C', et quinam sint ejus effectus, 510 D'. — Novo vino comparatur, quare, 500 C'. — Fervorem respicit

Deus potius quam laboris diuturnitatem, 223 C. Fervor dilectionis peccata consumit, 555 B.

FESTUCA parvum peccatum significat, 92 A, 527 C', quare, 528 B'.

FESTUM. Cur in festivis diebus ab operibus cessandum, 471 C. — Festa Judæorum : *vide* Agnus, Expiatio.

FICULNEA sterilis, quomodo et quare Christo maledicente arefacta sit, 233 B. — Quid significet, 233 D.

FIDES est fundamentum principiumque virtutum, 557 D. Habet Deum pro objecto, causa et fine, quomodo, 347 B. — Fides formata dilectionem includit et per eam operatur, 557 A', cum merito, 393 A. — Manet tamen fides in Christianis peccantibus, 239 C, sed informis et mortua, 96 B, 357 A'. — Per miracula veritas ejus probatur, 49 C', 359 C', quomodo, 357 C'. In Evangelio fides multipliciter et efficacissime demonstratur, 364. Mundi conversio ad fidem quantum sit miraculum, 358 D. — Sine fide impossibile est Deo placere, 357 B'; ideo Gentiles illa carentes nihil meritorium operabantur, 221 D'. Non sufficit tamen fides sine Baptismo, 357 A', saltem in voto, 357 B'. — Omnia possibilia sunt credenti, quo sensu, 200 B, 233 B', 342 C'. — Fides sicut granum sinapis quandonam esse dicatur, et quomodo montes transferat, 200 B; modicam vero fidem quisnam habeat, 177 D. In oratione qualiter fides requiratur, 234 A. Fidei confessio necessaria est, 594 A, quandonam, 594 C'. — Cognitio fidei est inchoatio quædam cognitionis beatæ in patria, 393 A, seu beatitudo viæ, 393 B. Quod autem fides comprehendere nequit de Deo, cum omni reverentia veneretur, 144 A.

FIGULUS. Quo sensu figuli ager dictus sit, qui postea Haceldama vocatus est, 302 B'.

FILIA. Sic in Prophetis sæpissime designatur congregatio populi, 229 C'.

FILIATIO concernit personam, 390 B'. — Ejus ratio in quadam assimilatione consistit, 74 A'.

FILIUS aliquando pro filia etiam accipitur, quo sensu, 374 A'. — Filius Dei quomodo missus sit, 237 B. — Filii Dei quomodo fiant homines, 522 A', 549 A'. — Exponitur parabola duorum filiorum, quorum alter obedientiam renuit sed postea præstitit, alter e contra, 235 B.

FIMBRIA. Jussi sunt Israelitæ ut sibi facerent quatuor fimbrias, 115 D', 251 B', in quibus Pharisæi posuerunt acutissimas spinas, quare, 251 C'. — Fimbriam vestimenti Christi tangentes quomodo curati sint, 178 A'.

FINIS duplex distinguitur, 86 B; actui dat speciem, 75 C', estque præcipua inter omnes actus circumstantias, 75 D'. — An mala opera fieri possint propter finem bonum, 86 B.

FLETUS laudabilis qualis sit, 511 B, et quonam risu remuneretur, 511 C. Quomodo fleant Deum contemplantes, 511 B. — Quisnam fletus in inferno inveniatur ante et post resurrectionem corporum, 102 C', 244 B, 514 B'.

FLOS. Florum pulchritudo quanta sit, 88 A.

FŒNERATOR mystice est Deus, 553 B, cujus debitores duplicis generis sunt, 553 C.

FORNICATIO, per quam aliquando adulterium intelligitur, 214 D, spiritualiter quid sit, 341 B'. — Puella de prosapia sacerdotali fornicans, tanquam adultera lapidabatur, 384 C'.

FRATRES Christi dicuntur ejus cognati, 20 C', 567 A, vel consobrini, 159 B; spiritualiter autem sunt ejus discipuli, quo sensu, 159 A', 567 A'. — Qualiter omnes fratres simus, 252 A.

FRUCTUS designat opus virtuosum, 565 C. — Fructus Spiritus Sancti quid sint, 51 D', et in quo differant a donis, virtutibus ac beatitudinibus, 51 B'. — Fructum afferre in patientia, quid sit, 565 D. — Quid designetur per arbores quæ nullum, 447 C', vel inutilem vel bonum fructum faciunt, 447 D'.

FRUMENTUM designat opus perfectorum, aut fervorem caritatis, 335 C'.

FUGA tempore persecutionis quando capessenda, vel non, 128 B. Fugere propter propriam infirmitatem non est semper illicitum, 128 C.

FULGUR. Quo sensu illi æquiparetur adventus Christi sive in judicio, 265 D, sive in Ecclesia, 265 A'.

FULLO. Ager Fullonis, quare sic vocatus, 302 C'.

FUR, mystice est tentator, 269 D'.

G

GABRIEL Dei fortitudo interpretatur, 385 D'. — Quo sensu adstet ante Deum, 381 A. — Quid de illo narretur in V. T., 384 C. Danieli indicavit tempus in quo Christus venturus esset, 186 C'. — Quomodo Zachariæ appa-

ruerit, 376 C, et quare a dextris altaris incensi, 376 D. — Immediate a Deo missus est ad Mariam, 384 D, quare, 385 D', et quo apparatu, 387 A. Quonam in loco illam invenerit et qualiter orantem, 386 B. Quibus verbis illam allocutus sit, 386 C et seq. Quomodo denique reverenter recesserit, 390 C'. — An pastoribus Bethlehem locutus sit, 416 C.

GALILÆA transmigratio interpretatur, 384 B'. Quare in illa conceptus sit Christus, 384 A'. — Galilæa gentium, quid sit, 47 C.

GALLINÆ pullos congreganti se comparat Christus, quare, 257 B'.

GALLUS. Quo sensu secundum ejus cantum præcesserit tertia Petri negatio, 291 A'.

GAUDIUM procedit ex actuali dilectione, 394 A', sed potest simul esse cum timore, respectu diversorum, 318 A. — Impossibile est nunc gaudere cum sæculo, et postea cum Christo regnare, 132 D, 593 B. — Quomodo gaudendum in tribulationibus, 58 B, 512 C. Quo sensu intelligendum illud : Intra in gaudium domini tui, 275 A.

GAZA. Ejus portas asportavit Samson, figura Christi resurgentis, 355 C'.

GAZOPHYLACIUM. In illud mittebantur oblationes pro templo ejusque ministris, 348 C'. — Quo sensu laudetur vidua quæ duo minuta ibidem obtulit, 349 A.

GEHENNA ignis est pœna infernalis, 63 B'. — Filius gehennæ quisnam vocetur, 253 A'.

GELASIUS (S.) Papa citatur, 502 A'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 59.)

GEMMÆ, mystice sunt septem dona Spiritus Sancti, 530 C'.

GENERATIO et Genealogia. Inenarrabilis est generatio Christi, sive divina, sive humana, sive spiritualis, 6 A'. — Liber generationis Jesu Christi quo sensu intelligatur, 5 A'. — In genealogia Christi ponuntur tres quaterdenæ generationes, 10 D', 12 D', 15 B, omittuntur vero Ochozias, Joas et Amazias, 10 C', quare, 8 B'. — A quibus descriptæ sint generationes quæ non habentur in veteri Testamento, 12 C'. — Lucas sacerdotalem Christi genealogiam, Matthæus autem regalem describit, quo sensu, 14 D', 458 B, et quomodo ambo Evangelistæ eamdem enarrantes, in aliquibus quoad formam discrepent, 13 D', 14 A', 459 B'. — Christus quo pacto spiritualiter generetur, 567 B'. — Generatio hominum duplex est, bona et mala, quo sensu, 602 D.

GENESARETH. Unde hoc nomen, 569 B. Lacus Genesareth vocatur mare juxta consuetudinem idiomatis Hebræorum, 48 B', 106 B', 569 A. Dicitur etiam mare Galilææ, vel mare Tiberiadis, 486 B. — Quomodo ibi sedata fuerit a Christo procella, 107 C.

GENESER. *Vide* Gerasa.

GENTILES fide carentes nihil meritorium operabantur, 221 D'. — Quo sensu multi eorum boni vocari possint, 243 C. — Quomodo dies hebdomadæ nominaverint, 316 B, et circa divinam providentiam erraverint, 88 C.

GERASA vel Geneser, principalis civitas regionis Gerasenorum, 108 A, fuit ex opposito Galilææ, 109 A, 571 B. — Mystice, quid sit ingressus Christi in illam regionem, 109 A'. Dæmoniacus ibidem sanatus quem designet, 574 D', 575 D, et quare inter discipulos Salvatoris non admissus sit, 336 D', 574 C.

GETHSEMANI erat villa juxta pedem montis Oliveti, 292 A. — Quomodo ibi Christus in agonia fuerit, 292 B et seq.

GLADIUS dolorem designat, 430 D', vel verbum, 431 A. — Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit, quo sensu, 296 A'. — Quomodo Christus non venerit mittere pacem sed gladium, 131 D.

GLORIA, quomodo Deo cantanda, 416 D, et nobis exoptanda, 416 C'. — Majorem consequetur gloriam qui pluribus donis idonee usus est, 275 B. — Corpus glorificatum obedit ad nutum imperio animæ, 358 D'. — Gloria vana, quæ etiam fervidos tentat, 75 B', quam deflenda sit, 76 A, 251 C, 276 A', 416 D'; et quomodo vitanda, 75 B', in eleemosyna, 75 D', necnon in oratione, 76 C, 77 D.

GLOSSA (Walafridi Strabi) passim allegatur, 106 A, 111 C', 239 D', etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 113 et 114.)

GOLGOTHA seu Calvariæ locus, quare sic vocetur, 307 A'.

GORRA (Nicolaus de), Ord. Præd. theologus XIII° sæculo, « magnus Scripturarum expositor », 478 C, citatur, 301 A', 375 B, 392 C', etc. — Aliqua ejus sententia non approbatur, 478 A.

GRÆCUS expositor (id est unus ex variis scriptoribus in Catena Græcorum Patrum insertis) citatur, 364, 411 B, 436 D, etc.

GRATIA naturam non destruit sed perficit, 520 C'. Quibusnam finaliter prosit, 396 C. Quomodo remittat peccata, 494 B, 553 D, multiplicetur vel amittatur, 566 D'. — Sine

illa nemo justificatur, 218D, finaliter stabilitur, 180D', et ad beatitudinem perducitur, 366B'. Illam suscipiendo, Deum suscipere dicimur, 606D. — In gratia qui magis proficit, majorem gratiam et gloriam consequetur, 276A. — Ante Christum minor fuit gratia, 223B. — Gratiæ gratis datæ, bonis malisque communes, 607C, non sunt desiderandæ, sed potius gratia gratum faciens, 96C, 586C.

GRATITUDO erga Deum quam fructuosa, 162A', 276A.

GREGORIUS (S.) Nazianzenus citatur, 584D. (Migne *Patrol. gr.* tom. 35-38.)

GREGORIUS (S.) Nyssenus episcopus citatur, 425D, 521C', 524C. (Migne *Patrol. gr.* tom. 44-46.)

GREGORIUS (S.) Papa sæpe sermones in libro legebat, 485B'. — Frequenter allegatur, 65D, 67B, 135C, etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 75-79.)

GULA, quomodo reprobetur, 513D', et in inferno puniatur, 514B. — Qualiter de gula tentatus sit Christus, 42B', 43D.

H

HABITUS est quasi altera natura, 529A'. — Habituatum in vitiis quomodo regat diabolus, 152C', et sanet Christus, 152D'.

HACELDAMA. Ager hujus nominis, quare sic vocatus, 302D', et quanam intentione a principibus sacerdotum emptus sit, 302C'.

HÆRETICI, quomodo virtutes simulent, 95A, et dignosci valeant, 95D. — Ex diaboli suggestione perversa dogmata invenerunt, 167B'. — Utrum sint tolerandi, 169B, vel occidendi, 169D. — Hæresiarchæ sub nomine pseudoprophetarum designantur, 261C'.

HEBRON vocabatur Cariatharbe, quare, et quinam ibidem sepulti sint, 307B'.

HELI fuit pater Joseph secundum legem, 13B, 457C'.

HELVIDIUS, quid contra virginitatem Mariæ impie dixerit, 20A'.

HERBA, quid designet, 335C', 530C'.

HERODES I Ascalonita, quare sic vocetur, 372B. Natione Idumæus, 21B, erat proselytus, 23A', 244D. Putabat Christum in primo suo adventu temporaliter regnaturum, 23A'. — Ejus regnum complevit septuaginta hebdomadas a Daniele prædictas, et adimplevit vaticinium Jacob de Juda, 21C, 186D', 372D. — Cur turbatus fuerit de Magorum adventu, 23A. — Quanta ejus hypocrisis, 24D, crudelitas et obcæcatio, 28D', 440B'. Quandonam decreverit Jesum perdere, 26C', 28A, et necem Innocentium imperaverit, 28B. — Dicitur regnasse triginta septem annis, 27A'. — Quomodo, illo mortuo, ejus regnum fuerit divisum, 30A, 172B, 440C'.

HERODES II Antipas, filius Herodis Ascalonitæ, qui regnavit in Galilæa, 30C, legem Moysis recepit, 172C, et tamen adulterium atque incestum commisit, 453A'. — Metuebat Joannem Baptistam tanquam virum sanctum, 173A, sed victus Herodiadis amore, 173C, illum incarceravit, 47C, 134A, 172B', et decollavit, 173B'. Putavit Christum esse Joannem Baptistam a mortuis suscitatum, quare, 172C, 586B'. — Tempore Passionis cur fuerit in civitate Jerusalem, 244D, et Jesum videre quæsierit, 587A, quem illusit, 21B, 372B.

HERODES III Agrippa, qui Jacobum decollavit, et Petrum incarceravit, 21B, ab angelo percussus est, 372C.

HERODIANI, quinam fuerint, 244D. — Hypocrisis eorum, 244A', quomodo a Christo elusa, 245B.

HERODIAS, filia Aretæ, regis Arabum, 453A', adulteram cum Herode unionem contraxit, 172B'. — Utrum mortem Joannis Baptistæ cum Herode consentiente præordinaverit, 173B'.

HIEMS, mystice est tepor sive exstinctio caritatis, 264A.

HIERONYMUS (S.), in lingua Hebraica maxime eruditus, 9D, contra Julianum Apostatam quid scripserit, 559B. — Aliqua ejus sententia contra Lyræ impugnationem vindicatur, 8B; alia vero non admittitur, 6C. — Citatur ejus liber ad Helvidium, 20C', 171C'. — Frequenter allegatur, 6A', 8D, 10C', etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 22-30.)

HILARIUS (S.), Pictaviensis episcopus, utrum ediderit cantici angelici complementum, 417D'. — Citatur ejus tractatus de Trinitate, 560C. — Allegatur etiam, 10C', 12D, 14C', etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 9 et 10.)

HIPPOCRATES allegatur, 577C'.

HISTORIA scholastica (P. Comestoris) citatur, 14A, 27C, 478C. — In aliquo non approbatur, 181C'. — *Cf.* Magister in historiis.

HOLOCAUSTUM, quare totaliter combustum, 375A. — Figurat statum religiosorum, 375B.

HOMICIDIUM prohibetur extra ordinem juris, 216 B'.

HOMO est animal sociale, 539 B', et admirativum, 400 D', 573 C. — In Scriptura frequenter caro vocatus, 444 B, a nativitatis exordio ad mortis occasum continuo tendit, 447 A, et contra naturam ejus est otium, 448 A. — Intellectiva ejus cognitio a sensitiva sumit exordium, 562 C. — Ex actibus suis cognoscitur, 530 D, ita ut bonus nequeat agere mala, neque malus bona, quo sensu, 530 B. — Quare jumento comparetur, 413 A', et nomen ejus interdum in bono sensu, interdum in malo accipiatur, 511 B', 604 C. — Quanta sit ejus dignitas, 205 C. Ad supernaturalem beatitudinem creatus, 365 A', habet angelum custodem, 205 C', et ad illum omnia quodammodo ordinantur, 357 D. Quo sensu filius Dei dicatur, 549 A', et fiat, 522 A', omnisque creatura vocari possit, 357 C. — Cur ex visione cœlestium turbetur, 376 B', et timeat considerata Dei potestate, 400 B'. — Diversæ hominis ætates distinguuntur, 222 B. — Omnis homo debitor est Dei, et debitorem habet proximum suum, quo sensu, 211 A'. — Humanum vocamus quod rationabile est et pium, 424 C'. — Homines quare nominibus bestiarum designentur, 444 B'. — Quidam de omni genere hominum ad fidem conversi sunt, 243 C.

HONOR sequitur fugientem, 76 D', 339 C. — Multi simulant se honores fugere ut illos consequantur, 76 C'.

HORA incensi, quid sit, 375 C'. — Horas canonicas interrumpere sine necessitate, quam reprehensibile sit, 568 B'.

HORREUM designat regnum cœleste, 37 B', 452 B'.

HOSANNA, quid significet, 231 B, 346 C'.

HOSTIÆ spirituales quænam sint, 66 C.

HUGO (de S. Victore), canonicus regularis, citatur, 176 B', 479 A. — Non approbatur ejus opinio de dotibus corporis Christi ante resurrectionem, 195 B. (Migne *Patrol. lat.* tom. 175-177.)

HUMILITAS, in quo sistat, 52 C'. A Christo commendatur, 226 C', 364, qui fuit ipse humilis corde, quo sensu, 145 D'. — Humilitas est radix, custos et fundamentum virtutum, 53 C; disponit ad profectum gratiæ et ad incrementum gloriæ, 203 B. — Quinam sint ejus effectus, 146 D', 443 D. — Humiles quomodo exaltet Deus, 397 D, 606 C', illisque mysteria revelet, 143 A'. — Humilitas refugit laudationem, 386 D', 390 B. Viri tamen perfecti interdum possunt proprias virtutes humiliter commemorare, quo sensu, 157 D'. — Majori humilitati adest major caritas, 203 C. — Viri sancti bonis dure loquuntur ut eos humilient, 34 D'.

HUMOR, mystice quid sit, 560 D'.

HYMNUS, qualis dictus fuerit post novissimam Cœnam, 290 A'. — Citantur hymni SS. Sacramenti, 404 A', et S. Joannis Baptistæ, 409 D.

HYPOCRITÆ non nisi cum magna diligentia agnoscuntur, 530 A'. — Quatuor hypocrisis species recensentur, 83 A'. — Hypocritæ provocant iram Dei, 83 B'. — Quomodo orent, 76 C, interdum in angulis platearum, 76 C', et sacrilegi fiant, 77 A. — Qualiter jejunent, 83 B, vestimenta ovium usurpent, 95 A, et a fructibus dignosci possint, 95 D.

HYPOSTASIS. In Christo, Verbum æternum est hypostasis humanitatis assumptæ, 390 B'. — Unio hypostatica quomodo peracta sit, 390 D.

I

IDOLOLATRIA tempore Christi, et diu ante, in toto mundo regnavit, exceptis Judæis, 222 A.

IGNATIUS (S.), Antiochenus episcopus et martyr, citatur, 16 B', 295 D. — Ejus ad B. V. Mariam epistolæ memorantur, 418 C'. (Migne *Patrol. gr.* tom. 5, col. 626.)

IGNIS, quid designet, 317 C, 451 D', 452 A. — Omnis igne salietur, quo sensu, 344 C. — Ignis inferni quomodo sit obscurus, 102 A'.

IGNORANTIA penitus volita ad malitiam pertinet, 155 A. — Peccatum ex ignorantia procedens, quomodo excusabile, 154 B'.

IMPRECATIONES veteris Testamenti qualiter interpretandæ, 517 A.

INCARNATIO Verbi est magnificentissimum Dei opus, 396 B', nostra deificatio, 401 D', inchoatio nostræ redemptionis, 401 D'. — Quam plane elucidetur in Evangelio, et quanta devotione recolenda, 384 B. — Illam quomodo angeli noverint, 385 B'. — *Cf.* Christus.

INCENSUM, quo sensu intelligatur, 375 A, et quid sit hora incensi, 375 C'. — Quomodo illud oblatum sit in altare incensi, 375 B, et intra Sancta sanctorum, 376 B.

INCONSTANTIA est vile et magnum vitium, 544 B. — Quinam sint ejus effectus, 544 A.

INFANTES baptizati morientes, mox ad cœlum evolant, 552 A. — Per infantes, aliquando designantur illitterati et innocentes, 232 C'.

INFERNUS dicitur simul cum cœlo creatus, 278 B'. — In illo non est remissio, 155 D, ejusque pœnæ sunt æternæ, 38 A. — Quomodo ibi inveniantur tenebræ, 102 D, ignis obscurus, 102 A', fletus et stridor dentium, 102 B'. — In illum quando mittatur impius, 95 D'. — Cogitatio inferni quam utilis, 38 B, et quam insensati qui ad illum cum gaudio currunt, 452 D'. — Portæ inferi, quid, 189 A'.

INFIRMITAS, quomodo a languore distinguatur, 121 C. — Si corporalis sit, non absolute ejus medela est quærenda, 490 D; secus si spiritualis, 491 C'. — Peccatum ex infirmitate procedens, quomodo excusabile, 154 B'.

INIMICI, quomodo diligendi, 74 A, 516 A, et qualiter pro illis orandum, 74 C. — Quo sensu intelligenda verba V. T. quæ odium inimicorum innuere videntur, 516 D'.

INNOCENTES martyres, quando necati sint, 28 B, et cujus ætatis fuerint, 28 C. — Quo sensu Rachel illos ploret, 29 C. — Quorumdam ex illis ossa asservantur, 28 C'.

INNOCENTIA in se melior est quam pœnitentia, 206 D. — Multi innocentes ferventius Deo deservierunt quam peccatores conversi, 556 A'.

INTELLECTUS agens, quomodo operetur, 439 B, et in Christo fuerit, 439 C.

INTENTIO operationi imprimit speciem moralitatis, 86 A. — Intentio perversa dupliciter vitiosas reddit actiones, 86 C.

INVIDIA omnia etiam bene gesta sinistre interpretatur, 502 D'. — Quanta Pharisæorum et Scribarum contra Christum invidia, 501 C, 502 C', 503 C'.

IRA, quid sit, 64 A'; quandonam mortale peccatum, 63 D', 64 C', aut veniale, 64 D', 65 A; quandonam vero justa et obligatoria, 64 B. — Iræ inordinatæ triplex est gradus et pœna, 63 B'. — Ira per zelum, qualis sit, 333 B. — An ira possit esse in Deo et in angelis, 65 A.

ISAAC, quomodo interpretandus, 7 D. — Figura Christi fuit, 7 C, ditissimus et tamen non cupidus, 217 A'. — Quare in Terra promissionis sepeliri voluerit, 313 C'.

ISAIAS, non solum propheta sed et evangelista dicendus, 442 D, 540 B, stilo eminet inter Prophetas, 364. — Ezechiam sanavit, 478 B, et ad ejus instantiam sol a naturali cursu cessavit, 119 C. — Quandonam in spiritu Jesum viderit, 163 B'. — Explanantur vel citantur varia ejus vaticinia de Joanne Baptista, 31 A', de Christo, 150 A, 187 A, 471 C', præsertim patiente, 309 B, 310 A, etc., et de Judæorum incredulitate, 162 D'. — Qua morte occubuerit, et quomodo illam prædixerit, 11 A'.

ISIDORUS abbas (S. Isidorus Pelusiota) citatur, 501 D. (Migne *Patrol. gr.* tom. 78.)

ISIDORUS (S.), Hispalensis episcopus, citatur, 106 A, 366 B. (Migne *Patrol. lat.* tom. 81-84.)

ISMAEL, pontifex Judæorum, quomodo constitutus sit post Annam, 441 B.

ISRAEL, quem designet, 122 A', 402 B, et quomodo illum susceperit Dominus, 398 C, 401 B'.

J

JACOB, utrum in utero sanctificatus sit, 7 A'. — Ditissimus erat et tamen non cupidus, 217 A'. — Prophetavit de adventu Christi, 186 D', cujus figura fuit, 7 C'. — Quare in Terra promissionis sepeliri voluerit, 313 C'. — Spiritualiter, quid designet, 7 B'.

JACOBUS (S.) Major, frater Joannis evangelistæ, filius Zebedæi, et Mariæ sororis B. V., 49 C, 506 A', quare Major appelletur, 121 C', et Boanerges, 121 C', 334 D, 506 A'. — Triplex fuit ejus vocatio ad apostolatum, 489 A'. — Prædicavit in Hispania, 359 A', et ab Herode Agrippa decollatus est, 226 A, 346 A'.

JACOBUS (S.) Minor, filius Alphæi, 506 B', frater Simonis et Thaddæi, 506 C', quare Minor appellatus sit, 506 B', et frater Domini dictus, 122 A. — Simillimus fuit Christo in lineamentis corporis, 295 D, 506 B'. — Vovit se non comesturum donec Jesus resurrexisset, 114 A, 318 C'. — Prædicavit in Jerusalem, 359 A', cujus primus episcopus fuit, 506 B'.

JAIRUS, qualem habuerit fidem, 115 A, 577 D. — Ejus filia vere mortua, 117 A, 580 D', quomodo surrexerit, 117 C, 581 C. — Mystice, quis sit, 117 D', 582 A.

JECHONIAS seu Joakim, rex Juda, quomodo obierit, et quem habuerit successorem, 12 A.

JEJUNIUM est actus abstinentiæ, cui quadruplex finis assignatur, 83 A. — Ejus effectus quinam sint, 84 C, 200 A', 432 B. — Quomodo jejunent hypocritæ, 83 B, et quid sit jejunium infructuosum, 114 B'. — Jejunium

aliud est in tribulatione, aliud in gaudio, quo sensu, 499 C'. — Quare quadraginta diebus jejunaverit Christus, 42 B.

JEREMIAS, sanctificatus in utero, 188 A', 222 B, quomodo fuerit Christi figura, 379 C, ipsumque viderit, 163 C'. — Fertur mirabilia perpetrasse in Ægypto, 478 C. — Quare illi adscribatur prophetia de Juda proditore, 302 D'.

JERICHO. Quomodo prope hanc civitatem duo cæci curati sint, 227 A'.

JEROSOLYMA. Sic appellata est a Salomone Jerusalem, 434 C', quæ etiam civitas Regis magni, id est Dei, vocatur, 69 D, et per quam designatur tota Judæa vel plebs Israelitica, 432 D'. — Cur ejus habitatores turbati fuerint de Magorum adventu, 23 B. — Signa quænam ejus excidium præcesserint, 260 A'.

JESSE, pater David, dictus est etiam Isai et Naas, 10 B.

JESUS. Quid significet hoc nomen, 18 D, 387 B', 420 C', et quomodo Christo sit novum ac proprium, 421 A, ab Angelo vocatum, 421 B, a Maria et Joseph impositum, 20 D', 421 C. — Jesus, filius Josedec, fuit figura Christi, 18 B', 387 B', 421 A. — *Adde* Christus.

JOANNES (S.) apostolus, filius Zebedæi, et Mariæ sororis B. V., 49 C, 506 A'; quare Boanerges appellatus, 121 C', 334 D, 506 A'. — Juxta multos, fuit sponsus in cujus nuptiis aqua in vinum conversa est, et virgo permansit, 49 D. — Triplex fuit ejus vocatio ad apostolatum, 489 A'. — Quomodo in Cœna a Christo acceperit signum certum de proditore, 288 A, et in atrium Annæ Petrum introduxerit, 297 B'. — Prædicavit in Asia, 359 A', et ultimus evangelium scripsit, 47 B, de Christi divinitate sublimius loquens, 363. — Quo sensu mortem pro Jesu sustinuerit, 226 A, 346 A'.

JOANNES (S.) Baptista multis nominibus appellatur, 407 A, et dici potest horizon, ligamentum ac cingulus novi et veteris Testamenti, 137 D', 544 D'. — Quo sensu vocetur angelus, 138 A, 327 B, 545 A, Elias, 140 D, 198 B', vox clamantis in deserto, 443 A. — Quomodo prænuntiatus sit per Malachiam, 137 D', 187 A, 545 A, et per Isaiam, 34 A', 187 A. — Cur illum Christus ante se præmiserit, 31 A. — Ex stirpe Aaronis fuerunt ejus parentes, 373 A, justi ante Deum, 373 B, et hominibus amabiles, 399 D; ubinam habitaverint, 391 A. — Duplici miraculo conceptus, 374 B', in utero sanctificatus, 222 B, et repletus Spiritu Sancto, 379 B, 392 C, quomodo exsultaverit, 392 B', et utrum usum rationis tunc habuerit, 391 B, 392 D. — Multi in nativitate ejus gavisi sunt, quo sensu, 378 C, ipsique Sarraceni illam celebrant, 378 A'. — Quare circumcisus sit, 399 D', et nomen ejus quid significet, 377 D'. — Cur in desertis vixerit, 409 B', et quanta ejus perfectio, 541 B, humilitas, 36 C', 328 D', 451 A, fortitudo, 140 A', mortificatio, 137 A', 379 A, 544 D, discretio, 450 B, constantia, 137 C, 543 D'. — Quo sensu inter natos mulierum illo non sit major, 138 A', 545 A', et quare plus quam propheta dicatur, 137 C', 544 D'. — Quomodo prædicare cœperit, 31 B, 441 C; qualis fuerit ejus prædicatio, 36 C, 140 C, 448 D, et quam fructuosa, 380 B', 448 B, 449 A'. — Baptismus ejus quid fuerit, 32 D, 33 C, 442 B, 450 B', quibus ministratûs, 33 D', 546 D, et qua forma, 454 C'. — Quomodo Christum baptizaverit, 38 C, 329 B, et utrum solus viderit columbam ac vocem audierit, 40 C', 456 C'. Cur postea ad Jesum duos discipulos miserit, 134 A, 540 D', et qualem de ipso notitiam habuerit, 134 B, 135 D, 539 D'. — Ante mortem suam nullum signum fecit, 172 B', 586 C'. — Quare ab Herode incarceratus, 47 C, 134 A, 172 B', et quomodo decollatus, 173 B'. — Sepultus est, ut dicitur, in urbe Sebaste, 174 B'.

JOANNES de Mandevilla, Anglus peregrinator. Ejus Itinerarium citatur, 479 C.

Adde Cassianus, Chrysostomus, Damascenus.

JOATHAN, pater Achaz, justissimus dicitur, 11 B.

JOB non statim exauditus est, quare, 93 A'. — Ejus liber, apud Hebræos authenticus, 247 C, rhetorice scriptus est, 364, et in illo declarantur animæ immortalitas ac resurrectio mortuorum, 247 C.

JONAS in pisce conclusus Christum sepultum figurabat, 157 D. — Miracula non fecit in Ninive, 157 C', et tamen hanc civitatem ad pœnitentiam adduxit, 157 A'.

JOSAPHAT. In valle hujus nominis fiet ultimum judicium, 170 D'.

JOSEPH, filius patriarchæ Jacob, ditissimus et tamen non cupidus fuit, 217 A'. — Quomodo intelligendum juramentum quod emisit per salutem Pharaonis, 69 D'.

JOSEPH (S.), sponsus Mariæ, cujus filius fu-

erit, 13B, 457C', et cur ejus potius quam B. Virginis origo describatur, 15B'. — Faber lignarius, ut fertur, 171A', 392A, castissimus fuit, 385A, 388B', ita ut in virginitate permanserit, 567A, et Mariæ custos fuerit, 418C', cum qua sola, 171C', matrimonium contraxit, 12D', 411B', a lege coactus, 16C. — Quo sensu illam non cognoverit, 19D', et quanta illius erga ipsam reverentia, 19C'. Utrum illam acceperit in domum suam statim post desponsationem, 17B'. — Probabiliter vendidit omnia sua egenisque contulit, 105C, et per manus ejus Maria eodem modo bona sua erogavit, 424A. — An profectus sit cum B. Virgine ad visitandam Elisabeth, 17B'. — Certus fuit de uxoris castitate ante nuntium Angeli, 17A, qui illum filium David vocavit, quare, 17D', 385A, 411A'. — Fertur in Bethlehem duxisse bovem et asinum, 412C'. An confecerit præsepium ubi Jesus nascens repositus est, 412C'. — Quo sensu pater Christi vocatus sit, 423A, 428D', et quam beatus in muniis suis, 429A'. — In Ægyptum abiit forte cum jumento quod vehebat Mariam ejusque Filium, 26D'. — Quomodo Jesum amiserit in Jerusalem, 435A, et quantus ejus dolor fuerit, 436C'. — Forte vivebat adhuc quum Christus jam prædicaret, 105C.

JOSEPH ab Arimathæa, roboratus in fide, 354A', quomodo corpus Jesu sepelierit, 314D'.

JOSEPHUS (Flavius) historiographus passim citatur, 30A, 260A', 313C, etc.

JOSIAS, « vir sanctissimus, » 11B', cujus nomen prænuntiatum fuerat, 11C', occisus est a sagittariis Pharaonis Nechao, 11C', 186A. — Quinam fuerint ejus filii, 11D'.

JOSUE Christum figuravit, 18B', 387B', 420D'. — Inordinate pro Moyse zelatus est, 539D. — Ad ejus instantiam sol a naturali cursu cessavit, 119C.

JUDA. Tribus hujus nominis quare principatum obtinuerit, 8D. — Frequenter cum tribu Levi per matrimonia conjuncta est, 15A. Ablatum ab illa sceptrum signum erat adventus Christi, 186D'.

JUDÆA. Quid intelligatur per fines Judææ trans Jordanem, 212D.

JUDÆI. Triplex fuit eis regimen, 15C, 372D. — Gentiles contemnebant ut canes, 478A', ipsorumque domos ingrediendo contaminabantur, 286A. — Quandonam illis alienigenas ducere licuerit, 9B. De suis tribubus uxores accipere tenebantur, 372C', 385A, nisi viri essent de tribu sacerdotali, 372D'; et grande existimabant opprobrium non habere sobolem, 377A', 382C'. Quandonam apud illos frater fratriam ducere coactus sit, 457D'. — Tribus vicibus in anno omnis masculus eorum debebat Jerusalem adire, 434B, sed semel tantum, si multum remote habitaret, 434D. Quonam ordine tunc incesserint, 435B. — In Parasceve præparabant cibos pro duobus diebus, 354A'. — Cur in Paschali solennitate, annuente imperatore, dimissionem unius vincti impetraverint, 352D'. — Solebant a sabbato vocare dies hebdomadæ, 316C, signum quærere quum audirent aliquid admirandum, 380C', vestimenta sua scindere in signum doloris de injuria Deo illata, 298D', libros nominare a rebus in exordio tractatis, 5, Scripturam V. T. reverenter tractare, 474A, et sepulturas sumptuosissimas sibi facere, 315A.

Quomodo erraverint de matrimonio, 68A, de juramento, 68A', de pœna talionis, 70C', de inimicorum odio, 73C', de statu hominum post resurrectionem, 246A. Aliqui eorum putaverunt animas ex uno corpore ad aliud transmutari, 140C', 586D'. — Quo sensu progenies viperarum vocati sint, 34B, 35A. — Christum communiter noverant de semine David nasciturum, 118B, 249C', sicut prædictum fuerat, 134A', sed multi eorum putabant illum in primo suo adventu temporaliter regnaturum, 23A', 105A', 379B, 425D. — An et quomodo cognoverint Jesum esse Messiam seu Christum, 239B', 240C', 250B'. — Pauci illorum, comparative loquendo, Salvatoris prædicatione conversi sunt, 561D'. — Quare illorum principes Christum occidere voluerint, 237B'. — Sanguis Christi fuit super illos, ut postulaverunt, 237C', 305C'. — Quam cæci fuerint Jesum crucifixum illudentes, 309D', et famam illius jam mortui exstinguere conantes, 316A. — Nunc ubique dispersi, 397A, quid exspectent, 474A', et quid faciant quotidie contra Christum ejusque discipulos, 158C'. — Non generaliter convertentur ante finem mundi, 128A', primi vocatione, sed ultimi salvatione, 219D'.

JUDÆI auctores : Josephus (Flavius) historiographus passim allegatur, 30A, 260A', 313C, etc. — Philo, « eloquentissimus Judæorum »,

librum scripsit de laudibus discipulorum S. Marci, 325. — Rabbi Moyses vel Moyses Ægyptius (Maimonides) citatur, 422 B, 443 D'.

JUDAS (S.) apostolus, frater seu consobrinus Christi, 171 B', Thaddæus etiam et Lebbæus vocatur, 506 C'.

JUDAS Galilæus tributum Cæsari solvendum negavit, 244 C'.

JUDAS Iscariotes, quare sic vocatus, 122 B, 284 B'. — Non cordis affectu Christum secutus est, nisi forte pro certo tempore, 218 A'. — Cur inter Apostolos electus sit, 506 D'; quo sensu diabolus dicatur, 129 A, et an illi promissum sit sedere cum Christo judice, 219 B. — Custos sacculi, peræ, pecuniæ quæ Jesus habuit, 123 B', cur indignatus sit contra Mariam Magdalene, 283 D. — Quomodo Christum vendiderit, 284 C', et hoc scelus prænuntiatum fuerit, 288 C, 302 D'. — In Cœna dupliciter a Christo indicatus, 287 D', 288 A, quomodo cum illo intinxerit manum in paropside, 288 D', et quam callide locutus sit, 288 A'. — Pie simul ac terribiliter admonitus, 288 D', corpus Jesu accepit ut alii Apostoli, 289 B. — Qualiter in horto magistrum suum osculatus sit, 295 A'; quo animo triginta argenteos principibus sacerdotum retulerit, 302 B, et laqueo se suspenderit, 302 D, magis peccando desperatione quam proditione, 302 A'.

JUDICIUM diversimode accipitur, 90 B, 150 C', 523 C'. — Quid requiratur ut licitum sit, 90 C, et quomodo de manifestis judicandum, 90 A', 91 A, 524 D. — Quandonam judicium sit mortale peccatum, 91 C, et quibus modis fiat detestabile, 90 D'. — Judicium discretionis quomodo fiat, 151 D'. — De quo judicio reus sit qui irascitur, 63 A, et quo sensu non præmeditandum quid loquendum sit in judicio, 127 C. — Judex qualis esse debeat, 306 A; an peccati reus judicare possit, 92 A; quomodo judicandus a Deo qui male judicavit, 91 B'. — Coram judice bona temporalia repetere an liceat fidelibus, 71 D', 519 D', etiam religiosis, 72 C, 520 A; an illud expediat, 72 D, 520 A, et aliquando sit obligatorium, 72 A'. Quandonam etiam ad judices infideles recurrere fas sit, 72 D, 520 A.

Judicium aliud est particulare, aliud universale, 95 D', 243 B', 350 B'. — Ultimum judicium et finis sæculi simul erunt, et per eadem signa prænoscentur, 259 D. — In illa die sol et luna obscurabuntur, quandonam, 266 A. — Fideles qui tunc vivi reperientur, in igne conflagrationis purgati morientur, 452 A', et mox cum aliis suscitabuntur, 350 C'. — Omnes in valle Josaphat perducentur ante Christum, 170 D', 219 A, cujus apparebunt crux ceteraque passionis arma, 267 A. — Electi a reprobis separabuntur, 277 C, et ex verbis suis justificabitur aut condemnabitur omnis homo, 156 A'. — Christus ut Deus judicabit per auctoritatem, ut homo per exsecutionem, 219 C. Quo sensu etiam judicaturi sint Apostoli et perfecti, 219 C. — Quomodo judicium ad victoriam sit perducendum, 152 A, ac media nocte perficiendum, 272 A'. — In illo omnia occulta revelabuntur, 129 C, 335 B, 566 D, et ratio reddetur etiam de verbo otioso, 156 C, necnon de omissionibus, 447 B'. — Judicium ultimum, cujus exsecutores erunt sancti angeli, 168 B, 243 D', celerrime finietur, 265 A'. — In illo quomodo locuturi sint homines, 96 D. — Christus proprio ore novissimam sententiam pronuntiabit, 150 D', 278 D', et reddet unicuique secundum opera ejus, 193 B'.

JUGUM. Per illud designatur observatio præceptorum, 146 B.

JULIANUS apostata. Contra illum quid scripserit S. Hieronymus, 559 B.

JURAMENTUM quandonam illicitum, 68 C', 69 B, quando vero licitum, 68 B, 69 A', imo actus latriæ, 69 A. — Illud comitari debent veritas, judicium et justitia, 68 C'. — Quandonam per creaturas liceat jurare, 69 A'. — Quomodo juramenti origo sit quoddam malum, 70 B'. — Superbi juramenta sua, quamvis illicita, implere volunt, ne mentiri videantur, 174 B.

JUSTIFICATIO impii quomodo fiat, 555 C'. — Quo sensu aliquis justificari dicatur, 549 B'.

JUSTITIA triplex est, 373 B. — Per illam intelligi potest quælibet virtus, 405 C', vel virtus cardinalis qua unicuique suum datur, 424 D'. — Ex illa quomodo pax procedat, 409 D. — Justitia Dei primum quærenda, quonam sensu, 88 C'. — Quinam esuriant et sitiant justitiam, 55 B, et qualiter saturentur, 55 A', 510 B'. — Quinam propter justitiam persecutionem patiantur, 57 C, 512 A.

JUSTUS ante Deum quonam sensu aliquis vocari possit, 373 B. — Prudentia justorum quid sit, 380 D. — Christus non venit vocare justos sed peccatores, quo sensu, 112 C'.

L

LABOR. Quomodo omnes diversis modis laborent, 145 C.

LACRIMÆ. Quam beata sit pia lacrimarum effusio, 554 A'.

LACTENTES designant aliquando illitteratos et innocentes, 232 C'.

LAMECH, alter de Seth, alter de Cain oriundus, 458 A'.

LAMPAS, mystice est fides cum bonis operibus, 272 C, et ornatur testimonio conscientiæ, 272 B'.

LANCEA quæ latus Christi transfixit, in die judicii apparebit, 267 A.

LANGUOR, quid designet, 121 C.

LAPIS angularis est Christus, 238 D. Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem vero ceciderit, conteret eum, quo sensu, 239 B. — Quomodo ex lapidibus filii Abrahæ suscitari possint, 35 D, 446 A.

LATRIA est virtus Deo cultum cærimoniamque impendens, 404 D', 467 A'.

LATRONES qui cum Jesu morti traditi sunt, non leguntur sua patibula bajulasse, 307 D. — Utrum ambo primum Christum blasphemaverint, et quare unus ex illis pœnitentiam egerit, 310 C, 353 A'.

LAUS. Per illam capitur benevolentia ejus qui oratur, 227 C'.

LAZARUS jam sepultus, figurat consuetudine vitiosa oppressos, 538 B'.

LECTOR. Quomodo illius officium Christus impleverit et approbaverit, 471 A'.

LECTUS, mystice quid sit, 495 D, et quomodo tollatur, 495 B'. — Per decumbentes in illo, significantur contemplativi, 269 D.

LEGATUS fideliter proponat verba mittentis, 541 A'.

LEGIO continet sex millia sexcenta sexaginta sex, 296 D', 572 D.

LEO interdum Christum, interdum vero diabolum designat, 161 B.

LEO (S.) Papa I, quid doceat de generatione Christi, 6 B'. — Sæpe citatur, 52 D', 146 D', 502 A', etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 54-56.)

LEPROSUS. Illum tangere et frequentare Judæis non licebat, 99 A, 281 C'. — Leprosi quamplures a Christo curati sunt, 542 C. — Leprosus in civitate Capharnaum, 99 C', quanto miraculo mundatus, 99 B; quomodo Jesum adoraverit, 98 B', et quam fiducialiter sanitatem petierit, 98 C', 331 D'. — Quare jussus sit tacere, 99 B, 491 B, et ad sacerdotes ire, 99 D, 491 A'. An peccaverit silentium non servando, 332 A. — Mystice, quomodo leprosi mundentur, 136 D, 491 C', 543 C.

LEVI. Tribus hujus nominis cum qualibet alia matrimonia contrahere poterat, 15 C', et sic cum tribu Juda frequenter conjuncta est, 15 A.

LEX, quid sit, 365 A. — Multiplex distinguitur: nempe lex æterna, 365 B; lex naturalis in genere, 365 C, et in homine, 365 A'; lex supernaturalis vel divina, 366 B; et lex humana, 365 C', cujus conditiones exponuntur, 366 B. — Vim legis sortitur laudabilis consuetudo, 434 C', et in casu necessitatis laudabiliter a lege dispensatur, 147 C', 502 D. — Quænam sint duo præcipua legis naturalis præcepta, 520 C. — Lex Mosaica et lex evangelica habent eumdem finem eademque principalia præcepta, 366 C. Prior ad posteriorem quomodo viam paraverit, 366 B'. — Lex evangelica perfectior lege Mosaica, 518 D, ex parte legislatoris, 366 D, excellentius vitia exstirpat, 367 A', virtutes promovet, 367 D', ad felicitatem perducit, 368 C, et omnibus promulgatur, 368 A'. — Lex Mosaica, quo sensu fuerit administratio mortis, 367 C; an quædam mala permiserit, 367 B', et manum non animum cohibuerit, 367 D'. Etsi in multis interiora ordinaverit, 368 A, circa exteriora magis occupatur, 368 C. — Lex evangelica, quæ nullum prorsus malum permittit, 367 C, cœlestia bona promittit, 367 A, terrestria vero, saltem communiter, lex Mosaica, 368 B'. — Lex evangelica per portam angustam designatur, 94 A', attamen facilius impletur quam lex Mosaica, quo sensu, 146 B'. — Ambæ inter se differunt ut lumen et umbra, 366 B', amor et timor, 368 C'. — Legem veterem quomodo impleverit Christus, 61 B. Ejusdem legis præcepta cærimonialia usque ad Passionem vim obligandi retinuerunt, 99 A'. — Iota aut apex non præteribit a lege, quo sensu, 61 D'. — Aliqua legis mandata minima dicuntur, quia pertinent ad incipientes, 62 B. — Quod raro contingit non est lex Ecclesiæ, 457 A'.

LIBELLUS repudii, quid fuerit, 67 C', quandonam apud Judæos datus, 213 B, et quo sensu a Moyse permissus, 214 B.

LIBER generationis, quomodo intelligendus,

5 A'. — Judæi libros a rebus in exordio tractatis nominabant, 5 A'.

LIBERALITAS facit hominem aliis valde acceptum et carum, 525 B. — Liberalibus Deus benedicit, etiam in temporalibus, 525 D.

LIBERTAS alia est spiritualis, alia corporalis, 204 C. — In illa fundatur radix peccati, 204 D.

LILIA agri quam speciose a Deo vestiantur, 87 D'.

LIMBUS. An et quomodo sancti in illo detenti, Christi passionem noverint, 540 D, et qualiter illos Jesus visitaverit ac illuminaverit, 408 B'.

LINGUA, quomodo refrenanda, 529 D'. — Linguarum gratia pene innumeris data est in primitiva Ecclesia, quare, 358 A. — Spiritualiter, quisnam novis linguis loquatur, 358 A'.

LINUM fumigans, quid designet, et quo sensu a Christo exstinctum non sit, 151 D.

LITTERATI difficilius corriguntur quam idiotæ ac simplices, 448 C.

LOCUSTA significat herbam, radicem, et aviculam, 32 A. — Quænam fuerint locustæ quibus vescebatur Joannes Baptista, 32 B.

LUCAS (S.) « evangelista lucidissimus », 364, de Antiochia oriundus, Christi discipulus fuit, 364, 369 B, et deinde Pauli, 370 D. — Magis historicus est quam ceteri Evangelistæ, 363, etsi non semper ordinem historiæ servet, 609 B. Supplevit multa a Matthæo et Marco omissa, 369 C. Ab Apostolis quomodo audierit quæ refert, 370 C, necnon a B. V. Maria, 419 D', ex inspiratione tamen Spiritus Sancti illa scribens, 370 A', 419 D'. Quo sensu omnia Christi gesta et documenta narret, 370 D', et utrum sermonem in monte factum referat, 58 B'. — Ejus veracitas qualiter confirmetur, 538 D'. — Quo pacto cum Matthæo concordet in genealogia Christi, 13 B, 14 A', et in ceteris narrationibus, 45 B', 106 C, 108 B, etc. — In Bithynia mortuus est, 364.

LUCERNA sub modio non ponenda, quo sensu, 335 A, nec sub vase aut sub lecto, 565 B', 566 A. — Designat Christum, 565 D', vel Apostolos, 565 B', vel evangelicam doctrinam, 335 B, 565 C'.

LUCIFER, princeps dæmonum, dicitur fuisse tentator Christi, 42 C. — *Adde* Dæmon.

LUCTUS, qualis beatitudinem afferat, 54 A', 511 B, 554 A'. — Luctus in morte carorum non sit excessivus, 580 C'.

LUDUS quidam apud pueros Judæorum usitatus describitur, 547 D.

LUNA obscurabitur in die judicii, quomodo, 266 B. — Qualiter multiplici miraculo soli supposita fuerit tempore Passionis, 311 D, per tres horas, 311 C'. — Mystice, est Ecclesia, 266 C'.

LUNATICUS vexatur singulis lunationibus, quando luna est plena, 50 A, 601 D'. — Mystice, quis sit, 603 B'. — Lunaticus post Transfigurationem curatus, 199 B', 602 C', erat surdus et mutus, 602 D', non naturaliter, sed agente dæmone, 603 B. Quare illum sanare non valuerint Apostoli, 602 B.

LUPUS. Per lupos rapaces, quinam intelligantur, 95 C, 126 B.

LUX, quotuplex distinguatur, 60 B, 102 A'. — Quo sensu lux mundi vocentur Apostoli, 60 A.

LYRA (Nicolaus de), Ord. Min., notissimus postillator, sæpius citatur, 9 A', 14 A, 37 D, etc. — Ejus sententia refellitur, 8 B, 480 C'. — Tacito nomine, verbo « Quidam » designatur, et improbatur, 371 B'.

LYSANIAS Abilinæ tetrarcha, cujus filius fuerit, 440 B'.

M

MAGEDAN. Ibi Josias a sagittariis Nechao letaliter læsus est, 186 A. — An idem sit ac Dalmanutha, 186 B, 340 C.

MAGI, sapientes et reges, 21 B', venerunt in dromedariis, 24 C, a Perside, 21 B'. Nati feruntur de stirpe Balaam, 21 C'. — Astronomiæ intentos Christus eos adduxit per stellam apparentem, 488 B', quam viderunt in terra sua, 22 C. — Quid referatur de hujus stellæ exspectatione, 22 A'. — Parati pro Christo sanguinem fundere, 22 A, Magi illum esse hominem, regem et Deum testati sunt verbo, 22 B, opere, 25 A, et muneribus, 25 D. — Munera eorum quid significent, et quomodo spiritualiter offerenda, 25 A'. — A quonam responsum acceperint ne redirent ad Herodem, 25 D'. — Omnium gentium conversionem figuraverunt, 26 A.

MAGISTER fallax quantum noceat, 253 B. — Illum non sola doctrina sed vita bonum facit, 215 C'. — Non est discipulus super magistrum, qua ratione, 128 A'. — Unus est magister Christus, quo sensu, 252 A.

MAGISTER in Historiis. Sic vocitatur Petrus

Comestor, auctor Historiæ scholasticæ, 14 A. — In aliquo non approbatur, 181 C'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 198.)

MAGISTER Sententiarum, id est Petrus Lombardus, citatur, 42 C, 190 D. — In aliquo non approbatur, 181 C'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 191 et 192.)

MAGNUS coram Domino quisnam vocetur, 378 A'. — Referuntur quatuor dimensiones magnitudinis spiritualis, 378 C'.

MAHOMETUS. Illo majorem esse Christum fatentur Sarraceni, 395 D.

MALEDICTIO. Quomodo maledicentibus benedicendum, 517 D. — Christus, Moysis instar, posuit benedictiones justorum et maledictiones impiorum, 252 C'.

MALUM. A quo malo nos liberari postulemus, 81 B'. — An mala opera fieri possint propter finem bonum, 86 B. — Arbor mala non valet bonos fructus facere, neque arbor bona malos fructus, quo sensu, 95 C'. — Quid sit dies malus, aut diei malitia, 89 C'.

MAMMONA significat divitias, vel dæmonem de avaritia tentantem, 86 D'.

MANASSES Isaiam jussit lignea serra secari, 11 A', sed captus pœnitentiam egit, 11 B'.

MANDATA erant in V. L. moralia, judicialia et cærimonialia, 247 C'. — Omnia Christi mandata sunt servanda, quare, 320 B'. — *Cf.* Lex, Præceptum.

MANDEVILLA. *Vide* Joannes.

MANICHÆUS (id est Manes) hæresiarcha, nec Moysen nec Prophetas recepit, 247 D. Diversi ejus errores reprobantur, 46 A, 159 A', 379 B', 421 B', 490 B', 559 C'.

MANSUETUDO, quid sit, 53 B', 145 C', 333 C; quinam ejus effectus, 53 D', 146 D', et præmium, 54 C.

MANUS scandalizans, quo sensu abscindenda, 67 B', 204 D, 205 A. — Quid dextera manus significet, 67 B', quid sinistra, 504 B. — Manus Domini, quid sit, 401 A. — Per manuum impositionem super oculos cæci, quid significaverit Christus, 341 B. — Homo manum dexteram aridam habens, 149 D, quomodo curatus sit, 149 C, et quid moraliter designet, 149 D, 504 B'.

MARCION, hæresiarcha, dicebat corpus Christi esse phantasticum, 159 A'.

MARCUS (S.) evangelista, Levitici generis et sacerdos, 325, in lege eruditus, 328 B, discipulus Petri evasit, evangeliumque scripsit, quomodo, 325. — Quo pacto concordet cum Matthæo, 108 B, 115 C, 124 A, 148 C', etc., cum Luca, 228 C, 296 C, 300 A, 310 B', etc., cum Joanne, 291 A, 296 C, 300 C', 301 B, etc.

MARE. Sic Hebræi vocabant quamlibet magnam collectionem aquarum, 106 B', 332 C', 569 A. — Ejus motus quomodo naturaliter generetur, 106 C'. — Quomodo sedata fuerit procella in mari Genesareth, 107 C, et super illius fluctus turbulentos deambulaverit Christus, 176 B', ac Petrum deambulare jusserit, 177 B.

MARGARITÆ, quo sensu non mittendæ ante porcos, 92 C'. — Exponitur parabola pretiosæ margaritæ, 170 A.

MARIA, cœli regina, domina mundi, quoniam Genitrix Dei, 384 D', 393 D, omni pura creatura, prout in esse creato subsistente, præstantior est, 396 C'. — Ejus nomen quomodo interpretandum, 384 C'. — Vocatur etiam, benedicta in mulieribus, 386 D', 391 B', comparentalis Patri æterno, 386 A', genitrix causæ causarum, 386 B', Christifera, 418 C', Virgo divina, 393 D, sponsa Christi singularis, 271 B', angelorum domina, 396 C'. — Erat de tribu sacerdotali ex una parte, 15 B, 384 C', et de tribu David, 385 A. Ejus genealogia refertur secundum Damascenum, 15 D'.

Quanta Mariæ pulchritudo, 19 D', cujus castitas refulsit in corpore, 17 A'. — Profecit quotidie in caritate, gratia, ceterisque virtutibus, 460 C, altissimorum angelorum transcendens puritatem, 159 B, et meritum, 546 C. — Quandonam virginitatis votum emiserit, 388 B'. — Quomodo ad maternitatem divinam disposita fuerit per humilitatem, 395 A, ac per caritatem, 395 B, et a tribus Personis Trinitatis qualiter exaltata, 395 C. — Vero matrimonio conjuncta est cum Joseph, 12 D', 384 B', qui erga eam quam reverenter se habuerit, 19 C'. An ipsam statim post desponsationem in domum suam acceperit, 17 B'. — Litterata et in lege erudita, 388 C', solita erat conspicere angelos, 387 A, et mysterium SS. Trinitatis jam noverat quando Gabrielem audivit, 389 B'. — In quo loco et quomodo orans inventa sit ab Archangelo, 386 B, quo sensu salutata, 386 C, et turbata, 386 C'. Non dubitavit de verbis Gabrielis, sed non statim respondit, quare, 387 B; quomodo deinde se humiliaverit, 390 B, et, quasi infinita dignitate sublimata, 386 A', 395 A', Verbum conceperit, 390 C, de Spiritu Sancto, 388 C', obumbrante virtute Altissimi, 389 A. Eodem

tempore, quanto gratiæ incremento donata sit, 389 C, beatior Christum concipiendo mente quam corpore, 389 D, 393 A'. — Quare abierit in montana cum festinatione, 390 D', et in quam civitatem Juda, 391 A. Quomodo salutaverit Elisabeth, 391 A, et quanta cum efficacia, 392 C'. — Ejus canticum quam excellens et qualiter interpretandum, 393 D et seq.; quare in Vesperis decantandum et quanta cum devotione, 398 B'. — An Maria reversa sit in Nazareth antequam Joannes Baptista nasceretur, 399 A'. — In asino, quem etiam bos comitabatur, 412 C', creditur ad Bethlehem accessisse, 26 D', ubi noverat se parituram, 411 D', 412 A'. — Non fuit ei locus in diversorio, quo sensu, 412 D', 413 A.

Quomodo Christum mundo ediderit, 412 D, primogenitum suum, 412 A, ante partum, in partu, et post partum intacta, 389 B'. Illum propriis manibus involvit, 412 D, quibus pannis, 412 A', et in quodnam præsepium reclinaverit, 412 C'. — Mystice, qualiter rhinocerotem in suo gremio ceperit, 419 A. — Quo sensu conservaverit omnia verba de Christo, 419 B', 438 D, quo silentio, 420 A, et utrum tunc in fide profecerit, 419 C'. — Circumciso Filio intime compassa est, 422 A'. — Quare purificationis legem adimplere voluerit, 423 B, illi non adstricta, 422 D'. — In Ægyptum fugit, 26 D', et deinde Nazareth rediit, ubi deliciæ Christi esse cum illa, 38 C. — Etsi parentum hereditatem consecuta, 609 B', paupertatem coluit, 423 D', et pauperibus, probabilius per manus Joseph, bona sua distribuit, 424 A, 609 D'. — Quomodo puerum Jesum amiserit, 435 A, quanto cum dolore, 436 C', et inventum in templo quo sensu allocuta sit, 436 B'. — Quanta cum reverentia Filium suum habuerit, 438 A'. — Frequenter a Christi infantia præcogitavit quanta ille passurus esset, 384 D', 430 D', et animam ejus pertransiit gladius, quo sensu, 430 D', 431 A. — Quomodo steterit in Calvariæ loco, 314 C, cum quibusnam mulieribus, 314 B, et discipulis, 314 D. Illius compassio attente meditanda est, 307 D. — Tunicam Jesu inconsutilem creditur elaborasse, 308 D. — Ab ipsa discipuli Christi, præsertim Lucas, de aliquibus dicuntur instructi, 419 D'.

MARIA Cleophæ, soror B. Virginis, 314 C, 506 C', quomodo ab angelo Christi resurrectionem audierit, 317 A'.

MARIA Magdalene (S.), filia opulenti viri, 558 C', in civitate peccatrix, 282 B', 550 B, est pœnitentiæ forma, peccatorum exemplar, 554 B. — Quomodo, Christi prædicatione inflammata, 551 B, in domo Simonis Pharisæi lacrimis pedes Jesu rigaverit, 550 D', et quo unguento illos unxerit, 551 D. — Quam perfecta illius conversio, 551 A', 552 C, 555 A, 556 D', et quo sensu ejecta sint de ea septem dæmonia, 558 C'. — In Bethania autem pedes et caput Domini perunxit, 282 C', quali unguento, 282 D', 283 B. — Post resurrectionem Christus illi apparuit primum soli, 318 B, prohibens ne suos tangeret pedes, 318 D, et postea cum aliis mulieribus, 318 C. — « Apostolorum apostola » vocatur, quare, 356 A. — Mystice, per illam designatur conversa gentilitas, 558 A'. — Legenda ejus allegatur, 282 B', 550 B.

MARTHA (S.) Christo ministrabat in domo Simonis leprosi, 282 A.

MARTIALIS (S.) dicitur fuisse puer quem Christus Apostolis ostendit, 606 A.

MARTINUS (S.), ob suam liberalitatem, fuit aliis valde acceptus et carus, 525 B. — Dorsum præbuit cædentibus, 71 B'. — In ejus Vita narratur quomodo Satanas in angelum lucis transfiguretur, 377 C.

MARTYRES sæpe tantam consolationem senserunt ut vix dolorem perciperent, 312 D. — Multi Sancti ad martyrium se ipsos obtulerunt, 128 C.

MATER, quonam sensu relinquenda propter uxorem, 213 A'. — Qui amat matrem suam plus quam Christum, quomodo peccet, 131 D'.

MATHUSALEM obiit ante diluvium, anno eodem quo terra inundata est, 458 B'.

MATRIMONIUM, quid sit, 214 C. — Ejus indissolubilitas a Christo probatur, 213 D. — Status matrimonialis inferior est statu viduali, et præsertim virginali, 161 D', 214 A', et magis meritorium est conjugatis christianis penitus continere quam prolem generare, 382 D'. — Quomodo separari possint conjuges in religionem ingredi volentes, 214 A. — Cultus disparitas matrimonium dirimit, 9 C'.

MATTHÆUS (S.), vocatus etiam Levi, 111 D, filius Alphæi, 332 C', dives erat, 218 A', vectigalium collector, 111 C. — Quomodo illum respexerit et vocaverit Christus, 111 D, 496 B, quem statim sequendo, Matthæus incaute non egit, 496 A'. — « Gloriosissimus sapientissimusque evangelista », 279 D', in quo

loco scripserit, quis ejus scopus, 5A, quomodo de se ipso humiliter loquatur, 122A, 496A, et quare per hominem signatus sit, 4. — Præ ceteris Evangelistis moralem Christi doctrinam refert, 363. — Quo pacto concordet cum Luca, 13B, 14A', 18C', etc., cum Marco, 108B, 115C, 124A, etc., et cum Joanne, 291A, 296C, 300A. — Prædicavit in Æthiopia, 359A'.

MATTHIAS (S.) divinitus constitutus est apostolus, 506B, et prædicavit in Judæa, 359A'.

MAURUS (S.) abbas, ob præclarissima miracula quantam venerationem consecutus sit, 570A'.

MAXILLA. Percussus in dextera maxilla, quo sensu alteram præbere debeat, 71A', 518C.

MAXIMUS (S.), Taurinensis episcopus, citatur, 565D'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 57.)

MEDICUS alius corpora, alius animas curat, 112B. Pluralitas medicorum quare periculosa, 577C'. — Medico non egent qui sani sunt, sed qui male habent, quo sensu, 497D'. — Sunt medici spirituales qui exemplis suis animas occidunt, 586B.

MELCHISEDECH utrum fuerit idem ac Sem, et quare dicatur fuisse absque patre et matre, 458A'.

MENSURA qua mensi fueritis, remetietur vobis, quo sensu, 335C, 526A. — Mystice, quid sit, 525B', et quibus dotibus polleat, 525C'.

MERCES justorum, quid sit, 222C', 522C. — *Cf.* Beatitudo.

MERITUM pensatur secundum magnitudinem interioris affectus, magis quam operis exterioris, 526A.

MESSIAS. Illum esse Deum declarant Prophetæ, 480D'.

MESSIS, mystice quid sit, 120A', 167C', 336A.

MICHAEL (S.) archangelus, olim princeps Synagogæ, 384C, nunc princeps et custos Ecclesiæ, quid clamaturus sit in die judicii, 267A'.

MILLENARII, quomodo Evangelium carnaliter intellexerint, 345C'.

MIRACULA sunt divinæ veritatis argumenta et Dei sigilla, 49B', 98C, 357C', 568D, per quæ maxime cor hominis vincitur, 536A'. — Quomodo illorum Deus sit causa principalis, 507D', et Sancti ad illa cooperentur, 508A. — Interdum fiunt non merito operantis, sed recipientis, 96A'. — Quam libere et imperialiter illa operatus sit Christus, 99B, 107C, 110C', etc. — Miracula Apostolorum nunc corporaliter iterari opus non est, quare, 358D, 488D', et quomodo spiritualiter cæci videant, etc., 136D. — Quænam miracula solus Deus operetur, quænam vero et Antichristus, 264D'. — *Adde* Christus.

MISERICORDIA, quid sit, et quomodo in Deo inveniatur, 523A. — Per illam Deo assimilamur, 56A, 523C. Ejus septem opera numerantur, 277C', de quibus potius quam de aliis in judicio discutiendum est, quare, 279B. Spiritualia autem ejusmodi opera corporalibus præstant, 279C', 523A. — Quinam misericordes misericordiam consequantur, 55C', 523C. — Quid sibi velit illud : Misericordiam volo et non sacrificium, 112A', 148C.

MOLA asinaria, quid sit, 203B'. — Per molentes significantur activi, 269D.

MONS, quomodo provocet ad elevationem internam, 505A'. — Mystice, est Christus, 60C, justitia Dei, 263A', angelus, vel intelligentia spiritualis, 263B', et etiam dæmon, 200C. — Mons omnis humiliabitur, quo sensu, 443D. — Civitas supra montem posita, quid significet, 60C. — Montes quosnam fides transferat, 200C, et Apostoli transtulerint, 233C'.

MONUMENTA aperta post Christi mortem, quid significent, 313A'.

MORS. Ejus naturalis timor non reprobatur, sed frenandus est, 130A. — Quum illius hora ignoretur, ad illam semper parati simus, 269A', 350A'. — Mortem quomodo gustent Sancti, 595A. — Quid sit umbra mortis, 408A'. — Mortiferum quisnam sine nocumento bibat, 358B'. — Mortui Christo dormiunt, 272D, quomodo deplorandi, 580C'. — Mystice, qualiter mortui resurgant, 136A'. — Mortui sepeliant mortuos suos, quo sensu, 106C. — Quo sensu aliqui Christi discipuli mortem non gustaverint donec vidissent regnum Dei, 595A.

MOYSES, legislator Judæorum, 252C', 366D, prænuntiavit Christum, 231B', cujus typum gessit, 597D. — Non dedignatus est a Jethro corrigi, 208B'. — Quadraginta diebus jejunavit nil edens nec bibens, 463A. — Quare et qualiter in Transfiguratione apparuerit, 195C', 597C.

MULIERES quæ Jesum sequebantur, quo sensu curatæ fuerint a spiritibus malignis, 558D. — Quænam mulieres steterint juxta crucem,

314 B, et ad ungendum Christi corpus venerint, 316 C.
MUNDITIA cordis, quæ est summa inter octo beatitudines, 52 A', cum ardenti Dei contemplatione identificatur, 56 C, et summopere persequenda est, 56 D.
MUNDUS, quomodo finem accepturus sit, 168 A, 259 C; utrum innovandus ante vel post judicium, 266 D. — Diversæ mundi ætates referuntur, 221 A et seq. — Væ mundo a scandalis, quare, 204 B. — Mundi contemptus, quomodo a Christo prædicatus, 193 B, 515 C'.
MUNUS Deo oblatum juxta Pharisæos a parentibus sublevandis dispensabat, quo sensu, 179 B. — Quomodo munus ante altare relinquendum sit ut reconciliatio procuretur, 65 B'.
MUTI, quinam a Christo curati sint, 118 D', 340 A', 342 D.
MUTILATIO membrorum an liceat propter vitanda peccata, 205 B.
MUTUUM, quomodo a dono differat, 522 D, et sine spe retributionis sit dandum, 521 B', 522 A.
MYRRHA, quid designet, 25 B'.

N

NAAMAN ab Eliseo curatus, fuit Deo et Prophetæ gratus, 477 D'. — Typus erat Ecclesiæ ex gentibus congregatæ, 478 D.
NAASSON fuit Aaronis levir, 8 D'.
NABUCHODONOSOR, rex Babylonis, quid egerit erga Jechoniam ejusque filium, et Sedeciam, 11 D'.
NAIM, civitas parva, quæ duobus milliaribus distabat a monte Thabor, 536 D. — Quomodo prope illam suscitatus fuerit filius viduæ, 537 D.
NARDUS super caput Jesu effusus a Maria Magdalene, qualis fuerit, 283 A, 351 D.
NATHAN, in genealogia Christi descriptus, quis fuerit, 13 D', et cur sacerdos vocetur, 14 D'.
NATURA nihil frustra efficit, 246 D'; operatur successive, non subito, 149 C, sed non adæquat artem divinam, 88 A. — Nihil naturalius quam benefacere consorti naturæ, 279 A'.
NAVICULA, mystice est crux Christi, 107 C', vel Ecclesia, 107 D'.
NAZARÆI vinum non bibebant tempore consecrationis suæ, 379 A. — Liber Justorum vel Nazaræorum citatur, 399 A'.
NAZARETH. Quo sensu de hac civitate oriundus Christus dicatur, 231 B', 433 B.
NECESSITAS multiplex distinguitur, 191 B'. — Est mater dispensationis, 147 C', 502 D, 504 B.
NEPHTHALI. Terra hujus nominis, quare vocetur via maris simul cum terra Zabulon, 47 C.
NICODEMUS, quid egerit in sepultura Christi, 315 A.
NICOLAUS Antiochenus, quid de mulieribus docuerit, 261 D'.
NINIVITÆ, quomodo pœnitentiam egerint, 157 A', sed forte non perseveranter, 157 B'.
NOE utrum diem diluvii prædixerit, 269 A. — Ex illo et exsistentibus cum illo in arca propagatum est omne hominum genus, 269 B.
NOMEN Domini tetragrammaton soli Deo convenit, 42 A', 240 C, et deficit omne nomen a dignitate Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, 388 A. — Nomen Dei quomodo sanctificandum, 80 A'. — Sex nomina leguntur prænuntiata in V. T., 377 D'. — Apud Judæos nomina imponuntur propter aliquam proprietatem, 18 B'.
NOVITIUS. Quare illi concedatur annus probationis, 114 D', 500 D'.
NUBES, quid designet, 197 A', 600 D. — Qualis fuerit in transfiguratione Christi, 197 C', 599 D, et quosnam obumbraverit, 197 C, 599 D.
NUMMULARII, in templo Jerusalem quid egerint, 231 D'. — Mystice, sunt boni doctores vel auditores, 275 B'.
NUPTIÆ, spiritualiter designant sempiternam beatitudinem, 273 C. — Exponitur parabola regis qui fecit nuptias filio suo, 241 B.

O

OBEDIENTIA quam fructuosa sit, 487 D. — Diversi generis superioribus quomodo obediendum, 438 B. — Per obedientiæ votum propria voluntas prorsus abjicitur, 192 C'. — Perfecta obedientia plus peragit quam tenetur, 423 C.
OBLATIONES Deo factæ, quid significent, 65 D.
OBLIVIO præcipuum est mœstitiæ remedium in damnis inevitabilibus, 580 C'.
OBSECRATIO, quid sit, 432 B, 498 C', et quanta ejus virtus, 432 A'.
OCCASIO peccati removenda, 67 C, vel præcavenda, 126 C'.
OCTAVIANUS. *Vide* Augustus.
OCULUS, spiritualiter est ratio illuminata vel

intentio recta, 85 D'. — Oculus simplex et oculus nequam, quid sit, 85 D', 86 A. — Oculus scandalizans, quo sensu eruendus, 67 C, 204 C'. — Oculi interiores quomodo beati, 163 C.

ODIUM perfectum ex caritate procedens, quid sit, 73 C'. — Propter Christum odio haberi optabile est, quo sensu, 261 C.

OLEUM, mystice quid sit, 84 B, 272 B, et a quibusnam vendatur, 273 A.

OLIVETI mons est inter Jerusalem et Bethaniam, 346 C. Illuc solebat Christus tempore nocturno venire ad orandum, 290 B'. — Hinc templum et civitas Jerusalem manifestissime adspiciuntur, 259 B.

OMISSIO interdum est peccatum mortale, 36 C, 447 A', et in die judicii terribiliter punietur, 447 B'.

ONUS Christi, quo sensu leve, 146 B. — Quomodo homines onerentur, 145 D.

OPTIMI in omni conditione pessimis juncti sunt, quare, 269 D. — Optimi vocabantur olim principes et præsides, 371 B'.

OPUS. In opere bono quomodo perseverandum, 337 B', et qualiter Deus unicuique secundum opera ejus sit redditurus, 193 B'. — Opera virtuosa æternæ vitæ, probabiliter de condigno, meritoria sunt, 392 B. — Salvabuntur sine operibus propriis, pueri baptizati ante discretionis annos defuncti, 193 C'. — Quænam sint misericordiæ opera, 277 C'. — Opus servile, quid sit, 149 B, 504 A; quare in diebus festivis omittendum, 503 D', nisi inveniatur motivum excusans, 286 B, 504 B.

ORATIO, quomodo definiatur, 76 C, 347 D, et quanta ejus efficacia, 77 C', 78 C', 93 A, 200 A', 347 D, quæ crescit cum numero orantium, 210 B. — Quomodo orandum sit, 79 B, 93 A, 210 A, 234 A, 505 A', et quisnam indubitanter exaudiatur, 210 B. — Pro calumniantibus qualiter orandum, 517 D'. — Excitat ad orationis fervorem locus secretus, 77 D, 505 D, sublimis vel opportunus, 176 C, 505 A'; et orationis domus est templum, 232 A. — Quomodo orent hypocritæ, 76 D, et sacrilegi fiant, 77 A. — In nocte quare orandum, 505 B'. — An prohibeatur in publicis locis orare, 77 A, et quo sensu vitandum in oratione multiloquium, 77 C'. — Orare licet ut corrigantur a Deo obstinati in malo, 517 B'. — Qui non ignoscit, contra se orat, 80 D'. — Oratio dominica explanatur, 79 A et seq. Quam excellens sit, 79 A. An impleatur in præsenti vel in altera vita, 82 C. Quinta ejus petitio quare maxime pensanda, 82 A'. — Oratio Christi in horto, qualis fuerit, 293 B, et quomodo nobis imitanda, 293 D.

ORDO. Ad ordines angelorum homo elevari potest in cœlo, 139 A'. — Ordinum minorum officia quomodo Christus impleverit, 471 A'.

ORIGENES citatur, 106 D, 220 B, 257 A, etc. (Migne *Patrol. gr.* tom. 11-17.)

OS. Non quod intrat in os coinquinat hominem, quo sensu, 180 A, 339 A. — Quæ procedunt de ore, de corde exeunt, quomodo, 182 A, 529 C'.

OSCULUM aliud procedit ex vera dilectione, aliud ex carnali amore, 554 D'. — Osculum pacis dari consuevit in primitiva Ecclesia, 554 C'.

OSTIARIUS. Hujus officium qualiter Christus impleverit, 471 A'.

OTIUM est contra hominis naturam, 448 A. — Otiosi signantur per arbores quæ nullum fructum faciunt, 447 C'.

OVIS, mystice quid sit, 206 B, 277 C. — Ovium vestimenta quomodo usurpent falsi prophetæ, 95 A. — Per oves in medio luporum, quinam designentur, 126 B. — Exponitur parabola ovis perditæ quæ reperta est, 206 A.

OZIAS, quo sensu a Joram genitus perhibeatur, 10 C'. — Eum pœnituit de sua præsumptione, 11 A.

P

PALÆSTINA. Ejus incolæ solent ad omne verbum parabolam applicare, 500 A, et diebus festis capita ungere, 84 A. — Ibi tecta domorum plana sunt, 129 B'.

PALEA designat reprobos, 37 B', 452 B'.

PANIS quotidianus, quomodo accipiatur, 80 C'. — Panis noster supersubstantialis, quid sit, 80 A'. — Quomodo peracta fuerit a Salvatore duplex panum multiplicatio, 175 B', 185 B. — Non in fermentato, 286 C, sed in azymo pane, a Christo consecrata est Eucharistia, 289 A.

PAPA cur mutet nomen quum sedem Petri accipit, 506 D'.

PARABOLA, quid sit, 162 C, 559 A', et quomodo differat ab ænigmate, 562 B'. — Syriæ et Palæstinæ incolæ solent ad omne verbum parabolam applicare, 500 A. — Exponuntur parabolæ seminantis, 160 C, 559 D', zizani-

orum, 165 C, 167 B, 168 B', grani sinapis, 165 D, fermenti, 166 A, thesauri in agro absconditi, 169 B', pretiosæ margaritæ, 170 A, sagenæ in mare missæ, 170 C, ovis perditæ et inventæ, 206 A, regis cum servis rationem ponentis, 210 C', patrisfamilias operarios in vineam conducentis, 220 B, hominis cui alter filius obedientiam renuit sed postea præstitit, alter econtra, 235 B, regis qui filio suo fecit nuptias, 241 B, decem virginum, 271 B, hominis talenta servis suis tradentis, 273 B', seminantis cujus terra ultro fructificat, 335 C.

PARALYTICUS, mystice quid sit, 103 A', 495 D, 536 C. — Quomodo a Christo curati sint servus centurionis, 102 D', et alius paralyticus in Capharnaum, 109 D', 494 C'.

PARASCEVE unde nomen acceperit, 354 B'. — Tunc Judæi præparabant cibaria pro duobus diebus, 354 A'.

PARENTES, quo sensu dimittendi sint propter uxorem, 213 A'. — Quomodo illis reverentia exhibenda, 178 D', 219 D, 438 C. — Propter illorum inopiam nemo despiciendus, 475 A.

PAROPSIS, quid sit, 287 D', et quid designet, 255 B'.

PARTHICÆ. Reprehenduntur qui illas vestiunt, 584 D.

PARVULUS non contemnendus, 205 C, sed imitandus, quomodo, 202 A', 203 A. Etiam nondum natus habet angelum custodem, 205 C'. — Quo sensu parvulorum sit regnum cœlorum, 215 A'. — Parvulus aliquando dicitur qui nondum attigit vicesimum annum, 185 C.

PASCHA, quid sit, 280 C, 285 C', 351 A, quandonam celebratum fuerit, et quot diebus, 434 C'. — In hac solennitate dimittebatur unus vinctus, quare, 304 C, 352 D'. — *Cf.* Agnus.

PASSIO Christi est profundissimum maximumque mysterium, 598 B. — Quare dicatur excessus, 196 C, 598 A; quo sensu necessaria, 293 D, 296 D', quam fructuose meditanda, 279 D, 431 B', et imitanda, 299 D, 306 D', etc. — Quomodo meritum ejus ad universos se extendat, 396 D, 402 A, 406 C.

PASSIONALE Sanctorum (id est Martyrologium, vel Legendarum collectio) citatur, 506 C'.

PASSIONES, ex se indifferentes, qualiter bonæ vel malæ fiant, 64 D. — Passiones immoderatæ usum rationis impediunt, 599 C, 608 B', et suffocant verbum Dei, 164 D', 561 D.

PASTOR, quibusnam virtutibus pollere debeat, 566 B, et quomodo vigilare teneatur super oves suas, 415 C. — Maximum Dei beneficium est pastor bonus, 120 C', 181 D. — *Vide* Prædicator, Prælatus.

PASTORES Bethlehem tres fuisse dicuntur, 413 D', et vigilasse juxta turrim Gregis, 413 C'. — Quomodo illis nuntiata sit nativitas Christi, 413 D', quem ut Deum noverunt, 419 B. — Qualiter bonos animarum pastores figurent, 415 C, et imitandi sint, 420 A'.

PATER cœlestis vocatur Deus Pater, vel tota Trinitas, 74 D, 77 D, 79 C. — Solus Pater novit diem judicii, quo sensu, 268 A'. — Quomodo Filium suum generet, 456 A, diligat, 39 A', 150 C, et illi omnia tradat, 144 B. — Quomodo in abscondito videat, 76 A', 77 D, 84 C, et resideat, 83 C', quantaque ejus pietas, 88 D, 93 D'. — Multiplici sensu Deus est unus Pater noster, 252 B.

PATIENTIA, quæ passionem tristitiæ ordinat, 53 C', 565 A', quam necessaria et fructuosa sit, 565 D. Aliqua tamen patientia est irrationabilis et funesta, 64 C, 71 B, 73 A.

PATRIARCHÆ filiis suis benedicebant per manuum impositionem et orationem, 215 C; circa sepulturam suam valde solliciti erant, 315 A, quare, 313 C'.

PAULINUS (S.), Nolanus episcopus, citatur, 431 B. (Migne *Patrol. lat.* tom. 61, col. 416.)

PAULUS (S.) divinitus constitutus est apostolus, 506 B. — In lege peritus erat et a Gamaliele instructus, 256 C'. — Deum per speciem contemplatus est, 256 C'. — Interdum humilia, interdum magna de se loquitur, quo sensu, 387 C. — In Græcia prædicavit, 359 A', et Dionysium Areopagitam ad fidem convertit, quomodo, 311 D'. Sub nomine ejus quidam scripserunt aliquas epistolas apocryphas, 369 B'.

PAUPERTAS voluntaria, quomodo divitias contemnat, 52 D', et quam fructuose, 53 D, 219 C'. — Quinam pauperes beati sint, 52 C', 509 D. — Pauperes evangelizantur, quo sensu, 136 B. — Quibuscumque pauperibus, etiam non christianis, meritorium est propter Deum benefacere, 278 D. Illis quomodo superfluum erogandum, 448 B', 449 B.

PAX interna et externa in quo consistat, 56 C', 125 C, 131 B, 416 D', a quibus virtutibus procedat, 344 D', 409 C, et quomodo servetur, 344 D'. — Quo sensu revertatur ad illos qui eam frustra aliis exoptant, 125 D. — Pacifici

vocabuntur filii Dei, quare, 57B, et pax est certum indicium quo dignoscuntur discipuli Christi, 344D'.

PECCATUM, cujus fundamentum in libertate jacet, 204D, quantæ sit malitiæ, 445D. 524C', quantum fugiendum, 203D', et deplorandum, 437C. — Unum peccatum mortale suo pondere ad aliud trahit, 453B', et tanto gravius est peccatum quo major gratia spernitur, 125C', et meliora sunt ipsa dona naturalia, 276D. — Peccatum omissionis interdum mortale est infernumque meretur, 36C, 96A, 447B'. — Peccatum contra Spiritum Sanctum, quid sit, 154C', et quo sensu irremissibile, 154D'. — Nil tam homini nocivum quam peccatum, 516D, cujus tyrannis pessima, 473A. Etsi naturam non destruat, 276C, plurima infert mala, 473D', 521B, 532A', mentem vulnerat, 34D, occidit, 543D, inter illam ac Deum velut murum elevat, 163B, et vas diaboli peccatorem efficit, 358D. — Peccata quomodo remittantur, 407C'; quandonam totaliter quoad pœnam, 556D'. — Illa solus Deus dimittit simpliciter, homo vero secundum quid, 82D'. — Omnia mortalia simul remittuntur, 211D, etiam aliquando non recordantibus, 483B'; sed qui in voluntate peccati remanet, non absolvitur, 191A. An semel dimissa peccata redeant eadem et puniantur, 212B'. — Peccator, in Scriptura, multiplici sensu accipitur, 551D'. Quam benignus sit Deus erga peccatores, 211D, quorum Christus amicus dicitur, quo sensu, 141D; quibus non detrahendum, 552D, sed condolendum, 552B', et pro quibus orandum, 483D'. — Quinam sint peccatores vitandi, 113B, 124D', 497B'. — Peccator in vitiis obduratus, quomodo interdum convertatur, 575B'. — Peccatrices quare in genealogia Salvatoris annumerentur, 8A.

PELAGIUS, hæresiarcha, falso docet hominem sine gratia justificari posse, 218D.

PERA, repositorium victualium, 123A', 584C, quid significet, 124B'.

PERFECTIO quanta sit in Deo, 75C, qui absolute loquendo solus perfectus est, 248B'. — Vir perfectus quis dicatur, 378C'. Quomodo in via perfectionis aliquis paulatim proficiat, 341B, 500D', et dirigendus sit, 500C, nec præceptorum observatio illi sufficiat, 217C.

PERIPATETICI, quid sentiant de passionibus, 64D, de beatitudine et de virtutibus, 52A.

PERSECUTIO. Quinam propter justitiam persecutionem patiantur, 57C. — Persecutiones quomodo inter præmia assignentur, 345D'. — Non timendi persecutores, 129C'.

PERSEVERANTIA sola coronatur, 127D', 262A, 610C'. — Quomodo perseverandum in bono opere, 337B', et in Dei servitio, 406B.

PES, quid designet, 409A, 543B. — Pes scandalizans, quo sensu abscindendus, 204D, 205A. — Per pedes Dei quid intelligatur, 69C.

PETRA significat Deum Patrem, 97C, Christum, 97B, vel fidei firmitatem, 97D. — Supra petram ædificata domus, quid sit, 531B', et quare non dejiciatur, 531D'. — Petræ quæ Christo mortuo scissæ sunt, quid significaverint, 313D.

PETRUS (S.) apostolus, qui primum Simon vocabatur, deinde Petrus, id est firmus, et Cephas, id est principalis, nominatus est, 48B, 121A', 189B, 334C, 506B'. — Erat filius Joannis, 188D', de civitate Bethsaida oriundus, sed in Capharnaum habens domum, 104A. — Triplex ejus vocatio qualis fuerit, 48B', 49A, et quo sensu omnia dimiserit, 218A'. — Jam ante piscationem miraculosam credidit Jesum esse Christum, 488B. — Quomodo supra mare Genesareth ambulaverit, 177A, divinitatem Christi confessus fuerit, 188C', 590A', pro omnibus Apostolis, 590B'; quale præmium suæ confessionis acceperit, 189B, Satanas tamen postea vocatus, quo sensu, 192B. — Transfigurationis testis, 194B, utrum audierit Moysen et Eliam cum Jesu loquentes, 196C; quid ipse dixerit, 196D, quasi in ecstasi positus, 196C'. — Magnus ejus fervor, 488A', sed tamen ante Christi passionem simplex et rudis fuit, 541C. — Agoniæ Jesu testis, 292B, auriculam Malchi amputavit antequam Christus ligaretur, 296C. — Quomodo ante secundum galli cantum, 291A', ter Salvatorem negaverit, 299C', 300A, et ubi, 301B. — Quid narretur de amara ejus pœnitentia, 301B', et quare specialiter illi nuntiata fuerit Christi resurrectio, 317D'. — An majora quam Jesus miracula operatus sit, 338B'. — Hominum piscator fuit, quo sensu, 489B, et prædicavit in Italia, 359C. — Navis Petri concuti potest, non mergi, 108A.

PETRUS Lombardus. *Vide* Magister Sententiarum.

PHARISÆI, quorum secta erat honesta, 34A, et solennior apud Judæos, 348D, fuerunt

illorum clerici, 191 C', et inter se multos Scribas et sacerdotes numeraverunt, 348 C. — De religione specialiter tumebant, 497 D, et opera, non desideria prava, vitabant, 62 C'. — Quanta fuerit illorum perversitas, 180 C, ambitio, 119 D, cupiditas, 253 C, 254 B, hypocrisis, 179 C', 251 A', 255 A', invidia, maxime contra Christum, 119 D, 232 A', 492 B', 501 C, quem insidiose interrogabant, 148 B', 213 A, cujus increpatione deteriores facti sunt, 239 A', et a quo maledicti sunt, quomodo, 252 C'. — Litteraliter Scripturam interpretantes, Salvatoris doctrinam intelligere non valebant, 501 A'. Qualiter contra Spiritum Sanctum peccaverint, 155 D, et quo sensu consilium Dei spreverint, 546 B', 547 B. — Illorum invidiam multi imitantur, 141 D', 549 A.

PHILIPPUS (S.) apostolus, qui erat e Bethsaida et frater Nathanaelis, 121 D', quomodo fuerit vocatus, 121 C'. — Prædicavit in Scythia, 359 A'.

PHILIPPUS, tetrarcha Itureæ. Ejus uxorem abstulit Herodes Antipas, 440 A'.

PHILO, « eloquentissimus Judæorum », librum scripsit de laudibus discipulorum S. Marci, 325.

PHILOSOPHIA triplex est, naturalis, moralis et rationalis, 363. — Philosophi multa dicunt fidei nostræ consona, 607 A', attamen illorum documenta moralia evangelicæ doctrinæ comparari non valent, quare, 364.

PHLEGON (Trallensis), historiographus, quid narret de eclipsi facta tempore passionis Christi, 312 A.

PHOTINUS, hæresiarcha, dicebat Christum ante Mariam non fuisse, 379 B'.

PHYLACTERIA, quid fuerint, 251 D, quomodo in fronte ligaverint illa Judæi, 251 A', et dilataverint Pharisæi, 251 D.

PILATUS, cujus agnomen quale fuerit, 315 A', 440 C, ex Burgundia oriundus, juxta Lyram, 315 B', et paganus, 304 A', judex a Romanis constitutus est, 302 A, quandonam, 440 C, et in templo imaginem Cæsaris collocavit, 262 C', non diligens Judæos, nec ab illis dilectus, 304 B'. — Christum quomodo interrogaverit, 303 C, Judæis proposuerit dimittendum, 304 D, et tamen gravissime flagellari jusserit, 304 C'. — Uxor ejus qualiter pro Jesu intercesserit, 304 C', post visionem a diabolo procuratam, 304 D'. — Etsi Pilatus manus suas laverit, 305 B', vehementer peccavit, 306 A. — Qualem inscriptionem in cruce Jesu poni curaverit, 308 D', et quare, 309 A.

PINNACULUM templi, quid fuerit, 43 B'.

PISCATIO, quomodo prædicationem figuret, 48 C. — Piscatio miraculosa duplex fuit, altera quum vocatus est Petrus, 487 D, altera post Resurrectionem, 489 D'. — Quid significent duo pisces cum panibus multiplicati, 589 C.

PLANTATIO, quid designet, et quo sensu eradicetur vel non, 180 D.

PLATO philosophiam quomodo perfecerit, 363. — An recte doceat principale animæ esse in cerebro, 182 B. — Erravit dicens animas ex uno corpore ad aliud transmutari, 140 C'. — Platonicorum qualis fuerit doctrina de Deo, 363, de beatitudine et virtutibus, 52 A, de passionibus, 64 C, de anima post mortem, 246 D', et de elementis animatis, 569 C'.

POENA non semper peccantibus est remittenda, 210 B', quare, 347 B'. — Pœna peccati communiter per partes, aliquando tamen tota simul remittitur, 556 D'.

POENITENTIA tripliciter sumitur, 31 C. — Peccatorum medicina, 34 D, an melior sit quam innocentia, 206 C. — Baptismus pœnitentiæ, quid, 32 A, 33 B. — Digni pœnitentiæ fructus, quinam sint, 445 B, et pœnitentibus quænam spernenda, 544 B'. — Pœnitentiæ sacramentum est secunda post naufragium tabula, 472 C', 498 A'. Quanta sit ejus efficacia, 445 A', et quomodo peccata remittat, 494 B.

POMPEIUS Magnus Judæam Romanis subjugavit, 244 C'.

PONTIFEX, in die Expiationis, cur incensum obtulerit intra Sancta sanctorum, 376 B. — Pontifices seu principes sacerdotum quinam fuerint Christi tempore, 280 C', 441 A. — *Adde* Romanorum Pontificum gesta.

PORCI. Quare in eos mitti petierint dæmones, et Jesus concesserit, 108 B', 572 C', 573 A. — Per porcos, quinam intelligantur, 92 C', et quomodo margaritis seu donis gratiæ abutantur, 92 D'.

PORPHYRIUS « sceleratus », quomodo mentiatur de S. Matthæo, 496 A'.

PORTA angusta, 94 C, et porta lata, quid significet, 94 A'. — Qualiter per portam intelligantur actus virtutum theologicarum, 94 C'. — Portæ inferi, quo sensu accipiantur, 189 A', et non prævaleant adversus Ecclesiam, 189 B'.

POTENTES propter sua peccata frequenter præmatura morte auferuntur, 397B.

POTENTIÆ cognoscuntur per actus et objecta, 530D. — Anima in actu unius potentiæ vehementer occupata, in aliarum usu virium minoratur, 598D. — Potentia obedientialis in creatura, quid sit, 107D, 569D'.

PRÆCEPTUM quandonam imperfecte vel perfecte impleatur, 248D. — Præcepta quandoque dispensationem admittunt, 147C'. — Præcepta affirmativa obligant semper, sed non ad semper, 447A'. — Præcepta V. L. erant moralia, cærimonialia, et judicialia, 61D, 216B', 373C'. — Præcepta Decalogi non solum opera sed etiam verba et cogitationes attingunt, 63B ; quod patebat jam ex V. L., 63D, 66D', 368A. — Utriusque legis præcepta moralia eadem sunt, sed facilius in lege evangelica implentur, quare, 146B'. — Quoad præcepta cærimonialia difficilius erat Mosaicam quam evangelicam legem servare, 146B', 374C. — *Cf.* Lex, Mandatum.

PRÆDESTINATIO Dei non tollit libertatem aut contingentiam, 296D'. — Non fit ex meritis, quo sensu, 78C'; nec frustrari potest, 264C, et proinde prophetia ejus semper impletur, quomodo, 297A. — Prædestinationis dari potest ratio generalis, 143D', non autem specialis, quo sensu, 144A. — Ubique prædestinati mixti sunt reprobis, 269C, quos Deus non novit, quo sensu, 96B'.

PRÆDICATOR, quibusnam virtutibus pollere debeat, 50B', 586A, et quomodo ad prædicandum se præparare, 462A, 470A. — Dignus est cibo suo, quo sensu, 124D, sed temporalium possessio quantum illi noceat, 123A'. — Non illi ad litteram jubentur omnia quæ Apostolis præcipiuntur, 124B, sed tamen nec timore adversitatis nec amore prosperitatis sermonem Dei occultet, 566A, devitet hominum adulationes, 492A', adjutores sibi quærat, si opus sit, 487C', loca minora non negligat, 585D'; si non audiatur, ad alium locum migret, 573D', non autem de domo in domum currens, quare, 125A, 585C. — Quinam peccatores illi visitandi sint, quinam vitandi, 124D'. — Studeat sæpius se abstrahere a plebe ac strepitu, 343B, contemplationi et orationi vacare, 105B, 125B, 176D, 184C, super Scripturam sermones suos stabilire, 471D, prudentiam serpentis habere, 126C, et columbæ simplicitatem, 126D, arundinem quassatam non confringere, nec linum fumigans exstinguere, quo sensu, 151A', de thesauro suo nova et vetera proferre, 171A, se ipsum non palpare, 193D, nec animas per mala exempla occidere, 586B, sed per prædicationem et vitam exemplarem Christum generare in cordibus audientium, 159B'. Parum enim curatur prædicatio cujus vita despicitur, 589B. — Qualiter peccet qui docet quod ipse non facit, 62D, 251B, 528B, et quid agere debeat, 528B'. — Totum Deo adscribat fructum prædicationis, 488D, cujus finis est homines a carnalibus ad spiritualia ducere, 162A.

PRÆLATUS in vita contemplativa et activa perfectus sit, 59D', 62D', 601D, orationi vacet, 105B, 176D, non tamen adeo ut negligat curam subditorum, 294B; vitam aliorum alta puritate transcendat, 62D', sal terræ fiat, 59B, et lux mundi, 59C', verbo et exemplo præsit, 526C', et oves sibi commissas foveat, 50D', magna sollicitudine, 294B, 535D'. — Quomodo subditos corrigere debeat, 208B, sed et eorum correctionem accipere, 208C', pronior ad monendum quam ad præcipiendum, 486B', et magis cupiens diligi quam timeri, 486B', aliquando tamen terribilis in increpationibus, 192D. — Quando illi peccata sint denuntianda, 208D', et quo sensu de hoc præceptum dare valeat, 209D. — Quomodo Jairum imitari debeat, 582A, et congregationis suæ spiritualem resurrectionem obtinere, 582B. — Qualiter peccet qui docet quod ipse non facit, 62D, 251B, 528B, et quid agere teneatur, 528B'. — Redarguuntur qui prælaturam suscipiunt non idonei, 59D'. Amovendus est prælatus indiscretus aut non exemplaris, 59B'. Quantum noceat non solum impius, 253B, sed et cupidus, 255B, et passionatus, 526C'. Malis prælatis quando sit obediendum, 251A, et ab illis quomodo cavendum, 263A'. — Prælatorum electionibus præmittendæ sunt orationes devotissimæ, 505B'. — Prælatis plus datum est, unde et plus exigetur ab eis, 273D'.

PRÆMIUM merito proportionatur, 525B', imo illud excedit, 138D', 335C, magisque pensatur secundum interiorem affectum quam secundum opus exterius, 526A, sed de illo non requirit perfectus amator, 218B'. —

Præsens tempus non est tempus præmiorum, sed meritorum, 222 A'. Beatitudinum præmia unum et idem sunt, quomodo, 57 D'. — Triplex est paupertatis voluntariæ præmium, 219 C'.

PRÆSEPIUM in quo Christus nascens repositus est, quare, 413 A', an confectum sit a S. Joseph, 412 C'.

PRÆSUMPTIO fugienda est, 449 C', 457 A'.

PRANDIUM, mystice quid sit, 241 C'.

PRIMOGENITUS, quo sensu accipiatur in Scriptura, 20 B'. — Frequenter illi nomen patris imponitur, 399 C'. — Primogenita Domino consecrabantur, 423 D, diversimode, 423 B'.

PRINCIPES sacerdotum, quinam intelligantur, 23 D, 280 C', 372 C'. — Quanam intentione agrum Haceldama emerint, 302 C', et cur illud Deus permiserit, 302 D'.

PRINCIPIUM primum naturaliter notum in agibilibus, quid sit, 94 B.

PROCLAMATIONES in capitulis religiosorum non nisi de levibus culpis fieri debent, 209 D.

PROPHETA non est sine honore, nisi in patria sua, quo sensu, 172 A, 475 D', 476 C, illum vero recipere nomine Prophetæ quam meritorium sit, 133 B. — Prophetæ, ex quibus multi illitterati et egeni exstiterunt, 171 D', interdum verbis, interdum signis prophetaverunt, 341 C, et diversa tormenta pertulerunt, 236 D', 512 C', 515 B'. Plura illorum miracula referuntur, 478 A. — Incarnationis præcones, 3, 140 C, 403 D, Messiam esse Deum declarant, 480 D', sed primum ejus adventum in paupertate et humilitate describunt, 230 A. — Quomodo Christum cupierint videre, 163 D, et quali visione adspexerint quæ de illo prænuntiaverunt, 163 B', etsi multi eorum non viderint quæ Apostoli viderunt, quo sensu, 163 D'. — In illorum libris aperte declarantur immortalitas animæ et resurrectio mortuorum, 247 C. — Falsi prophetæ quinam vocentur, 95 A ; cur spinis tribulisque comparentur, 95 A', et Judæos qualiter deceperint, 515 C.

PROPHETIA de Christo in nulla mundi ætate defecit, 403 B. De ejusdem adventu diversæ prophetiæ referuntur, 186 C'. — Prophetia comminationis aliquando non impletur, 291 D', semper autem impletur prophetia prædestinationis, quo sensu, 297 A. — Propheticæ revelationes communiter angelorum ministerio factæ sunt, 425 D'. — Per prophetias fides nostra certissime confirmatur, 403 C.

PROPINQUUS et Proximus. Quomodo Christus propinquos separet ab invicem, sive spiritualiter, sive localiter, 131 C', et quo sensu illos odio habere debeamus, 132 B. — Diliges proximum sicut te ipsum, qua ratione, 248 D'. Non diligitur proximus, nisi diligatur et Deus, 216 D'. — Proximis faciamus quod ab illis fieri nobis peroptamus, 94 A. — Quibusnam virtutibus homo reddatur suavis proximis suis, 374 A.

PROSELYTI quinam vocati sint in veteri lege, 253 A'.

PROVIDENTIA divina a Christo laudatur, 130 C, sed illam gentiles vel non attendunt vel negant, 88 C.

PRUDENTIA justorum, quid sit, 380 C, et quomodo ex illa pax procedat, 409 D. — Qualiter prædicatores fiant prudentes sicut serpentes, 126 C, et quibusnam prudentibus abscondita sint mysteria fidei, 143 C.

PSALMI. In Ps. XXI passio Christi potius narrari quam prænuntiari videtur, 135 A', 310 C, 540 B. — In Ps. XL Jesus prædicitur a discipulo suo tradendus, 288 C. — In Ps. LXXVII David vel Asaph loquitur in persona Christi, quomodo, 166 B'. — Psalmus XC falso sensu allegatur a diabolo, 468 D. — Initium Psalmi CIX explanatur, 249 D'.

PUBLICANUS, quisnam sit, 207 C', 235 D', 495 D'. — Multi publicani prædicante Joanne Baptista se emendaverunt, 449 A'.

PUERI clamantes in foro et ludentes, quosnam designent, 141 A. — Pueri qui Christum laudaverunt in templo, 232 D, cujusnam ætatis fuerint, 232 C'.

PULVIS de pedibus Apostolorum quandonam excutiendus, et ad quid significandum, 125 A', 585 A'.

PURIFICATIO matris, quomodo facta sit secundum legem, 422 D. Illi Maria, etsi non adstricta, 422 D', se subjicere voluit, quare, 423 B.

PUSILLUS. *Vide* Parvulus.

PYTHAGORAS contemplativæ magis quam activæ sapientiæ instituit, 363, et viva voce, non per libros docuit, 3.

R

RAAB ad Judaismum conversa, 9 B, a Salmon duci meruit, etsi meretrix fuerit, 9 C. — Quare in genealogia Salvatoris inveniatur, 8 A.

RABANUS (Maurus), Moguntinus episcopus, citatur, 32 B, 266 A'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 107-112.)

RABBI non vocandus Christi discipulus, quo sensu, 251 D'.

RABBI Moyses vel Moyses Ægyptius (Maimonides), citatur, 422 B, 443 D'.

RACA vacuum significat, 63 D', vel confusam indignationem denotat, 63 A.

RACHEL, ubi sepulta sit, 413 C', et quo sensu Innocentes martyres ploret, 29 C.

RADIX, quid designet, 446 C', 447 A. — Quinam radices non habere dicantur, 564 B.

RAMA est interdum nomen loci, interdum nomen commune, 29 A'.

RAMI arboris signant hominis desideria, 447 C.

RAPHAEL archangelus, quo sensu ante Deum adstet, 381 A.

RATIO speculativa et ratio practica quomodo procedant, 366 A. — Rectæ rationi in omnibus est obtemperandum, 94 D', ita ut caro et sensualitas rationi obediant, ratio autem Deo, 166 C. — Ratio designatur per oculum, 85 D', et per lumen, 86 C.

RECONCILIATIO quam prompta esse debeat, 66 D, et quam perfecta, 65 D', 212 B'. — Ante oblationem facienda est, quando, 65 A', et quomodo, 65 B'.

REDEMPTIO nostra per Christi passionem completa est, 401 D'. — Quo sensu ad omnes se extendat, 498 D.

REGENERATIO corporum, qualis futura sit, 218 D'.

REGNUM Dei, quid sit, 153 C', 239 A, 335 C, 485 B, 545 C', quomodo adveniat in Ecclesia sive triumphanti, sive militanti, 80 C, 329 D'. — Primum quærendum est, 88 B', tanquam finis noster, 88 C'. — Mysterium regni Dei, quid, 562 C'. — Regnum cœlorum, quid designet, 31 D, 53 D, 62 C, 122 D', 170 C, quo sensu vim patiatur, 139 C, 140 B, et parvulorum sit, 215 A'. Nemo in illud ante Christi passionem ingredi potuit, 123 A. Qui minor est in illo, major est Joanne Baptista in terris degente, 138 D'. Minimus autem in illo quis intelligatur, 62 C. — Filii regni quinam vocentur, 102 C.

RELIGIOSUS propriam voluntatem omnino relinquit per votum obedientiæ, 592 B, et triplex abnegatio ab illo requiritur, 592 D. Crux ejus, quid sit, 592 B', et quomodo ferenda, 592 C'. Illi quam vitanda ambitionis tentatio, 605 D', et lingua qualiter refrenanda, 529 D'. — Religiosorum status per holocaustum figurabatur, 375 A, 592 D', et professio religiosa magis obligat quam juramentum, 592 D. — Religiosi quinam sint acediosi, 504 C'. — In capitulis religiosorum non nisi de culpis levibus proclamationes fieri debent, 209 D. — Utrum de ingressu religionis parentes sint consulendi, 610 D', vel illum impedire valeant, 106 B. Quomodo separari possint conjuges in religionem recipi volentes, 214 A. — Quare novitiis religiosis annus probationis concedatur, 114 D'.

REMIGIUS (Antisiodorensis), O. S. B. theologus, citatur, 267 C'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 131, col. 868.)

REPROBI, qui hœdi vocantur, 277 A', citra condignum affliguntur, 526 C, sed pœnam sibi invicem augent, 257 D, et vellent se non esse, 288 A'. — Quomodo fleant, 514 B', et de æternitate pœnarum doleant, 452 D', jugiter remanentes in affectu peccandi, 96 C'. — Illorum numerus quantus sit, 224 A'. — Voluntas Dei non est causa ipsorum damnationis, quo sensu, 206 A', et nullus est tam reprobus, ut divinæ clementiæ penitus expers exsistat, 396 D.

RESURRECTIO mortuorum, quæ ex animæ immortalitate deducitur, 246 D', ex Scriptura demonstratur, 246 A', 247 C. — Resurrectio spiritualis in quo sistat, 430 B. — Resurrectio Christi. *Vide* Christus.

RETE, mystice quid sit, 489 C, et quomodo laxandum, 487 B. — Rete Petri partim rupto, nullus excidit piscis, 487 A'.

REVELATIO superna non est divulganda donec Deus voluerit, 382 C.

RHINOCEROS. Quid de illo narretur, et quomodo per ipsum Christus mystice designetur, 419 A.

RISUS inordinatus reprobatur, 514 C.

ROMANI. Apud illos nemo ad mortem damnabatur, nisi præsentes essent accusatores, 303 D. — Nescientes sanguinem Christi ulti sunt, 242 B', cæde Judæorum quos illis Deus tradidit, 238 A.

Romanorum Pontificum gesta (id est Liber Pontificalis Anastasii), 417 D'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 127 et 128.)

RUTH, quæ laudatur, 9 D', propter virtutes suas statim ad ritum Judæorum admissa est, 184 A. — Quare in genealogia Christi ponatur, 8 A.

S

SABBATUM. In eo fieri prohibetur opus servile, quo sensu, 149 B, 504 A, et quare, 472 C, 503 D'. — Judæi non recte intelligebant præceptum de sabbati observatione, 149 A, 503 D', quod quædam opera permittebat, 61 B', 147 C', 148 D', 504 B. — Quomodo sabbatum servatum fuerit a Christo, 61 A', qui, ut Dominus sabbati, 148 D, illius celebritatem ad primam feriam transtulit, 148 A'. — Quid sit prima sabbati, 316 B, 355 D', et sabbatum secundum primum, 501 D. — Mystice, quid sit sabbatum, 264 A.

SACERDOS, quare angelus dicatur, 138 A. Profundius quam populus debet divina penetrare, 375 C'. — Principes sacerdotum quinam fuerint in V. T., 23 D, 280 C', 372 C'. Sacerdotes Judæorum pascebant se ipsos, non gregem sibi commissum, 120 C, et nitebantur Christum in verbis capere, 236 B. Sub imperio Romanorum, quomodo venale fuerit sacerdotium apud Judæos, 441 A. — Sacerdotes N. L. habent claves regni cœlestis, 273 A, remittunt peccata, 494 B, et corpus ac sanguinem Christi consecrant, 290 D, quam damnabiles si carnalibus vitiis inquinentur, 382 A'.

SACRAMENTA V. L. quid fuerint, 33 D. Non sua virtute, sed fide suscipientis gratiam præstabant, 33 D'; sacramenta autem N. L. gratiam continent et conferunt, 273 A, 366 C', 508 D. — Sacramenta Ecclesiæ, quæ sunt spiritualiter medicinalia vasa, 367 C, nobis applicant meritum Christi, 18 A', 368 D, de cujus latere in cruce dormientis fluxerunt, 368 D.

SADDUCÆI, quid docuerint, 34 A, 245 A', et quomodo Christum interrogaverint, 245 B'.

SAL designat discretionem, 59 C, prudentiam, 344 C', vel hominem discretum, 344 B'. — Sal terræ quomodo fiant prælati, 59 B.

SALATHIEL, cujus filius, 12 C, 13 B', 458 A.

SALIVA sapientiam figurat, quare, 339 B', 340 D'.

SALMON cur Rahab duxerit, quæ meretrix fuerat, 9 A.

SALOMON quam gloriosus rex, 87 D', 157 D'. — In libro Proverbiorum moralem, in Ecclesiaste, naturalem, in Canticis canticorum, rationalem simul et moralem sapientiam scripsit, 363. — Edidit exorcismos seu adjurationes quibus utebantur exorcistæ Judæorum, 153 D. — Qualiter consilium Dei tentaverit immutare, 29 A.

SALUS quam diligenter operanda, 193 C, 610 B'. — Ad statum salutis innumeri perducti sunt ab Abraham usque ad Christum, 221 B', qui erexit cornu salutis, quo sensu, 402 A'. — Quid sit scientia salutis, 407 A'.

SAMARITANI erant natione gentiles, 122 D. Quare Christum non receperint, 608 A.

SAMSON sanctus fuit, 378 A, et nazaræus Dei, 379 A. — Quomodo Christum resurgentem figuraverit, 355 C'.

SANCTI. Quilibet eorum dicitur in aliqua virtute amplius splenduisse, 425 B, sed stultum est de illis disputare, quis alio major sit, nisi quantum ex Scripturis elicitur, 138 C'. — Sancti quomodo miracula operentur, 482 A', 491 D', et mortem gustent, 595 A. — In Sancta populo non licebat ingredi, 375 B', et in Sancta sanctorum solus pontifex intrabat, 375 D', et offerebat incensum, quare, 376 B.

SANGUIS. In illo consistit vita animalis, 115 C', et per illum frequenter designatur totus homo, 302 C.

SAPIENS, quomodo se habeat, 371 A', et sanet habitantes in terra, 325. — Quibusnam sapientibus abscondantur fidei mysteria, 143 C.

SAPIENTIA, quotuplex distinguatur, 363. — Quo sensu justificata sit ab omnibus filiis suis, 549 B. — Lex æterna idem est ac increata sapientia, 365 B. — Sapientia humana quam vana, 363. — In libro Sapientiæ prænuntiatur Christi passio, 310 D.

SARRACENI multa dicunt fidei nostræ consona, 607 A', Christum ejusque Matrem honorant, 395 D, nativitatem S. Joannis Baptistæ celebrant, 378 A'.

SATANAS, quomodo in angelum lucis transformetur, 377 C. — Quid sit ejus regnum, 153 B, et synagoga, 158 C. — *Cf.* Dæmon.

SATUM est mensura Palæstinæ, unum modium cum dimidio capiens, 166 A. — Per sata etiam intelliguntur fruges seu segetes agri, 147 B.

SCANDALUM, quanta vigilantia vitandum, 67 C, 203 B', sed quali discretione, 72 A, 181 A, 504 D, 519 D. — Scandalum activum, quid sit, 180 C, et quandonam mortale peccatum, 203 C'. — Vitandum est scandalum pusillorum magis quam Pharisæorum, quo sensu, 181 B, 504 D. — Necesse est ut veniant scandala, 204 B, sed perfecti non scandalizant nec scandalizantur, 204 A.

SCRIBÆ, quorum multi Pharisæi erant, 348 C, Judæorum fuerunt doctores et legisperiti, 23 D, 250 A'. — Reprobatur illorum superbia, 497 D, cupiditas, 253 C', avaritia, 254 B, 255 A, hypocrisis, 255 A', 330 C. — Consilium Dei quomodo spreverint, 546 B', 547 B, et qualiter maledicti sint, 252 C'. — Perversa intentione unus ex illis Christo se obtulit, 105 B'. — *Cf.* Pharisæi.

SCRIPTURA, quantum præstet philosophorum libris, 363; quomodo animam enutriat, 42 D', 162 D, sapientiam naturalem, moralem et rationalem contineat, 363, thesaurusque sit in quo invenitur quod omni statui congruit, 171 B. — Scriptura nusquam errat, 286 D, et anteponenda est sententiæ doctoris cujuscumque catholici, 188 C. Per verba ejus tentationibus obviandum, 46 B'. — Scripturæ sensus litteralis datur duplex, 27 C', aut multiplex, 34 D'. — In illa sæpe ponitur plurale pro singulari, 482 D', pars pro toto et totum pro parte, 537 D; multa intelligenda sunt in sensu composito, non diviso, 530 C; frequenter mutantur persona, tempus, vel numerus, 83 C', 384 A, 588 A; interdum de diversis quasi de eisdem sermo habetur, 475 C. — Non irreverenter tractandi illius libri, 474 A, aut alleganda illius verba, 474 B.

SECRETUM pandere, quale sit peccatum, 601 A.

SECURIS designat rigorem justitiæ divinæ, 35 C', 446 D', comminationem S. Scripturæ, 36 A, transitum præsentis vitæ, 447 A, vel mortem, 446 C'.

SEDES, quid significet, 218 D', et quomodo sessuri sint cum Christo judice Apostoli virique perfecti, 219 A.

SEMEN quadruplex distinguitur, 563 D. — Designat verbum Dei, 164 C, 335 A', aut evangelicam prædicationem, 560 A. — Exponuntur variæ seminantis parabolæ, 160 C, 165 D, 167 A, 335 C.

SENECA (Annæus), philosophus, citatur, 95 D, 209 C', 374 B, etc.

SENIORES populi, quinam fuerint apud Judæos, 178 C, 250 C', 280 C'.

SEPTENARIUS numerus universitatem designat, 158 A'.

SEPULCRUM Jesu, quare novum fuerit, 314 D'; et mystice, quomodo Christus in illo ponatur, 315 B.

SEPULTURA. Quo sensu ad patris sepulturam ire Christus alicui prohibuerit, 105 D', 610 C.

SERMO in monte, qui legem evangelicam continet, 509 C, an referatur a Luca sicut et a Matthæo, 58 B', 509 B.

SERPENS, quare sit prudentiæ typus, 126 C. — Serpentes dicuntur, invidiosi, pungitivi, et callidi, 256 D. — Serpentes tollere, quid sit ad litteram, 358 A, et spiritualiter, 358 B'. — Per serpentem æneum, Christus crucifixus figuratur, 279 D.

SERVUS fidelis et prudens, quisnam sit, 270 A, et quomodo remuneretur, 270 A'; malus vero servus, quis vocetur, 270 B', 275 A', et qualiter puniatur, 270 D', 275 D'. — Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus, quo sensu, 226 C'.

SIBYLLA, quid de Christo prædixerit, 299 A'. — Sibyllarum testimonia a sanctis Patribus allegantur ad fidem roborandam, 607 B'.

SIGNUM aliud est rememorativum præteriti, aliud prognosticum futuri, 157 D. — Sumitur pro indicio, pro miraculo et pro vexillo, 430 D. — Diversa adventus Christi signa referuntur, 186 C'. — *Cf.* Miracula.

SILAS divinitus constitutus est apostolus, 506 B.

SIMEON, qui inter sacerdotes fuit famosus atque grandævus, 424 D', qualem Christi adventum exspectaverit, 425 C. — Explanatur ejus canticum, 426 C et seq., quod in Completorio cantandum est, quare, 428 B.

SIMON (S.) Cananæus, apostolus, frater Jacobi Minoris, 506 C', vocatur etiam Zelotes, quare, 122 B, 506 C'. — Ubi prædicaverit, 359 A'.

SIMON, Caiphæ filius, quomodo pontifex constitutus sit, 441 B.

SIMON Cyrenæus, quare sic appellatus, 353 A, et cur Christi crucem ferre coactus sit, 307 C, 353 B.

SIMON Essæus dixit se esse Christum, 259 D'.

SIMON leprosus an curatus fuisset, quum Christus esset in ejus domo, 281 A'.

SIMON magus, quomodo Samaritanos seduxerit, 259 C', et quid de se ipso scripserit, 259 C'.

SIMON Petrus. *Vide* Petrus.

SIMON Pharisæus, quid cogitaverit de Christo et de Maria Magdalene, 551 B', et quomodo reprehensus fuerit, 552 D', 554 B. — Mystice, est populus Judaicus, 558 A'.

SIMONIA reprobatur, 123 C, et simoniacos Christus ab Ecclesia sua repellit, 232 A.

SINAPIS. Grani sinapis parabola exponitur, 165 D. — Quomodo fides habeatur sicut granum sinapis, 200 B.

SINDON munda quæ Christi corpus involvit, significat conscientiam puram, 315 B.
SION, mons in quo erant templum Dei atque palatium regis, 229 D', quare dicatur civitas David, 411 D. — Ita etiam designatur urbs tota Jerusalem, 229 D', 411 D.
SOCRATES, activæ potius quam contemplativæ sapientiæ deditus, 363, viva voce, non per libros docuit, 3. — Quomodo circa orationem erraverit, 78 B'.
SOL est causa generationis in inferioribus, 268 A. — Quomodo miraculose obscuratus sit tempore Passionis, 311 D, et quo sensu in die judicii lumen amissurus sit, 266 A.
SOLITUDO est locus aptissimus ad orationem, 331 A', ad pœnitentiam et contemplationem, 461 D, ibique invenitur Christus, 185 D'. — Solitariam vitam Jesus opere commendavit, 461 D, sed si penitus sit solitaria, non est sine periculis, 463 C'.
SOLLICITUDO ordinata est pars prudentiæ, 87 C, superflua vero prohibetur, 87 B.
SOMNUS. Quare tempore somni fieri soleant revelationes divinæ, 17 D'.
SPHÆRA (liber de), auctoris Arabi, ut videtur, 487 A.
SPICA, quid designet, 335 C'.
SPINÆ, quid mystice, 561 C, 564 B', 565 A. — Spinæ quibus coronatus est Christus, erant junci marini, 306 B', de quibus refertur testimonium alicujus comitis S. Ludovici, regis Franciæ, 306 B'.
SPIRITUS quotuplex sit, 41 C, et quomodo ab anima distinguatur, 394 B'. — Spiritus promptus est, caro autem infirma, quo sensu, 293 D'.

Spiritus Sanctus, qui digitus Dei dicitur, 427 A, et cui bonitas appropriatur, 16 D, est verus Deus ubique præsens, 379 D, a Patre Filioque procedens, 471 C'. — Quibusnam infundatur, 379 D, quosnam vero impleat, 379 A', 460 C', et quo sensu non sit in peccatoribus, 379 D. — Multi sunt gradus plenitudinis ejus, 460 A. — Quare illi approprientur revelationes propheticæ, 425 D', et quid sit baptizare in Spiritu Sancto et igni, 37 B. — Quomodo in forma columbæ super Christum baptizatum descenderit, 39 D, 40 A, 455 B, per nubem figuratus sit in Transfiguratione, 197 A'; Apostolos innovaverit, 114 D, per linguas igneas in die Pentecostes apparens, 455 B ; Evangelistas inspiraverit, 370 A' ; et quo sensu loquatur in Christi testibus, 127 A'. — Dona ejus, quid efficiant, 41 A, 329 A'. — Desperatio est peccatum contra Spiritum Sanctum, 302 A'.
STABILITAS loci commendatur ad mentis stabilitatem acquirendam, 125 B, quæ maxime optanda, 544 B, ad quam aptissimus est mitis et humilis corde, 146 A.
STATER, cujus valoris fuerit, et quomodo creatus in ore piscis, 201 C'.
STATUS diversi, quomodo repræsententur in parabola seminantis, 161 C'. — Sæpe in statu inferiori inveniuntur perfectiores homines quam in statu superiori, 161 D'.
STELLA Magorum, sedulo exspectata, 22 D, qualis fuerit, 22 B', 30 B', ubi apparuerit, 22 C, et quando, 28 A'. Quomodo Magos præcesserit, 24 B', et cur ad tempus disparuerit, 22 C'. — Stella habens gladii formam per annum super Jerusalem pependit ante illius ruinam, 260 B'. — In ultimo die, stellæ cadent de cœlo, quo sensu, 266 A'.
STEPHANUS (S.) protomartyr, in lege peritus, 256 C', quo sensu dicatur Spiritu Sancto plenus, 460 A.
STOICI, quid sentiant de virtutibus, 52 B.
STRIDOR dentium in inferno qualis inveniatur, 102 B'; 244 B.
SUPERBI quam stulti, 453 A. Privantur divinæ veritatis illustratione, 143 B', et aliis donis supernaturalibus, 162 B'. — Dei proprium est omnes superbos humiliare, 252 B', 443 A'.
SUPERBIA est omnium vitiorum regina, 159 A. — De illa quomodo Christus tentatus sit, 43 D, 467 D'.
SURDI, mystice quomodo audiant, 136 D, 543 C. — Surdi a Christo curati, 339 D, 340 A', 342 D.
SUSPICIO, quid sit et unde procedat, 91 B. — Triplex ejus gradus exponitur, 91 C.
SYMMACHUS Papa utrum ediderit complementum cantici angelici, et quid de illo incipiendo decreverit, 417 D'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 62.)
SYMPHONIA alia ad audaciam, alia ad lætitiam, alia ad planctum inducit, 117 A.
SYNAGOGA designat ipsam Judæorum collectionem, 471 A, vel locum orationis, 49 A', 76 D, 330 B, 533 C'. — Sponsus ejus dicitur Deus, 35 B'. — Quomodo eradicari potuerit, 180 A'. — Synagoga Satanæ, quid, 158 C. — Quid in synagogis agant quotidie Judæi contra Christum ejusque discipulos, 158 C'.
SYRIA est medium terræ habitabilis, 411 B.

T

TABERNA. Qui libenter est in illa, diaboli filius reputatur, 435 B'.

TALENTA, quid significent in parabola, 274 C.

TALIO. Pœna talionis, quam perperam nonnulli Judæi intelligebant, 70 C', quare in V. L. sancita, 70 C.

TECTUM designat sublimitatem virtutum et contemplationis, 263 C', 495 A'. — Tecta domorum in Judæa qualia fuerint, 332 D, 493 B. — Super quænam tecta prædicare jubeantur Apostoli, 129 B'.

TELESPHORUS (S.) Papa instituit ut solis episcopis liceret canticum angelicum incipere, 417 D'. (Labbe *Concilia,* tom. I, col. 563.)

TEMPLUM non formaliter sanctum est, sed in quantum ordinatur ad honorem Dei, 253 D', qui in illo tanquam in propria domo habitat, 254 C. — Jurare per templum, fortius obligat quam jurare per aurum templi, 254 A. — Templum Jerusalem Christus potuit destruere et cito reædificare, 309 A', sed hoc sensu non locutus est, 298 B. — Quare in illud intraverit die Palmarum, 231 C'. — Quodnam templi velum, Christo mortuo, scissum fuerit, 313 B, ad quid significandum, 313 C, et quæ narrentur de prodigiis in eodem loco eademque hora patratis, 313 C.

TEMPUS, quo sensu ipsius Dei sit, vel alicujus hominis, 476 D'. — Tempus vitæ præsentis, non infructuose expendendum, 406 B, 611 A'. tempus est pœnitentiæ et mœroris, 132 D, 511 B', meritorum non præmiorum, 222 A'. — Tempus gratiæ quandonam inceperit, 499 C. — Apud Hebræos tempus designat annum, 264 A'.

TENEBRÆ, quid significent, 86 C, 102 B', 129 A', et quid sit potestas tenebrarum, 297 C. — Tenebræ exteriores quomodo sint in inferno, 102 D, 243 D'. — Per sedentes in tenebris quinam intelligantur, 408 B'. — Tenebræ quales factæ fuerint dum Jesus in cruce pendebat, 311 A, et quo sensu ad universam terram extensæ sint, 311 B, 312 B.

TENTATIO, quid sit, 245 B, et in illa quid agendum, 46 A', 570 C'. — Deus neminem tentat ad malum tentati, 81 A, nisi permissive, 81 A'; sed tentat seu probat electos, quare, 81 A. — Petendum est ut non inducamur in tentationem, quo sensu, 81 C, et tentationibus obviandum per Scripturæ verba, 46 B', 462 A', maximeque per orationem, 293 C', 462 B'. — An viri perfecti postulare possint ut tententur, 81 A'. — Cur tentatus sit Christus, 41 B', 462 D, et qua triplici tentatione, 43 C. — Deum tentare, quid sit, 44 B, 468 D'.

TERENTIUS citatur, 478 B'.

TERRA, quo sensu sit scabellum Dei, 69 C, et quid per ejus terminos intelligatur, 267 C'. — In fine sæculorum transibit quoad accidentia, non quoad substantiam, 61 C', et postea erit clara ut aurum, 268 C. — Mystice, quid sit terra, 335 B', 561 B'. — Mites quomodo terram possideant, 54 B. — Terræmotus Christo mortuo supernaturaliter eveniens, quid significaverit, 313 D.

Terram sanctam multi Christiani visitaverunt tempore Apostolorum, 538 D'.

TESTES, in correctione, quando et cur adduci debeant, 207 A', 209 C. — Testes mendaces quinam vocandi sint, 298 D.

THABOR. In illo monte transfiguratus est Christus, 194 C', 596 D, et post resurrectionem Apostolis apparuit, 319 D.

THADDÆUS (S.) apostolus, aliter vocatur Judas Jacobi, et Lebbæus, quo sensu, 122 A, 506 C'. — Ubi prædicaverit, 359 A'.

THAMAR, quare in genealogia Christi ponatur, 8 A.

THEOPHILUS cui scribit Lucas, an fuerit princeps sæcularis, 371 B', et mystice quisnam sit, 371 C'.

THEOPHILUS (id est Theophylactus), Bulgariæ archiepiscopus, citatur, 364, 370 D, 371 A', etc. (Migne *Patrol. gr.* tom. 123.)

THESAURUS, quid sit, 84 B', 85 A', 217 A, et quotuplex, 84 C', 156 A, 529 A'. — Quomodo thesaurizandum in cœlo, 85 B. — Olim thesauri in agro inventi pro media parte fuerunt dominorum agri, 169 C'. — De thesauro Scripturarum qualiter proferantur nova et vetera, 171 A.

THOMAS (S.) apostolus prædicavit in India, 359 A'. — De illo refertur aliquid forsan apocryphum, 71 C'.

THOMAS (S.) Aquinas, quid doceat de Baptismo, 32 C', et de Oratione dominica, 81 D'. — Ejus hymnus de SS. Sacramento allegatur, 404 A'. — Sæpe citatur, 16 B', 68 D', etc.

THOMAS (S.), Cantuariensis archiepiscopus et martyr, quam fortiter bona Ecclesiæ repetierit, 72 A'.

THUS, quid designet, 25 A'.

TIBERIUS Cæsar. Quintusdecimus ejus imperii annus, fuit tricesimus ætatis Christi et

Præcursoris, 440B. — Sub eodem passus est Salvator, 245C.

TIBICINES, quinam fuerint, et quare adhibiti in funere magnarum personarum, 116D', 580A'.

TICHONIUS (Afer) septem regulas dedit ad intelligendam Scripturam, 475D. (Migne *Patrol. lat.* tom. 18, col. 15.)

TIMOR alius est servilis, alius filialis, 110D', 318B, 396C, alius inordinatus, alius ordinatus, 292A'. — Ex variis causis quomodo oriatur, 197D', 482B. — Timor immoderatus impedit usum rationis et linguæ, 196C', 377B, et frenandus est, quomodo, 130A, 414C. — Deo serviendum est sine timore, quo sensu, 404D'. — Timor et gaudium possunt simul esse, sed respectu diversorum, 318A, 537D'.

TITUS. In manus ejus a Deo traditi sunt Judæi, 238A.

TITUS, Bostrensis episcopus (Pseudo Titus in Lucam), 576A', 609A. (Migne *Patrol. gr.* tom. 18, col. 1069.)

TORCULAR, mystice est altare, quare, 236A'.

TRABS magnum peccatum significat, 92A, 527C', quare, 528B'.

TRADITIONES seniorum apud Judæos quænam fuerint, 178C.

TRAJANUS, imperator. Quid de illo in senatu fuerit proclamatum, 410B'.

TRANSFIGURATIO Christi est figura et causa nostræ glorificationis, 600C. — *Cf.* Christus.

TRIBULATIONES. Quinam sint illarum optimi effectus, 513A, et quid in illis agendum, 570B'. — Quomodo gaudendum in illis, 58B, 512C, per quas Deo offenso satisfacimus, 512D', mercedem cœlestem acquirimus, 58C, 512A', Christo assimilamur, 58A', 513A, et Sanctis, 512C'. — Cur justos tribulari velit Deus, 174D. — Qualiter tribulentur carentes præsentia Christi, 176A', qui eos non statim visitat, ut ipsorum merita augeantur, 176C', sed tandem potenter adjuvat, 177C, et omnino pacificat, 177B'.

TRIBUS. Ex suis tribubus uxores accipere debebant Judæi, quare, 372C', 385A, nisi viri essent de tribu sacerdotali, 372D'. — Tribus terræ plangent omnes in die judicii, quo sensu, 267B.

TRIBUTUM, etsi a se non debitum, 201B, Christus solvit, quonam miraculo, 201C'. — De illo Romanis solvendo dissentiebant Judæi, 244C'.

TRINITAS vocatur Pater cœlestis, 74D, 77D, 79C; deficit vero omne nomen a dignitate Patris et Filii et Spiritus Sancti, 388A, et Trinitas non ex lumine naturali sed ex revelatione cognoscitur, 145A. — Quod de una Trinitatis Persona affirmatur, de qualibet trium Personarum vere accipitur, 145A, ubi non obviat relationis distinctio, 268B'. — Quomodo tres Personæ se invicem diligant, 456B, et sibi complaceant, 456C. — Per circumincessionem qualiter divina quælibet Persona in aliis insit, 460B'. Trinitas quare manifestata sit super Christum baptizatum, 40B', et transfiguratum, 197A'; quomodo tres Personæ diligant Jesum secundum humanam naturam, 456B, et in illo sibi complaceant, 456D. — Trinitas quomodo per formam Baptismi designetur, 320A', et in nomine Christi intelligatur, 189D, 320D. — Qualiter Mariam exaltaverit Trinitas, 395C.

TRISTITIA est vel inordinata, 292C, quæ non cadit in virum perfectum, 333B', vel ordinata, 292A', quæ contemplationi favet, 196C'. — Qualis tristitia in Christo fuerit, 333C.

TRITICUM designat electos, 37B', 452B'.

TUBA angelorum in die judicii qualis futura sit, 267A'.

TUNICA, mystice est vetus homo cum actibus suis, 263C'. — Tunica non est deneganda illi qui aufert vestimentum, quo sensu, 518C', 519B. — Tunica Christi quare in sortem conjecta sit, 308D.

TURBA quare ejecta sit de domo Jairi, 117C. — Cur ad Christum audiendum turbæ concurrerint, 507C, 559D.

TURBATIO alia est sancta, 386C', quæ etiam in Christo fuit, 386D', alia vitiosa, 387A.

TURRIS, mystice est templum, 236A'. — Turris Gregis prope Bethlehem sita, ubi Jacob moratus est, 413C', dicitur locus in quo vigilabant pastores quibus nuntiata est Christi nativitas, 413D'.

TURTUR designat Christum, 424B, et castitatem, 424C. — Par turturum offerebatur a pauperibus pro purificatione matris, quomodo, 423D'.

TYRUS. Ejus incolæ crediderunt Apostolis, maxime Paulo, 142C.

U

UMBRA mortis est vita impia, vel sæculum præsens, 408A', aut oblivio, 408B'.

UNCTIO capitis, mystice quid sit, 84A.
UNGUENTUM signat opera pœnitentiæ et salutis remedia, 530C'.
USURA, quomodo reprobanda, 521A', 522A, præsertim si fiat de bonis Ecclesiæ, 521D'. — Quonam sensu Judæis permissa fuerit erga extraneos, 68A, 521B'.
UTRES veteres, quid significent, 114C', 500C'. — In utres novos mittendum vinum novum, quo sensu, 114A', 500B'.
UXOR quandonam apud Judæos dimitti potuerit vel non, 67D', 68C.

V

VÆ communiter in Scripturis idem sonat ac æterna damnatio, 252D', 513B'.
VALENTINUS, hæresiarcha, corpus Christi de cœlo delatum fuisse docebat, 421B'.
VALERIUS Gratus, quosnam pontifices in Jerusalem constituerit, 441B.
VALLIS omnis implebitur, quo sensu? 443D.
VAS, mystice est cor hominis, 272C. — Vasa diaboli dicuntur perversi, 154B.
VELUM templi quodnam scissum fuerit, Christo mortuo, 313B, et ad quid significandum, 313C.
VENTI quatuor designant quatuor principales mundi partes, 267B'.
VENTILABRUM significat judiciariam Christi potestatem, 37B', 452C.
VERBUM frequenter in Scripturis pro facto seu re significata accipitur, 372A, 418C, 482C. — Verbum mentale, est mentis conceptus ex quo verbum vocale procedit, 551B', ad illud exprimendum, 65C, 156A, 182A. — Verbum otiosum quid sit, 156C. — Verbum Dei semen est, 563C, panis etiam animæ dicitur, 42D', 465D'; fidem, spem et caritatem roborat, 43A; omne malum exstirpat et bonum promovet, 466B'.
Verbum æternum est, in Christo, assumptæ humanitatis hypostasis, 390B', quantam illi communicans promerendi ac satisfaciendi efficaciam, 406A'. — Verbi incarnatio quam plane a Luca elucidetur, 384B, et quanta devotione recolenda, 384B. — *Cf.* Christus.
VERECUNDIA quantum a Sanctis servata sit, 383B'.
VERITAS neminem palpat, 192D, et odium generat, 127C'. — Approbanda est, a quocumque prolata, 553D'.
VESPASIANUS ex ordinatione divina contra Judæos venit, 242A'.
VESTES pretiosæ, mystice sunt virtutes, 530C'.
VIA arcta quæ ad salutem ducit, quænam sit, 94C'. — Viæ, mystice sunt virtutes, 242D', vel præcepta, 442D'. — Viæ Domini quænam intelligantur, 407B, 442B', et quomodo parandæ sint, 442A'.
VIATOR. *Vide* Comprehensor.
VIDUA. Vidualis continentia præstat conjugali castitati, 162A. — Vidua Sareptana typus erat Ecclesiæ ex gentibus congregatæ, 478D. — Viduas quomodo sibi allexerint Scribæ et Pharisæi, 253C.
VIGILANTIA, quomodo a Christo commendata, 350A, et a prælatis servanda, 350B.
VIGILIÆ militum, tempore prælii, noctem in quatuor partes dividebant, 176B'.
VINDICTA non est quærenda sub ratione vindictæ, sed medicinæ atque justitiæ, 71D, et a privata persona non est exercenda, 71B.
VINEA Ecclesiam designat, 220C', 221B, vel Synagogam, 236C. — Exponitur parabola patrisfamilias operarios conducentis in vineam suam, 220B, et vineæ locatæ agricolis qui filium possessoris postea occiderunt, 236C, 348A.
VINUM novum, quid significet, 114C', 500C', et quo sensu in utres novos mittendum, 114B', 500B'. — Quale vinum Christo datum sit in Calvariæ loco, 307C'.
VIPERA. Quomodo parricida sit ejus proles, 445A. — Quo sensu Judæi vocati sint progenies viperarum, 34B, 444A', et viperæ proprietates participaverint, 35A, 445A.
VIR. Sic vocatur in Scriptura qui saltem vicesimum annum attigit, 176A.
VIRGA, quo sensu Apostolis permittatur vel prohibeatur, 124C, 584A. — Designat rigorem vindictæ, 124B'.
VIRGINITAS angelis semper cognata, 386A, est sublimis perfectio, non præceptum, 214C', 215B, et multo præstat continentiæ viduali et conjugali, 161D'. — Angelica est vita virginis, 215A, quæ quanto castior tanto sit humilior, 391B, nec libenter tardet in publico, 390D'. — Decem virginum parabola elucidatur, 271B et seq.
VIRTUS est habitus, 51C', circa bonum difficile, 94C; consistit in medio, 94D; differt a potestate, 583A, et a donis Spiritus Sancti, quomodo, 51C'. — Actibus virtuosis dele-

ctatio annexa est, 7 A', et opera virtuosa sunt æternæ vitæ meritoria, probabiliter de condigno, 392 B. — Virtutibus cardinalibus qualiter aptentur quatuor beatitudines apud Lucam enumeratæ, 513 D. — Qua ratione vere virtuosus probetur homo, 530 A', et quomodo viri perfecti possint interdum proprias virtutes commemorare, 157 D'. — Virtutes cœlorum in die judicii commovebuntur, quo sensu, 266 B'.

VITA præsens ad futuram ordinanda est, 132 C', et utilius est in hac vita puniri quam æternaliter condemnari, 203 B'.

VITIA septem sunt principalia, et unum simpliciter capitale, 159 A.

VOLATILIA vel Volucres, qualiter a Deo pascantur, 87 A'. — Volucres cœli designant Christum, 161 A, 560 C', animas contemplativas, principes ad fidem conversos, 165 B', vel dæmones, 160 C', 560 B', aut ambitiosos et arrogantes, 610 A.

VOLUNTAS. Ejus est alias potentias ad actus suos movere, 417 D, et ab illa potissimum homo dicitur bonus vel malus, 417 B. — Aliquando voluntarium cum involuntario permiscetur, 173 D'. — Voluntas Dei, essentialiter justa, 224 B, non est causa damnationis reproborum, quo sensu, 206 A'. — Propria hominis voluntas, quid sit, 591 B', et qualiter abjicienda, 192 A'. — Homines bonæ voluntatis, quinam sint, 417 A.

VULPES, mystice sunt simulatores et callidi, 609 D'.

Z

ZABULON. Terra Zabulon quare via maris vocetur simul cum terra Nephthali, 47 C.

ZACHARIAS Joiadæ filius lapidatus est, 236 D'. — An de illo Christus locutus sit, 257 A.

ZACHARIAS propheta, « cujus liber sententiosissimus pulcherrimusque consistit », 372 C, prædixit humilem Christi ingressum in Jerusalem, 229 C', et descensum ad limbum, 540 D ; dispersionem Apostolorum tempore Passionis, 290 C', et Judæ proditionem, 303 C.

ZACHARIAS sacerdos, pater Joannis Baptistæ, erat de vice Abia, quo sensu, 372 A', 376 C, an summus sacerdos, 375 B. — Quare turbatus sit viso Angelo, 376 A', quomodo dubitaverit, 380 C', loquelam amiserit, 382 C, et scripto Joannis nomine recuperaverit, 400 D. — Canticum ejus quodnam habeat objectum, 401 C, qualiter sit interpretandum, 401 D et seq., necnon cantandum, 409 A'. — Utrum Zacharias occisus fuerit a Judæis, 257 A.

ZELUS. Ira quæ dicitur per zelum, in quo sistat, 64 C', 65 B. — Zelum indiscretum habent qui aliorum, non vero suæ saluti provident, 593 D'.

ZIZANIA designant hæreticos et persecutores, 167 B'.

ADDENDUM

CÆCUS. Duo cæci quomodo curati sint, 118 B, in Nazareth, 118 A, et an bene egerint silentium a Christo præceptum non servando, 118 A'. — Alii duo, quorum unus Bartimæus, 346 A', qualiter sanati prope Jericho, 227 A', et mystice quid clamor eorum significet, 228 B'. — Cæcus prope Bethsaidam illuminatus, 340 C', quare non statim visum receperit, 341 B. — Quinam spiritualiter sint cæci, 473 C, et quomodo curentur, 543 A. — Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt, quo sensu, 181 C, 526 A'.

INDEX GENERALIS

ENARRATIO IN EVANGELIUM SECUNDUM MATTHÆUM.

Prologus 3
Articulus I. Expositio primi capituli : Liber generationis Jesu Christi 5
Articulus II. Determinatio dubiorum concernentium locum istum. 13
Articulus III. Prosecutio expositionis hujus capituli primi, ab eo loco quo dicitur : Christi autem generatio sic erat . 16
Articulus IV. Elucidatio capituli secundi : Quum ergo natus esset Jesus, etc. . . 21
Articulus V. Prosecutio expositionis hujus secundi capituli : Qui quum recessissent. 26
Articulus VI. Expositio capituli tertii : In diebus autem illis venit Joannes . . . 31
Articulus VII. Elucidatio capituli quarti : Tunc ductus est Jesus in desertum a Spiritu. 40
Articulus VIII. Prosecutio expositionis hujus capituli quarti, ab eo loco quo dicitur : Quum autem audisset Jesus. . . 47
Articulus IX. Elucidatio capituli quinti : Videns autem Jesus turbas, ascendit in montem 51
Articulus X. Prosecutio expositionis præsentis capituli, ab eo loco quo dicitur : Vos estis sal terræ, etc. 59
Articulus XI. Elucidatio sequentis partis hujus capituli, usque ad finem ipsius, videlicet : Audistis quia dictum est . . 70
Articulus XII. Explanatio capituli sexti : Et quum oratis. 76
Articulus XIII. Expositio Orationis dominicæ : Pater noster. 79
Articulus XIV. Declaratio residuæ partis præsentis capituli : Quum jejunatis . . 83
Articulus XV. Explanatio capituli septimi : Nolite judicare, ut non judicemini . . 90
Articulus XVI. Expositio capituli octavi : Quum autem descendisset de monte. . 98
Articulus XVII. Prosecutio expositionis præsentis capituli : Et quum venisset Jesus in domum Petri 104
Articulus XVIII. Explanatio capituli noni : Et ascendens in naviculam, transfretavit. 109
Articulus XIX. Elucidatio capituli decimi : Et convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem, etc. 121
Articulus XX. Explanatio residuæ partis hujus capituli : Ecce ego mitto vos . . 126
Articulus XXI. Elucidatio capituli undecimi : Joannes autem quum audisset opera Christi in vinculis 134
Articulus XXII. Prosecutio expositionis præsentis capituli, ab eo loco quo habetur : A diebus autem Joannis Baptistæ. . 139
Articulus XXIII. Explanatio capituli duodecimi : In illo tempore, abiit Jesus sabbato per sata 147
Articulus XXIV. Prosecutio expositionis præsentis capituli 152
Articulus XXV. Expositio capituli tertiidecimi : In illo die exiens Jesus de domo, sedebat secus mare 160
Articulus XXVI. Prosecutio expositionis præsentis capituli, ab eo loco quo dicitur : Tunc dimissis turbis, venit in domum. 167
Articulus XXVII. Expositio capituli quartidecimi : In illo tempore, audivit Herodes tetrarcha famam Jesu, etc. . . . 172
Articulus XXVIII. Declaratio capituli quintidecimi : Tunc accesserunt ad eum ab Jerosolymis Scribæ et Pharisæi . . . 178
Articulus XXIX. Expositio capituli sextidecimi : Et dimissa turba, ascendit in naviculam. 186
Articulus XXX. Explanatio capituli septimidecimi : Et post dies sex, assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus 194

Articulus XXXI. Explanatio residuæ partis hujus capituli, ab eo loco quo dicitur : Et quum venisset Jesus ad turbam . . 199
Articulus XXXII. Explanatio capituli octavidecimi : In illa hora accesserunt discipuli ad Jesum 202
Articulus XXXIII. Elucidatio capituli nonidecimi : Et factum est, quum consummasset Jesus sermones istos, etc. 212
Articulus XXXIV. Expositio capituli vicesimi : Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias qui exiit primo mane. 220
Articulus XXXV. Elucidatio capituli vicesimi primi : Et quum appropinquasset Jerosolymis, et venisset Bethphage . . 228
Articulus XXXVI. Explanatio capituli vicesimi secundi : Simile factum est regnum cœlorum homini regi 241
Articulus XXXVII. Expositio capituli vicesimi tertii : Tunc locutus est Jesus ad turbas, et ad discipulos suos 250
Articulus XXXVIII. Explanatio capituli vicesimi quarti : Et egressus Jesus de templo 258
Articulus XXXIX. Prosecutio expositionis hujus capituli vicesimi quarti : Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur 266
Articulus XL. Expositio capituli vicesimi quinti : Tunc simile erit regnum cœlorum decem virginibus 271
Articulus XLI. Enarratio capituli vicesimi sexti (de passione Christi) : Et factum est, quum consummasset Jesus sermones . 279
Articulus XLII. Elucidatio residuæ partis hujus capituli vicesimi sexti 292
Articulus XLIII. Expositio capituli vicesimi septimi : Mane autem facto, consilium inierunt omnes principes sacerdotum. 301
Articulus XLIV. Explanatio residuæ partis hujus capituli vicesimi septimi . . . 308
Articulus XLV. Enarratio capituli vicesimi octavi : Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati 316

ENARRATIO IN EVANGELIUM
SECUNDUM MARCUM.

Prologus 325
Articulus I. Expositio primi capituli : Initium Evangelii Jesu Christi Filii Dei. . 327
Articulus II. Elucidatio capituli secundi : Et iterum intravit Capharnaum post dies octo. 332
Articulus III. Expositio capituli tertii : Et introivit iterum in synagogam . . . 333
Articulus IV. Declaratio capituli quarti : Et iterum cœpit docere ad mare . . . 335
Articulus V. Expositio capituli quinti : Et venerunt trans fretum 336
Articulus VI. Enarratio capituli sexti : Et egressus inde, abiit in patriam suam . 337
Articulus VII. Expositio capituli septimi : Et conveniunt ad eum Pharisæi et quidam de Scribis 338
Articulus VIII. Elucidatio capituli octavi : In diebus illis, iterum quum multa turba esset cum Jesu 340
Articulus IX. Explanatio capituli noni : Et dicebat illis : Amen dico vobis, quia sunt quidam, etc. 341
Articulus X. Explanatio capituli decimi : Et inde exsurgens, venit in fines Judææ. 345
Articulus XI. Expositio capituli undecimi : Et quum appropinquaret Jesus Jerosolymæ et Bethaniæ, ad montem Olivarum. 346
Articulus XII. Expositio capituli duodecimi : Et cœpit illis in parabolis loqui. . 348
Articulus XIII. Expositio capituli tertiidecimi : Et quum egrederetur de templo, ait illi unus ex discipulis suis . . 349
Articulus XIV. Explanatio capituli quartidecimi : Erat autem Pascha et Azyma post biduum 351
Articulus XV. Expositio capituli quintidecimi : Et confestim mane consilium facientes summi sacerdotes, etc. . . . 352
Articulus XVI. Enarratio capituli sextidecimi : Et quum transisset sabbatum, Maria Magdalene, etc. 354

ENARRATIO IN EVANGELIUM
SECUNDUM LUCAM.

Prologus 363
Articulus I. De perfectione evangelicæ legis. 365
Articulus II. Elucidatio prologi sancti Lucæ in evangelium suum, scilicet : Quoniam quidem multi conati sunt. Item et primi capituli : Fuit in diebus Herodis regis Judææ, sacerdos quidam nomine Zacharias 369

Articulus III. Prosecutio expositionis hujus capituli primi, ab eo loco quo habetur : In mense autem sexto, missus est angelus Gabriel 383
Articulus IV. Expositio evangelici cantici christiferæ Virginis Mariæ, videlicet : Magnificat anima mea Dominum ; et exsultavit spiritus meus, etc. 393
Articulus V. Explanatio residuæ partis hujus primi capituli, in qua et canticum Zachariæ elucidatur 399
Articulus VI. Expositio capituli secundi : Factum est autem in diebus illis, exiit edictum a Cæsare Augusto 410
Articulus VII. Prosecutio expositionis hujus capituli secundi, ab eo loco : Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysis 422
Articulus VIII. Enarratio capituli tertii : Anno autem quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris 440
Articulus IX. Prosecutio expositionis capituli hujus tertii : Factum est autem, quum baptizaretur omnis populus . . 453
Articulus X. Elucidatio capituli quarti : Jesus autem plenus Spiritu Sancto, regressus est a Jordane. 460
Articulus XI. Prosecutio expositionis hujus capituli quarti, a loco quo dicitur : Et regressus est Jesus in virtute Spiritus in Galilæam. 470
Articulus XII. Elucidatio capituli quinti : Factum est autem, quum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei . 485
Articulus XIII. Prosecutio expositionis hujus quinti capituli, a loco : Et factum est in una dierum et Jesus sedebat docens. 492
Articulus XIV. Expositio capituli sexti : Factum est autem in sabbato secundo primo, etc. 501
Articulus XV. Prosecutio expositionis hujus sexti capituli : Et ipse elevatis oculis in discipulos suos, dicebat 509
Articulus XVI. Prosecutio hujus sexti capituli, ab eo loco quo dicitur : Sed vobis dico, qui auditis : Diligite inimicos vestros 516
Articulus XVII. Elucidatio capituli septimi : Quum autem implesset omnia verba sua. 532
Articulus XVIII. Prosecutio expositionis hujus septimi capituli : Et nuntiaverunt Joanni discipuli ejus de omnibus his . 539
Articulus XIX. Expositio residuæ partis hujus capituli septimi : Rogavit autem illum quidam ex Pharisæis, ut manducaret cum illo 549
Articulus XX. Expositio capituli octavi : Et factum est deinceps, et ipse iter faciebat per civitates et castella, prædicans 558
Articulus XXI. Prosecutio elucidationis hujus capituli, a loco quo dicitur : Factum est autem in una dierum, et ipse ascendit in unam naviculam 568
Articulus XXII. Declaratio residuæ partis hujus capituli, ab eo loco quo habetur : Factum est autem quum redisset Jesus, etc. 576
Articulus XXIII. Elucidatio capituli noni : Convocatis autem duodecim Apostolis, dedit illis virtutem, etc. 582
Articulus XXIV. Prosecutio explanationis hujus capituli noni, a loco quo dicitur : Factum est autem post hæc verba, etc. 595
Articulus XXV. Elucidatio residuæ partis hujus noni capituli : Omnibusque mirantibus in omnibus quæ faciebat, etc. 604
Index locorum S. Scripturæ 615
Index analyticus 625

Emendanda. Pag. 151 A', lin. 10 : propinquum, *lege* propinquam ; — 302 A, lin. 1 : morti dignos,... morte dignos ; — 577 C', lin. 6 : Hypocrate,... Hippocrate.

Dubia. Pag. 17 B', lin. 1 : potenter *forsan* patenter ; — 501 A', lin. 3 : similitudo,... consuetudo.



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Monstrolii.
J. Arnauné typographus.

pera

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.
3921.